


50460/B

SYDENHAM, T.
c





THOMÆ
SYDENHAM

MED. DOCT.

AC PRACTICI LONDINENSIS

Celeberrimi

OPERA MEDICA;

in Tomos duos divisa.

EDITIO NOVISSIMA aliis omnibus quæ præcesserunt multò emaculatio, & novis Additamentis ditior. Imò Indice Alphabetico locupletissimo in locum ELENCHI RERUM suscepto, utilissimè ornata.

TOMUS SECUNDUS.



GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCC. LVII.

218232

SYDNEY

AGRICULTURAL

OPERATIONAL MEDICAL

THE UNIVERSITY OF SYDNEY
LIBRARY

VOLUME SECOND



AND THEATRE OF THE

INSTITUTE



CATALOGUS

CONSTITUTIONUM EPIDEMICARUM

hòc Tomò Secundò contentarum, cum GUILHELMI MUSGRAVE
de Arthritide Symptomaticâ & Anomalâ Tractatibus.

Bernardini Ramazzini, in Mutinensi Lycæo Medicinæ Professoris, *Dissertationes tres, de Constitutionibus annorum 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. in Mutinensi Civitate & illius Ditione.*

Lucæ Schroeckii, Academ. Cæsar. Leopold. Natur. Curiosor. Præsidis, *Historia Constitutionis Epidemicæ Augustanæ, anni 1695.*

Michaelis Bernardi Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni 1693. & 1694.*

Johannis Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni 1695.*

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1695.*

Michaelis Bernardini Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni 1695.*

Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni 1696.*

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1696.*

Conradi Bertholdi Behrens, *Constitutio Epidemica Hildesiensis, anni 1695. & 1696.*

Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana, annorum 1697. & 1698.*

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1697. & 1698.*

Sylvestri Samuelis Anhornii, *Constit. Epidem. Sangallensis, anni 1697.*

Caroli Raygeri, *Constit. Epidem. Poseniensis, annorum 1695. 1696. & 1697.*

Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni 1699. & 1700.*

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1699.*

Joh. Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni 1699.*

Rudolphi Jacobi Camerarii, *Constitutio Epidemica Tubingensis &c. anni 1699. & 1700.*

Ambrosii Stegmanni, *Constit. Epidem. Mansfeldiaca, anni 1697. & 1698.*

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1700.*

Constitutio Epidemica Uratislaviensis, annorum 1699. 1700. 1701.

Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1702.

Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana, anni 1701. & sequentium.*


Joh. Jacobi Harderi, *Constit. Epidem. Basileensis, anni 1700. & 1701.*

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1701.*

Ejusdem Constitutio Epidemica Berolinensis, anni 1703.

CATALOGUS CONSTIT. EPIDEM.

- Ejusdem *Constitutio Epidemica Berolinensis*, anni 1704.
 Guntheri Christophori Schelhameri, *Constitutio Epidemica Holsatica*, anni 1706.
 Marci Gerbezii, *Constitutio Epidemica Labacensis*, anni 1709.
 Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis*, anni 1710.
 Joh. Georgii Hoyerii, *Constitutio Epidemica Mulhusina*, anni 1700.
 Rudolphi Jacobi Camerarii, *Constitutio Epidemica Tubingensis* anni 1701.
 Ejusdem, *Schediasma ad Historiam Epidemicam*, anni 1702.
 Johannes Guilielmus Baierus *de frigore Hyemali*, anni 1709.
 Bernardinus Ramazzinus *de frigore Hyemali*, anni 1709.
 Joh. Adami Genselii, *Constitutio Epidemica Inferioris Hungariæ* anni 1711.
 1712. & 1713.
 Lucæ Schroëckii, *Constitutio Epidemica Augustana*, anni 1711. 1712. 1713.
 1715. 1716. & 1717.
 Marci Gerbezii *Constitutio Epidemica Labacensis* anni 1712.
 Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis* anni 1713.
 Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis* anni 1714.
 Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis* anni 1715.
 Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis* anni 1716.
 Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis* anni 1717.
 Josephi Lanzonii *Constitutio Epidemica Ferrariensis* anni 1715.
 Ejusdem *Constitutio Epidemica Ferrariensis* anni 1716. & 1717.
 Dn. D. Caroli Friderici Loew, *de Febre Petechiali* ann. 1683. Pofonii grassatâ,
 & cujus descriptionem in Adversariis Paternis repererat, Epistola ad Clariss.
 Dn. Francisc. Frider. Possinger, Archiatrum Cæsareum.
 Dn. D. Andreæ Loew *Historia Epidemica Hungariæ*, annorum 1688. 1697.
 1699. 1700. 1701. 1702. 1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709.
 ab ejusdem filio Dn. D. Carolo Frider. Loew, Perillustri Lucæ Schroëckio,
 Academ. Natur. Curios. Præfidi, &c. anno 1726. communicata.
 Dn. D. Josephi Lanzonii *Constitutio Epidemica Ferrariensis*, ann. 1729.
 Dn. D. Caroli Frider. Loew, *Historia Febris Catarrhalis*, quæ ann. 1729.
Mense Novembri & Decembri, per Europam Epidemicè grassata est; cui
 accedit *Constitutio Epidemica* anni 1730.
 Dn. D. Caroli Richa *Constitutio Epidemica Taurinensis* annorum 1720. 1721.
 1722.
 Dn. D. Guilhelmi Musgrave *de Arthritide Symptomatica*, *Dissertatio*.
 Ejusdem *de Arthritide Anomalâ, sive Internâ*, *Dissertatio*.



S E R I E S

TRACTATUM & CAPITUM TOMI PRIMI.

OBSERVATIONES Medicæ circa *Morborum Acutorum Historiam*
& *Curationem.* Pag. 19

S E C T I O P R I M A.

| | |
|--|---------|
| CAPUT I. <i>De Morbis acutis in genere.</i> | Pag. 19 |
| II. <i>De Morbis Epidemicis.</i> | 21 |
| III. <i>Constitutio Epidemica Annorum 1661, 62, 63, 64. Londini.</i> | 27 |
| IV. <i>Febris continua hujus Constitutionis.</i> | 29 |
| V. <i>Febres intermittentes.</i> | 46 |

S E C T I O S E C U N D A.

| | |
|---|----|
| CAP. I. <i>Constitutio Epidemica Annorum 1665. & 1666. Londini.</i> | 62 |
| II. <i>Febris pestilentialis & pestis.</i> | 63 |

S E C T I O T E R T I A.

| | |
|--|------|
| CAP. I. <i>Constitutio Epidemica annorum 1667, 68. partim etiam</i>
<i>69. Londini.</i> | 78 |
| II. <i>Variolæ regulares.</i> | 78 |
| Tom. I. | III. |

S E C T I O Q U A R T A.

| | |
|--|-----|
| CAP. I. <i>Constitutio Epidemica partis Anni 1669. atque integrorum</i>
70. 71. 72. <i>Londini.</i> | 104 |
| II. <i>Cholera Morbus.</i> | 106 |
| III. <i>Dysenteria.</i> | 108 |
| IV. <i>Febris continua hujus Constitut.</i> | 116 |
| V. <i>Morbilli.</i> | 120 |
| VI. <i>Variolæ anomalæ hujus Constitut.</i> | 123 |
| VII. <i>Colica biliosa.</i> | 127 |

S E C T I O Q U I N T A.

| | |
|--|-----|
| CAP. I. <i>Constitutio Epidemica partis Anni 1673. atque integrorum</i>
1674, & 75. | 134 |
| II. <i>Febris continua hujus Constitut.</i> | 136 |
| III. <i>Morbilli.</i> | 143 |
| IV. <i>Variolæ Anomalæ hujus Constitut.</i> | 145 |
| V. <i>Tusses Epidemicæ, cum pleuritide & peripneumonia superve-</i>
<i>nientibus.</i> | 150 |
| VI. <i>Anacephalæosis.</i> | 156 |


S E C T I O S E X T A.

| | |
|--|-----|
| CAP. I. <i>Febres intercurrentes.</i> | 159 |
| II. <i>Febris Scarlatina.</i> | 162 |
| III. <i>Pleuritis.</i> | 163 |
| IV. <i>Peripneumonia notha.</i> | 167 |
| V. <i>Rheumatismus.</i> | 170 |
| VI. <i>Febris Erysipelatosa.</i> | 174 |
| VII. <i>Angina.</i> | 176 |
| THOMÆ SYDENHAM <i>Epistola Responsoria de Morbis Epi-</i>
<i>demicis ab Anno 1675. ad Annum 1680. ad Robertum Brady</i>
<i>M. D.</i> | 180 |
| THOMÆ SYDENHAM <i>Epistola Responsoria de Luis Venereæ</i>
<i>Historia</i> | |

SERIES TRACTATUUM & CAPITUM.

- Historia & Curatione ad Henricum Paman, M. D. Pag. 201*
 Gualteri Harris, *de Lue Venerea, ejusque origine, natura & curatione, Dissertatio.* 218
- THOMÆ SYDENHAM, *Dissertatio Epistolaris ad Guilielmum Cole M. D. De Observationibus nuperis circa Curationem Variolarum Confluentium; nec non de affectione Hysterica.* 230
- Bernardini Ramazzini, *de Contagiosâ Epidemiâ, quæ in Patavino Agro, & totâ ferè Venetâ Ditione, in Boves irrepfit, Dissertatio.* 285
- THOMÆ SYDENHAM, *Tractatus de Podagra & Hydrope.* 300
- THOMÆ SYDENHAM *Schedula Monitoria de Novæ febris Ingressu.* 350
- THOMÆ SYDENHAM, *de Febre Putrida Variolis Confluentibus superveniente.* 374
- Davidis Hamilton, *Tractatus de Febre Miliari, seu vesiculari: accessit Febris miliaris Historiarum Fasciculus.* 380
- THOMÆ SYDENHAM, *de mictu sanguineo à Calculo Renibus impacto.* 442
- Caroli Drelincurtii, *de Calculo Renum & Vesicæ Dissertatio.* 448
- Martini Lister, *Dissertatio Medicinalis de Calculo Humano.* 463
- THOMÆ SYDENHAM *Processus integri in Morbis ferè omnibus curandis, unâ cum graphicâ Symptomatum delineatione, & Tractatulo de Phthisi nunc primum edito.* 485
- Caroli Leigh, *Phthysiologia Lancastriensis.* 529





THOMÆ SYDENHAM

OPERUM

TOMUS SECUNDUS.



*I*N primô horum Operum Tomô vidimus, Clarissimum Autorem nostrum Constitutiones Epidemicas Londinenses Annor. 1661. 1662. 1663. 1664. 1665. 1666. 1667. 1668. 1669. 1670. 1671. 1672. 1673. 1674. 1675. 1676. 1677. 1678. 1679. 1680. imò ex parte usque ad annum 1685. magnâ curâ describentem. Utinam alii plures eidem studio incubuissent! Historia morborum sic minùs manca foret, & iisdem recurrentibus constitutionibus, in subsequenter annis, apertior, ac multò facilior daretur via ad morborum per ea tempora vigentium medelam. Verùm pauci admodum diligentioris observationis negotium, non parùm sanè difficile, in se suscipere dignati sunt; inter quos si insigniores aliquot seligeremus, atque hic insertos traderemus, ut sic aliquatenus plenior fieret Constitutionum Epidemicarum Historia, Docto Lectori perutile quid nos facturos opinati sumus. Sunt autem Præclarissimi illi Observatores quos in Scenam jam produci- mus, Bernardinus Ramazzini; Lucas Schrôckius; Michael Bernardus Valentinus; Johann. Jacob. Harderus; Gustavus Casimirus Gahrlied; Conradus Bertholdus Behrens; Rudolphus Jacobus Camerarius; Ambrosius Stegmannus; Medici Uratislavienses; & aliorum, tum Germanorum, tum Hungarorum, tum Italarum & c. non mediocris numerus.



BERNARDINI RAMAZZINI

in Mutinensi Lyceo Medicinæ Professoris

DISSERTATIONES TRES

De CONSTITUTIONIBUS Annorum 1690. 1691. 1692.
1693. 1694. in Mutinensi Civitate & illius Ditione.

Dissertatio Prima.

De CONSTITUTIONE Anni 1690.

Solemnis Astrologorum, quos Judiciarios appellant, ferè ubique est Consuetudo, ut cum Annus extremo senio confectus est, & ad sui finem properat, illicò successuri Anni genesim in antecessum describant, & ex Astrorum positu illius Indolem, genium, mores, num salubris, an insalubris, num frugifer, an sterilis futurus sit, suas Ephemerides evulgando prænuntient. Contraria quidem, sed tutiori methodo mihi visum est incedere, siquidem Anni jam exacti naturam, ac temperiem, qui Mórbi grassati fuerint, quæ remedia Praxis salutaria deprehenderit, quæ noxia, compendiosè enarrare constitui, quod Institutum posthac singulis Annis prosequi mihi in animo est, donec Operis filum abrumpat

——— *Mors ultima linea rerum.*

Id autem Ingenuis Professoribus nec injucundum, nec Praxi prorsus

inutile futurum credidi, quando Ars Medica solis Observationibus ortum suum, ac progressum debet, majorem quoque in dies habitura, si ea quæ in morborum Curationibus nova, & insolita quotidie accidunt, accuratius observarentur. Erit tamen, non secus ac in Astrologorum Ephemeridibus, hic quoque Divinationi locus; non enim ea solum quæ hoc Anno apud Nostrates acciderint, referre satis duxi, sed pensum meum existimavi, ulterius causas disquirere, undenam tam copiosa morborum seges in agris nostris prodierit, ac si non philosophari, saltem divinare, quem exitum habitura sit hæc Epidemica Affectio. In rebus autem abstrusis, & alta caligine involutis vaticinari quoque humanam imbecillitatem pudere non debet, multòque minus in Arte Medica, quando ipse Divinus Præceptor tradidit, *Medicinam, & Vaticinatio-*

tionem esse valdè cognatas, cum ambarum Artium unus sit Apollo Progenitor.

II. Exactè perdiscendam Temporum Constitutionem & quemque morbum, & qui morbus sit bonus, & qui periculosus, aut in Constitutione aut in morbo, verba sunt, immo Oraculum Hippocratis in libro de diebus Judicatoriis; nam ut ibidem ait, *Plerumque Hominis Natura Universi potestatem non superat.* Nomine autem Universi procul dubio Divinus Senex Aëris potestatem nobis designavit, ex cujus vitio omnes ferè Epidemiales affectus ortum ducunt. Plurimum autem momenti, tum ad prænotificandos futuros morbos, tum ad eosdem profligandos, & rectam victus rationem instituendam, quæ à morbis vulgaribus Optima Præservatrix dicitur, plurimum inquam momenti habere, non solum præsentem temporum Constitutionem, sed etiam antea actas diligenter observare, nemo non videt, cum ex iis, tanquam ex sua radice, variæ, & insolentes Aëris alterationes progerminent, quæ modò hanc, modò illam morbi popularis speciem quandoque inferant. Antequam ergò Epidemici Affectus, qui Colonos nostros, & Cispadanæ Regionis humiliorem partem afflixit, descriptionem aggrediar, operæ pretium duxi, prægressas Constitutiones paululum perpendere.

III. Quatuor, aut quinque Annos non vulgaris siccitatis in tota penè Italia præcessisse jam satis constat, quo tempore uberrimus fuit frugum omnium proventus, & satis prospera valetudine in universum uti concessum fuit; adeò verum deprehen-

sus est vulgatum illud, quòd in siccitatibus omnia sint salubriora. Anno verò huic præcedenti circa Vernale Aequinoctium ingentes pluvix cecidere, quæ identidem repetentes totum Veris tempus horridum, & ignavum reddidere. Æstas subsecuta, & ipsa fuit magna ex parte pluviosa. Circa Solstitium signa Rubiginis in frugibus observari cœpta, quæ Rubigo sensim augescens triticeam segetem maximè corripuit, frumenti culmos usque ad aristam maculis veluti sanguineis adspergens. Eadem pestis fabas quoque, ac reliqua legumina obsedit, adeò ut spem præconceptam de Anni fertilitate pauci dies eluserint; solabatur tamen Annorum antecedentium foelix ubertas, ut venturis temporibus provisa sufficerent. Sub initium Septembris, ac multò magis sub Æquinoctium ipsum largiores pluvix delapsæ, quæ per totum Octobris mensem perseverarunt, ut Flumina immensam aquarum vim intra suos aggeres non nisi improbo labore continuerint. Postremi duo menses ferè impluvii fuerunt, & annum 1689. satis placidè clausere. In prædictis Constitutionibus non nisi morbi Sporadici observati sunt, nec multa funera Annum infestarunt.

IV. Ineunte autem Anno 1690. (quem Rubigalis lues, fruges & quodcunque fructuum genus depascendo, & Febrium Ilias primò Rusticanam gentem, mox Urbanam quoque corripiendo, nefastum reddere) Constitutio pluvialis postliminiò, sed gravior recurrens, ac ferè continua, omnium animos obnubilavit. Sic hyemem humidam, nimbosam cum exiguo frigore, nivibus vix delapsis illicò tabescentibus,

bus, ægrè transegit. Martius mensis porrò sine pluviis præter morem, & magna aëris tranquillitate usque ad Aequinoctium exactus, animos erexerat, cum Cœlum denuò omnes quas in sinu suo contineret aquas visum est super nos effudisse. Unius Nycthemeri spatio aquis oppleta sunt omnia, ut hæc Civitas Insulæ specimen præferret. Horret animus Agricolarum calamitates in hac magna eluvione referre, qui

Ducebant remos illic ubi nuper ararant.

Neque id solum visum est in Mutinensi agro, sed etiam in Finalensi, Mirandulano, & Ferrariensi, qui situs olim fuit antiquæ Vallis Padusæ, in quam omnia Elumina ex Appennino descendunt, à Placentina Urbe usque ad Adriaticum Mare, Strabone teste exonerabantur, antequam structis aggeribus Padum subire cogentur; quare in his locis ad longum tempus stagnarunt aquæ, non admittente Pado ad satietatem pleno, non solum circumjacentes aquas, sed per Scultennam, & Gabellum proprias aquas in agros nostros eructante. Perstitit deinde eadem pluviosa Constitutio non solum toto Veris tempore, sed per totam ferè Æstatem, ut nulla penè dies sine pluvia visa fuerit. Hinc factum, quod unà cum pluviis flante ut plurimum Boreâ, nulla unquam Æstas nostro in hoc Climate extiterit, in qua remissior fuerit caliditas, ut patuit ex Thermometris; unde nunquam serior fuit frugum maturitas, messe Julio mense peracta. In Barometris quoque observatum est multò clariorem quàm aliàs fuisse Mercurium, Aëre crasso, & nebuloso existente. Cicadæ hoc anno ut plurimum aphonæ observatæ sunt, illarum

loco per totam ferè Æstatem coaxantibus Ranis; sic pro Vere hyemem, & pro Æstate Ver fortiti fuimus.

V. Nullus Annus in his Regionibus pisculentior unquam fuit, quare cum Pisces ubique pretio vilissimo prostarerent, plebs Urbana hoc alimenti genere familiariter usa est, multoque magis plebs Agrestis, quæ facili negotio propriis in agris, & in ipsis laribus pisces captabat, *Neptuno pro Cerere victum subministrante*, ut de Ichthyophagis scripsit Diodorus Siculus, donec super cibo isto levissimo nauseante rusticano stomacho, sicut olim gens Hebræa in Deserto, Allia, & Cœpas appeterent. Ab amico Mercatore fide digno, qui Mantuanum agrum hisce temporibus peragravit, ut Sericum emeret, accepi, Rusticos illos ægrotis suis febricitantibus, & nauseabundis Allia, & Cœpas coctas pro ferculo præbuisse, quod cum in aliquibus foeliciter cessisset, passim exinde hoc remedii genus, tanquam Elixir proprietatis, quo mirificè recreabantur, valdè ex usu fuit.

VI. Sub initium Junii denuò, sicut Anno ante actò, apparere signa Rubiginis. Vim Rubigalis morbi prima persensit Morus, nec illi quicquam profuit ipsius Prudentia, cujus Symbolum in censu Plantarum audit. Mox eadem Rubigo, pessimus omnium frugum morbus, & paulatim auferens, Frumenta, & omnium legumina, sed præsertim Fabas, occupavit, neque solum in locis humilioribus, ubi computruerant aquæ, sed etiam in editioribus, ut supra Viam Æmiliam, & in ipsis Collibus. Luctuosum sanè, ac deplorandum spectaculum omnium oculis fuit, campos circumquaque non

virentes, sed atratos, & fuliginosos intueri; sicut enim Anno huic præcedenti hæc lues rubro colore fruges infecerat, ita hoc Anno, non Creta, sed Carbone notando, easdem magna atredine resperferat. Sic frumentatio pessum ivit, Frumento partim à Rubigine absumpto, partim ob aquarum colluviem in Lolium converso. Sed neque Plantarum fructibus, qui Æstatis principio, vel sub Opera maturescunt, pestis hæc pepercit. Nunquam in tota Estensi Ditione Uvarum, sicuti rerum omnium maximè ferace, parciore fuit Vindemia, botris ab eadem peste paulatim exesis. Nuncibus tantum, quarum præter morem ante actis annis magna penuria fuerat, hæc Rubigalis lues non nocuit. At neque hortensis familia vim hujus morbi cuncta depascentis effugit, nam Olera ferè omnia sydereo veluti afflatu ustulata sunt, adjecta quoque altera clades, nam Erucae, & Bruchi hortos omnes depopulati sunt, nudis Stolonibus relictis. Melonum, sicuti & reliquorum fructuum, magna fatuitas, ut & ipsa Animalia illorum esum quandoque respuerent.

VII. Vix risum forsitan tenebit aliquis, quòd res tam minutas adeò curiosè persequar; at is sciat quòd magnarum calamitatum non rarò exigua sunt signa, &

Sæpe exiguus mus

Augurium tibi triste dabit.

Quemadmodum in re Nauticâ ex levi nebula magnæ tempestatis signa captantur, ita & in re Medicâ ab exilibus indiciis magni morbi impendentes non rarò prævidentur, quare Hippocrates: *Nihil negligere.* Sic non immeritò Cleombrotus apud Plutar-

chum, Demetrium dicentem, ridiculū esse ex rebus minutis de grandibus facere indicium, arguebat his verbis. *Artem Medicam pestilentem æstatem ex aranearum frequentia prænunciare, atque ex foliis ficulneis, quando Vere Cornicis pedem referunt. quis confitebitur qui res pusillas statuatur vestigia non esse magnarum?*

VIII. Pluviosam Constitutionem quæ ab anni principio usque ad totum Julii mensem obstinatè perstiterat, magna postmodum siccitas per duos ferè integros menses excepit; hujusmodi tamen siccitatem non multa caliditas comitata est, & qualis cæteris Annis apud nos persentiri solet, præsertim cum *Procyon furit,*

Sole dies referente siccos.

Post æquinoctium verò cœperunt denuò apparere pluviae, ad quarum primum aspectum nemo non expavit, fuerè tamen valde moderatæ, & quantum sufficerent ad terram strigosam, ac veluti saxeam ob prægressam siccitatem emolliendam, adeò ut Colonorum votis pro desiderata frumenti satione responderit. Ultimi duo menses, sicuti priori anno cum perpetua ferè serenitate, & modico frigore, quantum prima pars hyemis postulabat, Anni eursum absolverunt.

IX. Hæc itaque fuit hujus Anni Constitutio, omnium non solum Vegetabilium, sed etiam Animantium naturæ, ut modò videbimus, valde infesta. Quamvis ergo hyems adeò intempesta fuerit, nihil tamen contigisse scio, quod ad Medicam lancem trutinari debeat, neque id mirum, nam tunc temporis cudebantur morbi suo tempore, & loco erupturi. Epi-

demicos Affectus, non præsentium Constitutionum, sed præcedentium esse productum, & sobolem scite annotarunt Montanus, & Vallesius, duo clarissima Medicinæ lumina, idque apertis verbis ipse quoque Hippocrates asseruit. *Cum fieret autem*, inquit ille, *totus annus humidus, & frigidus, & Borealis, per hyemem quidem salubriter degebant maxima ex parte, ante Ver autem multi quidem degebant morbidè.* Succedente itaque Verno tempore, ac circa medium Aprilis mensem magna febrium seges in Mutinensi agro intra Viam Æmiliam, aliisque proximis locis, ubi diu stagnarant aquæ, ex improvise caput extulit. Tertianæ omnes intermittentes ab initio fuerunt, & neminem novi, qui in principio hujus Epidemici affectus alio febris genere tentatus fuerit. Indiscriminatim Ruricolæ omnes, cujuscunque sexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis, corripiebantur, cum magno horrore, frigore, & tremore, interdum quoque vomitione accedebant hæc Febres; copiosi quidem sudores in principio hujus Epidemici Affectus ipsas comitabantur, qui postea in morbi progressu remittebant; pauci integrè judicati sunt, sed omnes ferè, qui evasisse videbantur, experti sunt recidivas; neminem tamen hujusmodi Febrium genus licet tam populariter grassatæ fuerint, quod sciam, sustulit. Multoties accidit, ut cum in die intermissionis celebraretur phlebotomia, eadem die Febris corripere, & de simplici Tertiana duplex fieret. Nec id solum Ruri observatum est, sed etiam in Oppidis, & in hac Civitate, cum eodem tempore Oppidani quoque &

Plebs Urbana iisdem Tertianis febribus intermittibus exercerentur, sed longè inferiori numero, ac gens Rusticana.

X. Perseverarunt itaque hujusmodi Febres per totum Veris tempus, cum ejusmodi typo; accedente verò Æstate, in duplices Tertianas omnes conversæ, & quæ de novo accesserunt, hujusmodi typum servarunt. Duplici Tertiana igitur omnes fere Agricolaë eodem tempore laborarunt, quæ quidem ut plurimum intermittens erat, sed valdè protracta, ut paucæ horæ pro apyrexia numerarentur. Vespere ut plurimum exacerbabantur, illas stipante magno Symptomatum satellitio, veluti vomitione, anxietate, capitis dolore, vertigine, in nonnullis stupiditate, in aliis mentis emotione; quod autem non rarò mihi observatum est, magna erat virium nocturna prostratio, ac interdum cum asphyxia, ut proximi Silicernio viderentur, manè cuncta hæc remittebant oriente Sole, ad cuius matutinos radios, è lectulis exsurgentes se exponebant, ac vitales spiritus ex inexhausto illo luminis, & caloris Fonte veluti potabant. Cum hoc Annò curiosius rusticatione, quamvis parum tuta, oblectatus fuerim, non semel admiratus sum, quomodo Aegri, qui tota nocte cum Morte luctabant, manè sub Porticibus, velut Angues ad Solem cutem curantes, erecti starent, ac tantum virium iis superfuisset, ut campos etiam peragrarent; persistit tamen in omnibus satis commoda cibi appetentia, quin persæpè non paucos audivi de nimis parca alimonia conquerentes,

tes ; ac revera hujusmodi Febres , quantum observare licuit , fuere magis famelicæ , quàm siticulosæ.

XI. Verminatio nunquam aliàs major fuit , nec solum in Pueris , sed etiam in provectioris ætatis hominibus. Memini me vidisse Rusticum quendam annorum circiter 40. sub Porticu ad Solem ex Febris accessu rigentem , atque unà valdè singultientem , à quo cum sciscitatus essem , num Vermes rejecisset , ac ille respondisset , se aliquot Vermes inferiùs , ac superiùs dejecisse , Singultum , à cujus molestia se potissimùm liberari instabat , à Vermibus stomachum lacerantibus fieri asserui ; cum autem fortè pulverem Chinæ-Chinæ sibi à Medico Forensi præscriptum in promptu haberet , permisi ut illum assumeret. Siluit pertinax Singultus unà cum febre , quæ tamen paucis post diebus rediit , sed sine tam molesto Symptomate. Aliàs postea expertus sum hujusmodi remedii genus in lumbricis puerorum enecandis , quod mihi feliciter cessit.

XII. Sanguis , qui in hac Constitutione secta Vena educebatur , ut plurimum crassus , & subpallidus apparuit ; in non nullis etiam Ictærodès observabatur , quamvis exteriùs in Corpore similis color non floreret. Alvi excrementa in omnibus ferè febricitantibus crassa erant , & compacta. Quæ per os rejiciebantur subacida potius erant , quàm amara. Urinæ ut plurimum crassæ , ac turbidæ multumque lateritii sedimenti habentes reddebantur , ac persæpè in febris , in quibus nulla erat cacoethiæ suspicio ; Hypochondria in omnibus dura , ac distenta.

XIII. Quibusdam , postquam illos hujusmodi tertianæ febres diù exercuissent , apparuere Parotides , quæ ut plurimum suppurabant , at neque hoc pacto contumacissimæ febres summovebantur. Curavi Mulierem uterò gerentem , quæ , cum per integrum Septembris Mensem febricitasset , oborta Parotide , ac feliciter suppūrata , & ad longum tempus perpurgata , nondum tamen , cum jam Anni finis imminet , à febre immunis est ; adeò contumax , ac penè indomabilis erat fomes , cui hærebant hæ febres. Cæterùm nunquam visæ contumaciores febres ad recidivandum magis pronæ , & quæ magis Medicorum industriam eluderent ; siquidem nec repetitæ phlebotomiæ , nec purgationes , nec mille alexipharmaca , quæ pleno gutture tanquam manus Deorum Receptariorum Chorus adeò celebrat , quicquam profuere. Immò observatum , citiùs ac tutiùs restitutos , quibus nec sanguis ductus , nec purgantia exhibita , nec ullum aliud remedii genus administratum , toto salutis negotio Naturæ morborum Medicatrici commissio. Feliciùs tamen cessit , quibus purgationes , & vomitiones præscriptæ , quàm quibus pluries secta est Vena ; ii namque in deterius semper labebantur. Vidi pauperem Agricola à duplici tertiana ad longum tempus conflictatum , & jam in magno discrimine versantem , cui nec detractus fuerat sanguis , nec ullum aliud remedii genus adhibitum , solo Vini generosi potu , meo consilio propinati , feliciter convaluisset ; sic multos alios novi hoc solo cardiaco restitutos , aquæ usu , ac cæteris remediis ablegatis.

XIV. Cum autem hujusmodi Tertianæ febres non solum Colonos, sed etiam Oppidorum majorum, & Urbium Incolas, si non tam populariter, saltem eadem contumacia fatigarent, ac usu potius remediorum exasperarentur, quam mitescerent, mihi visum est hoc Anno apud nos contigisse id quod apud Plutarchum legimus in libro de Oraculorum defectu, quod nempe in hac Constitutione, quædam Medicæ Artis Oracula obmutuerint, dum causam ignorarent, quare præconceptæ opinioni de magna medicamentorum supra morbos quoscumque potestate, Tertianæ febres intermittentes, ut plurimum citra malignitatis suspicionem, minimè auscultarent; quare locum habuit Virgilianum illud:

— *cesseré Magistri,*

*Phillyrides Chiron, Amptaonius-
que Melampus.*

XV. Major itaque pars Medentium apud Nostrates, ut vulgi calumniis, & assiduis ægrorum querimoniis se subducerent, in hac Tempestate ad Peruviani Corticis sacram Anchoram confugere, at parum prospere; nam in periculosiores scopulos ægrotantes suos persæpe deduxere. Ufu febrifugi per aliquot dies equidem sub doloso cinere latebat ignis, verum postliminiò violentior recandescebat. Qui tamen peritiores erant, ac rebus ægrotantium inagis, quam propriæ ambitioni consultum volebant, *Nabant sine Cortice.*

XVI. Hoc itaque tempore processit Febrilis acies per totam Æstatem, ac totum Autumnum, Rura, & Oppida infestando, frustra *Quartanam sperantibus ægris,* & intervallum ali-

quod à quotidianis paroxysmis expectantibus; nam pauci hoc Anno visi sunt Quartanarii; sicuti nec observare contigit Synochas ullas, vel Febres ardentes, sed solum Tertianas, quæ quidem sub finem Autumni, & prima parte Hyemis rariores fuere, sed graviores, intermittentes quidem in principio, sed quæ tandem in continuas, & lentas migrarent, ut plurimum cum solita periodo circa Vesperas Ægris horrescentibus.

XVII. Febrili huic Exercitui, qui stativa castra posuerat inter Padum, & Viam Aemiliam, quam transgredi ausus non est, (cum in toto illo tractu, qui Colles, & hanc Viam interjacet, inculpata Valetudine. & secura rusticatione uti concessum fuerit) multi alii Morbi junxere se comites, qui sporadicè vagantes multas prædas agebant ut Alvi profluvia, Icteri, Apoplexiæ, Hydropes, Catarrhi præfocativi, aliique Affectus. Qui Dysenteria hoc Anno laborârunt citius, ac foelicius evasere, quam qui Diarrhœa.

XVIII. Vim hujus Constitutionis Viri robustiores, & adulti facilius tolerarunt, minus Fœminæ, ac Pueri, quorum qui infra trimatum erant, ferè omnes periire. In solo Finalis Oppido plus quam tercentum Pueros referunt extinctos, ut ex ejusdem Oppidi Necrologio constat. Magna quoque fuit Infantilis strages in Mirandulano agro, & Novellariensi. Ad dies aliquot febriles paroxysmos tolerabant, postmodum fiebant Icterici, ac paulò post Epilepticis insultibus correpti occumbebant. Cæterum præ multitudine hominum decumbentium pauci sunt extincti,

ac potius ex diuturnitate morbi, & frequentibus recidivis, quam ex Febris vehementia succubuerit; qui tamen fuere superstites magna ex parte facti sunt Ictericis, Lienosis, & Cachectici.

XIX. Vim hujus malè moratæ Constitutionis experta quoque sunt cujuscunque generis Animalia, quæ in magno numero interiire; sicut autem in ea quam describit Silius Italicus, quæ sicca fuit, & præfervida, Vim primi sensere Canes, ita in hac frigida, & præhumida clades Pecudum fuit, quibus, postquam per dies aliquot ægrotassent, veluti per crisim apparebant Variolæ in capite, & collo, ac plerumque ab iisdem excœcabantur; sic quæ ex vehementia morbi non perierant, tandem ex inedia contabescebant. Sues quoque turmatim suffocati moriebantur. Vidit etiam persæpe infœlix Arator concidere

Inter opus Tauros, medioque recumbere sulco.

Nunquam parcius nobis mellificarunt Apes, vel propriis in sedibus extinctæ, vel aliò migrantes; Bombyces quoque initio quidem catervatim peribant, qui verò superstites fuere in ipso Opificio semianimes, & ignavi concidebant. Nimius essem si cuncta singillatim recensere vellem. Extispicium aliquod, Pecudum præcipuè, quarum major fuit strages, identidem celebrare, ac hariolari quænam esset talium morborum causa, non abs re fuisset, si per tempus licuisset.

XX. Scio non defuturos qui me coarguant, quòd ad Veterinariam transgrediar; oblatrent quantum velint,
Th. Sydenham Oper. Tom. II.

quòd talia observare Medicam Artem profitenti indecorum nequaquam crediderim. Egit id Medicorum Maximus, quem non puduit scrutari, quare Bobus faciliùs quam cæteris Animalibus excidant femora, hæc autem sunt illius verba, nemini, quod sciam, observata. *Bobus tunc magis excidunt femora, cum tenuissimi existunt, sunt autem tenuissimi Boves ad finem hyemis. Tunc etiam maximè luxantur, si tamen, & hujusmodi quidam in Medicina scribere convenit. Verùm convenit utique.* Atqui si celebriores Anatomici tot sectiones, tot experimenta per mortes Brutorum agunt, ut Anatomiam in hoc genere comparatam, quam in Medicina desiderari dictum erat Sapientissimi Baconis, jam habeamus, cur non licebit quoque illorum morbosos affectus observare? Quin Medico Chirurgo licere interdum absque Artis dedecore Bestiis mederi, ostendit Eruditissimus Vir Carolus Patinus in sua elegantissima Oratione in Archi-Lycæo Patavino Anno 1682. habita.

XXI. Atque hæc sunt quæ in morbida hujus Anni Constitutione magna ex parte ipsemet observavi, & quæ ab ingenuis Professoribus, & fidis Amicis mihi communicata sunt, quæ quidem referre prout obvenerint, non magni negotii est, at illorum causas rimari, ac in medium proferre, quæ Jatrofophorum, & Eruditorum hominum palato sapiant, hoc opus; audendum tamen pro viribus, ac

— Tentanda via est, quâ me quoque possim

Tollere humo. —

XXII. Communes morbos, quos Populares, & Epidemicos appellant, à

Communibus causis progigni extra omnem controversiæ aleam est; Communes autem causæ sunt potissimum Aër nobis circumfluus, (aliundè tamen, sive ex superioribus, sive ex inferioribus infectus) Communia Alimenta mali succi, & Aquæ corruptæ. Ex his omnibus, sed promptius ab Aëre; tanquam è communissimo Fonte è quo nemo non potare cogitur, Morbos quosdam derivari, qui multos eodem tempore afficiant, omnium pariter est consensus. Ad hanc verò nostram Ruralem Epidemiam excitandam in unum convenisse & Aërem vitiatum, & prava Alimenta ingesta, fas est arbitrari. Primum quidem locum Aëri à sua naturali temperie non solum secundum Anni tempora recedendi, sed particulis humanæ naturæ incongruis ad satietatem pleno, concedendum putârim; secundum autem locum pravis Alimentis, & Aquis vitiatis. Quamvis autem de Miasmate Contagioso aliqua posset esse suspicio, dum uno in aliqua familia à Febre correpto, cæteri paulò post ex eadem Febre decumberent, id tamen potius in communem Diathesim ad maturitatem eodem tempore evectam, non secus ac cum Autumno fructus eodem tempore maturefcunt, referendum duxerim, quàm in effluvium aliquod contagiosum, quod è primo ægrotante expirans cæteros afficeret.

XXIII. Quanti autem referat ad bonam Valetudinem in Aëre puro & à foedis exhalationibus maximè remoto degere, nemo non novit; nam sicuti Pisces foeliciùs degunt, ac esca salubrior sunt, si in aqua pura, ac sincera vivant, secus verò si in aqua

foeda, & corrupta; ita homines foeliciorem vitam, ac longævioram ducunt, si Aër sincerus sit, secus autem si crassus, & nebulosus; Nec abs re vulgatum dictum illud, quod tales sint Corporis nostri humores, ac spiritus, qualis sit Aër; hinc iis in locis ubi Aër tenuior est ac defæcior, vividiora, & acutiora ingenia florere solent, ubi verò crassior, hebetiora, ac stolidiora, quare Bœotii, & Batavi antiquitus malè audiebant, unde Horatius:

Bœotum in crasso jurares aëre natum.

XXIV. Non vacat hîc disquirere, quare ad Vitam perennandam adeò necessarius sit Aëris usus, quomodò in Vascula Pulmonum se insinuet, quid in massa sanguinea efficiat, dum illi permiscetur; circa id insudârunt Doctissimi Viri, ac ultimò Ettmullerus in elegantissima sua Dissertatione de Abitrufo Respirationis negotio; solummodò circa illa examinanda immorabor, quæ insignem Aëri mutationem inferre possunt, ac illum à sua naturali mediocritate dejicere. Certum est enim, quod si Aër Respirationi idoneus esse debet, & consequenter ad vitalia munera, necesse est, ut quandam servet mediocritatem, ut neque supra modum crassus sit, nec nimis tenuis, nam si tenuior sit, ac rarior quàm par est, Respirationi inidoneus evadit, ut Machina Boyliana satis evincit, ac testantur qui in editissimis Montibus difficiliorem experti sunt Respirationem, quàm in imis Vallibus, id annotaete Thomâ Corneliô; si verò crassior sit, & ad saturitatem Vaporibus, & exhalationibus oppletus,

ad Respirationis munus obeundum minimè aptus est, immò suffocationis periculum infert, ut ex eadem Machina Pneumatica patet, & Metallorum fossiles in fodinis sæpenu-mero experiuntur, qua de causa Hippocrates *Somnum in frigore cooperto*, ut ipse ait, commendabat, nimirum, ut Valesius, & Ballonius interpretantur, dormiendum esse in amplo Conclavi, sed corpore stragulis benè coniecto, qua ratione facilius est anhelitus, nec à frigido Aëre partes sentientes pungente interturbatur somnus.

XXV. Notabiles autem in Aëre alterationes, (non de iis loquor, quæ secundum Naturæ leges, & varia Anni tempora ex necessitate fiunt, sed de intempestivis) Venti potissimum, & imbres copiosi efficiunt: Solares enim radii, ob æqualem Solis ad nostrum Verticem accessum, Aërem semper æqualiter calefacerent, si is aliundè alterationem non susciperet. Haud secus Terræ exhalationes, ex paludibus, & stagnis, seu nimis uliginoso solo eundem non rarò contaminant. In nostro verò Aërem à copiosis imbribus, & lutulenta Constitutione vitiatum fuisse existimandum est, sicuti etiam à Ventis Borealibus intempestivum redditum, qui cum Verno tempore, ac per totam serè Æstatem nunquam siluissent, Solarium radiorum vim hebetando, Vaporum à leni calore elevatorum discussionem prohibuerint, & volatiles Spiritus, quos in suo ad nostrum Verticem accessu Sol quaquaversum diffundit, versùs Australem plagam retro pulerint. Ex quo factum, ut iis in locis, ubi statariæ fuerant Aquæ, Aër circa Veris prin-

cipium tepescens, multos vapores, & tetras exhalationes in sinu suo exceperit; Aër verò sic pollutus, ac partibus volatilibus, quæ à Sole permanant, ulterius destitutus, dum intra Corpora eorum qui his in locis degabant admitteretur, totius massæ sanguinæ crasim, & cæterorum fluidorum systasim naturalem perturbârit.

XXVI. Reor itaque à naturali suæ dulcedinis, & fluiditatis statu, massam sanguineam descivisse, & crassiores consistentiam, quàm par est, acquisivisse; sicuti, & proportionem ablatam inter Bilem, & succum Pancreaticum, illa quidem languidiori, hoc fortiori reddito. E Cœlo potissimum Volatiles Spiritus in Terram defluere, è Terra verò utpotè succis mineralibus referta continuo acidas particulas fursùm efferri, ingeniosum est clarissimi Sylvii excogitatum, sed rationibus, & experimentis confirmatum. Quare cum in hujus Anni pluviosa, & frigida Constitutione Aër partium volatilium, & spirituosarum magna penuria laboraret, aliæque ex parte acidis particulis è terra lutulenta, ac veluti fermentata elevatis maximè abundaret, mirum non est, si postmodum intrà Vitæ hospitia exceptus talem diathesim induxerit, è qua tam magna febrium propago emanârit. Acidam verò dyscrasiam potius, quàm biliosam, & alcalinam in universum prævaluisse, duo potissimum evincunt, primum, quòd hoc Anno in tam ampla Febrium segete nullam Synochum, nullam Febrem ardentem observare contigerit, alterum, quòd hujusmodi Febres, ut plurimum, veluti superiùs annotavimus,

potius famelicæ fuerint, quàm siticulosæ.

Nec miretur quispiam, quòd Tertianæ febris naturam ex prædominio Acidæ Mineræ potius deducam, quàm Alcalinæ, qualis censetur Biliosus humor, nam ex quam materia, quæso, in hac Constitutione tam horrida, procellosa, ac media Æstrate frigida, post usum ciborum pituitosi succi, ex quam materia, inquam, tanta bilis copia gigni debuit, quæ sufficeret ad procreandam tam numerosam Februm sobolem, ac illam tandiù alendam? Nec defunt Professores celeberrimi, qui ab hoc non multum dissentiunt, inter quos Ettmullerus; qui pro causa proxima Tertianæ febris intermittens statuit fermentum salino-acidum, in legitimis quidem magis volatile, & activum, minus autem volatile, & subjecto viscido irretitum in nothis.

XXVII. Præter Aëris malam Constitutionem, tanquam hujus Epidemici Affectus communissimam causam, aliæ quoque, nec parvi momenti in idem conspirarunt, scilicet ut humores ad acidam dyscrasiam disponerent; nimirum prava alimenta ingesta, ut fructus horæi à rubigali lue vitiiati, nimia Piscium ingurgitatio, edulii genus nostris Agriculis insolens, in quorum stomacho cibus fortioribus assueto facile putrescebat, hoc est facile acefcebat, cum nullo evidentiori signo putrescentia se prodatur, quàm per acorem; his addi possunt Puteales aquæ ex nimia illuvione coenosæ, & semiputridæ, ac denique Boreales Venti, qui Acidi nitrosi Promuscondus appellantur. Ex his itaque Communibus Causis, ceu

Fontibus, harum Februm originem probabilius, quàm à quacumque alia deduxerim; neque enim ad cœlestes influxus recurrendum, quasi Astra maligniori lumine Rusticanam gentem potius, quàm Urbanam, veluti innocentiores adspicerent, cum præter id, improbable sit, quòd cœlestes influxus tam arcto spatio potuerint circumscribi, sicuti neque subterraneæ exhalationes culpari poterant, cum Terræ motus nullus præcesserit, neque in hac nostra magna Planitie Cispadana, & Transpadana extent Antra, & Terræ hiatus Charonei, à quibus perniciofa effluvia possent erumpere, & Aërem inquinare.

XXVIII. Quod spectat ad Causam internam, quam Conjunctam appellant, hæc non nisi ad crassam, & viscidam pituitam, cui acidum fermentum hæreret, referenda erat, vel stabulantem in stomacho, ut placet Ettmullero, vel ductus laterales Pancreatis obstruentem, ut statuit Sylvius, quæ materia in Venas transfusa, & partibus spirituosis sanguinis permixta febrilem effervescentiam excitaret; ut ut enim cruoris massa effœta sit, & vapida, semper tamen aliquid oleosi, & sulphurei continet, quod ad flammulam vitalem alendam sufficiat. Focus itaque febrilis hospitabatur extra Vasa sanguinea, quemadmodum in febribus omnibus periodicis, cum alioquin perdifficile sit Intermittentes febres ab iis quæ verè Continuæ sunt distinguere, cujusmodi Febres Ignis nomine Divinus Præceptor insignire consuevit, ut ex variis historiis in libris Epidemicorum videre est. Non enim concipi potest, aiebat scientificus.

simus Cartesius, quænam possit esse Circuitus causa, nisi materia quædam quæ maturatione indigeat, antequam massæ sanguineæ misceatur, quæ per venas ad Cor delata potis est tot excitare turbas, & febrilem tempestatem ciere, quæ non alio pacto sedetur, quàm eadem hostili materia sub forma sudoris per corporis ambitum discussa, vel per Urinarias vias ablegata.

XXIX. Rarum quidem esse, quòd Tertianæ febres Epidemicè ex Aëris vitio observentur, ait Doctissimus Ettmullerus, ac revera Febres, quæ alicujus pravi Seminii in Aëre latentis soboles sunt, nullum certum ordinem servare solent, multòque rarius est, quod sint de genere Intermittentium: hoc Anno tamen hujusmodi febrium genus in hisce Regionibus populariter grassatum fuisse, tam Ruri, quàm in Oppidis (quamvis postea ob diuturnitatem in continuas, & lentas migrarent) sat perspectum est. Haud abimilem Constitutionem, quæ in Anglia Anno 1658. ac magis per Rura, & Pagos, quàm per Oppida, & Urbes delæviit, Doctissimus Willis in suo Tractatu de Febribus describit; suæ tamen Febrilis Epidemiæ originem, & causam procatarcticam non Aëris vitium Vir ille Peritissimus refert, sed potiùs in prægressam Constitutionem nimis æstuosam, & illi Clima insolentem; Febrem Tertianam intermittentem Epidemiam observavit quoque Celebrerrimus Bartholinus Hafniæ, anno 1652. sed & ipse illius causam calidissimæ, & siccissimæ Æstati, præter morem, & consuetudinem illius Cœli adscribit; hanc verò nostram Ruralem Epide-

miam lubet referre in Constitutionem præhumidam, ac frigidam, huic Cœlo insolitam, ac simul in Aërem ob cœnosam colluviem vitiatum. Si enim hujus Epidemici Affectus causa esset ex totius Anni intempestiva Constitutione, quæ frigida, & procellosa toti penè Italiæ communis fuit, non satis constat, quare hic popularis morbus, in humilioribus tantum locis, ac ubi stagnarint aquæ, sedem fixerit, & non ampliora spatia occuparit; cùm tamen Incolæ cæterarum regionum quæ ab hujusmodi atmosphæra remotiores erant, (ut totus tractus supra Viam Æmiliam versus Colles) nunquam aliàs à Febribus magis securos se vixisse meminerint.

XXX. Qua de causa porrò, à Constitutionibus tantæ siccitatis, quales, ut dixi, ad plures Annos experti fuimus, ad Constitutionem imbrium adeò feracem talis factus fuerit transitus, certè hic mihi hæret aqua, ut dici solet, & ad hanc Veritatem eruendam *Delio natatore* opus esset. Nullus profectò Astrologorum, qui ex imaginariis Astrorum configurationibus futuros rerum eventus prædici posse existimant, tam magnam illuvionem prædixit, neque postquam facta est, rationem ullam attulit, cur ita fieri deberet. Sint utique Astrorum in hæc inferiora Influxus, quos velle negare magnæ dementiæ esset, at modus quo agant, id omninò indeprehensibile est. Rectè quidem Ptolomæus in libro qui *Aliarba* inscribitur, Stellarum effectus incertos esse, & varios pronuntiavit, quoniam incertum est qua ratione materia subiecta influxum recipiat. Obser-

vandas quidem magnas Temporum mutationes, Æquinoctia scilicet, & Solstitia, ut in illis *neque medicamenta exhibeam, neque uramus, neque secemus*, pluribus in locis monuit Hipp. sicuti etiam considerandos exortus Canis, Arcturi, & Pleiadum occasum, nam ut idem ait, *morbi his maximè diebus judicantur, alii perimunt, aut in speciem aliam transmutantur*; quare verò tam magnæ alterationes, tum in magno, tum in parvo Mundo dictis temporibus fiant, scrutari velle, id esset merè divinare. Satis fit igitur quoad rem nostram, quòd hoc Anno tam magna, & insolita aquarum inundatio morbosam hanc Constitutionem invexerit, contrario prorsus modo, quo in Ægypto votiva Nili inundatio, miraculi ad instar, solet pestem abigere, quamvis Alpinus mutationem illam Aëris in salubriorem statum ad Nili incrementum subsequentem in Etesias videatur potiùs referre, quæ tunc temporis, Sole signum Cancris subeunte, & septentrionali plaga fumigante, flare incipiant, & Campsinos Ventos pestis Vectores repellant. Quæcunque ea causa sit ob quam Nilus, Ægypti Pincerna, salubritatem invehat, certum est tamen, ad illius incrementum Morbos populariter grassantes decrescere, & in magna illa inundatione demergi, adeo verum est illud Celsi; *Differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia*. Annus jam agitur centesimus, ex quo haud abfimilis inundatio Cispadanam, & Transpadanam Regionem occupavit, undè postea subsecuta est summa An-

nonæ caritas, tritico in lolium converso, ut refert Paulus Crassus Corrigiensis in doctissimo suo libello de Lolio; Inchoarunt autem tunc temporis circa Maii principium pluvix, quæ postea per totam Æstatem obstinatissimè perdurarunt. Observantur itaque per intervalla quædam eadem Temporum Constitutiones recurrere, sive in Astrorum vim nobis ignotam id referamus, sive in justam Dei vindictam, qui sicut olim Universali Diluvio totum Orbem punit, ita particularibus eluvionibus quasdam particulares Regiones aliquando plectit.

XXXI. Rubigalem luem non exiguum operam ad Morbosam hanc Constitutionem contulisse superius dixi; at ne id gratis, ac veluti Dictatoriè pronunciaffe videar, libeat in disquirenda, & examinanda Rubiginis natura paululum immorari. De Rubigine multa quidem Veteres scripsere, at de illa secundum suæ Philosophiæ Systemata ratiocinati sunt; In sacris quoque Codicibus Rubiginis fit mentio, cum aliquando hac, veluti iræ suæ ministra, Deus populo suo fruges, & fructus omnes ademerit, ut illum ad bonam frugem perduceret, non nulli verò ex Recentioribus de hac peste aliquid scripsere, ut Ruvellius, Levinus Lemnius, Ludovicus Vives, Langius, sed ea quæ à veteribus scripta fuerant recocere. Vegetabilem itaque Familiam suis Morbis laborare, iisque diversi generis, multosque gravissimos Auctores de iis scripsisse, ut Varronem, Plinium, Columellam, aliosque jam satis perspectum est. Rubiginem verò, frugum omnium. & fructuum

communem morbum, ut illam Theophrastus appellat, adeò exhorruerunt antiqui, ut ad avertendam hanc pestem sibi Deum finxerint, quem Rorigum, teste Varrone, appellabant, unde Rubigalia festa emanarunt, quæ à Numa Pompilio Regni sui Anno XI. referente Plinio, instituta sunt, & ad 7. Cal. Maii celebrabantur. Mactabant autem lactentem Catulum in hujusmodi sacrificio, undè Columella:

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,

Sanguine lactentis Catuli placatur, & extis.

Litabant autem lactentem Catulum eò quòd à Rubigali Numine, mediante maligno Canis Syderis influxu, putarent hanc labem in terras immitti; quare cœca superstitione, ac non nisi habita ratione nominis, id agebatur sacrificium, ut ingenuè Ovidius?

Pro Cane sydereo Canis hic imponitur Aræ.

Et quare id fiat, nil nisi nomen habet.

XXXII. Rubigalia itaque sacra, sicut & Floralia, ut cuncta benè deflorescerent, instituta sunt, ac celebrari solita, sub finem Aprilis, propterea, quòd hujusmodi tempore à Rubigine frugibus, & fructibus valdè metuerent, occidente tunc temporis Cane, Sydere per se vehementissimo, qui occasus ex Plinii observatione tunc in 4. Cal. Maii incidebat. Observabant autem Veteres multa attentione Canis Occasum, ubi nos vix Ortum, qui persæpè credimus eodem tempore ubique inchoare dies Caniculares, veluti non rarò doctos alioquin, & celebres Professores, ita

quidem, sed turpiter sentientes, audire contigit, cum tamen juxtà diversam latitudinem, quam variæ regiones habent, varii ac diversi sint Astrorum Ortus & Occasus, quod non ignotum Galeno, qui tradidit, eodem quidem tempore omnibus in plagis fieri tum Æquinoctia, tum Solstitia, Astrorum verò Ortus, & Occasus communes esse iis solum qui sub eodem vertice habitant.

XXXIII. Hanc pestem Græci *Ερυσίβη*, Latini Rubiginis nomine appellaverunt, sive à rodendo, ut Varro placet, seu quod rubro colore fruges inficiat, Uredinem quoque seu Carbuncularem morbum vocavit Plinius, quod fruges exurat, veluti hoc Anno contigit, cum fruges, & plantæ omnes carbuncularent, ut Pliniano vocabulo utamur. Hos equidem Rubiginis noxios effectus observare, & contemplari licuit; at quænam sit hujus pestis natura, & indoles, non tam facile est decernere. Sapere ignis naturam, seu acrimoniam lixiviam, & Alcalinam ex Sale acri, & volatili, proclive quidem esset asserere; at multa obstant, ne in hanc sententiam eam. Gigni Rubiginem ex Rore, sed vitiato, serenis noctibus, vel in plenilunio, vel interlunio, quibus temporibus Luna frigidius lumen ad nos reflectit, (cum in Plenilunio, Æstivo tempore à nostro vertice multum absit, in interlunio verò totum lumen, quod à Sole recipit eidem regerat) antiquorum fuit opinio; cui recentiorum quoque non pauci subscripsere, inter quos Ludovicus Vives, in doctissimis suis Commentariis in librum D. Augustini de Civitate Dei, ubi scripsit, *Rubiginem*

nem esse Rorem putrefactum, fruges tenues corrumpentem, & friantem. Generari utique Rubiginem ex Rore, serenis noctibus, (cum Ros non decidat nisi sereno Cœlo) & filente Luna, veritati valdè congruum videtur, nam re vera sub initium Junii, propè Interlunium, signa Rubiginis observari coepta in frugibus, & plantarum foliis, quæ parvis maculis nigricantibus distincta, punctulari morbo laborare videbantur; argumentum evidens hujusmodi stygmata à Roris guttulis, ubi diù hæserant, fuisse inusta.

XXXIV. In Rore (quem Lunæ, & Aëris filium Alcmon dixit, & à raritate ita appellatum Isidorus tradidit, eò quòd non sit crassus ut pluvia) multum liquoris volatilis Salini, ratione cujus abstergit, & alvum solvit, omnes docent Chymici, qui pro egregio menstruo ipsum commendant ad extrahendas omnium Vegetabilium Tincturas: ex eòdem quoque tradunt elici spiritum qui ad metalla dissolvenda efficax sit, quo spiritu utebatur Cnôfelius ad parandam Coralliorum Tincturam, ignita Corallia in Roris spiritum projiciendo. Vim hujus Salis sentiunt, qui manibus rorem tractant, aut nudis pedibus per campos, & prata rorulenta incedunt; nam manus, & pedes scabræ fiunt, idque ob salinas, & nitrosas particulas, quæ cutim arrodunt. Vi quoque pollere graciliora reddendi corpora tradit Plutarchus, ac propterea Mulieres habitiores illius usu nimiam polysarciam emendare. Sale saccharino pariter divitem esse Rorem, ut multis morbis opituletur per analy-

sim, & ignis examen se deprehendisse testatur Helmontius. Multa de Roris viribus scripsit in doctissimis suis Animadversionibus Excellentissimus D. Joseph Lanzonus, Medicus Ferrariensis, cui non parum debeo, quòd ea quæ in hac Constitutione ipse observavit, mihi per litteras benignè communicarit.

XXXV. Hæ sunt nativæ dotes matutini Roris, ac præsertim Maialis, in salubri tamen Constitutione, ac solo minimè uliginoso, nec palustri; at si ex malis temporum Constitutionibus, & noxiis afflatibus, seu pravis à Terra exhalationibus Ros vitietur, in Rubiginem degenerat, malum, quo nullum noxius est, & cui, ut ait Plinius, *non comparantur grandines, neque procellæ, quæ nunquam Annonæ intulere caritatem.* Gigni Rubiginem itaque ex Rore existimo, dum multa nitrosa, & acidà corpuscula è solo elata, & per aërem undequaque dispersa, salinis particulis, quibus naturaliter Ros abundat, sociantur, quæ simul in magno Aëris Receptaculo fermentata, & exaltata, modo nobis imperceptibili, in liquorem coeant, qui postea sub forma Roris deciduus & plantis inhærens, easdem maculis diversi coloris fugillet, uti apud nos factum his duobus annis, cum in priori, Plantæ omnes, & fructus rubris veluti petiulis, hòc Annò verò nigris laborare viderentur. Præpollere aquæ in Rubigine acrimoniam acidam, & corrosivam, haud absimilem Aquis Stygiis, & Spiritibus Nitri, & Vitrioli, longè verisimiliùs, quàm Alcalinam ex sale Acri, & caustico, quando nulla causa animo fingi possit quæ

in tam remissis caloribus hujus Constitutionis uestionem, & acredinem accersere potuerit.

XXXVI. Neque huic meæ opinioni quicquam refragari S. Scripturæ auctoritatem crediderim, dum apud Amos Prophetam fit mentio Rubiginis his verbis. *Percussisti vos in Vento urente, & in Ærugine, multitudinem fructuum vestrorum, & Vinearum vestrarum, Oliveta vestra & ficeta comedit Eruca.* Cùm non magis Austrini flatus sua caliditate, quàm

— *Boreæ penetrabile frigus adurat.*

XXXVII. Displicet quidem, quòd eo tempore quo sæviit Rubigalis lues, aliquo experimento non pertentârim, ut certius illius naturam explorarem; siquidem nimis serò animum subiit cogitatio de hac Rurali Epidemia, & Rubigali peste describenda. Non destiti tamen, quin postmodùm variis experimentis peruestigarim, nùm ea quæ mente excogitâram Veritati congruerent; expertus itaque sum variis liquoribus modò acidis, modò alcalicis, & lixivialibus, plantarum folia, flores, & fructus adspargendo, attentè observans, quis inde color emergeret; folia itaque recentia Fabarum, quæ apud nos circa finem Octobris feri solent, Spiritu Vitrioli irroravi, & non multò post flaventes maculæ, ubi guttullæ liquoris hæserant, apparuere; placuit autem magis in Fabis experiri, tum quia in hoc leguminis genere, vim suam magis exercuit Rubigo, tum quia Theophrastus testatur, *Fabam inter legumina magis æruginem sentire.* Fabarum itidem folia liquore

alcalico, & urinoso, ac lixivio acerrimo adspersi, neque notam ullam alicujus coloris inuri deprehendi. In aliis quoque Plantis, ac variis Oleribus, ut foliis Lactucæ, Brassicæ idem pertentavi, & ab acidis Spiritibus seu Vitrioli, seu Nitri, flavas maculas prodire, nunquam tamen nigras, observare contigit. Rubiginis itaque Naturam in Acida potius acrimonia quàm Alcalica lubet statuere. Congruunt autem huic meæ opinioni ea quæ in strage Animalium evenere; nam, præter malam Aëris diathesim Brutis quoque noxiam, ob pascua rubiginosa Sanguine acidiori reddito, ac in motu suo præpedito, vel subitæ mortes integros greges Pecorum sustulere, vel abortæ sunt Variolæ, quas ex sanguinis stagnatione fieri, dum in orbem agitur, communis est recentiorum Opinio. Tubercula autem illa quæ in capite, collo, & cruribus pecudum viscebantur, revera Variolas fuisse, licet profectò asserere, quando nec figura, nec colore, nec liquore in illis contento, nec magnitudine, nec modo quo solvebantur, post suppurationem nigra crusta superstite, quicquam à Puerorum Variolis discrepabant. Nihilò seciùs eadem pascua infecta cæteris Animalibus cladem intulere. Sic Apes haud amplius ex florum calicibus nectareum laticem, sed acidum stigma delibantes, partim extinctæ sunt, vel aliò suas Colonias transfulerunt. Pariter neque mirum, quod hoc Anno Cicadæ ut plurimum taciturnæ fuerint, cum, præter remissum Æstatis calorem, qui illas ad cantum nequaquam cie-
ret, vel nutritium Rorem nactæ non

fuerint (si tamen verum quod Rore pascantur)- vel quod majori ex parte perierint. A Cicadarum obmutefcentia malas Temporum Constitutiones prænunciari, scripsit Doctissimus Mercurialis, qui Anno 1577. observavit in Agro Patavino, aut nullas, aut rarissimas Cicadas cecinisse, undè postea gravis subsecuta est Epidemia. Cicadas autem re ipsa Rore nutriri fabulosum non esse reor, etenim non in Arboribus pernoctare, sed super solum ipsum, & in aprico loco ad Rorem facilius excipiendum, manè autem ad Solis ortum super Arbores evolare ex Agricola quodam didici; à quò cum sciscitatus essem, quare in Villa quadam, quæ Roboretum dicitur, penes Gabellum flumen, tanta sit Æstate Cicadarum copia, ut illic hujusmodi Insecti genus suum habere videatur Emporium, id fieri dixit ille, quia solum illud arenosum fit; in quo facilius quàm in solo argilloso parva foramina efficiant, in quibus deponant Ova pro foetura in secuturam Æstatem.

XXXVIII. Hæc omnia itaque Rubiginis naturam satis in propatulo statuere videntur, luem meherclè, & Animalibus, & Plantis valdè perniciosam. Quare autem solæ Noces Rubiginis noxam non senserint, id fortasse in causa fuit, vel quòd hujusmodi fructus gemino operimento sit munitus, vel quòd Corticalis substantia multo Sale Volatili abundet, qui diversam indolem ab Acido possidet. Succum è viridi cortice Nucis Juglandis, tanquam remedium à se repertum, & magnæ virtutis ad faucium phlegmonas tol-

lendas, multis laudibus extollit Galenus; putabat autem ille, talem effectum præstare hunc succum, eò quòd vi adstrictoria polleret; & simul tenuium esset partium, ex tinctura penè ineluibili, quâ manus tractantis inficit, partium tenuitatem deducens, vim autem adstringendi à salubri effectu, quem observabat, dum inflammationi mederetur; pro nato enim, ac veluti lege habebatur, quòd in principio Phlegmonis utendum esset repellentibus, & adstringentibus, ne pars ob laxitatem fluentem humorem tam facilè reciperet, quod etiamnum apud non paucos Professores frequenti in usu est, quod num rectè, an perperam fiat, non est hujus loci disquirere. Hujus succi efficaciam ad inflammationes sanandas agnoscunt quoque Recentiores, vim autem adstrictoriam prorsus negant, immò vim dissolventem ipsi adscribunt, inter quos Leonardus e Capua, qui Corticem Nucum viridium multo Sale volatili divitem esse ait, & qui potis sit grumos Sanguinis dissolvere: & illius acetositatem emendare, quo pacto non sanguinis fluxum in partem adstringendo prohibet, sed sanguinis refluxum per Venas ad Cor referendo promovet. Sicuti autem priscis ignoscendum, si ob ignoratum sanguinis circularem motum, non aptas interdum naturalium effectuum ætiologias afferebant, ita nostro huic seculo gratulandum, de quo veriùs pronunciare libeat id quod de suo ævo scripsit Plinius, scilicet: *Non minus ingeniosam fuisse antiquitùs observationem, quàm nunc rationem.* Ex Nucum viridi Cortice parari Decoctum in Anglia exper-

expertæ virtutis ad luem Gallicam perdomandam, quam Recentiores omnes in Acidi prædominio statuunt, nuper accepi à Cl. D. Nathan Lacy Medico Anglo, & insigni Anatomico. Cum itaque Nucum putamen multo Sale volatili abundet, mirum non est, si Rubigini obstiterit, & inclusum nucleum à communi lue præservarit. Atque hæc de Rubiginis natura, & indole.

XXXIX. Modò superest, ut Symptomatum, & quarundam observationum perquirantur causæ; Adnotatum, vespertinis horis has Febres exacerbari consuevisse, unà cum Virium nocturna prostratione, ut ægri morituri viderentur, manè verò oriente Sole, veluti redivivos tantum virium habuisse, ut è lectulis exurgentes deambularent. *Quale est vesperti exacerbari, tale ipsius morbi, & cujuscunque constitutionis ad se mutuò agebat Hipp.* Vespertinæ itaque exacerbationes morbi naturam superiùs descriptam, & causas morbificas satis indicabant. Virium autem dejectionem noctu factam, & matutinam earum veluti redintegrationem in Solis recessum & accessum, & acidæ Dyscrasiæ prædominium referendam putarim; Sole namque occumbente, & volatiles spiritus per Aërem dispersos secum trahente, Spiritus Vitales Sanguinis ab Acido coagulante figebantur, unde Facultatum omnium torpor, qui porrò ab iisdem Solaribus radiis matutinis discutiebatur, non secùs, ac quando è brumali frigore fluentium aquarum cursus noctu intercipitur, qui postea à Sole novo lumine Terras lustrante, restituitur. In hac rerum

Universitate nihil esse utilius Sale, & Sole scripsit Plinius; sic Celsus Leucophlegmatia laborantes Soli subjici oportere aiebat, utendumque frictione manibus aqua madefactis, cui sal, & nitrum, & olei paulum esset adjectum. Mirum itaque non erat si in casu nostro à blando Solis calore liquato veluti pituitæ gelu, Cruor solitum cursum per sua Vasa repeteret, & consopitæ Facultates ad consueta munia exercenda revocarentur.

XXXX. Præ cæteris notatu dignis observavimus inexpugnabilem harum febrium contumaciam, ut non solum omnem Medicorum industriam eluderent, (cum neque Venæ-sectionibus, neque Purgationibus, neque Cardiacis quicquam ausculta- rent) sed usu remediorum magis exasperarentur; quod factum existimo ob malam Aëris diathesim, quæ Morbum aleret; quare licet etiam opportuna remedia quandoque adhiberentur, nihil remittebat morbus, immò sæviebat magis, ac satiùs profectò fuisset multis hanc Camarinam non movere; tanti est Oraculum illud Hippocratis, quod initio hujus Dissertationis attuli, nempe quòd *Hominis Natura interdum universi potestatem non superat*, quæ Hippocratis verba si Medentes attentè perpenderent, tot Medicamentis ægros non fatigaret, in Epidemicis præsertim Affectibus, quorum vera Curatio non innotescit, nisi cum Busta plena fuerint.

XXXXI. Venæsectio profectò in his Febribus non fuit saluberrimum remedium, nec quenquam novi, de quo dici potuerit cum Galeno, quòd

illius Febris sanguinis missione jugulata fuerit, quin ubi pluries celebrata est phlebotomia, magis attritæ sunt Vires, & Febres magis protractæ ægros vel ad Mortem, vel ad Cachexiam deduxere. Cur autem in his Febribus tam improspere cesserit Sanguinis detractio, obviam est arbitrari, Massam sanguineam sale volatili & particulis spirituosissimis, ob malam aëris diathesin, & Diætæ errores effatam, per Venæ sectionem pauperiorem redditam, unde major Acidi præpollentia, & Bilis depressio consequeretur, Febrisque exinde protractior fieret. Venæ sectionem Febribus intermittentibus non esse per se aptum remedium, cum de foco febrili, qui extra Vasa sanguiflua larem habet, nihil detrahat, commune est recentiorum Assertum, sed solummodo per accidens convenire ajunt, quatenus obviam iri possit multis symptomatibus, ac periculis quæ in Corpore præsertim plethorico nimiam effervescentiam subsequi possent, scilicet inflammationes, & Vasorum disrptiones, qualis fuit casus à Ballonio memoratus, de quodam nobili Viro, cui Tertianæ Febre laboranti ob neglectam sanguinis detractionem ruptæ sunt Venæ in quarto paroxysmo, & tanta foras sanguinis excretio est consecuta, ut eo ipso die illi obeundum fuerit. In hac verò nostra Rurali Epidemia sanguinis effervescentia non adeò magna fuit, ut de ejusmodi periculo metuendum esset, immò potius lenta, ex Acidi prædominio, & propter bilem enervatam, quæ in confluxu cum succo pancreatico, & cum lymphâ minus effervesceret: propterea V. S. non

adeò proficuum fuit remedium, ut in prægressis præcedentium Annorum Constitutionibus, quas valdè siccas, & æstuosas esse diximus, quare cum in iis valdè turgeret bilis & sanguis facile exardesceret, mirum non erat si tunc adeò conferret V. S. & à periculis præcaveret, quæ nimiam sanguinis effervescentiam, & rarefactionem comitantur; assueti autem Professores Venam facile tundere ubi constaret esse febrem, ac nullum alium scopum sibi præfigentes, quàm solam caloris febrilis attemperationem, in hac Constitutione, à cæteris toto Cœlo diversa, repetita Venæ sectione utentes, ægros persæpè in extremam perniciem præcipitarunt. Nollem equidem quòd quis me inter hæmatophobos recenseat, sed nec inter hæmatochitas numerari velim. Est ubi liberaliter sanguinem demamus, est ubi parcè, est ubi nihil, licet sit eadem affectus species. In Stymargi famula usque ad animi defectum sanguinem detraxit Hipp. licet frigido Affectu laboraret; rationem autem addidit. *Oportet enim, inquit ille, devenire ad Occasionem, & Occasionis initium.* Causa morbi nimirum est attendenda, ex qua potissimæ desumuntur indicationes. *Similitudines parere errores etiam bonis Medicis, contrarium autem facere Causam,* monitum est ejusdem Hippocratis, nam re vera cognita causa, non tam facile à recto tramitte, & legitima curatione deflectitur.

XXXII. Quærit idem Ballonius, Practicus olim Celeberrimus Parisiensis, cur phlebotomia febres quasdam miraculi ad instar tollat, alias potius exasperet; paucis quidem

respondet, at illius verba ponderanda sunt, non numeranda. *Febres, ait ille, aliæ sunt Venosæ, aliæ Gastricæ, id est quædam phlogosim sequuntur potius Venosi generis, quam vitium humorum in præcordiis contentorum; quæ Venosi sunt generis, hæ primo quoque tempore per phlebotomiam cessant, quæ aliis sunt generis non facile phlebotomia solvuntur, contra potius cathartico egent.* Tales erant Tertianæ istæ intermittentes hujus nostræ Constitutionis, erant enim potius Gastricæ, quam Venosæ, ac propterea ad Venæ sectionem magis exacerbabantur, & contumaciores fiebant, magis autem prosperè cesserunt purgationes, & Vomitiones usu Emeticorum, quibus non rarò penitus avulsus est febrilis fomes. Claudam hunc locum digna animadversione ejusdem Ballonii in eos, qui ut nil non agant, ex quacunque re occasionem captant mittendi sanguinis. *Nam si induxerint in animum (inquit ille) Venam reserare, & id cunctanter faciunt, si guttula sanguinis è nare fluat, tunc quasi trophæum reportantes, clamant oblatam legitimæ phlebotomiæ occasionem; si luculenta sit hæmorrhagia audacius secant, quia naturam copia gravari aiunt, si infrà modum sanguis fluat, compensandum istum defectum apertione Venæ contendunt.*

XXXIII. Non minus disquisitione dignum est, cur in hac Constitutione tam sæpè contigerit, quod Tertiana simplex in duplicem migraret ea ipsa die, qua secta est Vena. Id olim observarunt Amatus Lusitanus, & B. Castellus, nec quemquam scio,

qui præter hos hujusmodi phænomeni, quod aliquando in praxi observatur, mentionem habeat; refert autem Amatus cuiquam juveni 25. Annorum. Tertiana febre laboranti, cum Venam die intermissionis secuisset, vesperi febrem ex simplici factam fuisse duplicem, hujusce rei rationem reddit his verbis. *Non enim credere est, ob sanguinis extractionem, ex simplici duplicem factam fuisse, quum dubio procul nisi sanguis extractus esset, in Tertianam continuam futurus erat morbus;* hujusmodi excusationis genus plerique Medicorum nostris etiam temporibus in promptu habent, quotiescunque ex aliquo malè administrato remedio pejus Æger se habeat; statim enim obtrudunt, quòd multò deterius se haberet, nisi tali remedio usus fuisset; meliorem itaque Ætiologiam, & ævo nostro accommodam perquiramus; puto ergo in illo casu, (sicuti & in nostra Constitutione) culpandam potius Venæ sectionem, quam Febrem, quæ ex sui natura proclivis esset, ut in Tertianam continuam migraret. Refert Amatus Juvenem illum vigente Autumno ægrotasse, sanguinem in prima pelvicula exceptum atrum fuisse, in secunda rubicundum sine ulla aquositate; rationi congruum est igitur in illo Juvene ob prægressos æstatis calores, partes magis spirituosas, & volatiles sanguinis absumptas, ac postea massam sanguineam Autumnali tempore in acidam dyscrasiam degenerasse, eo prorsus modo, quo Vina postquam per æstivos calores ebullierint, Autumno facile aciescunt, (ut ex atro sanguine primæ pelviculæ) nam san-

guis secundæ rubicundior erat, quia arteriosus) secta itaque Vena, & Syntasi cruoris magis debilitata, ac depauperata, mirum non fuit si Acidum prævalens, ac veluti sine Adversario licentiùs insultaret, ex quo Tertianæ simplex in duplicem transierit. Convaluit autem Juvenis ille post bonam purgationem ex pharmaco, nam Febris illa fortasse fuit potius *Gastrica*, quàm *Venosa*. In hac verò Constitutione non ab exhausto spirituum ob nimium æstum massam sanguineam acorem contraxisse arbitror, sed potius ob frigidam Anni Constitutionem ac Diætæ errores, obruta Bile, & concentratis partibus cruoris magis spirituosis, Acidum Stomachi fermentum, & succum Pancreaticum magis viguisse, & post celebratam phlebotomiam vim majorem acquisivisse, unde Febris simplicis in duplicem Tertianam fieret conversio.

XXXXIV. Culpanda itaque potius in his casibus est Venæ sectio tamquam non aptum remedium, quàm quicquam aliud, quod idem sensitisse existimo B. Castellum, (si rectè memini, & in Adversariis meis benè adnotavi) in aureo suo libello de Abusu Venæ sectionis, quem libellum mihi olim Romæ ostendit D. Antonius Maria Rubeus, Præceptor meus, Vir Doctissimus, & immensæ Eruditionis, aderatque Excellentissimus D. Hieronymus Brasavola, nunc Romæ Professor celeberrimus, & mihi conjunctissimus, cum tunc in Urbe ageretur, quare interdum contingat, quòd Tertianæ simplices, sanguine die intermissionis detracto, duplices evadant. Opponet, scio, aliquis harum Febrium propensionem ut in

duplices transirent, cum spontè, ut superiùs dictum, sub initium Æstatis Tertianæ omnes simplices duplices factæ fuerint; at regeram ego, nullas ferè duplices Tertianas toto Veris tempore visas esse, tum Ruri, tum in hac Urbe, nisi eas quas Venæ sectio geminârit, quare non video, quomodo ab hoc crimine Phlebotomia tanquam innocens possit absolvi.

XXXXV. Eandem ob causam, nihilo seciùs quàm Venæ sectio, noxius fuit in hac Constitutione Aquæ usus, etenim in frigida, & humida tempestate, Bile valdè refracta, & Acido exuberante, quid opis expectandum erat in his Febribus ab aquæ potu? non nisi meherclè, ut Aqualiculo infracto, & distento, Caco-chylia cumularetur, sanguis pigriori lapsu per sua Vasa flueret, ac tandem Cachexiæ, & Hydropes succederent. Novi juvenem in hac Civitate, qui in Hydropem ascitem incidit, cum illi Tertianæ Febre laboranti suasisset Medicus, ut biberet quantum vellet, immo interdum coëgisset. Succurrit mihi in hanc rem Terentianum illud, ubi Medicus in Scenam inducitur.

Quod jussi ei date bibere, & quantum imperavi date,

Mox huc revertar.

Multòque magis noxius fuit hoc Anno aquæ usus, ac Ruri præsertim, quòd ob pluviarum assiduitatem, aquæ cœnosæ, & graveolentes essent; in hac verò Urbe non adeò gravem noxam intulit aquæ usus; hæc enim Civitas purissimos habet Fontes, & admirandæ originis, quorum Fontium historiam brevi editurum me spero. Invaluit autem apud Nostrates Opinio,

nio, quòd Venæ sectioni, & Aquæ potui, tanquàm duabus solidissimis Columnis, tota curandarum Februm Moles innitatur. At nùm id rectè? Profectò in hac Constitutione neutrum ex usu fuit. Haud sum nescius scripsisse Hippocratem, *Aquam non præstare bonum alimentum igni*; at nomine ignis intellexit Hippocrates Febres continuas, & essentialiter tales, non verò intermittentes, summam *Venosas, non Gastricas*. At forsàn aliquando si otium suppetet, de Aquæ abusu in Febribus aliquid conscribam.

XLVI. Verùm quali potu, inquiet aliquis, utendum erat in his Febribus? Ego certè Vini usum rarò, quod sciam, interdixi, immò suasi, ut modico Vino uterentur, eoque non oligophoro, sed medio-criter generoso, multosque ab Orci faucibus hoc solum Cardiacum eripuit; Bilis enim erat potiùs acueda, quàm sufflaminanda; & partes sanguinis spirituosæ in motum ciendæ, quod præstare poterat Vini usus, & ea remedia quorum vis in Alcali volatili sita est, quod solo naturæ ductu in agro Mantuano fecere Agricola, qui suis febricitantibus Allia, & Cepas cum salubri eventu præbuere. Morbos quosdam Chronicos, parvis eduliis (sed quæ verè in censu Medicamentorum, casu potiùs, quàm arte repertorum reponi debeant) aliquando sanari compertum est; sic diuturnas Quartanas Allii usu cum multo meraco sanatas observarunt Anconius Benivenius, & Amatus Lusitanus. Vino autem generoso, potiùs quàm tenui, utendum duxi, nihil metuens à febrili effervescentia;

in hoc enim sæpiùs peccatur, quod rem agi sine periculo creditur, si Vinum tenue in diuturnis Febribus, & chronicis morbis permittatur; at hujusmodi Vina ut plurimum acidulcula sunt, & acorem sanguinis exaltando, morbi causam deteriorefficiunt; quem errorem notavit olim Crato, qui in Podagra sicuti Vinum meracum, sed in modica quantitate commendat, ità Vina tenuia improbat, quæ Venas multa serositate impleant, quod idem sentit Willis; sicut enim à Vini spiritu dulcificantur Spiritus salis acitri; ita quoque à Vini generosioris temperato usu Sanguis ad acorem vergens dulcescit. Variantibus itaque Temporum Constitutionibus varianda est methodus, & ut ait Sulmonensis Poëta,

Nam quoniam variant morbi, variabimus artes;

Mille mali species, mille salutis erunt.

XLVII. Sic neque Peruviani Corticis usus hoc Anno, ut superiùs adnotavimus, admodum salubris fuit, immò in extremum Vitæ discrimen Ægros non rarò deduxit. Id ego in non paucis observavi, sed præcipuè in nobili Virgine, quæ cum ad 40. dies duplici Tertiana conflictata fuisset, & post solita remedia administrata, ex meo consilio, assentiente quoque Excellentissimo D. Antonio Abbate Serenissimi Ducis Nostri Archiatro, Chinam Chinam sub forma boli assumpsisset, cum in Vino infusam respueret, postmodum stupida, & comatosa evasit, cum pulsu adeò exili, ut vix perciperetur, ac trium dierum spatio in tali statu perstitit; donec

donec soliti paroxyfmi redeuntes stuporem discusserint. Insalubrem autem fuisse hujus remedii usum crediderim, eò quia, cum massa Sanguinea multis cruditatibus scateret, ac crassiorem haberet consistentiam (ut ex sanguine per Venam sectam educto satis patebat) ideòque segnis esset ad motum, quotidiana illa febrilis effervescentia esset loco remedii, qua cessante, fieret quædam veluti in Vasis stagnatio, & congelatio, undè functionum Animalium torpor, & Vitalium quoque interceptio; adeò verum est illud Celsi, quòd febrem lentam interdum augere oporteat, *fortasse enim, ait ille, curationi opportunior fiet.*

Scio equidem hujusmodi doctrinam non solum plerisque Medicorum, sed etiam aliis, qui Artem Medicam non profitentur, esse suspectam, ut ipsi Senecæ, qui beneficium sanationis levioris morbi factæ à graviore morbo exprobrat his verbis. *Multi quos auxerant morbos, & irritaverant, ut majori gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna ægrorum vexatione vicerunt.* In hac tamen Constitutione experientia ipsa satis evicit, febrilem effervescentiam stimulandam potius fuisse, quàm frændandam, & usum calidorum magis profuisse, quàm frigidorum; sicuti in historia Polycratis, vice versa, frigida magis, quàm calida juvisse scripsit Hippocrates, innuens hoc dicto Divinus Præceptor, non tanti faciendum præconceptum de natura morbi iudicium, ut illud ipsemet Experientia in contrarium reclamanti velimus præferre. Observatum est

tamen foeliciori eventu exhibitam Chinam. Chinam Agrestibus, quàm Oppidanis, & Urbium Incolis; Gens enim rusticana ubi tantillum à morbi fasce levata est, illicò laboribus, & exercitiis se dedit, quare non erat metuendum, ut tam perniciosi effectus in iis consequerentur, quales in Urbanis observabantur. Sic Doctissimus Etmullerus tradidit, non tam facile pati recidivas post assumptum hoc febrifugum homines exercitiis, ac laboribus deditos, sicuti desidiosos, & otio innutritos. De hac nostra itaque Constitutione libet proferre id quod olim de quadam simili scripsit Hippocrates, ingenua certè confessione, more tamen magnorum Virorum, & magnam rerum fiduciam habentium. *Nihil memorabile proderat, non Ventris turbatio, non Venæ-sectio, neque quacumque alia tentavi.*

XLVIII. Nullas Febres Synochas, vel Ardentes hoc Anno, quod sciam, observatas diximus, sicuti paucas Quartanas: de prioribus quidem non est quòd miremur, nam partibus spirituosiss, & ad conflagrationem aptis non adeò turgebat massa Sanguinea, immò crassis, & frigidis succis abundabat: sic Vina tenuia, & acidiuscula non tam facile fervorem concipiunt, veluti Vina generosa, ubi Æstivum calorem senserint; magis quidem mirum est, quod in tanta Febricitantium frequentia tam paucissimi Quartanarii, idque magis, si verum esset quod non nulli asserunt, non nisi ex majori visciditate materiæ differre Quartanas à Tertianis. Consuetam itaque Febris Quartanæ genesim animadvertens, & hujusmodi

di Febrem, tanquam fructum Autumnò maturescentem, considerans, cujus uberior est proventus, cum Æstas magis fervida ac torrida præcesserit, præterea rationi congruum est, quod in hac Constitutione frigida, & humida, in qua non multa fieret partium serosarum per Cutis poros diffusio, succum Pancreaticum ad eum fixitatis gradum, qui ad quartanarium circuitum requiritur, evehi non potuisse, seu quidquam aliud defuisse, quod humana imbecillitas assequi nequit, cum nihil sit quod ipsos Medicinæ Proceres magis transversos agat, quam pervestigatio causæ, cur stans horis recurrant febriles paroxysmi, ac tam exactè, ut ipsa Automata aliquando superent.

XXXIX. Verminationem in his Febribus satis familiarem, & præsertim in Rusticana gente superius recensuimus, cujus rei causam fuisse reor, tum prava Alimenta putrefactioni obnoxia, qualia fuere Pilces, & fructus horæi; tum Ventriculi fermentum ex mala constitutione vitiatum, & impropportionatum ad cibum rectè subigendum: quare Vermium seminibus, seu ut lubet Oculis, quæ in alimentis ipsis laterent, integris manentibus, & à tenui calore fosis, mirum non fuit, si facillè in magna copia prodiderit Verminosa soboles. Usum Chinæ Chinæ valdè proficuum ad necandos Vermes expertus sum, quod præstare ob insignem amarorem quem possidet hic Cortex, non abs re crediderim, tamen tutior est Praxis, quæ Verminosos Affectus curat per aloëtica potius quam per saccharata, & mellita. Haud sum nescius apud Nostrates quoque facta fuisse experi-

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

menta, & observatum, quod Lumbrici in aqua ubi dissolutum fuerit Mel, vel Saccharum, citissimè moriantur, in amarissimis verò Liquoribus ad integros dies dixerint; ass ab iis quæ extrinsecus apparent, medicamentorum vires metri yelle, non adeò tutum existimo, quin errandi periculum subsit. Suspiciari enim licet, quòd medicamenta propinata, quæcumque ea sint, iis quibus armantur viribus citò spolientur, dum primò cum stomachico fermento, cujus vim transmutativam nemo non novit, mox in Intestinis cum Bile, qui humor suapte natura ferox est, & cum succo Pancreatico spiculis armato congregi debent; quod si ulterius pervadant, cum lymphâ quoque in communi Receptaculo iisdem sit concertandum. Sic Crocus Martis, qui aperitivus dicitur, ut notat Junchen, nisi acidum superfluum reperiat in Ventriculo à quo solvatur, Adstringens evadit. Id ipsum quoque testatur Chirurgia Infusoria, qua constat, quod liquor purgans in venas Canis infusus magnam excitat purgationem, nullam verò, vel paucam si per os idem liquor, vel in majori dosi, injiciatur, idque ob Aciditiam quo Caninus stomachus abundat, quod Acidum vim cathartica, & emetica potenter infringit. Hanc ob causam venena quædam, ut ait Celsus, non gustu, sed vulnere nocent, & Pylly è Serpentum moribus venenum innoxie exugebant. Quot verò, & quantas subeant mutationes medicamenta per os assumpta, dum varias corporis regiones præterlabantur, ingeniosissimè explicat Bellinus, ut nihil præstantius. Reor

D itaque

itaque ex medicamento assumpto, & succis quibus commiscetur, gigni novum concretum, è quo illæ operationes, quæ postea consequuntur, permanant, & quæ solius medicamenti efficaciam solent adscribi.

L. Postquam hujusmodi Febres miseros ægrotantes diu fatigassent, diximus non nullis apparuisse Parotides, quibus licet suppuratis, eadem tamen pervicacia Febres persistabant. Id equidem magnam humorum cruditatem in toto Venoso genere significabat, sed hanc non esse potissimam harum Febrium causam, & fomitem satis demonstrabant, qui Fomes, in Ventriculo, & Pancreate præcipuè sedem fixerat. In non nullis pariter post multos Febriles paroxysmos, supervenerunt Diarrhœæ, ac Dysentericæ, irritata ad expulsionem Natura, tum à copia, tum à pravitate succorum; neque enim hæsitati locus, quin etiam aliquando malignum quid subesset in his Febribus, quamvis intermitterent; plures tamen sustulit Diarrhœa, quam Dysenteria, eò quòd forsan in iis qui Diarrhœa laborarent communicata esset labes massæ sanguineæ, quæ serum acre per glandulas intestinales excerneret, in iis verò qui Dysenteria vexarentur, mali fomes esset extra Venas, viscida nempe, & acida pituita Intestina abradente, & excoriante. Frequentes porrò fuere Recidivæ non solum ob diætæ errata, sed ob communem causam, Aërem nempe vitiatum, qui febrile Miasma ad aliquod tempus confopitum in novos motus, & exorbitantias ciëret; eandem quoque ob causam adeò contumaces fuerunt hæc Febres, cum nihil sufficeret ad abster-

gendam labem illam, quam Aër continuò inspiratus ferè ineluibilem redderet; adeò gravis est Morbus, quem Coelum fecerit. Sic pacari non visa est affectio, nisi cum sub Anni finem humidæ, & nebulosæ tempestatu sicca, & serena successit: quare sicuti ex Hippocrate: *Quicumque Morbi Æstate auferunt, Hyeme desinere solent*, idque non nisi ob naturalem Temporum mutationem; ita in hoc Epidemico Affectu optimi remedii loco esse cœpit Aëris in vitalem temperiem restitutio.

LI. Præ multitudine ægrotantium tam ex genere Agresti, quam Urbano paucos interiisse superius monuimus, quod sanè præter opinionem Medentium contigit, qui majorem stragem pertimescebant. Duas potissimum ob causas in Epidemiis Affectibus percutunt homines, vel ob humorum διαχυσιν vel στασιν ut ipsis vocibus Hippocraticis utar, id est vel ob Massæ Sanguineæ diffusionem à Sale acris, & Alcalico factam, vel ob ejusdem concretionem, ab Acido exuperante, frequentiora tamen funera sanguinis διαχυσιν, quam στασιν solet inferre: propterea, grassante pestilentia, ut plurimum Acida primas tenent. Cum ergo in hac nostra Constitutione Acidum quidem præpolleret, sed non earum esset virium, reluctante præsertim Febrili effervescentia, ut potis esset lethalem stagnationem inducere, ac fluxum, & refluxum Sanguinis prohibere, hinc est quòd, licet hominum myriades eodem tempore decumberent, pauci in Libitinæ censum venerint. Sic mirum non est, quòd Fœminæ, & Pueri ob molliorem habitum, & vitam mi-

nus actuosam, hujus Epidemiæ vim magis senserint, ac multò magis lactentes Pueri, in quorum venis, ob lac vitiatum, & ad coagulationem aptum, facilius sanguinis statio succederet, sic narrat Hippocrates in quadam Constitutione, *ex laborantibus mortuos esse maximè Pueros, Adolescentes, vigentes ætate, glabros, subalbidos, & qui in socordia vixerint.* Fiebant autem Pueri Ictericæ ob Hepar obstructum à viscida pituita redundante, ac à febrili calore in motum concita, quæ in Hepatis substantia defixa, Bilis secretionem prohiberet, cujus signum erat, quod in omnibus tensum, ac durum Hepar persentiretur; sero autem acris, & acido in Cerebri membranas transfuso, convulsi moriebantur, morbo alioquin Pueris familiari, sed huic Constitutioni magis proprio, ut potè valdè aptæ ad acorem massæ sanguineæ conciliandum.

LII. Si verò quærat aliquis, cur hæc mala Constitutio Agricolas magis, quam Oppidanos, & Urbium Incolas vexarit, videtur satisfieri posse dicendo, potissimam causam fuisse Aërem à foedis exhalationibus vitiatum ob nimiam illuvionem, quæ campos, & Agricolæ domos inundavit, non sic Urbes, & Oppida in editioribus locis posita; huic causæ addi poterit Victus pravus, & insalubris, ac præsertim nimia Piscium ingurgitatio, alimenti genus Colonis nostris insuetum, & quod in illorum stomacho faciliè putresceret. Scio equidem à non vulgaribus Medicis Pisces ægris quoque exhiberi solitos, tamquam laudabile alimentum, ac multò magis sanis corporibus, ve-

rum, ut ait doctissimus Plempius, illorum usus *Athletis non convenit, non castra sequentibus*, non Agricolis addam ego, quibus utilior est caro bubula, & suilla. Id ipsum testatur Galenus, qui Piscium usum in hominibus otiosis, Senibus, & ægrotis commendat, non sic verò in iis qui corpus exercent; his addendum, quid sicuti Pisces, qui in rapidissimis fluviis capiuntur, ex Athenæi sententia, omnium sunt optimi, ita hi essent omnium pessimi, quòd in aquis stagnantibus fieret illorum captura.

LIII. His quoque causis accenseri possunt labores, & exercitia sub assiduis imbris, unde pororum Cutis constrictio, sudoris parcitas, ob frigidam, & humidam Anni intemperiem, cum aliàs per Æstatem sub assiduis laboribus copiosissimè sudare consuevissent, quas causas in Oppidanis, & Civibus, qui meliori victu utuntur, nec Aëris injuriis sunt ita expositi, non tam faciliè quis reperiat. Sedes prætereà hujus Ruralis Epidemiæ à Civitatibus, & Oppidis majoribus circumscribi videbatur; quare Mutina, & Regium, eò quòd essent veluti in circumferentia, & Apennino proximiores, minus hanc labem sensere, magis autem Ferraria, & Oppida Mantuanæ Ditionis, Pado proximiora, ubi major fuit infantilis clades, quemadmodum à variis Professoribus, ac aliis per literas accepi. Magna verò hæc Planities his locis circumscripta, & tota Colonis oppleta, in cujus sinu ad longum tempus stagnarunt aquæ, hujus Epidemii Affectus Sedes, ac Domicilium fuit.

LIV. Circa cæterorum Affectuum examen, qui has Febres comitati sunt, quales fuerunt Apoplexiæ, Epilepsiæ, Catarrhi præfocativi, Cachexiæ, & Hydropes, non multum immorabor; ejusdem enim Constitutionis soboles fuerunt, & Acidi prædominium significabant, vel sanguinem, & reliqua fluida coagulantis, vel nervosum Systema occupantis; hæc omnia itaque verissimum esse Divini Senis Oraculum comprobant, quod *Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, & anginæ.*

LV. Ut autem circa res venturas Conjectoris quoque partes agamus, superest videndum, num sperare liceat, postquam pacata est non parum hæc Affectio, an in totum ea desitura sit, an potius hæc eadem, vel deterior exsuscitari possit. Sperare licet utique, malam hanc Constitutionem emendandam, cum postremi hi duo Menses cum perpetua ferè ferentate, & Aëris tranquillo statu Annum jam clauserint, nam ut ait Montanus, *Tempora consequentia secundum naturam existentia corrigunt vitia præcedentium præter naturam existentium;*

at metus subest, ne ob aliquam Annonæ caritatem infœlices Coloni, qui ad sedandam latrantis stomachi rabiem atro pane, & confusaneo uti cogentur;

(*Nam tener, & niveus, molli-
que siligine factus
Servatur Dominis.*)

Metus inquam subest, ne proximo Vere, & æstate novis calamitatibus vexentur. Sic in Æno Civitate Thraciæ, ex Hippocrate, *usu leguminum continenter utentes Fœminæ, & Viri, crurum impotentes fiebant,* quam historiam citat Galenus, aitque sæpe evenire, ut ob caritatem Annonæ exitiales morbi oriantur. Vox λιμός, quæ famem significat, non nisi per solam diphthongum discrepat ab ea quæ perniciosam Epidemiam denotat, unde effluxit dictum illud *Εν λιμῷ λοιμῷ*. Quamvis enim Edulia mali succi videantur aliquando sat benè concoqui, attamen ut egregiè monet Galenus, *Nobis non advertentibus, pravus succus ex ipsis post longum tempus in Venis colligitur, qui postea exiguam ad putredinem occasionem nactus febres malignas accendit.* Quodcunque malum avertat Divina Clementia, & priorem salubritatem huic Cœlo restituat.

Talis fuit Anni M. DC. XC. apud nos Constitutio, atque hæc indoles Epidemii Affectus, qui Colonos nostros, & Urbanos quoque afflixit, divinarint jam Astrologi pro suo lubitu, & ex syderalibus schematibus Anni, qui modo successit, præsagia deduxerint, quod ego ejusdem, postquam cursum suum absolverit, si fata dabunt, medicam historiam conscribam.

BERNARDINI RAMAZZINI

Dissertatio Secunda.

De CONSTITUTIONE Anni 1691.

Ruralem Epidemiam, quæ præcedenti Anno Mutinensis Agri, & proximarum Regionum Colonos graviter afflixit, Urbana Epidemia hoc Anno excepit, quæ nihil urbanitatis, imò insolentiæ plurimum in infœlicem plebeculam potissimum exercuit. Instituto itaque meo inhærens prægressam Constitutionem, qualiscunque ea fuerit, in fine cujuslibet Anni describendi, eò libentius id exequar, quòd hæc Constitutio ab ea, quam superiori Anno experti fuimus, toto Cœlo differens satis uberem materiam suggerat mentem exercendi, quando in re medica nil foret utilius, quam succedentes sibi ad invicem Constitutiones conferre, ut recta medendi methodus institui posset, quoties eadem tempora, ac iidem morbi recurrerent. Quæ si attentius à Professoribus observarentur, non esset forsan, quod Medicina comparata desideraretur, sicuti Anatomiam comparatam desiderari aiebat Sapientissimus Verulamius, quæ si haberetur, ut ille ait, & Individuorum interiores Structuræ ad invicem componerentur, non tam pro morborum causis culparentur humores, quàm mechanicum viscerum artificium, quod cum ut plurimum inemendabile sit, omnem medicam opem, & magnos Promissores sæpissimè eludit.

II. Superioris Anni Constitutio, ut in mea Dissertatione super illam edita, ob assiduos, & copiosos imbres

impensè humida, & lutulenta in universum extitit, unde gravis Epidemia unà cum Annonæ Caritate effluxit; hujus Anni verò Constitutio ex opposito maximè sicca, & pulverulenta, primò quidem ob Aquilonares Ventos, postmodum verò ob continuum, & flagrantem æstum merito audit. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ antecedentem Annum clausit, statum satis placidum, ac serenum, ut diximus, sortita est, ita pars altera, quæ huic Anno fores aperuit, eandem ferentatem, ac tranquillitatem secum invexit, donec Januario mense ad finem vergente, flantibus Ventis Septentrionalibus, frigora adeò intensa fieri cœpta, ut illicò conglaciatis fluminibus cuncta præ nimio gelu horrescerent. Cum autem nullæ prorsus nives decidissent, hyemem non solum algidissimam, sed siccissimam exegimus, ita ut intota Cispadana, & Transpadana Regione pulverulentæ essent Viæ, non secus ac Augusto mense, cum insana Canicula campos torret, quod apud nos prorsus insolens est, ex quo factum, ut Boreæ penetrabile frigus fata consueto nivali vellere destituta mirum in modum exureret.

III. Morbi qui hisce temporibus vagabantur, erant Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumonix, Catarrhi suffocativi, Anginæ, Erysipelata; præ cæteris tamen affectibus, morbi pectoris grassabantur magis, ac busta implebant. Sanguis qui, sedta

Vena educebatur multum pituitæ, & polyposæ concretionis præferebat. In nostro hoc Nosocomio variis Cadaveribus dissectis, præcipuè in Cachecticis, ac demortuis ex morbo pectoris, reperti sunt Polypi, non solum intra Cordis sinus, sed etiam intra ipsam Aortam. Remedia quæ magis ex usu erant, & quibus promptius morbus auscultaret, ea fuere, quæ vi pollerent crasim Sanguinis compactam referandi, & fluxibiliorem reddendi, ut Spiritus Salis Armoniaci, Sal volatile Cornu Cervi, Sperma Ceti, & similia. Non deerant tamen qui cum alioquin scirent, quòd Sulphur Balsamum Pulmonum passim audiat, in hujusmodi Affectibus spiritum Sulphuris exhiberent cum suis aquis Pectoralibus; at num rectè & ex arte id agerent, ipsi viderint; indubium tamen est, quòd partes integrales Concreti longè diversas possident qualitates ac ipsum Concretum, sicuti verò verius, Spiritum Sulphuris alterius esse indolis ac ipsum Sulphur. Répetita sanguinis missio non adeò foelicem fortiebatur eventum, ut aliàs. In hac tam rigida, ac horrida Constitutione magis exercebatur Plebs Urbana, quàm Agrestis, ac Senes valdè periclitabantur, quare Medicis sæpenumerò nil tale cogitantibus, Morbus plus habens in recessu quàm in fronte facile imponebat; nam ex improvise, cum prius satis commodè coenassent, tanquam confectò Silicerniò, paulò post occumbebant, ac citius quibus detractus fuisset sanguis.

IV. Horum Affectuum tam multiplex, ac discolor Sylva ab eadem prorsus radice succreverat, ac prop-

terea eodem modo averruncanda: omnium itaque unam, ac eandem esse Theoriam, ac Praxim dictabat ratio; veram autem, ac potissimam causam fas erat referre in pravam diathesim quam sanguis haberet ad concrendum. Cum enim ex præcedentis Anni frigidâ, & lutulentâ Constitutione, nec non ex pravo victu ob rei Annonariæ angustiam, talis esset in universum massæ sanguineæ dispositio, mirum non fuit, si succedente postea hyeme tam rigida, ac summè Aquilonari, majorem promptitudinem ad grumescendum adsciverit, unde pulularint morbi, qui ex sanguinis stagnatione variis partibus, ob retardatum illius circularem motum, generis suam deduxerint.

V. Apoplexias autem, Pleuritides, Peripneumonias, Catarrhos suffocativos, Erysipelata, ac reliquos memoratos Affectus à sanguinis stagnatione, ob prædictam ad concrendum dispositionem generari, unanimis est Recentiorum omnium consensus, quidquid circa horum Affectuum Theoriam in contrarium senserint antiquiores Medici, qui in hujusmodi Affectibus partem aliquam Mittentem robustam, & aliam Recipientem imbecilliolem imaginabantur. Duplicem Fluxionum causam commentus est Galenus, unam in qua Pars ipsa humorem ad se traheret, aliam in qua humor à parte robustiori ad debiliorem transmitteretur. Hujusmodi doctrinam primus forsan coepit convellere Helmontius; nullam enim in fluxionibus partem Mandantem, Dirigentem, nec Sagittarium, aut Scopum agnoscit hic Auctor; qui tamen exemplo spinæ digito infixæ, & in-

indignantis Arcei, non satis exposuit ob ignoratum Sanguinis circum, quomodo fiant humorum decubitus, quod solum accidit eò quia præpedito, & intercepto Sanguinis per Venas refluxu, vel propter fibrarum crispaturam (ut in vehementi dolore) vel propter massæ sanguineæ nimis crassam ac densam texturam, humores circa Vasorum extremitates, vel in carniū porositatibus detineantur; quare si congruè loqui velimus, Detentiones potius, quàm Fluxiones sunt appellandæ.

VI. Neque interdum exiguus labor mihi impendendus fuit, ut aliquibus à præjudiciis occupatis persuaderem erroneum prorsus esse comminisci, quòd cum pars aliqua inflammatur, ac in tumorem assurgit, tunc humores majori impetu ad eam partem ferantur, quàm ad alias, si vera est, non commentitia lex Circularis motus sanguinis, qua stante, stant ac stabunt perpetuò tot clarissima Recentiorum excogitata, quot in dies intercidunt Antiquiorum placita; nam revera si mentis aciem intendamus, pigriori lapsu sanguis movetur ad partem quæ inflammatione tentatur, quàm ad alias ubi expeditæ sunt Viæ, ac nullum repagulum, quod sanguinis cursum remoretur. Quidam autem res in cute solum, non intus reputantes, cum vident partem brevi temporis intervallo in tumorem attolli, ut in Phlegmone, putant sanguinem pleno fluente eò confluere, quod sanè locum habet cum Vas aliquod sanguiferum disruptum est, & in aliquam cavitatem sanguis decidit, vel

extra Corpus effunditur, non ita verò in Phlegmonum, & aliorum tumorum generatione, qui non aliam ob causam fiunt, quàm quòd præpedito circulari sanguinis motu, plus sit quod Arteriæ ad partem deferant, quàm quòd Venæ referant, sive id fiat ob lutulentam sanguinis crassam, sive ob fibrarum motricium crispaturam ex vi dolorificæ passionis, ut in vulneribus, ac Nervorum puncturis. Huic autem Veritati fortasse manus darent, si cum brachio vinculum injicitur ad celebrandam phlebotomiam; veram causam perpendent, quare infra nexum tumeant Venæ una cum mole carnea, quod non fit, quia tunc temporis sanguis eò rapidius moveatur, (multo enim velocius ante eò propellebatur, ubi nullus erat obex, ac minor resistentia superanda, sed quia ibi detinetur ob interceptum ejusdem per Venas ad Cor refluxum.

VII. Haud absimilis quoque est Catarrhi generatio, de cujus natura ac ortu inter Medicos non satis convenit. Popularis, ac vetus opinio est, Caput Catarrhi Fontem, an Scaturiginem esse, unde frequens proluvium in fauces, & pectus, ac etiam usque ad extremos artus. Opinionem hanc de Catarrhi ortu, ac descensu, ex quo Etymon desumpsit, (cum non nisi descensum, ac defluxum hæc vox sonet, unde voces *κατάρρῳ* & *ἀναρρῳ* à Galeno usurpatæ, ut humorum descensum, vel ascensum innueret,) hanc inquam opinionem eliminarunt è Scholis recentiores omnes Anatomici ut Willisius, Richardus Louver, Stenon, Rolfinkius, Etmullerus, Blancardus, ac

inter Italos nostros Doctissimus Bel-
linus. Hi omnes ad Anatomicum
Tribunal, omnibus indiciis, quibus
Caput hujus criminis Auctor insinu-
latur, diligenti examine perpendis,
nullaque apparente via per quam Ca-
put sordes suas in fauces, ac Tho-
racem exspuat, ipsum plenis suffra-
giis absolvunt; Non desunt tamen
adhuc qui

*Obstipo capite, & figentes lumine
terram,*

Antiquorum placitum veluti mor-
dicus tueri, nec desinant in morbis
pectoris Caput non solum pharma-
cis, sed ferro, & igne tamquam
reum plectere. Per quos porro du-
ctus Cerebrum superfluitates suas
quibus procul dubio, diffiuit, pos-
sit excernere, inter quærenda esse
ait Celeberrimus Stenon, nisi tamen
per observatos à Blancardo ductus in
jugulares Venas fiat hujusmodi ex-
cretio.

VIII. Catarrhi Fontem non ve-
riti sunt alii astruere esse ipsum Vitæ
Fontem, Cor scilicet, quod per arte-
riarum ductus circumquaque Catarrhi
materiam deferat; hinc Rheumatismi
& tumores, & quidquid nomine flu-
xionum venit; quod Assertum est
Rolfinckii cui consentiunt Schneide-
rus, Wedelius, & alii, qui Catar-
rhum à massæ sanguineæ sero prodire
variis observationibus testantur. Sat
celebre est experimentum Richardi
Louver de Cane, cui cum arctè Venas
Jugulares vinxisset, partes omnes su-
pra ligaturam tumefieri, nec non co-
piosas lacrimas ex oculis, & pluri-
mam salivam ex ore profluere obser-
vavit, quo tandem tanquam ex Angi-
na suffocato ac dissecto, nullæ partes

sanguine perfusæ repertæ sunt, sed
solum musculi omnes, & glandulæ
sero limpido dissentæ apparuere. Ab
hac opinione non multum dissentien-
tes alii Glandulas Catarrhi Fontes
statuunt, ut Stenon, Etmullerus,
& alii; si enim Glandularum stru-
cturam accuratius perpendamus,
constabit eas esse fasciculum Arte-
riarum, Venarum, Nervorum, &
Vasorum excretoriorum; ideòque in
illarum sinum deponi serum ab Ar-
teriis, & superflui aliquid à Nervis,
quæ opinio valdè probabilis est, &
usibus Glandulis à Natura destinatis
magis congrua.

IX. Hanc tamen doctrinam de Ca-
tarrhi origine ex sanguinis laticem in
Glandularum substantiam rejecto ex
Helmontio habemus, qui primus for-
san Caput insons à Catarrhi infamia
vindicaavit, ob quam tam sæpè inu-
rebatur. Hic enim Auctor licet mo-
tum sanguinis circularem ignoraret,
mente tamen concepit, id quod cre-
debatur è Cerebro depluere, nil aliud
esse quàm laticem serosum huc,
& illuc delatum *Spiritu impetum
faciente, ac initio Vitali*, ut ipse
ait, nimirum è Corde, tanquam
primo Impulsore, quin & ad Glandu-
las ipsas ablegari, quas non ut Va-
sorum Pulvinaria essent, à Natura
constructas fuisse astruit, sed ad emun-
ctionem laticis è massa Cruoris; Ac
re vera hic latex serosus Helmontii,
præter alios usus hunc habet potissi-
mum, quod sanguini socius, ac totum
corpus pervadens ad variarum partium
culinas everrendas inserviat, & sa-
les dissolutos combibendos, ut exin-
de per Glandulas excretrices ex-
tradatur, & sic tota cruoris massa de-

defæcator evadat. In hunc finem in palato, lingua, faucibus, & naribus copiosas Glandulas Natura construxit, ut sanguis arteriosus, qui per Carotides ad Cerebrum deferri debet pro nervosi succi, & Spirituum Animalium elaboratione, sincerior reddatur, mucosa parte per has Glandulas repurgata in statu etiam naturali, quando alia ex parte constat eos qui sunt emunctæ naris, nec multum Desputores, lubricæ sanitatis esse, ut referunt de Francisco Galliarum Rege, qui cum esset ἀμυξώδης, aurium ulceri obnoxius fuit dum vixit.

XI. Atque hæc quidem quotidiana per nares, & ex faucibus mucæ excretio iis etiam qui satis commoda Valetudine fruuntur familiaris esse solet; cæterum ubi Corpus cacochymum sit, ac serosus latex luxuriat, qui suoptè genio promptus est ad concrendum, mirum non est si accedente Boreali Constitutione, qualis fuit de qua hîc sermo, tunc temporis grassentur populariter Tusses, Rheumatismi, & quodcunque aliud morbi genus, quod in fluxionum censu reponitur, detenta in Glandulis vitiata, ac superexcedente lympha, non ex Naturæ providentia, quæ se hoc fasce levare satagens noxium humorem ad extrema detrudat, sed ex mechanico partium artificio, ac particulari humorum textura, juxta varias Aëris alterationes, ea lege, ut decubitus ibi fiant, ubi major est dispositio ut humores detineantur. Neque id fieri in nostris Corporibus magis miremur, quam in Automato aliquoquin benè constructo, quod interdum ad quasdam Aëris alterationes à solito suo munere aberrat, & ab

ignaro popello tanquam insanum ridetur. Mira est autem, ac penè divina vis Ventorum in Aëre alterando; talem enim Affectionem Aër possidet, qualem Ventus qui perflat, ac talis est Sanguinis dispositio, qualis est Aër quem inspiramus. Sic ut refert Vitruvius, apud Mitylenem (quæ Urbs in Lesbo erat quidem magnificenter extructa, sed non prudenter posita) cùm flabat Auster, homines ægrotabant, quando Corus, tussiebant, cum Septentrio, restituebantur in salutem. M. Varro quoque cum Romana Classis Corcyræ esset ac tota penè ægrotaret, *im-misso fenestris novis Aquilone, & obstructis pestilentibus, suos incolumes reduxit.*

XII. At quorsum tot speculationes? inquiet aliquis. Ut juxta veram horum Affectuum Theoriam congrua medendi methodus instituat, regeram ego; Ubi enim ingruunt hi morbi qui non è capite decidui, sed ab humorum stagnatione pendent, illicò ad vehementia Cathartica, Inustiones, Phænigmos, Cucurbitulas, ad Narcotica quoque, ac mille alia remedia ad materiam fluentem revellendam, intercipiendam, derivandam, suspendendam quoque, ut putant, Cæteris capitalibus, confugiunt; Interim neglecta manet vera morbi causa, ad quam oppugnandam seriò, ac omnibus nervis esset incumbendum, ut postquam sufficiens evacuatio est facta, usu alterantium, ac naturalem sanguinis texturam restituentium, fluidæ substantiæ æquabili tenore per suos ductus cursum repeterent. Quot verò modis per Venæ sectionem peccatur? Jam Phlebotomus veluti

gladius Delphicus passim tam in magnis, quam in levibus morbis stringitur ad innocentes Victimis sæpius mactandas, quam graves affectus jugulandos.

XIII. Postquam Mundo innotuit circularis sanguinis motus, Scopi euidem quos in morbis, qui ab humorum fluxione pendere supponuntur, sibi proposuerant Medici, non tanti sunt ponderis ut creditur. Certè Intercipientia locum nullum habent, quomodo enim quis intercipiat materiam ad partem per Arteriam fluentem nisi Arteriam ipsam vinciat? neque enim jure postliminii, aut rehibitionis actione redire potest humor unde est egressus nisi per circulum. Revulsio verò per V. S. de Throno suo jam decidit; imò si strictè loquamur, ferè nulla est, quæ enim fiat, ut humor per Arteriam fluens per eandem possit revelli? Profectò si qua fit per V. S. Revulsio, per id solum tempus fit quo Vena est aperta, tunc enim Sanguis per Venam sectam, ac pariter per proximam Arteriam quæ illi humorem suggerit, majori velocitate movetur quam per alia Vasa, illà verò clausà, cessat hæc in velocitate inæqualitas, ut ingeniosissimè ad demonstrationem usque explicat Bellinus. Non ibo tamen inficias, quin diminutà sanguinis copiã minor humoris portio ad partem laborantem deferatur, & minus sit sanguinis stagnantis incrementum. Quanti autem sit facienda per V. S. Revulsio, & quàm facilè quibusdam imponat, qui hoc nomine inficiatæ suæ velum prætendunt, explicat egregiè Andreas Cnôffellius in quâdam suâ Consultatione pro Jo. Casimiro Poloniæ Rege, cui ob immodicum hæ-

morrhoidalis sanguinis fluxum laboranti, cum magni nominis Medici frequentem sanguinis missionem è brachio suaderent ad revellendum sanguinem fluentem, ac ipse acriter renueret, hæc scripsit verba, quæ ut potè elegantissima, & magni ponderis hîc libuit apponere. *Et quomodo sanguini ad peremptoriam medicæ Revulsioni citationem, dicam, & locum, scribere possumus, qui privilegio speciali vitalitatis in circulum, & in se ipsum rediens cum spiritu suo hospite nullius loci, & temporis leges respicit, neque locum standi ullum in universo corporis foro agnoscit?*

XIV. Revellenda itaque esset ex quorundam animis, quibus altè insedit hæc de vi Revulsioni per V. S. opinio, cum revera non nisi ad demendam plenitudinem conferat Venæ sectio. Condonandum quidem aliquid Æmilio Paritano, & Primirofio, qui non aliam ob causam, ut ait Leonardus è Capua, in Harvæum Stylum acuerunt, nisi quia stante Sanguinis Circuitu viderent Revulsioni, per tot sæcula adeò celebre præsidium, ferè penitus corrue- re, non ita verò nostrorum temporum Professoribus in tam clara luce cæcutientibus. Multum profectò Hippocrates Revulsioni in fluxionibus detulit, ut passim in illius Operibus videre est; locus tamen insignis apud eundem extat qui Revulsioni videtur parum favere. Ad sistendum immodicum mensum fluxum jubet ille ut vincula injiciantur supra genua, verum quidem est, quòd præcipit quoque ut eodem tempore vinciantur brachia; nodum hunc solve-

re annisi sunt Rorarius, & Fonseca, sed non planè satisfaciunt; meum sanè non est hujusmodi scrupulos dissolvere, meliori enim vindice dignus est hic nodus, proferam tamen quod sentio. Quidquid sit de efficacia hujus remedii, & num eventui respondeat, videtur *Hippocrates* mente attigisse motum sanguinis perennem per suos ductus, multis enim in locis mentionem habet de sanguinis stasi, & interceptione Venarum, quam *φλεβῶν ἀπόλειπον* appellat; ut ergo fluxum catameniorum cohiberet, sanguinis stationem, seu saltem remoram aliquam humoribus impetrandam curabat, tam in partibus supra, quam infra Cor, vinculis ad brachia, & femora injectis, nihil veritus quòd ligaturæ supra genua ad Uterum quicquam traherent. Ac re vera quid magis ex improvise hæmorrhagias sistit, quam superveniens animi deliquium, cui necessario consecutaria est Cordis à motu feriatio, ac eodem tempore sanguinis stasis?

XV. Sic autem ratiocinari nos cogit Divinum prorsus Inventum Circularis motus sanguinis, quod unicum *φαινόμενον* innumeras discussit errorum tenebras, effecitque ut humani Corporis, cæterorumque Animantium, quibus præcordia finxit Divinus Opifex, vera, ac genuina Oeconomia innotuerit. Cor enim nectaris vivifici, quo Corpus universum sustentatur, Promus, & Conduus est, habens ad latera Arterias, & Venas administras; Arteriæ è sinistro peni alimoniam depromunt, ac partibus omnibus, vel remotissimis dispensant. Venæ assidentes quod à nutritione reliquum fuit suis radicibus,

tanquam manibus, recolligunt, & ad dexterum Cordis Conduum comportant. Iisdem Venis medio in itinere succenturiant Venæ lacteæ, quæ novum commeatum sanguini sub forma candidi laticis refundunt, qui postea in Pulmonibus admirando artificio purpurascit. Hæc est Vitalis Facultatis vera, & naturalis Oeconomia, cui non parvas suppetias fert Animalis Potestas, quæ pro beneficio purioris sanguinis ad Cerebrum delati uberem spirituum influxum per nervos Cordi suppeditat ad illius motum perennandum. Sic binæ istæ Potentiæ, licet sedibus, & regimine distinctæ, tanquam foederatæ Provinciæ, sibi invicem collata beneficia rependunt. Sicuti autem in Civitate benè constituta, quo usque legibus suus vigor perstat, summa tranquillitate degitur, iis autem pessundatis, turbarum plena sunt omnia, ita in humano corpore Circularis motus sanguinis lege servata, facta tecta Valetudo est; ea verò infracta, susque deque aguntur omnia, ac intestinæ seditiones subsequuntur.

XVI. Quamvis autem Lex ista, quam primus tulit Harvæus, vel cujus prima fundamenta jecere Itali nostri, ut Andreas Cæsalpinus, Realduus Columbus Cremonensis, pro rata, inò sacra habeatur, non defuit tamen qui nuper legem hanc abrogare contenderit; is fuit Homobonus Pifo Medicus Cremonensis, qui edito libello sub titulo *Ultionis Antiquitatis* Circularem sanguinis motum tanquam Recentiorum Commentum traduxit. Hic mihi non vacat ejusdem rationes, ac fundamenta

expendere, solùm hoc innuam, quòd illius primum argumentum ab hujus legis inobservantia petitum, (eò quod Medicorum quotidiana praxis, præcipuè circa usum V. S. suppositæ doctrinæ de sanguinis circuitu quicquam non respondeat) Professoribus incuriam exprobrat, quod equidem verum est, ac maximè dolendum, cùm innumeri penè sint, qui passim crepent hunc circularem sanguinis motum, sed postmodùm, vel ob inscientiam, vel oscitantiam, non benè penitatis iis, quæ ex tali principio consequuntur, operibus tollant quod magnifico verborum apparatu statuerant. Verùm cum huic malo medelam aliquam apponere sit necessè, Professor in hac Civitate mihi jam dudum conjunctissimus, Opus jam molitur, cui hunc vult esse titulum. *Rationarium Medicum Sæculare, quo summam, ac veluti facta supputatione apparet quid lucri ex celebrioribus Inventis Anatomicis hujus Sæculi Artis Medicæ, tam quoad Theoriam, quàm quoad Praxim accesserit.* Habent Mercatores sua Rationaria, sicuti & diligentes Oeconomi, habent & Principes, ut olim Augustus, qui diuturnæ valetudinis tædio Rationarium Imperii Senatui tradidit; non abs re forsan erit si Medica Respublica Rationarium suum habeat, quòd monstret quantum Medicinæ pomeria ampliârît hoc nostrum fortunatissimum Sæculum, & quod simul pro saniori medendi methodo inferviat. Hujus operis editionem usque ad finem hujus Sæculi animus illi esset differre, spe forsan quòd novo aliquo Invento Sæculum hoc coronetur, cum adhuc vivant multi egregii Viri novarum

rerum Repertores, inter quos Celebrimus Malpighius, qui Romæ nunc degit ad Pontificiæ Valetudinis custodiam; verùm ego non desino Collegam hunc meum urgere, ut ad meditata serio incumbat, ad urinam eo usque illi fata Vitæ lineam protendant, ut Opus hujusmodi ad umbilicum deducat. Verùm è Diverticulis in viam.

XVII. In iis ergo Affectibus, qui ab humorum fluxione fieri supponuntur, iterata V. S. ad tot scopos implendos totum corpus depeculatur, & morbi causam persæpè deteriorem efficit. Ubi enim Vatorum plenitudini quæ vires premit factum fuerit satis, seu ad humorum Orgasimum sufflaminandum si adsit, sanguinis sufficiens copia detracta fuerit, satius profectò esset iis hæere remediis quæ sanguini debitam crasin restituere nata sint. Certè in hac hyemali Constitutione Catarrhis obnoxia repetita V. S. non adeò salubriter cessit. Multos Pleuriticos certò scio inopinatò periisse, postquam bis, vel ter secta fuisset Vena. Præ cæteris pius Sacerdos firmi alioquin habitus ex Pleuritide laborans, postquam tertia vice detractus est sanguis, eadem die interiit. Non solùm autem turpis est calamitas, ægrum epoto medicamento occidere, ut aiebat Hippocrates, sed etiam si detracto sanguine paulò post intereat. Seniores verò in hac tam rigida tempestate periculosum fuit Sanguinem etiam semel detrahare. Nobilis mulier nonagenaria, ex Pleuritide spuria decumbens, cùm instaret ut sibi tunderetur Vena, ac ego renuèrem, alter Medicus accersitus

situs illi morem gessit, & citissimè eam sustulit.

XVIII. Ut constet quali cautione in Senum regimine sit procedendum quotiescunque ab aliquo Rheumatico Affectu premantur, in Boreali præsertim Constitutione, insignem oppidò, ac notatu dignam Hippocratis historiam hìc lubet apponere. *Halicarnassensis qui in domo Xantippi diversabatur aurem hyeme dolebat, & caput non mediocriter; erat autem Annorum circiter 50. Vena secta est juxta Mneximachum, læsum est caput evacuatum, ac perfrigeratum, non enim facta est suppuratio. Phreneticus factus est, & mortuus.* Tot circumstantias hìc apposuit *Divinus Præceptor*, ut credi possit historiam hanc plus continere in recessu, quàm in fronte; rarò fit, nec scio quod alibi in ullo ægrotante annorum numerum definierit Hippocrates; consideranda igitur erant ætas ad senectutem vergens, Anni tempus hyemale, humor peccans, crassus nempe, ac frigidus, ætati ac tempori congruens, qui obstructionem faceret, ac tensionem in parte, atque hinc dolor; ex alieno præscripto (mentionem enim facit curantis Medici, quod illi non adeò familiare) missus est sanguis, at quonam eventu? perfrigeratum est cerebrum, subsequente caloris nativi necrosi, ac prohibita est suppuratio; neque enim tanquam parergon, ut ait Vallesius, adjecit Hippocrates illa verba, *non facta est suppuratio*; perniciosum enim effectum ex intempestiva V. S. sequutum innuere voluit, prohibitam scilicet humoris maturitatem. Lethargicum autem potius, quàm ve-

rè Phreneticum factum fuisse interpretatur Vallesius, cum in libris Epidemiorum quoscumque delirantes Phreneticos Senex Cous appellare consueverit.

XIX. Sæpiùs quoque mihi advertere obtigit, quòd in hac Rheumatica Constitutione, si febre superveniente missus fuerit sanguis, deterior factus fuerit affectus, ac etiam quandoque cum funesto eventu. Ut plurimum ubi Catarrhi urgent, vel in pectore, vel quacumque alia parte, si febris superaccesserit, multis ex Professoribus solenne est ad Phlebotomiam, tanquam ad sacram Anchoram, confugere. An tùm Navis securior? Periti Nautæ ventis etiam adversis aliquando utuntur ut Portum fortiter occupent: Febris autem non tam horrendum est Monstrum, quòd etiam à perito Artifice sub jugum mitti nequeat, nec sine aliquo emolumento. Est ubi Febris sanguinis missionem hortetur, est etiam ubi dehortetur; sed opus est Diorismo. Si nimis densam compagem sanguis adsciverit, & ad stasim aptus vel in pectore, vel in capite restagnet, si febris postmodum accendatur, vel parcè, vel nullo modo sanguis mittendus; sæpè etenim Naturæ ipsi manu gladium abripimus quo morbum se sola potuisset conficere; si verò contrariam diathesim sanguis habeat, & ob orgasmum aliquem ad *διαχυσιν* seu diffusionem promptior sit, febris superaccedens V. S. hortatur. Locus est insignis apud Hippocratem quem hìc referre non abs re fuerit. *Quicumque derepente obmutescunt, si sine febre fuerint, ipsis Venam secato.* Solenne est Hippocrati in libris Epidemio-

rum illud verum adjicere ἀπύρετῶ ; magni enim ponderis ad rectam curationem est hæc consideratio, num Affectus sit cum febre, vel sine febre, non solum enim à febris præsentia, sed etiam ab ejusdem carentia desumendæ sunt Indicationes, ut in hoc loco Hippocrates, qui tamen interpretandus, ubi crassi humores Naturam onerent, ac periculum sit ne calor innatus suffocetur. Videant ergo quantum à Via quam trivit Hippocrates deflectant qui à Febre alicui Affectui superveniente illicò oblatum sibi scopum tundendæ Venæ ad ravim usque conclamant.

XX. Præ oculis itaque semper habenda Anni Conditio; etenim sicuti in maxima frugum abundantia, *Annus est, non Terra quæ fructificat*, ut ait Theophrastus, ita in quibusdam temporibus non particularis Corporum dispositio, sed Anni Constitutio ea est quæ morbos progerminat; attentè idcirco observandum quam Diathesim sanguis asciscat, sive id in sensibiles qualitates, sive in insolita effluvia è Terra expirantia referre placeat, & quænam remedia prosperum sortiantur eventum; sæpè etenim fit, quemadmodum scitè advertit Thom. Sydenham, Morborum Epidemicorum accuratissimus Scriptor, ut qua methodo quis morborum quasdam species foeliciter curaverit, vertente Anno, eadem methodo deteriores reddat, quare idem Auctor ingenuè fatetur, se nunquam satis cavisse, ne qui primi se illius curæ commisissent, vita periclitarentur, donec multiplici observatione, ac perspecto morbi genio, ad veram Curationem recto pede procederet. Sic

Phlebotomia, quæ alias in memoratis Affectibus salubris esse consueverat, in hac Constitutione non insignem operam præstitit, quod procul dubio referendum erat in prægressam antecedentis Anni Constitutionem frigidam, ac nimbosam, & subsequenter hyemem nimis horridam, ob quam adeò crassam compagem, sanguis contraxerat, ut si plus æquo detraheretur sanguis, & calor innatus labefactaretur, humores ad motum ineptiores redderentur, ac faciliùs concreverent. Talem autem fuisse sanguinis texturam ejusdem sanguinis conditio multam pulsem in superficie præ se ferentis, nec non multi Polypi in dissectis Cadaveribus, ac denatis ex Catarrho intra cordis sinus, & ipsa Vasa sanguifera reperti satis demonstrarunt.

XXI. Frequens autem hisce temporibus in demortuis ex repentino casu Polyporum observatio, si non aliud, id saltem præstat, quòd vera quorundam Affectuum causa innotescat, & culpa vacare credatur Medicus, si monstret quàm mala Bestia cubet in Præcordiis. Id prætereà consequimur, ne diversa morborum nomina nobis imponant; Syncope enim Cardiaca, Catarrhus suffocativus, & Apoplexiæ species quædam non aliam sæpè agnoscunt causam, quàm polyposas concretiones in Corde, vel in Vasibus sanguiferis stabulantes. P. Salius particulare caput de Syncope Cardiaca instituit, aitque illam fieri ex sanguine in Venis, & Arteriis coalescente, sic casum refert Puellæ subitâ morte extinctæ, cujus Cadavere dissecto, ex Arteria magna sanguis concretus eductus est, non aliter

aliter quàm gladius è vagina extrahi solet. Refert quoque Riverius Puerum 5. annos natum ex catarrho decumbentem, postmodum lypothymia correptum subito interiisse; aperto verò Cadavere, in sinistra Cordis auricula materiam crassam, & compactam repertam fuisse, quæ, ut ipse ait, laridum coctum referret, cui Polypi nomen non indidit hic Auctor, cum nondum in Microcosmico Erythro Polypus expiscata esset Anatomicorum solertia. Nuper apud nos Vir sexagenarius, præpinguis habitus, subitâ morte oppetiit, dissecto Cadavere ad explorandam mortis causam, ex Pericardio ferè duæ libræ concreti sanguinis extractæ sunt, ac in Trunco Arteriæ magnæ ascendentis inventus Polypus lacertulæ longitudinem & magnitudinem referens. Intercepto itaque ob hujusmodi extranea Corpora sanguinis in orbem itu, ac reditu, & mutuo inter Cor, & Cerebrum interrupto commercio, non suggerente Corde sanguinem Cerebro per Arterias pro spirituum Animalium generatione, nec Cerebro Cordi spiritus Animales ad perennandum illius motum, [quando Cordi à motu nullæ sunt feriæ] necesse est, ut subitus subsequatur interitus. Casus autem hujusmodi vel à Syncope cardiaca, vel à Catarrho suffocativo, vel etiam ab Apoplexia fieri dicamus, parùm refert. Binas Apoplexiæ species statuit Heurnius, unam quam parvam appellat, ac ait fieri ob φλεβῶν ἀπόλειψιν, id est ob prohibitum sanguinis in Cerebrum influxum, alteram magnam ob interceptum spirituum Animalium è Cerebro effluxum. Tres verò Apoplexiæ species ex Hip-

pocratis doctrina tradit Martianus, quas tamen in essentia convenire, & à sanguinis στάσει pendere autumat, quæ quidem sanguinis statio à Polypofo crassamento induci potest, cujus generatio, ut ut non sit momentanea, accedente tamen aliqua causa, quæ sanguinem in motum rapidiorem cieat, & præexistente prava totius massæ sanguinæ dispositione ad grumescendum, mirum non est si sanguinis stagnationes ex improvise contingant, ac interrupto spirituum vitalium radio, qui à Corde jugiter influunt, Cerebrum, Lunare Sydus Microcosmi, Eclipsim patiat. De hac Apoplexiæ specie, in qua morbi causa est extra Cerebrum, pluribus in locis agens Divinus Præceptor, in libro de Morbis hæc habet ipsa verba, quæ ut potè notatu digna, & sanguinis circuitum adumbrantia ex nativo fonte huc transferre placuit: αἱ φλέβες ἐπιπέτεις ἐς ἑαυτὰς ἐρύσσωσι φλέγμα ἀνάγκη ὑπὸ ψυχρότητος τῆ φλέγματος τὸ αἷμα ἐστάναι μᾶλλον νῦν . . . μὴ κινηθέντες δὲ τῆ αἵματος ἔχθετε μὴ ἔχει, καὶ τὸ σῶμα ἀτρεμίζεν . καὶ κεκοφῶσθαι. id est; postquam Venæ pituitam in se ipsas traxerint, necesse est præ pituitæ frigiditate sanguinem tunc magis sisti . . . dum autem sanguis non movetur, fieri non potest ut non etiam corpus quiescat, ac torpeat.

XXII. In Apoplexia, ac præsertim ubi in Paralysem degenerat, sæpius observavi, modò loquelam amittit voce superstitite, modò utrumque, quod quidem observatione dignum, tum ad prognosim, tum ad curationem; non enim idem sunt destitui loquela, ac voce destitui. ἀνοδὴ loquelam significat, φωνὴ vocem, quæ duo diversis

diversis organis perficiuntur, sermo-
nis enim Lingua est dædala, vocis
autem Larynx, & Trachea. Obser-
vatio Doctissimi Willisii est, ad
gravis vocis efformationem truncum
asperæ arteriæ deprimi, ad vocem
autem acutam efformandam sursum
attolli, quem motum alternum præ-
stari ait à ramulo nervi recurrentis
cartilagineos annulos deorsum tra-
hente, & à nervo altero à plexu
pari vagi eisdem sursum attollente;
sic exolutis nervis ad linguam per-
tingentibus ἀναυδία subsequitur, ἀφωνία
verò si exolvantur qui ad Laryn-
gem, & Tracheam dimittuntur; po-
terit ergo aliquis esse ἀναυδία, &
non ἀφωνία, ut muti, ac infantes
recens nati, qui sonos edunt licet
non articulatos, non tamen è con-
verso potest esse quis ἀφωνία, & non
ἀναυδία. Quare Hippocrates in hi-
storia Pythionis, qui postea die 10.
mortuus est, scripsit hæc verba. Cir-
ca vesperam omnia exacerbata sunt,
ἀναυδία, ἀφωνία. Loquela destitui ma-
lum quidem signum est, perniciosius
verò etiam voce privari, idcirco Di-
vinus Præceptor ut pessimum Pythio-
nis statum indicaret, has binas voces
apposuit. Æquè verò tamen Aponia,
quàm Anaudia fieri possunt, tum ob
exolutionem, tum ob convulsionem;
procul dubio in Pythione aponia
convulsiva erat, nam die 6. dolores
vehementes ipsum tenebant; in hoc
itaque distinguuntur, quòd Aponia
quæ in tensione consistit, fatalis est
ad crudelissimam mortem, quæ ve-
rò in exolutione, moriendi sensum
adimit, ut ait Doctissimus Duretus.
Cum itaque tam ob nervorum, &
musculorum vocalium tensionem,

quàm ob laxitatem, fieri possit apho-
nia, quotiescumque illa appareat,
diligenter advertendum num convul-
soria sit, vel exolutoria, ut apta re-
media præscribantur, τῆσι enim, &
λύσις contrarii sunt Affectus. Sæpè
autem fit, ut si in maligna febre
aphonia superveniat, ad aliquam ex-
cusationem apud vulgus aucupandam
soleant nonnulli magna utique con-
fidentia pronunciare, ægrum apo-
plecticò insultu correptum fuisse,
cum tamen aponia illa convulsiva
sit; perrarò enim in acuta febre a-
ponia apoplectica succedit, quod
tamen aliquando observatur, & qua-
lem casum nuper habui præ mani-
bus. Vir enim robusti alioquin ha-
bitus, post 12. paroxysmum Tertianæ
febris factus est ἀναυδία, καὶ ἀφωνία,
resolutò eòdem tempore brachiò,
& crure dextrò; ac jam vocem ex
integro recuperavit, sed nondum
perfectum sermonem. Narrat Fore-
stus Textorem quendam ob leve vul-
nus in extremitate pollicis in dextra
manu obmutuisse, quem veluti lin-
guæ paralyti affectum à se curatum
ait, ego autem pace hujus Cele-
berrimi Viri, crediderim obmutef-
centiam illam ortam fuisse potiùs ex
convulsione linguæ, nam æger ille,
& nutu, & scripto, ut idem Auctor
refert, indicabat sibi linguam tanquam
filo constringi.

XXIII. Atque hi quidem vagaban-
tur affectus ob superius memoratas
causas, quibus addendum, quòd cum
Anni prava Constitutione conspira-
verat rei Annionariæ penuria, quæ
sola potis est crassis humoribus cor-
pora infarcire, ob prava alimenta,
ac præcipuè ob usum leguminum,
quæ

quæ suapte natura ægrè coquantur; unde Cacochymia; propterea urgente frugum inopia, cautè usurpanda magna remedia, præsertim in Popularibus, quod in Praxi diligenter observandum. Sicuti enim ex Hippocrate difficulter ferunt purgationes qui pravo utuntur cibo, eò quòd illorum Corpora, ut Galenus interpretatur, citò exolvantur, vel ob Syncopem Stomachicam, in quam facilè incidunt Cacochymici ubi purgantur, ut Heurnius, haud secùs per V. S. quoque in summum discrimen adducuntur, uti frequenti observatione mihi compertum. In quibusdam Oppidis hujus Ditionis, ac præcipuè Castrovitri, & Scandiani, idem accidisse accepi, quod apud Ænum Civitatem Thraciæ ob Annonæ caritatem evenisse scripsit Hippocrates; ut multi ob usum leguminum, ac Ervi præsertim, in Crurum exolutionem inciderint. In hujusmodi ergo Calamitatibus cautum esse oportet Medicum, nec adeò liberalem in profundendo humano sanguine, uti quibusdam aliis temporibus. Ad has itaque Circumstantias, & præcipuè ad anni Constitutionem, tanquam ad Verforiam, mentis acies potiùs convertenda, quàm ad decerpendum ex libris, generales morborum Curationes, ne vetus Parcemia obtrudatur, *Nauta ex libro.*

XXIV. Quare autem Plebs Urbana in hac Constitutione prædictis Affectibus magis obnoxia fuerit, quàm Agrestis, id forsàn factum crediderim, quòd Rusticana gens vitam actuosiore degens, sanguinem magis fluxilem haberet; ac minùs aptum ad stagnationem, seu

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

quòd in Rurali Epidemiâ in alterâ meâ Dissertatione descriptâ, febres diurnæ, quæ agrestem populum exercuerunt, vicem Criseos supplerint, sanguinis fæculentias sensim repurgando, ac ad meliorem crassum totam massam humoralem perducendo.

XXV. Circâ Æquinoctium cœpit frigus mitescere, ac tam subita facta est permutatio ab intenso frigore ad immoderatum æstum, ut ab Æquinoctio usque ad Martii finem calor haud multum distaret ab æstivo, Sole in occasu flammeo apparente, non secus ac Augusto mense; subsequuta quidem postmodum Aprilis mense aliqua calor remissio, sed firma semper, & constans perstitit siccitas, sereno, ac præfudo Cœlo; cum itaque nulli prorsus imbres per totum Aprilis mensem decidissent, non lenis timor omnes corripuit de Anno parum frugifero; non modici tamen solaminis erant Plantæ omnes fructiferæ floribus passim albescentes, quæ fructus tum præcoces, tum horæos abundè pollicebantur, uti re vera contigit, hoc Anno laboranti Cereri succenturiant Pomona. His addebatur quòd calor non proportionatè ad Solis accessum augetur, siccitatem in dies auctiorem reddebat, quare toto Vernali tempore Terra non minùs arida, ac dehiscens visibatur, quàm cum *findit Canis æstifer arva.* Perseverante pariter Majo mense hæc aridâ Constitutione, nisi identidem, ac sporadicè modicis imbribus delapsis, magna herbarum inopia hoc Annò laboratum est, fabis quoque ac omnibus ferè leguminibus, ob humidi

F defe-

defectum arefactis, exigua quoque spe superflite, quòd eandem ob causam triticea messis ad bonam frugem perduci posset.

XXVI. In hac Vernali tempestate, ac præcipuè in prima Veris parte, iidem pectoris morbi, non adeò tamen graves, ut hyeme, perseverarunt. Sub finem autem Veris Tertianæ febres, tanquam spicilegium prægressæ messis, caput denuò extulerunt. Nunquam apud nos Annus Scabiosior visus est, omnibus ferè Urbanis, ac Ruricolis quoque, fœda scabie laborantibus, quæ neque ad iteratas purgationes, neque ad repetitas Phlebotomias quicquam mitescebat; Sanguis qui secta vena educabatur multum feri flavi præferebat, ac Urinæ valdè coloratæ apparebant. Haud secus quàm Annò elapsò magna fuit Animalium strages, ac Pecudum præcipuè, ita ut Ovillus grex totus penè deletus fuerit.

XXVII. Quoniam nullus Morbus adeò popularis est ac Scabies (si tamen illam in Morborum Classe licet reponere, quando Hippocrates scabiem turpitudinem potius quàm morbum appellat, & Plato malum vocat mixtum ex dolore, & voluptate, ac propterea græcè dicitur πᾶθ' ἡ γλυκύπαισι) quoniam inquam, nullus affectus adeò familiaris est, & qui medicos conatus magis eludat, ut hinc ansam captarit Helmontius vulgarem Medicorum praxim traducendi sub titulo *Scabiei*, & *Ulceris Scholarum*, perfricemus paululum, si licet, hoc Ulcus. Ingenuo pudore profectò fateri licet, nihil ferè laudis Medicinæ professoribus ex Scabiei curatione accedere, imò non rarò

iis palmam præripi à superveniente Vetula, quæ solo linimento interdum præstat, quod magna remediorum supellectile præstitisse non potuerunt qui morbos Herculeos se perdomuisse deprædicant, quin interdum, ut ait Poëta,

*Inque ipsos sæva medentes
Erumpit clades, objuntque Auctori-
bus Artes.*

Quam labem omni studio ac juxta omnes Politicæ regulas à se debet arcere ex Galeni consilio quisquis Medicus, nam Scabies, ut idem ait, cum deformes reddat quoscumque tenet, multò magis Medicum Clinicum deformem, & horrendum efficit, cui hac fœditate laborante obtrudi possit dictum illud Poëtæ Tragædi, quod affert Plutarchus.

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτῷ ἔλκεσι βρώων,
id est, *Aliis medens, at ipse ulceribus scatens.*

XXVIII. Scabiei curationem folis topicis esse perficiendam, ablegatis omnibus internis remediis, quæ Corpora in cassum fatigant, vult Helmontius; observans enim quàm facili negotio Corpus exactè sanum ex solo contactu alicujus Scabiosi infici possit, credidit Scabiem pendere à pravo Cutis fermento, quod ejusdem alimentum corrumpat, nequaquam verò ab interno Viscerum vitio, quare folis topicis suadet abigendam; ast hujusmodi opus periculosa plenum alexæ meritò censetur. Ballonii itaque celeberrimi Practici consilio hærerè placet, qui cum diorismo procedens explicat ex mente Hippocratis, quando Scabies sit morbus, & quando abscessus, hoc est rectam semitam indigitat, qua Medicus certo pede ad

Scabiei curationem procedat, lubet autem hîc ipsum Hippocratis locum afferre. *Impetigines, & lepræ, & vitilignes albæ, quibus quidem Juvenibus horum factum est, aut paulatim conspectum multo tempore augetur, his non putare oportet abscessum esse, eam papularum eruptionem, sed morbum; quibus verò horum aliquid est factum multum, & derepentè, hoc sanè fuerit abscessus.* Hunc locum pariter observans doctissimus Mercurialis, *Quid sit, ait, abscessum esse, & non morbum, atque è controverso, non omnes intelligunt.* Scabies itaque, aliique cutanei affectus in morborum classe sunt recensendi quando paulatim fiunt; quando verò confertim, ac præcipuè post gravem aliquam ægritudinem, non morbi nomine, sed *Ασθησις* insigniri debent: est ergo in Scabie, ubi liceat solis topicis incumbere, ait Ballonius, cum nimirum Scabies est folius Cutis morbus, est etiam ubi necesse sit internis partibus prospicere usu purgantium, & alterantium, ac nefas sit solis topicis Scabiem exterminare velle, hoc est cum Scabies est alterius morbi soboles, ut in Cachexia.

XXIX. Chronicorum affectuum eam esse naturam, ut qui *hyeme augetur æstate desinere soleant, qui verò æstate hyeme finire debeant,* scripsit Hippocrates. Hanc autem esse Scabiei indolem, ut hyeme luxuriat, ac magis sæviat, æstate verò evanescat, vel saltem mitescat, jam norunt omnes. Quando igitur Scabiosus aliquis curandus suscipitur, liberè protestandum esset, non institui curationem nisi ut faciliùs æstivo

tempore tam foedus morbus extirpetur, atque hanc esse hujus pestis naturam, apud nos saltem, (de lepra non loquor morbo Ægyptiis endemio, ut refert P. Alpinus, ob aquam cœnosam, & salitos pisces, quorum usus apud illos valdè familiaris est) ut æstivi caloris beneficio faciliùs, quàm cichoraceis abigatur; satis abundè testante experientia, quòd nulla prævia purgatione, vel Phlebotomia, ulloque alio remedio, quotquot agrestes per hyemem scabie laborarint, superveniente æstate, non secùs ac Angues, psoræ exuvias deponant, ac illis niteat *assiduo curata cuticula Sole.* Verùm hujusmodi protestatio ad avertendam calumniam quandoque non satis est. Laborabat olim F. Petrarca sicca scabie, ut ipse refert, ac postquam à medicamentorum diuturno usu se frustra exhaustum videret, Medicos, quibus ex sua natura insensus erat, objurgare cœpit, ac iis respondentibus, expectandam esse Æstatem, ira percitus eosdem dimisit his verbis. *Ego autem neque Medicis credo, neque ab Æstate spero quicquam, sed ab illo de quo scriptum est. Æstatem, & Ver tu psalmasti.* Psoræ itaque potissimum remedium ab æstivo calore pendet, qui potis est novam crasim in massam sanguineam invehere, ac illam particulis spirituosiss saturare, quo pacto Acidum illud luxurians, quod cutem exarabat, infringitur. Purgationes itaque ut ut repetitæ, iteratæ V. S. illitiones, Balnea, & omnis Medicus apparatus persæpè præstare nequeunt quod solus Aër æstivus. Cùm hoc Vere cuidam Docto Amico meo levem

purgationem ad sanandam Scabiem, quâ vexabatur, præscripsissem, nec ideò melius haberet, ac illo urgente quid agendum superesset, per jocum remedii loco dictum illud Satyrici adduxissem.

Durate, atque expectate Cicadas, ille ad me conversus, & Tu quoque, inquit, ad græcas Calendas honorarium expecta.

XXX. Utriusque casus duo habemus notatu digna exempla apud *Hippocratem* in libris Epidemiorum, quæ hîc lubet afferre. *Latae pustulae non valdè pruriginosæ, quales Simon habebat hyeme, qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem sentiebat. Vomitus non proderat.* Manifestum specimen hîc habemus Scabiei cum morbus est; nam ex facta inunctione, vel in ipsa hyeme, opem sentiebat; si enim Scabies illa fuisset abscessus, ac alterius morbi productum, non solùm ex in-tempestiva unctioe nil opis sensisset, sed gravem noxam expertus fuisset. Observanda quoque illa verba. *Vomitus non proderat*; signum evidens, Corpus illud fuisse sanum, ac totum vitium in externis corporis partibus extitisse. Corpora sana difficulter ferre purgationes effatum est ejusdem *Hippocratis*, qui pariter ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, præcipit ut dejectiones inspiciantur, quæ si sint similes sanis, ait tutum esse corpus alere, sin minùs purgationem instituendam; fieri enim potest, ac sæpenumero contingit, ut Corpore sano intus existente, tubercula in cute progerminent.

XXXI. Exemplum aliud Sca-

biei, prout Abscessus dici meretur, sequens est. *Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, & Cutis crassa erat & velut lepra aspectu; huic nemo opitulari potuit; transgressus ad Melum, ubi sunt calidæ Balneæ, à pruritu quidem, & Cutis crassitudine liberatus est, sed hydropicus factus mortuus est.* In hoc casu certè affectio illa pruriginosa abscessus erat, ac fructus morbosæ radicis in Visceribus implantatæ; vel immoderatè, ut putat *Vallesius* in Commento, aquis illis thermalibus usus fuerit homo ille, ut suffocato innato calore cessarit illa peccantium humorum excretio ad cutem ablegari solita, vel ut verisimiliùs interpretatur *Martianus noster*, aquæ illæ sulphuratæ essent, ac propterea, ut idem ait, *densata à balneo cute humores pruritum excitantes ad Hepar retrocedentes scyrrhum induxerint*, ex quo factus fuerit hydropicus, satis sit quòd illi magis consultum fuisset, prospexisse ad id quod latebat intus, quàm quod in cute apparebat.

XXXII. Ut ad rem nostram hactenus dicta applicemus, popularis hæc Scabies in Classe abscessuum profectò erat collocanda, utpotè productum præcedentis Constitutionis nimis pluviosæ, nec non & pravi victus ob Annonæ caritatem; sic refert *Galenus* sua ætate cum plurimas, Romano imperio subditas gentes vexaret fames, ac frugibus omnibus in Urbem asportatis, Agrestes, quibus relicta fuerant solùm *ὄπαια καὶ χέδρονα*, ac etiam in exigua copia, ut fruticum germinibus, & bulbis vesci cogerentur, omnes sub Veris finem

à variis cutaneis affectibus conflictatos fuisse; quorum alii Erysipelas referrent, alii herpetem, & alii psoram, impetiginem, & lepram. In hac itaque nostra populari Scabie solis topicis fidere tutum negotium non erat, & quotquot sive spontè, sive alieno consilio, Scabiem Unguentis antipforicis abigere tentarunt, id suo periculo sunt experti. Rem oppidò notatu dignam hac occasione mihi observare obtigit. Novi multos, qui tædio hujus fœdi morbi Unguentis Scabiem exterminare etiam in ipso Vere tentarunt, sed postmodum Scabie retropulsa febre correptos, Urinas nigras, & fuliginosas illicò reddidisse; cum autem usu remediorum humores ad cutem propellentium reproduceretur Scabies, Urinæ sanis similes reddebantur; denuò autem retrocedente Scabie, vel rursus erumpente, hæc reciproca in Urinis apparebat mutatio; quamvis autem hujusmodi Urinæ cum parva febre, quæ malignitatis speciem aliquam præferret, me suspectum non parum haberent, sollicitus tamen circa Scabiei reproductionem semper bonam spem alui, & quotquot habui præ manibus vidi tandem à morbo superstites. Animo autem versans quare ad Scabiei retrocessionem Urinæ redderentur fuliginosæ, id fieri posse credidi, quòd Acidum in Cute luxurians, & Pforam efficiens, ob factas illitiones haud amplius expirans, à Venis resorptum, & cum Alkali sanguineo permixtum serum sanguinis atredine infuscarit, non secus ac quando limpida Vitrioli solutione cum infusione gallæ permixta, atramentum conficitur. Pro regeneranda verò

Scabie non semel, nec sine prospero eventu usus sum remedio à Zacuto Lusitano proposito, & ab Etmullero commendato, jubendo, ut æger, cui retrocessisset Scabies, decumberet in linteis ab aliquo Scabioso infectis. Remedia porrò quæ magis ex usu fuere, si non ad Scabiem extirpandam, saltem ad eam moderandam, ut superveniente æstate faciliùs aboleri posset, fuere præsertim ea quæ ex Viperis parantur, quibus multos vidi fœliciter sanatos. Ubi liceat igitur internis remediis uti ad Scabiem radicitùs extirpandam, nihil profectò consultius quàm ad diaphoretica confugere, non secus ac fit in lue gallica; sicuti enim inter hos duos Affectus magna est cognatio, ita eadem ferè methodo curandi. Sic Heurnius ad Pforam debellandam, purgatis prius noxiis humoribus, ligni indici, ac Salsæ decoctum valdè commendat; ait enim quòd hoc remedio facilè expirat concepta in habitu Corporis contaminatio.

XXXIII. Horrent non nulli in Scabie, aliisque cutaneis affectibus, cane pejus & angue Viperina remedia, veriti ne excedens caliditas & ustionis nota Hepati, & toti massæ sanguinæ imprimatur; ast ego magis horreo nimium refrigerantium usum, nec quemquam novi, qui exhaustis integris Ptisanis, seu postdiurnum Serè, & Cichoraceorum usum à Scabie, ut ut sicca, & arente, liber evaserit; scio equidem penè affidas esse Scabiosorum querelas de nimio calore tum interna tum externa perurente, at iis præbendæ non sunt aures; graviter quoque Pueri, quibus Perniones ob violentum frigus oborti

sunt, de nimio calore in pedibus conqueruntur, nec sine ratione, ob subsequutam aliquam inflammationem, an ideò in Pernionibus applicanda refrigerantia? Cordati Medici ergo erit morbi causam animosè aggredi, sanguinis vitiosam crasim emendando, remediis potissimùm quæ illius acorem temperent, qualia sunt ex Viperis parata, quæ Sale volatili abundant. Quidquid sit de Viperæ temperie, de quo consulatur Jo. Baptistæ Spontonus in sua Echidnologia, experientia satis planum facit nihil esse ad pforam, ac lepram quoque perdomandam efficacius, quàm Viperina medicamenta, (quando tamen id agere liceat, nec satius sit hunc hostem inquilinum alere) nec adeò nos sollicitos esse debere ne plus æquo incalescant Viscera, dummodò tam fædi morbi seminum penitus restinguatur. At nunquam cessaret scilicet libido, tam ferax est observationum hæc materia, nisi ad alia festinaret Calamus.

XXXIV. Exacto Vere Ætas successit adeò fervens, ut nunquam huic similis visa fuerit, idque præsertim Canicularibus diebus, quo tempore præter modum Aër excanduit caliditatis excessu supra reliquos Annos, ut Thermometri loquebantur, ad multos gradus ascendente. In hisce ardoribus identidem cecidere pluviae, sed nihilo seciùs remittebatur æstus, qui constans persistit per totum ferè Septembris Mensem; hac Æstate nullatenus spirarunt Etesiae, unde è continuo æstu nullum levamen, hanc ob causam multa Animalia, ac præsertim Canes, agebantur in rabiem. Nunquam alias ceci-

dere crebriora fulmina, à quorum uno ictus est agricola, indumentis omnibus perustis, præter lora coriacea; id ad non nullos dies attonitus jacuit, sed postea sine ullo remedio in se rediit, & adhuc superstes est: hisce temporibus febrium Cohors de repente incubuit, ac passim per vulgus grassabatur, ut integræ familiæ eodem tempore febricitarent, densiorque erat ægrotantium numerus ea in parte Civitatis, ubi magis patulæ sunt viæ, ac humiliora tecta. Quotquot milites in Arce reperti sunt, simul ex febre decumbebant, ut rusticanam militiam accersere oportuerit ad illius custodiam. In Septo Hebræorum, ubi Vici angusti, ac Ædes altissimæ, caligantesque fenestras, nulli ferè hoc saltem tempore ægrotarunt, cum tamen cæteris Annis primi sint Recutiti, qui æstivarum ægritudinum impetum sustineant. Rusticolæ licet diurnis laboribus ad Solis radios ferè in sudores solverentur, cum tamen sub dio suis in plaustris per noctem somnum captare soleant, immunes ut plurimum degabant; sola itaque Plebs Urbana, & omnes, quibus & domus, & res angusta domi esset, exercebantur; salubris tamen erat morbus, nam febres istæ Tertianæ Intermittentes erant, ac ut plurimum exquisitæ, & quæ die septima, ac etiam citius, post unam vel alteram phlebotomiam per sudores judicarentur. Nullus Annus Medicis quæstuosior, & gloriosior unquam fuit, cum ægri omnes fermè incolumes evaderent: medicum fastum tamen parumper temperavit Autumnus *Ἰαροῖς αὐτῷ*; nam protractiores erant febres, & aliquan-

quando in malignas degenerabant. Remedia cordatis Medicis erant Venæ sectio, & frigidæ usus; hæc enim utramque paginam, ut dici solet, implebant; qui verò parva attollentes, ut plura videntur præstitisse, vel ut Seplasiarios benevolos haberent, Cardiacis calidioribus usi sunt, tanquam camino oleum addentes, ægros in extremam perniciem præcipitarunt. Limonum succus, spiritus Vitrioli, Sulphuris, & similia erant egregia Cardiacæ; diversis itaque artibus, ac diverso telorum genere, cum hoc febrili exercitu congregiendum fuit; Anno superiori hostis irritandus erat ad pugnam, hoc verò illius impetus parumper sustinendus, & acutis telis frangendus, qualia sunt Acida omnia. Sanguis qui secta Vena educabatur (pumeus erat, & croceus, Urinæ similiter multa bile saturatæ. Multis ex febricitantibus papulæ apparebant in cute, ac præsertim Pueris, quales efflorescentiæ Variolarum erant veluti Prodromi. Variolæ quidem per æstatem paucos susceperunt, aut autumno, & in prima parte hyemis paucis pepercerunt, ac minùs iis quibus detractus fuisset sanguis. Multis Tertianæ febres in quartanas migrabant; sicuti autem præcedenti Anno Peruviani Corticis usus in Quartanis, ac diuturnis febribus improspere cessit, ita hoc Anno saluberrimus fuit, & ii qui passi sunt recidivas, febres mitiores postmodum experti sunt, ac antequam Hyems accederet perfecte convaluerunt. Ubi primum æstus cœpit mitescere, quod circa Æquinoctium contingit, visa est pacari febrilis tempestas, quæ sensum in summam tranquillitatem cessit,

adeò ut duobus postremis decedentis Anni Mensibus in Foro Medico penè continuè essent feriæ.

XXXV. Hujus febrilis tempestatis causam saltem occasionalem in immodicum Aëris æstum referre placuit, qui potis fuerit Bili nimiam acrimoniam adsciscere, ut cum succo pancreatico, minùs aptè quàm par est, ebulliret, & in massa sanguinea febrilem effervescentiam ciceret. Neque mirum sit quòd exiguo tempore adeò permutata fuerit sanguinis, & omnium fluidorum crasis; magna est enim vis caloris, quidquid Helmontius dixerit, Calorem Qualitatem Rerollæam appellans. Multa quæ suapte natura dulcia sunt ad ignem amarescere, alia verò magis dulcescere quotidie observamus; sic ut ait Gal. Lac coctione eam dulcedinem acquirit, quam mel deperdit. Vinum quoque per totam hyemem, ac etiam Vernum tempus, nativam dulcedinem servans ubi Æstatem senserit austerum fit, nisi in Hypogæis, & frigidioribus locis asservetur. Calor itaque ac frigus, sive sint causæ immediatæ, sive excitantes, & occasionales, subitas mutationes, in nostris Corporibus parere possunt & humorum texturam, citius quàm quis putet, invertere. Narrationem oppido curiosam apud Lucianum habemus de febre quadam Tragœda [sic enim illam appellare liceat] quæ Abderitas temporis ferè momento invasit. Egerat Archelaus Poëta Tragicus media Æstate, multoque æstu, apud Abderitas, Euripidis Andromedam, ex quo factum ut multi ex Theatro febricitantes exierint, ac universi postmodum febre gravissima correpti fuerint,

rint, quæ die septima plurimò sudore erumpente, nec non sanguine è naribus profluente, solvebatur, superflite tamen ridicula quadam mentis perturbatione; nam ut refert Auctor, omnes quasi ad Tragædias agendas impellebantur, & Jambica personabant, multumque vociferabantur, maximè autem Euripidis *Andromedam* canticis referebant, plenaque adeò Civitas erat pallidis, ac macilentis illis *Tragædis* septimanis. Haud aliter apud nos immodicus æstus Plebem Urbanam inter angustias suarum ædicularum conclusum in febres agebat, ad spectu quidem terribiles, nec sine mentis emotione, sed quæ postea die septima, oborto sudore post celebratam liberali manu phlebotomiam solverentur. Hac de causa eos qui circa Urbis pomœria lares habebant, seu ubi magis patula, & ampla sunt Viarum strata, ut in ea parte quæ *Herculea Additio* appellatur, faciliùs febres adoriebantur; ubi verò Urbs magis conferta est, & Vici angusti, & anfractuosi, minùs à febribus populares exercebantur. Neque fortuitò Urbium Conditores, angustas, & anfractuosas vias esse voluisse censendum est, ut in iis Urbibus, quæ adhuc aliquid antiquitatis retinent, qualis est Mutina, ut nempè magis salubritati, quàm pulchritudini consulere. Sic Nero postquam flammis Romam absumpsit, intentus postmodum illius reparationi, dimensis viarum ordinibus, ac latis spatiis, splendidiorem quidem Urbem pro Imperij majestate, sed minùs salubrem reddidit; nam, ut ait Tacitus, compertum est *veterem*

illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perumperentur. Hanc ob causam opulentiores Cives, qui in amplis Conclavibus à tecto remotioribus degebant, sicuti etiam populus Apella, vim febrilis hujus tempestatis minùs sensere. Magni profectò momenti est ad præservationem à morbis æstivis in amplo, ac frigido Conclavi degere, ac somnum capere, ut à diurno calore attritæ vires per nocturnum somnum reparentur. *Somnum in frigore cooperto* commendat *Hippocrates*, quem locum in altera mea Dissertatione exposui; si ergo vel in ipsa hyeme præstat quiescere in loco ubi sit aura frigidior, idque in gratiam Respirationis, dum modò totum Corpus stragulis sit coopertum, ne à frigore carnes pungente interturbetur sopor, multò magis æstate præstabit in frigido Conclavi somno indulgere.

XXXVI. Hic autem immoderatus Aëris fervor si febrem hanc popularem excitavit, viam quoque aperuit ut citiùs referatis poris, per sudorem febrilis materia evanesceret, idque beneficii sequutum, ut exterminata radicitus Scabie, Plebs nitidior, ac vegetior apparuerit. Ac profectò gravis hæc morborum Tempestas omninò desisset, ni Variolæ, quò magis ambientis calor tepescebat, eò ferociùs sæviissent, cum non solum puellarem ætatem demeterent, sed etiam grandævos, ac præcipuè Uterò gerentes, quotquot hoc morbo laborarent. De Variolarum natura, & causis, cum tot extent doctissimorum hominum scripta,

ta, nil addam, nisi quòd in hac Variolosa Constitutione, quæ circa Autumni finem vim suam magis exercuit, facilius evaserint ii quibus nec detraetus fuit sanguis, nec ullum administratum remedium, toto curationis negotio Naturæ commisso. Neque mirum quòd V. S. noxia fuerit; si enim ex Hippocrate *Autumno paucissimus sanguis sit in homine* ob prægressam Æstatem, quæ Corpora exhaurit, id certè apud nos hoc Anno locum habuit, quare Virtus jam debilis ab exhaustu ob præcedentem æstivum fervorem, secta Vena illicò labascere videbatur, ac fieri minùs apta ut noxium humorem ad Cutim protruderet.

XXXVII. Sicuti in superioris Anni Constitutione noxius fuit Chinæ Chinæ usus, ut adnotatum, ita in hac ab illa toto Cœlo diversa, valde salubris compertus est; & multi quidem Quartanarii hoc autumno per Urbem vagari visebantur, sed quotquot ad hoc remedium confugere, vel integrè sunt restituti, vel si non nulli recidivas passi sunt, paulò post convalescere; hinc practicam Cautionem, ulteriori tamen observatione confirmandam, elicio, securiorem esse

Chinæ Chinæ usum, quando humores fræno potius egeant, quàm stimulo. Anno elapso ob frigidam, & humidam Constitutionem tota humoralis massa, ut pote crassa, ac segniùs fluens stimulanda erat, ac ad motum cienda, hac Æstate verò, ad orgasmum prona, ac nesciens stare loco, erat potius sufflaminanda, quod mirè præstabat Peruvianus Cortex, humorum impetum compescendo. Eandem ob causam aquæ usus in altera Constitutione adeò noxius in hac saluberrimus fuit, sicuti pariter Acida omnia, quæ celebrioribus Cardiacis palmam præripuere, ut quæ partium Alcalinarum vim frangerent. Hermeticorum enim effatum est, Alcalia per Acida, & Acida per Alcalia emendari.

Atque hæc pauca de hujus Anni Constitutione, tumultuariè fateor, ac inter armorum strepitus, visum est conscribere, hyemantibus apud nos Germanorum copiis, quæ hac Æstate in Pedemontana Regione adversus Gallos militarunt; cæterùm, urgente adhuc rei Annonariæ angustia, vererè licet, ne venturo quoque Anno popularium morborum nova seges succrescat, quod omen despuo.

B E R N A R D I N I R A M A Z Z I N I

Dissertatio Tertia.

De CONSTITUTIONE Annorum 1692. 1693. 1694.

I Ntermittam varias quidem ob causas, sed potissimùm ob parùm prosperam Valetudinem, Operis incepti texturam resumens, Morbos qui
Th. Sydenham Oper. Tom. II.

hisce tribus Annis apud Nostrates populariter vagati sunt, nec non rario-
ra quædam quæ peculiari observatione digna credidi, compendiosè referam,
G ram,

ram, haud dubiâ spe quòd apud cordatiores Medicos veniam sim impetraturus, si minùs aptè quàm par est res exponatur, modò fideliter (quod in historicâ narratione potissimùm expetitur) id fiat, quod me præstiturum sanctè polliceor. Horum verò trium Annorum Constitutiones non sejunctim, ut priores duas, exponere, sed unico fasce simul complecti libuit, ne eadem chordâ, cum risu oberrans, res easdem repetere deberem, quando unica & eadem ferè morbosa Tragœdia totum hoc triennale spatium absumpsit, nec exordium obtinuit, donec Cœli temperies in statum Cœlo diversum permutata novos morbos in Scenam produxerit.

II. Ut ergo à Constitutione Anni 1692. extraordinaria, Hyems satis regularis fuit, ac legitima, nec quid insolens habuit quod nostro huic Clima non congrueret; primò quidem Boreales Venti ad aliquot dies satis validè perflarunt, Terrâ nondum nivali vellere adopertâ, unde metus erat ne Sata exurerentur, sed Ventis postmodum silentibus, ac modicis nivibus delapsis, Hyems propriam temperiem, & eas condiciones obtinuit, quas in libro de Aëre, Aq. & Loc. num. 25. recensuit Hippocrates, nimirum ut sit *moderata, neque valdè clemens, neque frigiditate excedat*. Morbi itaque hyemales observati sunt, ut Tusses, Pleuritides, Erysipelata, Apoplexiæ, ac in iis præcipuè qui præcedenti Anno à gravi aliquo Morbo conflictati fuerant; major tamen pars eorum qui ægrotarunt evasit, demptis paucis quibusdam è Senioribus, & Siliernio jam proximis. Nihil itaque

hyemali tempore observare licuit quod τὸν ἐπιδημῶν redoleret.

III. Neque verò à sibi debitâ temperie multum descivit Vernale tempus; satis enim moderatæ fuerunt pluvix, ac interpolatæ, quales Agricoliarum votis responderent, sicuti Æstas quæ successit non admodum fervida, ut præcedenti Anno, neque nimis sicca extitit, sed pluviis identidem labentibus, ac Etesis suo tempore flantibus, talis fuit qualis nostro Cœlo congrueret; quare messem si non planè frugiferam, qualem publica necessitas optabat, non improbam tamen exhibuit. Haud secùs Autumnus stadium suum regulariter percurrens, cum primâ parte hyemis non admodum rigidâ, Annum clausit. Sic totum Annum satis placidum, ac Austrinum quoad primam Qualitatum temperiem exegimus.

IV. Non eâ verò moderatione sequens Annus processit, illum enim totum intemperatum, ac prorsus ex legem experti fuimus, Hyemem totam cum perpetuâ Cœli serenitate, & mitissimis frigoribus transegimus sine pluviis, ac sine nivibus, neque solùm in hac planitie nostrâ, ubi sedet Mutina, sed neque in editissimis Appennini jugis, quæ alias per totam hyemem, & vernum quoque tempus albescunt, Mari superò, & infero canum verticem ostentantes; sic neque Gabellus, & Scultena (inter quæ flumina Urbs hæc posita est) glaciem, ut cæteris Annis, sensere, quod multum contulit ad Annonæ caritatem levandam, cum totâ hyeme per hæc flumina Frumentatores è proximis regionibus commeatus ad nos abundè conveherent, ad plebem nostram,

stram, & Germanos Milites alendos, qui hoc Anno quoque apud nos hybernarunt. Sic Veris speciem Hyems tota Aufrina exhibuit, cui postmodum Ver successit hyemis naturam, veluti mutatis vicibus, referens; ab Æquinoctio verno etenim usque ferè ad Solstitium perpetua ferè fuerunt frigora cum Ventis Aquilonaribus, ac perennes fuere pluviae, eaque adeò ingentes, ut passim flumina ruptis aggeribus campos inundarint.

V. Jam nefastum Annum, & insalubrem nemo non prævidebat, tum ob pluviarum vim magnam, quæ morborum sunt seminarium, tum ob apparentia in Mororum foliis signa Rubiginis, quæ sterilitatis prodromâ est, ut Annis superioribus summâ totius Cispadanæ, & Transpadanæ regionis calamitate experti fuimus. Eodem modo subsequuta Æstas usque ad Caniculares dies Veris speciem exhibuit, quo tempore satis curiosum fuit, apud nos saltem, Luscinias audire pro Cicadis arbuta rumpentes. Sic ventum est ad Æstatem cum mitissimâ Aëris temperie, nobis tamen impropiam, pluviis identidem magno impetu delabentibus; hinc ob solum valdè uliginosum, & satis blandam caloris temperiem ad tantam altitudinem, ac densitatem omne frugum genus excrevit, ut metus Anni parùm frugiferi ex omnium animis ferè exciderit; at improvisa Rubigo, cujus non obscura indicia, ut dixi, apparuerant, spem omnium repente elusit; illicò enim frumenta, fabæ, & quæcunque leguminum genera sydereo afflatu veluti percussa exaruerunt. Inopinus itaque casus cum Agricolas, tum Urbanos quoque perculit: sum-

mam enim frugum penuriam non ante visam impendere præsentiebant omnes, quando ex præcedentium Annorum sterilitate exhausta essent tum publica tum privata horrea, nec aliundè commeatus, ut ex Mantuano, & Ferrariensi agro, possent suppètere, cum eadem Rubigalis contagio totam Cispadanam, ac Transpadanam Regionem pervasisset.

VI. At non solum Cereales opes absumpsit hæc pestis, sed omne etiam subsidium, quod Pomifer Autumnus solet suggerere, eodem tempore sustulit; solum enim acerbis adhuc fructibus passim respersum spectabatur, quin & Plantæ ipsæ honore frondium orbatae mediâ æstate visabantur. Uvarum quoque proventus, qui ab initio aureus sperabatur, ob eandem causam non nisi parcissimus prævidebatur. Mœrore itaque cuncta plena erant, dum Agricolaë in agris non tererent nisi leves culmos, stipulasque volantes, quare sine Cereris, & Bacchi muneribus in omnium præcordiis frigeat sanguis. Harum calamitatum causa potissima frigida, & pluviosa Constitutio passim culpabatur, quoties enim in hisce Regionibus Æstas sicca, & fervens præcessit, numquam frumenti inopiâ laboratum est, ut apud nos Oraculi loco Virgilianum *Geor. I.* illud coli possit.

*Magnaque cum magno veniet
tritura calore.*

VII. Autumnus porrò Æstatis vicem supplens summis fervoribus & obstinatissimâ siccitate totam humiditatem quam Terra post tam ingentes pluvias ad satietatem hauserat, absumpsit, nec calor remisit nisi circa

primam partem adventantis hyemis, quæ & ipsa leges suas nullatenus servans, verum satis placida, & mitis decedenti Anno Vale dixit. Sic in hujus Anni 1693. Constitutione nulla ex illius partibus legitimam, ac propriam temperiem servavit, sed una alterius vices subeunte, omnes extemporaneæ fuerunt.

VIII. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ præcedentem Annum clausit, satis placida, ut modò dixi, extitit, ita pars altera quæ An. 1694. fores aperuit, asperrimâ, ac rigidissimâ facie apparuit, per totum enim ferè Januarii mensem flarunt Boreales Venti cum perpetuâ Coeli serenitate, ut squalidum, ac pulverulentum solum undequaque viseretur, non secus ac æstivis mensibus, quod apud nos prorsus insolens est, sic totam hyemem serenam sine aquæ guttulâ è Cœlo deciduâ traduximus; apparente autem Verno Æquinoctio Cœlum Votis communibus respondit largis imbribus effusis, qui usque ad Aprilis initium perdurarunt, quibus postea, flante Austro, ingens caliditas successit, ut die quintâ Aprilis in meo Thermometro liquor 70. gradum pertigerit, quò interdum neque Junio mense devenire consuevit. Reliquum porrò Veris, ac totam Æstatem cum pertinacissimâ siccitate, & immoderato calore transegimus, Autumno quoque eundem tenorem, quod siccitatem spectat, servante: quare Annum signare licuit præ cæteris valdè siccum, & squalidum, Colonis tamen non prorsus ingratum, cum frugum, & Vini proventum non improbandum suppeditarit.

IX. Fusiùs forsan quàm res ipsa

videatur exigere horum trium Annorum Constitutiones me profecutum fuisse putabit aliquis, cum in cujuscumque Anni Constitutionibus sigillatim nihil eorum, quæ ad rem medicam spectant, & quod meum institutum est, attigerim, quasi παράπειρον ἐγὼ præmiserim; verum id consultò egisse me fateor, siquidem, cum ex superiùs memoratis pateat quàm dissimilis, & discolor fuerit harum trium Constitutionum facies, & aliâ ex parte cum eadem prorsus Epidemia per totum hoc tempus, plus minus, grassata fuerit, satis liquere potest, quàm parum firmo talo stet illorum Opinio qui ex manifestis Aëris Qualitatibus, Caloris scilicet, Frigoris &c. putant satis explicari posse Epidemicorum Affectuum genesim, ac indolem, ut etiam ex prægressis Constitutionibus prænuntiari possint ægri tudines, quæ populariter vagari debeant.

X. Egit id equidem Divinus Præceptor, ut ex Sectione tertiâ Aphorismorum, *Aph. II.* & libro de Aëre, Aq. & Locis satis liquet, nam ex prægressâ Hyeme siccâ, & Aquilonia, & Vere pluviioso, & Australi pronunciavit *necessum esse*, ut Æstate acutæ febres fierent, lippitudines, & Intestinorum difficultates; sicuti ex hyeme Australi pluviiosa (& serena) Vere autem sicco, & Aquilonia, Mulieres gravidas abortivos fœtus edituras, cæteros verò Mortales difficultatibus Intestinorum, & siccis lippitudinibus obnoxios fore: Verum Galenus, 3. *de diff. Resp. c. I.* licet Hippocraticæ doctrinæ ita addictus, ut Hippocratis libris etiam spuriiis usurum se scripserit, asserere non est veri-

veritus in citati Aphorismi commentario, Hippocratem usum potius fuisse rationali methodo quam observatione, & experientia. Huic Galeni interpretationi nullatenus assentiens doctissimus Mercurialis ait, nil tale de Sapientissimo Viro, qualis fuit Hippocrates, credendum, qui non tam audacter pronunciaffet *necessum esse*, ut positâ tali Constitutione temporum tales ægriitudines emergere debeant, nisi ratione, & multiplici experientia fuisset abundè instructus. Celeberrimus Lucas Tozzius in nuperis suis Commentariis in Hippocratis Aphorismos asserit observationibus potius, & iteratis experimentis, quam confictis argumentis, Hippocratem ita pronunciaffe, nullâ ratione apparente quæ suadeat isthæc eventura; ingenuè enim fatetur Vir egregius sibi observatum quòd post hybernâ tempestatem siccam, & Ver pluviosum subsequutæ non fuerint acutæ ægriitudines.

XI. Quot porrò disceptationes inter ipsos Medicinæ Proceres pro genuinâ Aph. 13. tertiæ sect. *Si verò hyems Austrina, & pluviosa, & serena fuerit &c.* [cum tot sint interpretationes quot interpretes] jam satis constat: Manardus etiam l. 9. Ep. I. vocem illam *εὐδία* volebat expungendam, tanquam supposititiam, cum intelligi nequeat quomodò vox illa *εὐδία*, quæ Serenitatem ex illius interpretatione significat, alijs cohæreat quæ hyemem pluviosam, & Australem repræsentant; Leonicens verò in omnibus antiquis Codicibus vocem illam reperiri ait; ac pro placiditate, & clementia interpretatur. Hinc inter illos celeberrimos Viros

pro simplici voculâ talia orta sunt diffidia, adeò ut, referente Brasavola in citati Aphorismi commento, *Seniores illi, alioqui reverendi, apud multos pro re tam levi præliantes in derisum venerint, cum à rationibus ad jurgia devenerint.*

XII. Abundet quisquis in suo sensu ut lubet, & ex Anni temporum in manifestis qualitatibus exorbitantiis tamquam ex fonte morbosas Constitutiones derivet, ego sanè ex quo ad Epidemicorum Affectuum naturam contemplandam animum adverti, his quæ tam confidenter, & magnificè proferuntur experientiam respondere non video; & quod me angit, in hac Provinciâ quotannis Hospitem me agnosco; licet enim videam quò passim itur, non satis tamen video quâ sit eundum, nisi postquam à viâ longè aberraverim. Profectò si rem accuratiùs perpendamus, quilibet Annus semper Affectus aliquos secum infert, qui τὸν ἐπιδημῖον sapiunt, nec tales putantur, quia aliquando leves sunt, licet propterea epidemicam naturam non exuant; demiror autem non parùm, quomodò insurgente aliquâ populari tempestate Medentium plerique nullatenus Affectûs ingenium perpendentes, nec quâ methodo Natura ipsum sponte expugnet, illicò totis viribus, & vulgari Methodo ob analogiam quam habeat ad congenerem morbum, ad illius oppugnationem insurgant, & remediorum multitudine indiscretâ, & frequenti visitatione muneri suo satisfactum existiment. Mundus autem, qui vult decipi, intempestivam hujusmodi sollicitudinem magis commendat, quàm prudentem cunctationem,

nem, magnisque muneribus, & encomiis eos cumulat, qui, ut ait Siodonius, *parùm docti, satis seduli, multos ægros officiosissimè occidunt.*

XIII. Affectus ergo Epidemicus, qui tribus hisce Annis in suis Constitutionibus inter se tam dissimilibus cum Urbem, tum Villas, & vicina Oppida multis funeribus infestavit, fuit Febris Purpurata, seu Petechialis, ut appellant, quæ aliquando quidem post multam stragem editam, visa est velle receptui canere, sed postmodum auctis veluti viribus violentior irruebat, ac populariter grassabatur. Circa Æquinoctium Vernale Anni 1692. hæc Febris primò caput extulit, ac sub initium levi quadam velitatione discurrens, mox per totum Veris tempus, & partem Æstatis usque ad Canis exortum sub peticulari larva sævitiem suam exercuit. Ubi ergo Æstas incanduit, Febris hæc Purpuram deposuit, nec illam resumpsit donec calor æstivus cœperit remittere, circa nimirum Arcturi exortum, quem morem Annis quoque sequentibus ritè servavit, vestem quidem, sed mores, ac genium hæud quaquam mutans. Febres enim quæ in summo æstu sine Peticulis viscebantur, hæud secus malignæ erant indolis, quam Vibices post mortem apparentes satis demonstrabant.

XIV. Observatione verò dignum fuit, quòd post plenilunium, ac multò magis silente Lunâ ferociebat hæc Febris, quæ postea ad novum ejusdem lumen mitescebat, nec mea tantum, sed aliorum quoque Professorum constans fuit Observatio, quod non parùm contulit ad hujus

Febris Prognosim, & Curationem; num verò super Epidemicos Affectus peculiare jus aliquod habeat Lunare Sydus, ut illius mutationibus, & variis phasibus auscultent, non indignum est observatione.

XV. Admirandum certè fuit id quod die 21. Jan. 1693. contigit; facta enim per noctem Lunari Eclipsi major pars ægrotantium obiit, ac eadem penè hora, qua nimirum Luna laborabat; quin & non nulli repentina morte occubuerunt, unde per totam sequentem diem magno strepitu, ut hîc vetus consuetudo obtinuit, personantibus Campanis, non levis horror omnes perculit. Tunc mecum ipse novitatem hanc perpensens admirari cœpi, quomodo Hippocrates tam diligens rerum omnium ac præsertim cœlestium Observator, qui in libro de Aère, Aqu. & Loc. num. 30. periculosissima ambo Solstitia pronuntiavit, maximè verò æstivum, sicuti & utrumque Æquinoctium, edicto veluti cavens ne hujusmodi temporibus medicamenta exhibeamus, neque curemus, neque secemus, sicuti Astrorum ortus, & occasus, ut Canis, Plejadum, Arcturi observandos esse præcepit, ut ex pluribus locis illius Operum *De Med. Purg. num. 5. I. in 6. Epid. de Diet. num. 2. 4. Epid. num. II.* videre est, & Cometis à se observati mentionem facit, quem subsequutus est Terræ motus, Luminarium porò defectus altò silentiò transegerit. Quin & Practici ferè omnes Solis, vel Lunæ defectus non pluris faciunt, quàm eorundem Syderum oppositiones, & ordinarias coitiones. Unus, quod sciam, Gulielmus Ballonius lib. pri-

primo suorum Epidemiorum insignem casum refert; ait enim Parisiis accidisse, quòd dum plures Medici apud illustrem Mulierem ægotantem consulturi simul convenissent, ac tunc temporis Solis defectus contigisset, illique ad contemplandum Solis defectum in Vase aquâ pleno, ut solet fieri, sublimiorem Ædium partem conscendissent, illicò ad ægram decumbentem revocati fuerint, quæ dum Solis defectus perduravit animam agere visa est, neque è gravi periculo evasit, nisi postquam Sol in apertum erupit, clarâque in luce refulsit.

XVI. Alterationem in Aëre oppido insignem in Solis defectu observare mihi licuit Anno 1694. die 27. Junii, ut in Ephemeridibus meis Barometricis eodem Anno editis annotavi; nam in ipso Solaris Eclypsis tempore Mercurius ad duas lineas in meo Barometro se extulit, hoc est Aër temporis ferè momento gravior est redditus, ac idoneus propterea ad subitas in Microcosmo alterationes producendas; quare si ex Divini Præceptoris sententiâ ad Æquinoctia, & Solstitia advertere oportet, ne quid magnum in illis circa ægros moliamur, non incongruum quoque erit, si Medentes Clinici ad Luminarium defectus, oculos non solum, sed mentis aciem intendant. Nollem tamen quis crederet velle me quòd rerum agenda- rum scopi ex corporum Cœlestium vario situ, & configuratione desumi debeant, nam ubi morbi sævities urget, Lotium potius quàm Astra contem lari necessum est, ut ajebat Manardus, & opportuna remedia

vel reclamante Coelo, sunt adhibenda, quando *omnis dilatio est Animæ periculum*; in morbis tamen popularibus, qui non rarò à causis superioribus natales suos deducunt, & in quorum curatione non tam facilis, ac certa methodus habetur, non prorsus alienum est talia respicere; nam ubi agitur de humano corio, *Nihil temerè, nihil negligere*, ex Divini Præceptoris 2. in 6. Epid. Oraculo.

XVII. Verùm è diverticulis in viam; Symptomata quæ Febrem hanc malignam comitabantur, antequam Peticulæ apparerent, erant ingens totius Dorfi lassitudo, Capitis dolor, Aurium surditas, Faucium ardor, Mentis stupiditas, Præcordiorum anxietas, & totius corporis se- gnities; Dorfi verò, & regionis lumbaris lassitudo adeò certum erat Febris peticularis signum, ut rarò falleret: quin sub initium hujus prævæ Constitutionis, antequam Febres istæ palàm grassarentur, Mulieres quæ ad morborum Symptomata aliquando attentiores sunt quàm Medentes ipsi, ex hujusmodi suorum ægrorum querelâ Febris naturam prænunciabant, & Medicos monebant, cauto opus esse, nec temerè celebrandam phlebotomiam, quarum dictis, ac præfagitionibus cum persæpè Medentes non auscultarent, apparentibus postea maculis, multa probra ab iisdem cum Artis dedecore perferre cogebantur. Si verò faucium ardor cum genarum rubore accessisset, hostem detectum clamabant, nec amplius hæsitandum de febris naturâ, jam in faucibus prodentibus se Peticulis. Profectò in hac maligna-
rum

rum Februm pertinaci Constitutione quæ per triennium sæviit, Medicis non minus cum Mulierculis, quam cum Febre luctandum fuit, adeò ut (quod fateri non pudet) necesse fuerit, sicuti inferius exponam, illarum consiliis, & monitis morem gerere, non tam ad illarum importunitatem declinandam, quam quòd re vera Experientiæ rerum magistræ esset obsecundandum.

XVIII. Pulsus parvi erant, & valde compressi, unà cum magnâ virium prostratione, primis etiam diebus, quæ morbo augefcente languidiores fiebant, adeò ut ægrotantes veluti Statuæ in Lectulis decumbentes jacerent, integro ferè carniū, & totius corporis habitu, quodque admiratione dignum fuit, quotquot hujus Febris violentiæ succumbebant, pleni, ac succulenti veluti pingues Mortis Victimæ Libitinariis tradebantur; fortiores autem, ac robustiores cum Fœminas, tum Viros adortæ sunt hæ Febres, non ità verò Seniores, nec eos qui vitam degebant valetudinariam. Urinæ verò vel in ipso hujus Febris principio perturbatæ, plus minus, apparebant, prout major, vel minor morbi esset sævities, nec nisi in fine morbi in iis qui evasere ad naturalem statum redibant.

XIX. Peticulæ verò, ut plurimum quartâ die, & septimâ erumpebant, & ii quibus primis diebus apparuerent, omnes ferè sublati sunt, primùm autem in Collo, Dorso, & Pectore visendas se præbebant; observatumque neminem evasisse, nisi tandem ad extremos pedum ungues maculæ illæ se expandissent, in superioribus

partibus paulatim evanescendo, quibus autem Pectoris, & Dorso fines non transilierunt Peticulæ, mortem obtigisse: variæ autem, ac diversicolores erant, prout varii, ac diversi erant ægrotantium habitus; aliæ erant rubræ, aliæ pallidæ, aliæ fusci coloris, aliæ parvæ, aliæ latæ, aliæ in summo, aliæ in profundo, & quas non nisi oculis transversa tuentibus liceret inspicere: quod genus Peticularum fuit valdè ominosum.

XX. Faucium inflammationem comitem hæ Febres ut plurimum sibi junxere, quæ inflammatio in Morbi vigore in crustam albam, & ulcerosam degenerabat, quod non minus negotium Medicis facefsebat, quam Febris ipsa, cum ægri ob id omnem cùm cibum, tum medicamentum averfarentur, & multi, qui cæteroqui pacatâ aliorum Symptomatum tempestate evasuri credebantur, in ipso veluti Portu naufragium perpeffi fuerint. Sitis porrò in his Febris non adeò ingens erat, ut in aliis acutis Febris affolet, nec multæ querelæ exaudiebantur, sive non sitirent, sive mens obscurè ægrotaret.

XXI. Quicumque ex hac febrili incursione Fati ope, vel Medici evasere, nulli excretioni vel per sudorem, vel per Urinam, vel alias vias, per quas Natura crifes suas moliri solet, salutem acceptam referre poterant, sed solùm Peticularum suo loco, & tempore apparitioni, & earundem per totum corpus expansioni, lentæque evanescentiæ, salutis beneficium debebant: quin iis quibus alvi fluxus supervenere funestum fuit; Alvi fluxus autem Anno præcipuè 1693. hisce Febris Peticularibus per Au-

tumnum supervenere; quo tempore Dyſenteria graves Hebræos potiffimum exercuerunt; culpabantur Fructus horæi, quibus Gens Recutita nunquam ſatis impletur, ſed aliæ cauſæ altiorem ſubeſſe poterant.

XXII. Satis frequens fuit in his Febribus Singultus, quamvis parvæ Febres viderentur, Symptoma quidem non minus moleſtum, quam febrale, & funeſtum; quotquot enim in hac febre Singultuoſi comperti ſunt, omnes in Libitinæ cenſum devenere. Vix obtinui, ut Singultuoſi Cadaver diſſecaretur, ac Ventriculus nigris notis ſparſim compunctus repertus eſt. Verminatio quoque multa paſſim extitit, & ii quibus ab initio Vermes per Os prodire, omnes ferè extincti ſunt.

XXIII. Non nullis ſuppreſſa eſt Urina, vacuâ prorfus exiſtente Veſicâ, præcipuè verò id obſervatum in iis quibus pulſus erant parvi, ac penè oblitterati, ut contigit in Juvene quodam Hebræo, qui cum aſphyxiâ, ac totus gelidus vixit ad quatuor dies, nec Urinæ quicquam reddidit; antequam autem infelix iſte obiret, quamvis toto corpore perfrigeſcens, [nullibi Arteriis micantibus] adeò robuſtus erat, & ad motum expeditus, ut etiam ipſâ die, qua è vivorum ſtatione deceſſit, à lectulo ſurrexerit, & ſuas Veſtes induerit.

XXIV. Non pauci poſt exantlatum Morbum veternoſi fiebant, ac ſtupidi, rerumque peractarum prorsus immemores, nec niſi poſt multos dies ſibi reddebantur; idem infortunium iis obtigit qui in his Febribus gravem ſurditatem perpeſſi fuerant. Mercator quidam cum ex Peticulari

Febre præter omnium opinionem convaluiſſet, ſurdus omninò ad 40. dies perſtitit, ac poſtmodum paulatim ex aſſe reſtitutus eſt.

XXV. Frequentiora in Urbe quàm in proximis Agris fuere funera, ac feliciter plebs Ruralis ſine ullo ut plurimum remedii genere vim morbi eludebat, ſivè quòd in Aère ſalubri degerent, ſivè quòd Medicis carerent; non ſemel idcirco mentem ſubiit Virgilianum illud, l. 2. *Geor.*

O fortunatos nimium ſua ſi bona norint

Agricolas.

Ac utinam Medentes, cùm aliquis popularis morbus debacchatur, curioſius ſcrutarentur à ruſtica gente, quæ magis fidit Parocho, quàm Medico, quali methodo Natura uſa fuerit in ſanandis morbis eorum qui evaſerint; ſic enim Naturam tanquam optimum Ducem ſequentes, minus à recto tramite aberrarent, ac tutiori methodo ad curandos ægros ſibi commiſſos procederent. Cùm autem in his caſibus ſibi quiſque pro ingenii ſui modulo Regulam conſingat, ſecundum quam Opus ſuum moliatur, & in communi morbo tot, ac tam diverſa remediorum genera in uſum revocentur, meritò cum Celſo l. 7. in *Proëm.* cum quis convaluit, dubitare *potest ſecunda Valetudo Medicinæ, an corporis beneficio contigerit.* Indubium tamen eſt, quòd in communi morbo, ſicuti communis eſt cauſa, ita communia, & eadem ferè deberent eſſe præſidia. Quotquot autem ex Viris Agreſtibus, quos è Peticulari Febre evaſiſſe novi, & interrogare potui, non alio modo convaluiſſe referebant, quàm macu-

larum circa septimam diem per totum corpus, & usque ad extremos artus expansione, & earundem lentâ evanescencia sine ullâ sensibili humorum excretionem.

XXVI. Quo tempore in hac Urbe, & in totâ campestri regione quæ circumjacet, ferociebat hæc Febris, in vicinis Collibus, ut in Saxolensi, & Scandianensi ditone, nulli ferè ægrotantes visebantur, neque eò pervasit maculosa hæc Febris, quæ tantum in editioribus locis, & in ipsis Apennini jugis (veluti saltu quodam exiliens) vim suam pariter ac in nostra planitie exercuit.

XXVII. Sanguis porrò qui sectâ Venâ, vel Cucurbitulis scarificatis, sive Venis sedalibus apertis, educatur in univèrsam satis laudabiles notas præferat, quantum oculorum acie licebat assequi, satis enim floridus, ac rubicundus apparebat, multoque magis qui à Naturâ per narium hæmorrhagiam profundebatur, neque in ullo ægrotante cujuscunque temperamenti sanguinem extractum videre datum est, qui glutinis speciem aliquam præferret.

XXVIII. Profectò mihi fateri necesse est in hac Peticularium Februm Constitutione, adeò improspere Venæ sectionem cessasse, ut omnes ægri exhorrescerent quoties sanguinis missio per Venæ Sectionem proponeretur, eam verò fuisse popularem confidentiam in usu Cucurbitularum scarificatarum, ut ægros interdum decipere oportuerit, quoties urgeret necessitas sanguinem ex Vasis majoribus ob plethoricam dispositionem educendi, sinendo ut ægris Cucurbitulæ Dorso, & Scapulis applica-

rentur modicum sanguinem extrahendo, deinde paucas post horas sanguine ex Venâ largiori manu ducto; Ea enim hæserat opinio, nec solum apud Vulgus imperitum, sed etiam apud Sapientiores, quòd ubi præmissæ fuissent Cucurbitulæ scarificatæ, nullus amplius esset timor de Peticularum retrocessione, quamvis post modum non semel ex Venâ mitteretur sanguis; sic curiosum erat Chirurgos passim videre cum Sacculis Cucurbitularum plenis per Urbem cursitantes; dum inconsultis Medicis Plebeculæ hoc remedii genus administrarent. Suspectam itaque, ne dicam infamem, ut Scopulos Acroceraunia, Venæ sectionem in hisce Febris fuisse fateri lubet, sicuti ex adverso gloriosam Cucurbitularum tum scarificatarum, tum siccarum appositionem, sive id fieret ob confirmatam in omnium animis opinionem de hujus remedii efficacità, sive quòd re vera in illo aliquid abditum esset quod Medicos lateret.

XXIX. Reliqua porrò remedia quibus hujus Febris oppugnatio tentabatur eò collimabant, ut humorum motum ad Corporis ambitum promoverent, qualia sunt quæ Sale volatili abundant; sic nullum non ex Diaphoreticis in usum revocatum, nihilo felicius tamen prodibant maculæ, ni forsan hoc pacto, Oleum Camino addendo, ut dici solet, febrilis incandescencia augebatur, (quæ sibi relicta humorum fugam maturasset) & distrahebatur Natura, quæ non tam properè depingebat in cute quod intus moliebatur. Ego merclè parùm profici observans, per

Alcalica, ad Acida confugi, monente Hippocrate, *De loc. in hom. num. 20.* quòd *si quis non profuerit ad contraria se convertat*, nec inprospere successum ex illorum usu adverti, sufflaminato aliquantisper humorum Orgasmo. Non ausim tamen asserere, vi hujus, vel illius remedii evasisse, vel periisse quemquam, cum Andabatarum ritu necesse fuerit cum hac Febre dimicare, neque magis felices in suis Curationibus fuisse Medicos Seniores, & longo usu expertos, quàm Juniores, ac è Scholis nuper egressos, cum in tenebris tam videant Coeci, quàm Oculati.

XXX. Ad sollicitandam Peticularum eruptionem passim frictions humidæ ex Unctione Aëtii ex usu erant, sicuti & Vesicantia Brachiis, & Cruribus apposita; sed hæc magis Medicorum existimationi apud Vulgus, ne quid inausum, aut intentatum fuisset, conducere visa sunt, quàm ægrotantium saluti, quibus acuebatur Febris, nec propterea facilius contingebat Peticularum eruptio, nisi forsan ob id retardabantur; factâ serosæ materiæ per vias Urinæ profusione. Sic in hac febrili incurfione omnibus remediis tum internis, tum externis parùm proficientibus satius erat lentè festinare, & humorum maturefcentiam opperiri, spreitis querelis adstantium, qui urgebant, velis, & remis, ut dici solet, ingruenti tempeftati occurrendum, & prolatando magnas corrumpi opportunitates, quibus adversis clamoribus Medentes non ausi obfistere, intempeftiva, & incerta remedia præscribendo, sibi è manibus vi-

etoriam eripi viderunt, non secus ac Pompejus M. qui cum tergiversando hostem commeatum inopiâ laborantem facile vinci posse cognosceret, militibus tamen, & sociis moram increpantibus, prælium miserabili eventu commisit, oblitus solitum *se laudare eos Medicos, qui nihil unquam ægroti cupiditatibus quicquam indulfissent.*

XXXI. Cum primùm grassari cœpit Peticularis hæc Febris, nec dum suspicio esset de populari Affectu, (Febribus diversæ indolis intercurrentibus) purgationes, ut hîc fieri assolet, in morborum principio, per medicamenta Minorativa dicta instituebantur, sed paulò post proidentibus se Peticulis, sudabant Medico tacitâ præcordia culpâ, ob metum ne hujusmodi purgatio Exanthematum eruptioni impedimento foret, humoribus ad interna retractis, Peticulis tamen postmodùm feliciter erumpentibus, & stadium suum absolventibus, Professores qui attentius res observabant, experientiâ edocti, à blandâ purgatione non abhorrebant; Ego sanè ubi tempeftivè accersitus fui, & Stomachum impuritatibus oneratum esse conjectavi, quamvis certus de Peticulari Febre, levem purgationem præscripsi, neque non solum ullam noxam exinde proficisci, sed facilius Exanthemata apparere observavi. Similem casum refert Ballonius, qui *l. I. & 2. Epid.* ingenuè fatetur, in Febribus, quas de genere Peticularium non putarat, Medicamentum purgans, & Venæ sectionem præscripsisse, & innocuum utrumque remedium reperisse. Id est quod monebat Di-

vinus Præceptor, l. I. de Morb. num. 1. & 7. observandum esse quæ bona per fortuitum successum Medici ægrotos curantes faciunt.

XXXII. Ad oppugnandam verò tam infensi hostis pervicaciam in subsidium quoque accitus est Peruvianus Cortex, qui cæteris remediis succenturiaret; præcipuus autem illius usus fuit in iis qui evaserant ex morbo non benè, ut par fuisset, judicato per debitam suo loco, & tempore peticularum eruptionem, & evanescentiam, iis enim diuturnis Febris vexatis, Febrifugum istud exhibebatur, cujus usus non multum contulit, ægris subinde in stupiditatem, & soporem delapsis.

XXXIII. Dysenteriis porrò, quas Anno 1693. per Autumnum Peticulari Febri supervenisse superius dixi, egregiè contulisse Opiatorum usum observavi; nec forsan ulla est Affectio in quâ securius, & liberaliori dosi exhiberi possit hoc remedii genus, quàm in hujusmodi morbo, fractis licet, ac penè attritis viribus. Cuidam acerrimâ Dysenteriâ laboranti, pluries exhibui Laudanum Opiatum ad 3. & 4. grana, sed parvo levamine; vixerat hic ad plures dies omninò gelidus, ac sine pulsu, vires tamen non erant adeò languidæ, ut huc, & illuc se jactare non posset; verebar ne largiori dosi exhibitum Laudanum, reliquum flammæ Vitalis quæ supererat, restingueret; Laudanum rursus ad grana 5. exhibui, ex quo æger placidè dormivit, & excalesfactus est, quod non tam doloris, qui Dysenterias comitatur, sedatione factum crediderim, quàm propter virtutem Opii Diaphoretici-

cam. Cum satis obvium esset in hac Constitutione [ac præsertim grassantibus Dysenteriis, & Verminosâ Affectione] hujusmodi in toto Corpore perfrigerationem, unâ cum Pulsus abolitione, observare, non semel subiit admiratio quare in Ventriculi, & intestinorum Affectibus, tam frequens sit talis perfrigeratio, ac pulsus obscuratio, non ita verò in morbis Pectoris ut in Pleuritide, cum tamen hæ partes, & ipsæ membranosæ sint, & Cordi proximiores, ni forsan id fiat, quòd numerosior nervorum soboles in Intestinis, & Ventriculo implantetur quàm in Pleurâ, & pulmonum membranâ, & ob doloris sensum acutiorem, tracto in consensum Cerebro, Spirituum Animalium ad Cor influxus intercipiatur, unde postea silente Pulsu totum Corpus perfrigeretur.

XXXIV. Talis fuit hujus Purpuratæ Febris Indoles, ac talia Symptomata, quæ multam habent convenientiam cum iis, quæ apud Fracastorium *De morb. Contag. l. 2. c. 6.* leguntur descripta, qui Auctor caput particulare instituens de Lenticulari Febre, quæ Anno 1528. in Italiâ primùm grassata est, mentionem expressam habet de lassitudine, & fractione, ut ipse ait, in toto corpore, sensuum hebetudine, oculorum rubore, pulsu humili, Urinæ suppressione (quod pessimum signum fuisse ait) macularum circa quartam, & septimam eruptione, siti paucâ, ac ferè nullâ, hocque præcipuè annotat, Senes paucissimos Febre hac laborasse, sed Pueros multos, ac Juvenes robustos. Mihi sanè dum caput illud

illud perlegerem, non parvæ admirationi fuit, quòd Febris Lenticularis à Fracastorio descriptæ, & Petechialis nostræ (ut communi utar vocabulo) tam similis fuerit facies, ac ingenium, ut hanc esse veluti sobolem alterius, vel priorem illam redivivam caput extulisse arbitrari quodammodo liceat. Advertens tamen Febrem illam easdem penè Regionibus, & Populos eodem ferè victu utentes infestasse, multaque alia perpendens, quæ refert Vir ille doctissimus, circa illius Febris causas, ut Padi, & Athesis inundationes, fructus, & olera à rubigine exusta, mirari desii; si enim major diligentia in conscribendis Morborum Annalibus à Medicis adhiberetur, iisdem temporum vicissitudinibus recurrentibus, eosdem penè morbos recurrere, & Naturam eundem morem in illis abigendis servare facili negotio observaremus; nam sicut in Politicis, ut ait Tacitus, *potiùs alii homines, quàm alii mores*, ita in re medica potiùs aliud hominum, quàm aliud morborum genus.

XXXV. Sicuti autem magnæ tunc temporis fuerunt inter Medicos Disceptationes circa causas illius Febris, & rectum curationis modum, ut penè ludibrio haberentur, veluti ipse Fracastorius refert, cum non solum circa præsidia Chirurgica, & Pharmaceutica administranda, sed etiam circa victus regimen dissiderent, ut apud eundem Auctorem, non sine risu primò, sed postea non sine commiseratione legi potest; sic pariter inter Nosrates Professores non minores fuerunt controversiæ, publicis ob id disputationibus habitis, & quod ma-

gis dolendum est inter celeberrimos nostri ævi Scriptores magnæ sunt disensiones circa Febris Purpuratæ causam, & genuinum curationis modum, ex quo satis constat quàm parùm post tot gloriosa Inventa à Fracastorii ævo usque ad nostra tempora Ars Medica profecerit, cum nondum quicquam certi constet de Malignarum causis, & illarum rationali curatione.

XXXVI. Verùm his omiſſis, quæ Medicæ Artis infirmitatem satis in propatulo ponunt, experiamur num detur conjectare saltem, si non statueret, quæ fuerint hujus Febris germanæ Causæ, & qualis esset in febrientium Corporibus sanguinis, & aliorum liquidorum status, & conditio, quod ex habitis observationibus, & morborum eventu elici posse arbitror, quidquid Poëta dixerit, successus impropros iis ominando, qui ab eventu facta notanda putant. Etenim cum in re Medicâ à juvantibus, & nocentibus securius quàm aliundè potiores petantur Indicationes, Eventum & Experientiam, tanquam Optimos Duces, sequi oportet, siquidem illorum vestigiis inhærendo, tutiori, & compendiosiori viâ Veritatem attingimus.

Quid norunt homines, nisi quantum lumina possunt Tendere?

XXXVII. Cum ergo isthæc Maligna Febris promiscuè cujuscunque fortis homines adorta fuerit, tam egenos, quàm divites, otiosos pariter, ac negotiosos, & in omnibus idem penè Drama luserit, communem fuisse illius causam, procul dubio statuendum est, eamque ex aliqua ex sex rebus non naturalibus licet

deducere. Alimenta quæ Terra fuggerit, ut Cereales fruges, Olera, Plantarum fructus, Carnes Animalium (cum ex Herbis, & Terræ fructibus alantur) à rubiginosa lue vitiari potuisse, & hoc pacto in massam sanguineam pravos succos invehere, ut exindè malignis Febribus primus fomes succreverit, non prorsus à ratione alienum videtur; at cum in Constitutione An. 1690. undè labor hic meus Exordium sumpsit, sævissima Rubigo fruges omnes, & fructus pestifero afflatu absumpserit, neque per totum Annum illum, ne unam quidem malignam Febrem, sivè Peticularem, sivè sine Peticulis, mihi saltem, observare licuerit, sed tantum Ruralis Epidemia Tertianarum Febrium Intermittentium per totam Estensem Ditionem, & proximas Regiones oberrarit, ac talis, ut nullus ex Ruricolis penè fuerit qui Tertianâ Febri Intermittenti non litarit, ego non satis video quomodò corrupta Alimenta à rubigali peste pro potissimâ causâ culpari debeant; neque pariter caritatem Annonæ, quæ ad multos Annos Regiones istas exerceret, incusare licet; quamvis enim ex Hippocrate 4. in 2. *Epid.* in Æno ob esum leguminum Crura, & Genua multis vitiata fuerint, penes nos tamen tam qui pane optimo, quàm qui confusaneo vescebantur eâdem peticulari Febre cum iisdem Symptomatibus premebantur.

XXXVIII. Multò minùs aquas (quarum usus tam necessarius est ad hominum Vitam sustentandam) causari licet: quamvis enim aliquando Aquæ corruptæ, & vitiatæ populares morbos invexerint, hoc tamen

de Aquis nostris suspicari nequaquam licet; Regiones enim istæ Aquis salubribus abundant, ac præsertim Urbs ista, quæ Divino munere non aliis dato, Fontes habet, qui purissimam aquam, non temporariam, sed perennem æquo semper tenore profundunt, ut in Tractatu meo de admirandâ Fontium Mutinensium Scaturigine satis exposui.

XXXIX. Cum ergo inter sex res non naturales nullam aliam communiorem causam reperire sit præter Aërem, quo nihil communius, & æquè necessarium; (cum unum, & eundem locum incolentibus diversa esse possint Ciborum, & potionum genera) Aër verò ejusdem ferè sit naturæ, ad occultam aliquam Aëris labem, & inquinamentum recurrendum est, quòd in massam sanguineam tales invexerit dispositiones, ut ad excitandam hanc malignam Febrem satis virium habuerint. Quænam verò, & quales essent hujusmodi Aëris dispositiones non adeò obvium est exponere; profectò in solas Qualitates elementares pravam illius diathesim referre non adeò tutum est, nec animus Veritatis avidus tam facile acquiescit, multòque minùs cum per totum hoc triennium, ut superius annotavi, tam dissimiles fuerint cujusque Anni Constitutiones, ac nihilo seciùs Purpurata Febris eodem ferè tenore tyrannidem suam exercuerit. Pro re indubiâ tamen habendum, Aërem hunc quem inspiramus, ac totam Atmosphæram varias, ac diversi generis particulas, tum ex superioribus, tum inferioribus Corporibus in sinum suum suscipere, Coelum nempe, seu Astra,

ut Solem, Lunam, & reliqua Sydera, lumine suo potissimum, quod inficiari non possumus, in Aëre profundere, & ejaculari, ut ex Solarium macularum evanescencia licet conjicere, ac Globum Terraqueum eodem modo in ejusdem gremium omnigenas substantias eructare, non tam vi Solaris lumine quod illum plus minus modò in hac, modò in illa parte calefacit, quàm vi caloris centralis, & Ignium quos ipsa Terra intrà sua Viscera recondit, ex quo conjicere est (quamvis oculorum acie id percipi nequeat) nihil esse in hac rerum Universitate quod sit magis heterogeneum, utpotè particeps terrestrium impuritatum, & coelestium effluviorum, quàm Aëreus Oceanus.

XL. Hinc ergò expiscari licet hujus nostræ Epidemiæ causam, ex Aëre nimirum ab heterogeneis, ac omnigenis particulis hinc inde, ac præcipuè ab Australi plagâ susceptis vitiato, cum hisce Annis Austrini flatus dominatum obtinuerint, silentibus ut plurimum Borealibus Ventis, qui nubila detegunt, & Aëris impuritates eò repellunt, unde decesserant, ad Australes scilicet plagas, ex quibus omne malum ad nos profectum suspicari fas est. Quòd verò in hâc Tragœdiâ præcipui Actores fuerint Australes flatus hinc conjectare licet, quòd dum in hac Urbe, & in campestri regione grassaretur hæc Febris, Villæ, & Oppida ad Collium radices posita satis salubriter degerent, ac veluti in portu aliorum spectarent naufragium, utpotè ab Apennini jugis protecta ne ab Austrinis flatibus adeò infestaren-

tur, non ita verò loca in sublimiori parte Apennini sita, sicut & Urbs nostra cum totâ planitie iisdem flatibus magis exposita.

XLI. Quàm malè autem apud nos, ac ferè ubique Auster audire soleat, nemo non novit, cum non solum Medici, sed Populares quoque, tanquam morborum pestilentium Parentem Austrum deprædicent. Quid verò secum ad nos comportet Ventus iste, num gravis sit, ac noxius ob nimiam humiditatem, unde nomen sumpsit, (Auster enim Νότῶ græcè dicitur) an quia Lybiæ deserta venenatis animalibus infecta transgrediens, ut putat Langius *l. I. Ep. 19.* collectum virus ad nos deferat, non tam facile est decernere, id certum tamen, ac ipsis sensibus obvium, nihil magis, ac temporis penè momento Aëris statum immutare posse, quàm flantem Austrum, ut Aër ex ponderoso levior reddatur, ac ob id forsan nobis infensus, & vitalibus muniis minus idoneus, veluti sat manifestis notis testatur Barometer; nam, ut in Ephemeridibus meis Barometricis hoc Anno 1694. editis annotavi, quòties ex Australi plagâ flant Venti, illicò Mercurius è sua sublimitate ad infimam usque stationem decidit, quâ minor in Barometro non observatur. Cur autem Austrina Constitutio Aërem leviozem efficiat, dum cuncta tunc temporis nimiam humiditate diffuunt, quæsitum quidem mihi est ratio, num verò reperta fuerit, ut verum fatear, mihi hæret aqua, ut dici consuevit.

XLII. Austrinam ergo Constitutionem Aërem vitiantem, magis quam

quàm quodcumque aliud culpare licet, ità tamen ut à causis procatarteticis hujus peticularis Febris non excludam Alimenta à Rubigali lue yitiata, tanquam communem causam cuicumque hominum generi, illegitimas Anni temporum vicissitudines, ac intemperantias, pluviarum multitudines, verbo, complurium causarum Syndromem, unde humoralis massa à naturali sua temperie degenerans, talem dispositionem nacta fuerit, ut hæc maligna Febris emerferit, quæ eò usque perduravit, donec Aère in contrarium statum migrante, Sanguis, ac Spiritus crasim priori contrariam adsciverint.

XLIII. Qualis porrò grassante hac Febre fuerit Sanguinis, & aliorum liquidorum status, num ad fluorem, vel ad concretionem potius vergerent, mihi quidem non satis constare visum est. Reverà, si tum recentiorum, tum antiquorum Medicorum Oracula consulamus, tam varia, ac dissidentia inter se responsa pro statuenda genuinâ, ac vera Februm malignarum causâ referentur, ut quilibet ex librorum lectione animo potius distractus, quàm instructus abscedat. Hic mihi non vacat, nec multum refert, longâ nomenclaturâ nostri ævi Scriptores in binas Acies divisos, tanquam ex adverso dimicantes recensere, quorum alii proximam, & immediatam malignitatis causam in sanguinis promptitudine, ob Acidi præpollentiam, & Gorgonios Spiritus, ut ajunt, ad concrendum constituunt, alii in sanguine nimis dissoluto, & ad fluorem evecto ob Sal Volatile, & Alkali acerrimum illi permixtum, adeò ut in hoc

bivio, in quam partem quis se dedat magnos habiturus sit Patronos, quibus causam suam tueatur non ex voto res successerit. Sic in re tanti momenti qualis est maligni morbi cognitio, tam parum inter ipsos Medicinæ Antesignanos convenit, ut post tot gloriosa Anatomica, & Chymica Inventa adhuc nesciatur quid sit sentiendum, nec quâ sit eundum.

XLIV. Despiciatui tamen nequaquam duxerim notionem illam malignitatis, quam experimenta ex Medicinâ Infusoriâ desumpta nobis suggerunt; siquidem acidis liquoribus in Venas Animalium vivorum injectis, & iisdem Animalibus post mortem dissectis, sanguis in Venis, & in ipso Corde concretus, & grumefactus, sat manifestè conspicitur, sicuti liquoribus lixivialibus, & Alcalicis similiter infusis sanguis sine fibris, ac totus dissolutus observatur, adeò, ut ex hujusmodi observatione omnia Venena tam externa, quàm intus genita ad alterutram ex his Classibus satis commodè referri possint. Debemus hoc sanè Medicorum nostræ ætatis solertiæ, qui hujusmodi experimentis, & sensuum ministerio, lucem aliquam mentibus nostris affundunt, quomodo scilicet, & quibus spiculis armentur in nostris corporibus humores alibiles, cum venenatam naturam accersunt, & malignas Febres accendunt, ut potis sint modò sanguinem coagulare, modò fundere, atque dissolvere, quod non parvi momenti est, ut in morbis malignis (acri judicio re prius pensitatâ) recta Curatio institui possit, nec indiscriminatim Alexipharmaca exhibeantur, Alcalicis stimulis Equum currentem

interdum incitando, cum Acidorum fræno opus esset.

XLV. Quamvis autem Venenorum naturam, tum eorum quæ propinquantur, seu ab Animalibus per morsum, vel alio modo inferuntur, tum illorum quæ in Corporibus nostris progigni solent, & malignos morbos excitant, revera feliciter explicent recentiores Medici, quàm priores qui ad publicum occultarum Qualitatum Asylum provocabant, ac meliori methodo credantur curari maligni morbi quàm olim, corrigendo nimirum per Acida enormitates ab Alkali productas, & per Alcalica quæ ab Acido ortum duxerint, id tamen antiquiores Medicos non prorsus latuisse censendum est. Ab hisce duabus oppositis in sanguine dispositionibus, nimiam scilicet laxitate, & adstrictione Morbos omnes deduci, opinio fuit Asclepiadis, ut pluribus in locis refert Galenus, 2. de Elem. c. 3. quod idem sensisse visus est Vegetius in Arte Veterinariâ l. 1. c. 28. pro medelâ sanguinis nimis adstricti Venæ-sectionem commendans. Extat apud Hippocratem 7. Epid. nu. 39. fat insignis historia, verè memoratu digna, ex quâ fatis liquet, priscos illos in malignis morbis, non quæcumque Antidoti nomine insignita essent præscripsisse, ut etiamnum à non nullis factitari video, qui ubi constiterit Febrem esse malignantis naturæ, Coelum Terræ miscent, nullum non Alexipharmaci genus præscribendo. Malignâ Febre laboravit Nicoxenus, lingua ardebat, ait Hippocrates, calor forinsecus non valdè fortis, exolutio Corporis vehemens, vox fracta, ut operosum esset exaudire, clara tamen, tempora

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

collapsa, oculi cavi, pedes molles, ac tepidi, juxta splenem distensio, Urina clara, decubitus supinus, crura diducta, ac disparata ob exolutionem, penitus vigil. Et quid non ut malignissimæ Febris Ideam quis concipiat? Superstes tamen evasit; at quonam remediorum apparatu, ac molimine? Domitor ille Morborum Febrem hanc adeò mortiferam subegit? Potus erat aqua de Farina crassa in ipsa macerata, sed, & de pomis simulque mali punici succus, & lentis torrefactæ, & farinæ lotura cocta. Verba sunt Divini Senis; quibus autem remediis nostrâ hac ætate tentaretur hujusmodi Febris curatio novit Deus; certè timendum esset, ne id contingeret quod apud Plutarchum reprehendebat Erasistratus, ut scilicet ὁμῶς μεταλλικὰ, καὶ βοτανικὰ, καὶ θηριακὰ, καὶ τὰ ἀπὸ γῆς, καὶ θαλάττης εἰς τὸ αὐτὸ συγκεκρανόντας. At quæso Vallesii egregii Commentatoris expositionem audiamus, Animadvertendum, ait ille, aliquando Febrem malignam cum Exanthematis pituitosam, aliquando biliosam, aliquando etiam atrabilariam, & curationem ita variare; huic non tam crassorum, quàm acrium, & tenuium humorum fuisse redundantiam indicavit ustio, & pervigilium. Ob id contulerunt illæ potiones, quæ aliis fuissent adversissimæ; fuisset tamen huic adversissimum, Theriaca uti, aut decoctis, & herbis calidis, quamvis essent Alexipharmacæ, ut Dictami, & Scabiosæ, & Cardui benedicti, quod aliis talia solent esse usui.

XLVI. Sicuti autem in determi-

I. nandâ

nandi Malignarum causâ in genere adeò inter se dissentientes sunt Medicinæ Proceres, sic multò minùs in explicanda Febris Peticularis Naturâ & causis consentiunt; neque recentes ac nostrorum temporum tantummodò sunt Controversiæ, etenim An. 1528. grassante per Italiam Lenticulari Febre, ut Clarif. Fracastorius *l. 2. de Contag. Morb. c. 6.* refert, tanta fuit pro hujus Febris curatione inter Medicos discordia, ut penè ludibrio haberentur, cum ob ignoratam Febris Causam, & mòrem, neque in victu instituendo, neque in alio remedium genere administrando convenirent, adeò, ut eodem referente, inter has Controversias *magna Mortalium pars, & Nobilitas perierit.* Nostrâ hac ætate, tanquam in binas acies oppositas, medicinæ Scriptores divisos observo Peticularis Febris naturam, vel per sanguinis coagulationem, vel per ejusdem dissolutionem exponentes. Celeberrimus Willis, Simon Pauli, Auctores *Zod. Med. Gallici*, alique plausibili fanè ratiocinio putant in hujusmodi Febrem naturalem Systasin Sanguinis in crassam, ac nimis lentam secedere ob Acidi prædominium, adeò ut, dum Sanguis in Orbem agitur, illius particulæ fixiores à Venarum extremitatibus haud ritè absorbeantur, & captivæ detentæ picturatam cutim efficiant. Ettmullerus, Sylvius, Menjotius, alique hujus Febris naturam, & Peticularum generationem à fibris Sanguinis dissolutis è suâ statione dimotis, ob Sal acre, & volatile Sanguinem ad fusionem disponens deducunt, quo pacto similiter cruore ab arteriolarum osculis effuso

illius partes tenuiores, tanquam transfugæ, à circulari motu exorbitant, ac sui erroris notas in cute designant.

XLVII. Ne verò in recensendis, aliarum placitis ulteriùs immorer, arbitrari licet in hac Febre nostrâ Peticulari Cruoris massam ad fluorem potiùs quàm ad concretionem pronam fuisse, cujus asserti præcipuam conjecturam stabilire licet super manifestas notas quas sanguis eductus præferbat, semper enim roseus ac purpureus, nihilque glutinosi præsens, mihi aliisque Professoribus apparuit, tam æstivo tempore quàm hyemali. Cum Sanguis ergo emissus toto Cœlo differret ab eo qui solet educi in quibusdam Morbis, ut Pleuritide, Peripneumoniâ, Erysipelate, aliisque Affectibus interdum Popularibus, in quibus sanguis colore, & lentore vitium suum prodit, mihi visum est, *Oculis magis quàm Opinioni credendum* (ut ipsius Hippocratis *l. de Diæta n. 5.* verbis utar) & accensionem quandam partium tenuiorum Sanguinis, & præcipuè feri è Vasis diffusionem, ex quâ tot symptomatum enarratorum diritas ortum duceret. Talem autem Massæ Sanguineæ adfuisse dispositionem multa alia attestabantur, ut primò quidem quòd truculenta hæc Febris Juvenes habitiores, & succulentos corripere, ut superiùs annotavimus, Valetudinarios verò, & Seniores præteriret, non secus ac *Præterit imbelles ira Leonis oves.* Seminium enim illud intus per inspiratum, vel quomodocunque ab Aère susceptum, & quod multum Alcalicæ acrimoniæ occuleret promptiùs dynamin suam exerebat in iis in quibus

quibus Sanguis optimus esset ac particulis spirituosus refertus, quam in Valetudinariis, & Senibus quibus Sanguis est effœtus, ideoque aptior ad retundenda acuta spicula, quibus armatum erat malignum miasma, quæ forsan est ratio, cur Senes *Pestilentiam minimè sentiant*, ut scripsit Plinius, *l. 7. H. N. c. 50.* seu Pestis minùs sint obnoxii quam Juvenes, de quo Zarotus in Martialem. Sicuti enim Vina generosa æstivo tempore faciliùs putrescunt quam dilutiora, (saltem in hac Urbe, quæ ob aquarum subterranearum copiam Hypogæis caret) cum Vina meraca, & generosa sub Aère æstuante ob copiosos spiritus quibus turgēt facillimè in Zymosin corruptivam urgeantur, non ita verò Vina Oligophora ob partes aquosas quibus abundè scatent. Talem quoque Sanguinis Diathesim testabantur Virium subita prostratio, Pulsus parvi, quæ duo satis constant, ac vigent in iis morbis, (ut in Affectibus Pectoris) in quibus Sanguis per venam sectam emissus manifestam præbet concrecentiam. Usus præterea Acidorum salubrior compertus quam Alcalium, sicuti, & Vesicantium applicatio minùs prospera, ut quæ Sanguini ad fluorem prono stimulos adjicerent, idem confirmare videbantur, quibus accenseri poterat V. S. parùm salutaris, à quâ agrotantes Cane pejus, & Angue abhorrebant.

XLVIII. Nec mirum improspere cessisse Venæ Sectionem superflite hujus modi humorum dispositione, quod ut plurimum in Epidemicis, & Pestilentibus Constitutionibus evenit, in quibus Phlebotomia non admodum

benè audit, cum perrarò contingat ut ejusmodi temporibus ad fixitatem humores vergant, ni potiùs ad liquationem tendant ob aëreum Venenum satis tenue, partibus Sanguinis spirituosioribus nimis hostile. Eandem ob causam in omnibus malignis Febris suspenso pede ad Venæ Sectionem progredi solet ob metum ne unà cum Sanguine collabescant Vires; idcirco Celsus de Febris Pestilentis curâ *l. 3. c. 7.* ajebat, *Sanguinem non facilè mittere, Alvum non facilè ducere*, ac valdè rationabiliter Doctissimus Vir Jo. Baptista Scaramuccius, Urbini Medicus Primarius, in Theorematis suis Physico-Medicis *Theo. I.* Sanguinis missionem improbat ubi Sales lixiviales præpolleant, à quibus aliqua dissolutio possit emergere.

XLIX. At cur talia è Cucurbitulis scarificatis vereri non licebat, inquiet aliquis, quasi Sanguis per eas emissus non ex eodem fonte prodiret, ac is qui per Venam Sectam educitur, ni forsan floridior etiam sit is, qui per Cucurbitulas extrahitur sectis multis arteriis? Non ibo certè inficias Sanguinem per Cucurbitulas eductum vividiorē esse, fuisse tamen magis proficuum Cucurbitularum usum, quam Phlebotomiam, non popularis confidentia, sed Experientia quæ ratiociniis nostris persæpè illudit, satis evicit. Neque suarum rationum fulcimento carebat hoc præsidii genus. In hac enim Febre in quâ humores à Naturâ ab intimis ad extima propellebantur, hoc pacto magis promovebatur ad Corporis ambitum illorum motus, ac variis in locis incisa Cûte expirabat ali-

quantisper occultum illud Venenum quod ad Cutem protrusum inibi hærebat ab Aëre ambiente repercussum.

L. Huic præpostero, ut rebar, Cucurbitularum usui & ipse sub initium hujusce Popularis Morbi non parùm obstiti, urgebamque levandam prius per Venæ sectionem Naturam eo quo premebatur fasce, nec intempestivâ Cucurbitularum appositione sollicitandum humorum motum, tempore præsertim ebullitionis; reclamabam Sanguinis missionem nullatenus trahere à circumferentiâ ad centrum, imo toto eo tempore quo aperta sit Vena, majori nisu ad eam partem quàm ad reliquas Sanguinem moveri, fidendumque potius Rationi quàm Eventui, quem Stultorum Magistrum esse aiebat Q. Fabius M. apud Livium l.22. At fors melior eorum qui hoc Præsidiî genere, vel in ipso Morbi principio, utebantur, vellebat Aurem, monebatque vertendum Stylum, nec tanti faciendas esse rationes confictas, quanti Experientiam ipsam. Extant sanè multa apud Auctores de Cucurbitularum usu, ac si placet etiam de abusu, (ut Hippolytus Obicius in suo libro de multiplici in Medicinâ abusu c.7.) ac revera omnes ferè in acutorum Morborum principio (nisi prius per V. S. plenitudini provisum fuerit) illarum usum improbant. Fracastorius tamen in Febre Lenticulari, quæ ipsius ætate, ut superiùs memoravimus, pervagata est, Venæ Sectioni parcendum volebat, ubi præsertim valdè sparsa contagio esset, & Cucurbitularum appositionem commendabat, nisi magna adesset plenitudo. Quanti porro faceret in hac

Febre Cucurbitularum usum P. Alpinus ex solo capite quod in libro de Medicinâ Ægyptiorum l.2. c.16. instituit, dignosci potest; disquirat enim, *An errent Ægyptii Medici utentes Cucurbitulis pro adjuvanda Exanthematum eruptione*; ex recentioribus verò P. Borellus annotavit Anno 1648. Febres malignas Epidemicas purpuratas cum magnâ clade grassatas fuisse, & frequentem Cucurbitularum usum valdè profuisse.

LI. Hinc mihi visum est considerandas non esse Peticulas ut simplex Malignæ Febris signum, veluti communis fert opinio, nec à Criticarum excretionum censu excludendas, quod ex Clar. Diemerbroechii observatione, qui Peticularum historiam egregiè absolvit, confirmari potest; refert enim hic Auctor sibi observatum in denatis ex Purpuratâ Febre partes omnes internas Peticulis obsitas esse, quod tamen multò ante, si non oculorum, saltem mentis acie, pertigerant Vallesius in historiâ Simonis, Ballonius in suis Epidemiis, Fernelius in libro de Febribus. Mihi quidem Cadaver ullum disseccare non licuit, ut ex autopsiâ peticularis hujusce diffusionis per interiora Corporis certior fierem, (quando apud nos nullo pretio quisquam ex Plebeculâ Cadaver aliquod ex suis domesticis pro simplici inspectione permetteret) constans tamen observatio, quòd ii qui ex hâc tempestate evaserunt per nullam sensibilem humorum excretionem convaluerint, ut superiùs annotavi, sed per solam Peticularum suo loco, & tempore apparitionem, ac per totum corpus expansionem, lentamque earun-

rundem evanescentiam, ad credendum compellit, Naturam post factam primis diebus justam humorum ebullitionem virulentum illum ichorem despumasse, ac illum primò quidem in partibus internis, mox in externis quoque deposuisse, ut hoc pacto per mille Arteriarum oscula tetro illo miasmate exantlato tota massa sanguinea pristino suo nitore redderetur. Curiosum autem est id quod Diemerbroechius refert sibi in Cadavere ex hac Febre extincto observatum, nimirum, maculas hasce ab ipso Perioestio initium ducere, & latâ basi instar fumi Lampadis recenter extinctæ.

LII. Non tam modicum igitur esse illud quod in Peticulari Febre è sanguineo penu fecernitur censendum est, imo toto eo tempore quo hujus morbi historia absolvitur, talem esse diacrisim, quæ in Criticarum censu reponi possit, quamvis non adeò sensibilis sit, ut reliquæ evacuationes criticæ, tum ob materiæ tenuitatem, quæ insensibiliter expirat, tum quòd illius pars major per interiora Corporis diffundatur, in cute Pyramidis tantum apice apparente: Sic non ineptè explicari posse crediderim superius enarrata Symptomata, quæ Febrim hanc comitabantur, sicuti & modum quo Natura harum Februm curationem moliebatur: Dorsi enim, ac totius Corporis lassitudo, qualis in Febris, quæ *νοτιώδεις* dicuntur, non aliunde quam ab ichore illo ab Arteriarum osculis in membranas, & musculorum fibras refuso ortum ducebat, sicuti & Præcordiorum Anxietas, Faucium ardor, Aurium surditas, Mentis stupor, sab eadem ma-

teria pendebant ad partes transmissâ ubi functiones Animales, & Vitales exercentur. Cum enim Natura totum Venosum genus à pravo illo miasmate expurgare vellet, non unam sibi viam eligebat, quò noxios humores eliminaret, (ut aliquando per Vomitum, Alvi fluxum, Urinarias vias, Cutis poros solet efficere) sed tot sibi fores aperuit quot sunt Arteriarum oscula, idcirco omnes ferè Corporis partes noxam sentiebant, donec rejectamenti illis discussis priorem tonum recuperarent. Cum hoc modo itaque in hac Febre expugnandâ Natura procederet, mirum non est si suspenso pede ad Venæ sectionem, aliaque remedia administranda procedendum erat, ne distraheretur Natura, & cur feliciter res cesserit Medicis sanguinis abstemiis quam Philematicis, quam ob causam Pagani facilius evadebant, quam Urbani qui persæpè medendo ægrescebant.

LIII. Ubi verò malignum illud Virus præpollebat ad internecionem usque spirituum Animalium, & Vitalium cuncta in pejus citissime ruebant, Peticulis seu vix se prodeudentibus, seu subito evanescentibus, quibus præstò aderant summa virium prostratio, Asphyxiæ, totius corporis perfrigerationes, Singultus, & Ichuriæ spurix, quæ satis frequentes fuerunt; cessante enim Spirituum Animalium influxu, & feriente Corde à naturali motu, nullus fiebat arteriosi sanguinis ad Renes appulsus, & consequenter nulla feri secretio; qui autem ex hac Febre occumbebant pleni, & succulenti, ut diximus, efferebantur, eò quòd non ingens esset

calor, qui Febres istas comitaretur, (quam ob causam non admodum sifitent) & quia pertenuè effèt quod per transpiratum exhalaret. Cur verò decrefcente Lunâ, ac eâdem fidente, magis fæviret hæc Febris (fi in re tam abstrusâ licet aliquid conjicere) id fieri potuiffe crediderim eò quòd ficuti in Macrocofmo dicitur Luna Gubernatrix tenebrarum, & mobilis undæ, cum illi uni Æquor obtemperet, fic super Microcofmi lympham dominatum obtineat, & quemadmodum *omnia in Plenilunio Maria purgantur*, ut ait Plinius l. 2. H. N. c. 98. ita in hac Febre, dum Luna pleno lumine vigeret, fanguineum ferum in motum cieret, unde promptiùs macularum eruptio, & totius maffæ humoralis repurgatio contingeret, ejus verò lumine deficiente, ac per totum tempus illune, fegniùs moverentur humores, ideoque minus apti ad exitum, & fic conclufi Febrem auferent.

LIV. Quoad reliqua Symptomata, quæ hifce Febribus in progressu fuperveniebant, ut Singultus, Alvi fluxus, Verminofa soboles, hæc non folùm morbi fævitiã prodebant, fed primam regionem crudis humoribus oneratam fuiffe demonftrabant, propterea blanda purgatio, non Mochlica, in principio harum Febrium Peticularium non prorfus fuit incommoda, quamvis cafu inftituta, nec credita Febribus hujus profapiæ multum conferre: leniter enim eductâ humorum Saburrâ in ftomacho contentâ, Natura exinde ad perficiendum opus fuum pro maffæ fanguineæ à pravo miasmate expurgatione per macularum diffusionem ad cutem ufque faci-

liùs procedebat. - Hoc documentum blandæ purgationis in principio ve neglectedum, vel parùm falutare creditum non levi damno ægrotantibus fuiffe crediderim, præpeditis enim ac confpurcatis primis viis, Cardiacis remediis, quibus oppugnanda erat Febris, præcludebantur fores, vel iis non licebat Cruoris fedem, & Cordis penetralia nonnifi deturpatâ facie fubire. Hanc ob causam fufpecta funt Alexipharmaca in Malignarum principiis nifi ab obftructionibus expeditæ fint viæ, ut apud Galenum 5. *de San. tu. cap. 6.* Septalium, *Caut. Med. l. 5. n. 47. l. 2. c. 13.* & alios videre eft, quidquid in contrarium fentiat Manelphus in libro fuo de Febribus.

LV. Haud me latet non adeò probari à multis in principio harum Febrium purgationem hanc per Medicamenta Syrmefma dicta, ut P. à Caftro in aureo fuo Opufculo de Punctulari Febre, ubi in fpecie Electuarium Lenitivum improbat, Antonio Ponce à S. Cruce, Vallefio in commento hiftoriæ Simonis apud Hippocratem, ac inter recentiores Ettmullero, qui fufpectos habet in Purpuratis Febribus Clyfteres ipfos, nedum Purgantia; non defunt tamen qui levem purgationem admittant, ut Septalium qui Galenum l. 5. *Anim. n. 47.* ipfum teftem adducit in famofâ hiftoriâ Simonis, cui *lata Exanthemata erant*, purgationem aliquandò commendantem.

LVI. Ufus porrò Peruviani Corticis parùm falutaris compertus eft, vel quòd tunc temporis exhiberetur cum ftimulo opus effet non frændum Remedium iftud, ut diximus, præ-

præscriberetur in Febre lenta Peticulari Febri non benè judicatæ superstitè, vel quòd tale præsidii genus Febribus hujus profapiæ non conveniret. Variè profectò audit, ac variam experitur sortem, vel in iisdem locis, ac regionibus, famosum istud Febrifugum, ut eodem tempore laudetur ab his, culpetur ab illis, & modò probrosis, modò magnificis titulis vocetur. Medicinam dolosam Peruvianum Corticem vocat Willisius *de Febr. c. 7.* Richardus verò Mortonus Medicus Anglus in *Pyrethologia*, Plantam è quâ detrahitur Cortex iste, Arborem Vitæ appellat, num id contingat ob remedii inefficiam, quòd non omnibus Febribus, nec in quolibet temperamento conveniat, an ob Medentium incuriam, qui non ritè suo loco, & tempore illud exhibeant, meritò ambigi potest. Meherclè omne Febrium genus tam magnas, quàm parvas, intermittentes pariter, ac continuas gladio hoc Delphico jugulare velle summa dementia est, & funesti casus ubique memorantur, in quibus China China inauspicatò assumpta Ægrotantes, vel inopinatò sustulit, vel ad insanabiles Ægritudines sensim deduxit. Cautiones certè notatu dignas pro recto Chinæ Chinæ usu videre est apud Celeberrimum Ettmullerum in Dissertatione de usu, & abusu Præcipitantium, ubi Spiritum Salis Armoniaci proponit ad excitandam Febrem à Chinâ Chinâ sopitam, quotiescunque, Abdominis dolores, Artuum ostocops, Alvi occlusio, nocturni sudores, aliaque mala supervenerint; refert enim observatum Spiritum Salis Armoniaci Febres ab hoc Cortice fugatas

promptè revocasse. Non est hujus loci in usum, & Naturam tam celebris Febrifugi altiùs inquirere, solum hac occasione memorare libeat, annotasse me in primâ meâ Dissertatione de Constitutione Anni 1690. (quod ulteriori observatione confirmatum comperi) in frigidis & humidis Constitutionibus, quæ Corpora nostra crassis humoribus infarciunt, parùm salutarem esse Corticis Peruviani usum, in calidis verò, & siccis Constitutionibus, in quibus humores aliquo egent sufflamine, Remedium istud egregiam operam præstitisse.

LVII. Quamvis autem in hac meâ Dissertatione præcipuam curam impenderim, ut hujus malignæ Febbris, quæ tandiù pervagata est, indolem, ac genium explorarem, & exponerem quibus præsidii illius oppugnatio tentata fuerit, non ideò tamen inficias ibo multas alias graves Ægritudines sporadicas eodem tempore hunc vel illum afflixisse, ac etiam sustulisse, quales sunt morbi particulares secundum varia Anni tempora, ut Æstate Cholerae, Autumno Febres erraticæ, & Quartanæ, & modò morbi Hyemales, & Vernales, sed quia in iis nil Epidemici annotare licuit, eos propterea silentio transigere volui, quandò illorum Theoria, & Therapœia apud Practicos Scriptores satis vulgata est, nec illorum curatione quicquam magis desideratur quàm Medentis judicium, & prudentia. Quia verò in morbis vulgaribus (qui ut plurimum satis vulgari diligentia tractari solent) memorandum illud τὸ θεῖον Hippocratis delitescere video, in illorum in-

dagine potissimum mihi desudandum fuit, nec unquam desistam quin Professores exhorter, ut in hunc Campum pedem immittant ubi non spicilegium, sed segetem amplissimam contemplationum semper invenient, & quæ ipsis decori, & ægris salutis futuræ sint.

LVIII. Ad duos fines nos militare scripsit Divinus Senex, in *Epist. ad Cratenam*, unum *Hominis*, alterum *Artis*; nostrâ verò hac ætate nescio quo genio, Medentium Primores in rebus quæ decus quidem aliquod Arti, sed nullum pænè Ægrotantibus præsidium possint inferre sunt occupatissimi; cum enim toti sint in minimis explorandis, ac tanquam in haruspici-nâ ad extispicia intenti, ex Viscerum fibris Naturæ opera, ac magisteria alioquin deprehensibilia divinare præsumant, ad gloriam, & nominis celebritatem aucupandam solum incumbunt, quasi eò res deducta fuerit, ut in re Medicâ non nisi Professoribus, exercendi ingenii, & famæ comparandæ locus relictus fuerit. Quid si Aristophanes hodiè viveret? quibus Salibus, curiosam hanc diligentiam non perfricaret? liceat referre illius Versiculos, qui in sua puritate plus habebunt leporis, & energiæ; interrogatus ergo Socratis Discipu-

lus à Therpsiade per quamnam viam canerent Culices, num per superiora, an per inferiora.

ἔφασκεν εἶναι τοῦτερον τῆς ἐμπίδου
 τῶν διαλέπτου δόντος αὐτῆ τὴν πνοὴν
 βία βλάπτειν εὐθὺ τὸ ὑπρόσφυγόν.
 ἔπειτα Ἰσχυρὸν πρὸς σιωπῆν προσκείμενον,
 τὸν βρωτὸν ἡγεῖν ὑπὸ βίας τῆς πνεύ-
 ματος.

Id est ex versione Andreae Divi Justinopolitani.

Dixit esse Intestinum Culicis

Angustum, per parvi autem exi-
stentis ipsius spiritum

Ut ire recta in podicem,

Posteà concavum ad angustum ad-
jacentem

Podicem sonare à vi spiritus.

LIX. Absit tamen quòd Anatomicam indaginem tanquam laborem improbum traducam, solum dolendum videtur, quòd cum Spartam hanc satis ornatam, & excultam esse pateat quantum Praxis Medica exigit, omnes ferè qui ingenio magis præstant in id usque ad temporis dispendium incumbant, cum ad alia magis usui futura mentem ac vires possent intendere, inter quæ non postremum sanè locum meretur Epidemicorum Affectuum Historia, quâ nihil in re medicâ forsan magis desideratur, & minùs excolitur.



HISTORIA EPIDEMICA GERMANIÆ.

Constitutio Epidemica Augustana An. 1695.

Dni D. Lucae Schröckii,

Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Præsidis.

PRæclarum institutum, quo singulorum Annorum Epidemias erudito calamo conscribere nuper incepit Italiæ suæ ornamentum, Illustr. D. Bernardinus Ramazzinus, Archiater & Professor Mutinensis meritissimus, insigni utilitate cum sese commendet, simile quid etiam in Germania nostra moliri, & breviores de epidemica Annorum constitutione Relationes exhibere dum intendimus, idem circa dilectam Patriam meam, Augustam, vicinumque districtum, quantum observare mihi datum fuit, simplici historia fideliter tentare, simulque Nobilissimos meos Dnos Collegas Naturæ Curiosos ad similem, observatâ possibili brevitate, præstandam operam humaniter invitare libuit. Eò majorem autem ad hoc persensum stimulum, cum nostri quondam Nestoris I. celeb. Dn. Georgii Hieronymi Welschii manuscriptus libellus, quem *Epidemica Vindelica* inscripsit, ab Anno Chr. usque ad 1677. in manus meas devenerit; quem laborem mihi huc usque continuare placuit. Quamvis autem hæc in publicum emit-

tere nunquã animus mihi fuerit, Welschianis illis partim nimis-succinctis, partim & imperfectis existentibus, meis autem Collectaneis in propriæ solùm memoriæ subsidium destinatis, si tamen vel tantillum utilitatis in Rem medicam ac Posteritatem inde resultare posset, publico, qualecunque demum fuerit, haud denegabo.

Ut autem Anni 1695. statum exordiar; postquam Solstitium hyemale frigore intenso Annum 1694. terminavit, non minus insequens Annus, multis nebulis comitatus, frigore molestus intravit; & quamvis paulò post temperatior aura, Zephyro flante, quin & pluvias adducente, redderetur, Euro tamen & Austro circa finem Januarii S. Greg. nives spargentibus, insignes frigoris molestias denuò persensimus, easque, licet post Bacchanalia mitior aura per aliquot dies spirasset, usque ad Æquinoctium vernale perferre coacti fuimus. Unde in hac aëris anomalia non potuit non insignis in sanguine mutatio contingere, & cum primis lymphæ non tantum ab intromissis ex pluviosa constitutione copiosioribus aqueis mole-

moleculis multum augeri, sed calidiorum etiam ob auram magis rarefieri, quam tamen frigidior superveniens denuò condensare, inque liberiore transpiratione impedire, ac passim stagnationem inducere valuit: quo in statu cum nec digestiones aut debitæ secretiones sufficienter celebrari, nec sanguinis motus placidè promovèri, spirituumve puritas aut vigor conservari queat, facillè colligere datur, quàm variæ in œconomia animali & vitali turbæ excitentur, eò graviores futuræ, si unà impuriore, falsæ sulphureæque lateant particulæ, quæ hinc fermentatione conceptâ malignam vel venenatam quasi naturam induant, aut etiam latentem antea malignam auram suscitant. Cum verò aliquot jam per annos tale quid in urbe nostra sedem fixisse comperiamus, ut, licet cessare non nunquam per unam alteramve septimanam videatur, mox tamen exferere se denuò incipiât, quin & contagio se haud obscurè propagare nitatur, experientia nos edocuit, toto hoc tempore febres continuas fuisse obortas, quæ majori ex parte malignitatis notas, tum consuetis symptomatibus, tum maculis peticularibus ostendebant, quibus aquosæ pustulæ, ut plurimum dum morbus ad declinationem vergeret, cum nova caloris symptomatumque exacerbatione, in multis superveniebant: paucissimi erant, qui per morbum delirabant; in plurimis pleuritidem primò, vel catarrhum mentiebatur morbus; quamvis etiam tum temporis, præter arthritides vagas, pleuritis non infrequens esset, & aliquos graviter, quin & pustulis illis milia-

ribus malignis simul adfligeret. Dira etiam intermittentium febrium, quotidianarum, erraticarum, & tertianarum cohors urbi incubuit. Quæ morborum facies, remissior equidem in vere, frigidâ cum mitiore aura semper reciprocante, continuabat; quibus, ex ejusdem feri hîc ibi stagnantis, & glandulas inundantis ad coagulum pronitate, catarrhi pectori infesti, & non nullos cum febrili effervescentia occupantes, accedebant, quotidianæ verò & erraticæ febres, hæticarum ferè æmulæ, magis magisque se diffundebant, atque ægrotos in juvenili ac teneriori ætate constitutos graviter adfligebant, Medicisque ob mali pertinaciam multum negotii, ferè usque ad autumnale Æquinoctium faciebant: aderat in omnibus circa orificium ventriculi superius præcordiorum compressio, appetitus prostratus, virium lassitudo, corporis extenuatio, caloris incertò, vespertinò tamen ut plurimum tempore exacerbatio; in quibusdam exiguus hujus, in aliis ferè continuus sensus, sudoris rara eruptio, ardor verò & dolor tensivus manuum ac pedum ægros admodum torquebant: nec pauci erant, quos perseverante adhuc morbo, loquela, sine deperdito tamen linguæ motu, destituerat, aliquibus etiam surditas, & aliqualis sensuum interiorum stupor, per plures dies, vel duas tresve hebdomadas accesserant; malo hoc postea, recedente febre, sponte quasi iterum cessante. Medicamenta autem quæ acorem præternaturalem atque lentorem lymphæ, non negligendo ea, quæ genus nervosum ac spiritus confortare &c. poterant, ex. gr. specificum

cificum antihecticum Poterii, gammarorum lapillos, elixirium proprietatis beat. nostri Clauderi, essentiam corticis Peruviani &c. proficua deprehendi; sicut Tincturam bezoardicam D. Mich. sal cornu cervini volatile, essentiam mumixæ Clauderianam, Diascordium Fracastorii, Theriacam coelestem Greiffianam, pulverem Sabaudicum, rubeum Pannonicum, cum antimonio diaphoretico, unicornu fossili & marino, pro subjectorum & symptomatum varietate, in tempore & providè propinata, non inefficacia in malignis fuisse, experientia docuit.

Cum Sol Gemellorum signum ingrederetur, & crebrioribus pluviis perfunderemur, Catarrhi frequentes esse cœperant, tonsillarum imprimis intumescantiam inducentes, (consuetisque feri coagulum externè & internè resolventibus medicamentis obtemperantes) præcipuè cum frigus insolitum, de quo alibi locorum non minus passim conquerebantur, aflatem subinde odiosam reddidisset.

Circa Æquinoctium autumnale, itidem frigore molestum, humorosum convulsivum asthma in puerilem ætatem sæviebat, aliquos etiam trucidabat. Postea tamen, licet haud clementior esset aëris, pluviosa nempe & frigidiuscula ut plurimum temperies, inò post medium Octobrem, totum insequentem mensum, nec non dimidium Decembrem frequentissimæ nebulæ, ac per plures sæpè dies continuè aërem occuparent, Morbo attamen magnas dabat inducias; quæ verò collectâ interea ex vaporosis istis halitibus novo infirmitatum adparatu & ferosâ colluvie, cò acrius in-

furgebat, & Sole Scorpionis signum egressuro, arthritides vagas, rheumatismos, in quibusdam intenso dolore nucham, frequentissimè autem pectus tussi graviori excruciantes, in senibus quoque apoplexias fortes lethales accersebat; quin & febres denudò malignæ, petechiis & pustulis stipatæ, hætenus rariores observatæ, majori jam impetu pluribus insultabant, cephalalgia in principio morbi vehementi, brevi tamen recedente, intensis dorsi doloribus, præcordiorum compressione, tussi, alvi constipatione molestæ; cum interea urinæ color non multum à statu naturali recederet, vel justo dilutior compareret, nec pulsus admodum irregularis esset. Frigore autem ultimum Anni mensum, satisque intenso ejusdem exitum comitante, pacatiora rursus tempora, atque populariter grassantibus morbis liberiora sequebantur, postquam febrium malignitas supra dictis remediis, rheumatismi autem infusi thee, aut analogi veronicæ, betonicæ &c. succinatorum, saliumque volatilium urinosorum, non neglecto, ubi opus erat, moderato opiatorum, imprimis pilularum de cynoglossa Nic. usu; arthritides denique cinnabarinis, antimoniatibus, lumbricatis, quin &, cum in quibusdam febrilem aliquem insultum alternis diebus deprehenderem, kin-kina, quibus subinde blandior ex paucis scammonii sulphurati & antimonii martialis fixi pulvere alvi laxatio interponebatur, atque dolorum sævitia per demulcentia imprimis cataplasmata, (spirituosis & oleosis eam magis exasperantibus) mitigabatur, essent devicta.

Cum etiam Excellentissimorum Dominorum Collegarum Curiosorum aliqui petito meo, in simili materia submittenda, beneyolè subscripserint, eorundè historias subnectere, & ordine, quo fuère transmissæ, adducere lubet.

Constitutio Epidemica Hassiaca Anni 1693. & 1694.

Dni D. MICHAELIS BERNARDI VALENTINI,
Missæ d. 5. Aprilis An. 1695. Gissâ Augustam Vindelicorum.

Præcedente Hyeme pluvioso, sed in fine gelidissimo, sub primo Vere & insolitus aëris fervor ingruerat, qualis & per omnem æstatis cursum observabatur: quæ mutatio subitanea non poterat non inæqualem & præternaturalem humorum & spirituum motum causare, quem & hominum & brutorum strages infecuta est. Boves sanè & vaccæ catervatim succumbebant, cujus rei causa statuebatur inter alia ros corrosivus, lintea maculis plus minus luteis conspurcans, & omnino corrodens, de cujus ætiologia elegantissimè D. Ramazzini. Ex carnificum observatione plerunque phtisi pulmonali necabantur, ad quam sine dubio haustus frigidæ copiosior post æstum intensissimum multum contribuere poterat. Hominibus præter dysenteriam & febres malignas sub finem Junii & initium Augusti hîc locorum infensa erat febris quædam intermittens, ut plurimum tertiana, sive simplex sive duplex, solo ferè calore molesta, ut à plurimis ab acutis vix distingui potuerit. Præcedenti enim levî frigusculo calor intensissimus, virium summa prostratio, anorexia &c. accedebant, quæ præmissis vomitorio, corticis Peruviani usu plerunque curabantur, cui regulus antimonii medicinalis quandoque præmittebatur, Venæ sectio, quam vel ipsi urgebant aliquando ægri, nun-

quam non noxia erat, morbumque protrahebat, aut ad minimum summam, fugatâ licet febris, virium debilitatem inducebat.

Hanc sequebatur paulò alia

Constitutio Anni 1694.

in qua Hyemem fatis inclementem calor Veris extraordinarius excipiebat, ut arbores brevi admodum in flores se induerent, qui tamen omnem, quam primùm injecerant, spem eludebant, postquam frigore subito superveniente prorsus emarcuerant. Sequebatur Æstas summè calida, quâ ultra hominum memoriam vix sicciior observata fuit, sub cujus cursu morbilli, sed benigni ferè moris grassabantur, aut sponte aut bezoardicis & expellentibus solitis cedentes, in quibus tussis & asthma præprimis erat molesta, quæ spiritu salis armoniaci anisato, seu ut hîc locorum audit, spiritu pectorali anisato optimè sistebantur. Annonæ summa fertilitas, duplicato modium infarciens, quæ frumentorum caritas heic subitò sublata fuit. Autumnus & Hyemis initium pluviis crebrioribus madebant, variisque catarrhis, pleuro-pneumoniis & febribus malignis à milite è castris ad hybernâ redeunte ferè allatis, plurimisque funestis, erant molesta, quæ omnia frigus horrendum sub cœpti modo anni 1695. initia excepit.

Consti-

Constitutio Epidemica Basileensis Anni 1695.

Dni D. JOHANNIS JACOBI HARDERI,

Missæ die 20. April. Ann. 1695. Basileâ Augustam Vindellicorum.

Morbi, qui cum hyemali tempore, tum eodem jam finito, epidemicè ferè grassabantur, sunt colicæ passionès pertinaces: apud infantes vomitus, ceu variolæ essent erupturæ, præcedente horrore, inde icterus cum dejectionibus verminosis: apud adul-

tos quoque febres verminosæ: jam verò præter febres continuas ac intermittentes, pleuritides & pleuropneumoniæ: singuli aëris variam constitutionem, & subitanèam immutationem, pro secunda matre agnoscentes.

Constitutio Epidemica Berolinensis Anni 1695.

Dni D. GUSTAVI CASIMIRI GARLIEP

von der Mühlen;

Missæ die 5. Januarii Ann. 1696. Berolino Augustam Vindellicorum.

Dno Præsidi me ad id excitante, I. Januar. 1695. (22. Decembr. 1694.) coepi diètim mutationem aëris ac tempestatum notare, ac observavi à plenilunio die proximè præcedenti 31. (21.) Decembr. illucescente frigus, quod hæctenus fatis temperatum fuerat, paulatim invalescere, nivibus subinde permixtum. 8. Januarii (29. Decembr.) autem, sub ultima quadra aère nimbofo rursus parumper remittere. Sequentibus verò diebus denuò ingravescere, moderato tamen adhuc ad usque novilunium 14. (4.) Januarii ingruens. Quod subitam gelu remissionem cum nivium ac ventorum copiâ; postea nubilo cælo gelu iterum moderatum biduum circiter durans ad meridiem usque 18. (8.) induxit. A quo solutâ rursus glacie vix mediæ diei inducias dedit; Nam redintegratis viribus revertens primam Lunæ quadram in 22. (12.) incidentem cum pertinentibus illuc diebus, rigoroso gelu transe-

git, ut & plenilunium 30. (20.) lu-
cens, sicque primum hunc mensem
finit.

Alterum eodem vigore inchoans
ultimamque quadram 7. Febr. (28.
Jan.) orientem ad 13. (3.) usque
transiens, atque remissionem sic uni-
us, viginti quatuor dierum, non-
nunquam tamen paululum mitigato,
rigore pensans duravit. Tum verò
accedente eodem die 13. (3.) novi-
lunio, rursus aliquantulum remit-
tens pluviis glaciem quam tot diebus
gelu pepererat, unica die liquans,
ac parum quod ejus restabat, copio-
sâ nive intermixti, quoque procellis
tegens, mox insequenti mane ad in-
genium rediit, perque biduum gelan-
do continuavit. Mox verò 17. (7.)
rursus remisit; Ast sequenti die de-
nuò redintegrato vigore, prima qua-
drâ 20. (10.) apparente, nec quic-
quam obstante ad 23. (13.) usque
perrexit. Quo die remisso paululum
rigore pluvias nivibus succenturiavit.

unicâ tantum die : Graviori enim impetu interpolatis subinde sereno cœlo nivibus ac quandoque ventis irruens, quatrimum ad 28. (18.) usque hujus secundi mensis adeoque ultimum perstitit.

Quo die à violentia priori deficiens nivibus ac grandini pluvias intersperfit, sed sequenti 1. Martii (19. Febr.) cum plenilunio denuo vim pristinam induens non modo pristinum exeruit robur, sed & auxit. Verùm vix biduum servavit, ab illa sævitia 3. Martii (21. Febr.) deficiens, ac nocturnum frigus & quandoque gelu diurnis pluviis ac nivibus temperans, reliquum illius quadræ & sequentis postremæ 8. Martii (26. Febr.) apparentis ad novilunium usque 15. (5.) accedens vario & mutabili cœlo transit. Tum priorem indolem Borea flante induit, sereno cœlo gelu, nocturnum præcipuè, satis validum reducens ad post primam quadram 22. (12.) radiantem ad 24. (14.) usque continuando. Inde variam cœlo faciem sumentè, nunc serenam nunc nubilam, nunc undosam, nunc siccam, nunc tranquillam; nunc turbidam cum plenilunio 30. (20.) lucente & sequenti die 31. (21.) Martium cum trimestri primo terminante, ad ultimam usque quadram etiam 6. Aprilis (26. Martii) subsequenter, die nocturne alternando frigus moderatum calore temperavit.

Morbi hujus primi trimestris initio reliquæ fuere præcedentis varii & inconstantiis autumnii, diarrhœæ, dysentericæ, febres variæ, & quartanæ præsertim & duplices tertianæ, erraticæ non nullæ. Quibus sese junxere

pleuritides, peripneumonix sed raræ, tusses sicca & humidæ, harumque soboles phthisis ut & hecticæ, sed paucæ, malignæ item febres variolis præcipuè, morbillis, purpura, nonnunquam, rarius tamen petechiis, sic satis adhuc benignis, intermixtis. Tertio mense accedere prioribus etiam apoplexiæ subito quosdam perimentes, & paralyfes quandoque reparabiles, catarrhi contumaces, ac tusses implacabiles, arthritides vagæ valde contumaces, & dolores ac defluxiones aliæ scorbuticæ pertinaces, plerique tamen horum morborum præter variolas sporadici fuerunt non Epidemici.

Secundi trimestris exordium à primâ Aprilis (22. Martii) ad prædictam ultimam quadram 6. Aprilis (27. Martii) accedentium usque de amœnitate præcedentis mensis participans ac veris verum initium exhibens, cum prædicto ultima quadra degeneravit, ac ingratum denuo frigus nocturnum, aërem tempestuosum, nives, grandines, pruinas, similesque inacceptos Veri hospites advexit, ad 10. Aprilis, (31. Martii) usque; qui Æthere mitius paulò aspirante pluvias lenes, frigidas tamen adhuc, sparsit. Sequentes duo pluvias vento impetuoso ac frigori haud usque quaque grato miscuere, atque aëri turbulento, non tamen planè gelido, ac novilunio 13. (3.) Aprilis tranquilliori cœlo, moderatiorique frigore placidè ingruenti præmissere. Verùm 14. (4.) ad pristinum statum tetricum, turbidum, frigidum & immitem rediens 15. (5.) gelu nocturnum ac serenius paulò cœlum induxit. Cui mox gravius gelu noc-

turnum fudo interdiu mitigatum per biduum, huicque rursus aër temperatus ac serenus alterum biduum durans successit. Quod nubilum rursus & frigidum excepit, succedentibus nocte sequenti nivibus, quas primæ quadræ 21. (11.) appropinquantis prodromos mane pluviae sunt subsequutæ, à meridie coelum relinquentes nubilum, in pruinosam noctem declinans inque temperatū insequens manè ac vernum tandem de die aërem desinens. Qui post noctem placidam ac manè ventos non nullos pluviolis madentes, amoenum postera die produxit 24. (14.) per biduum durans, tandemque tertiâ 26. (16.) die in æstivum ferè Solis ardorem, pluviae admodum fertilis prænuntium transiens. Cui gratum successit sequentibus diebus sudum pluviis nonnullis irrigatum ad 29. (19.) usque plenilunio tum lucente, ac ventorum aliquid blandorum, etefias dixisses, intercalante. Sequens dies serenus tonitru pomeridie inexpectato & maturè nimis pluvia copiosa stripatum, primâ hoc anno vice submitit, sicque finem primo huic secundi trimestris mensi imposuit.

Sequens 1. Maii (21. April.) amœnâ serenitate inclytus, successorem habuit sui ferè similem, paulò tamen magis nubilum & frigidum, perinde ut & reliquos temperato & verno coelo Soleque calente abblandientes ad 5. Maii (25. Aprilis) ultimæ quadræ dicatum. Cui nubiloso & sparsis subinde pluviis ab amœnitate illâ degeneranti, procellosum & frigore pluviis ac nivibus inacceptum accessit biduum. Illique rursus ad 10. Maii (30. Aprilis) ingratum frigidum,

udum ac pluviosum coelum. Donec 13. (3.) Maii appropinquans novilunium post temperatum sereno magis aëre unicum diem inconstantem & variam, pluviis, ventis, frigore, moderato tamen intermixtam tempestatem induxisset, nubilum Æther rariùs solariibus radiis pervium ad 17. (7.) usque continuavit, fudo tandem semet rursus & calore moderato biduum durante commendantem. Quem pluviae demum ingratae triduum continuantes & in grave tandem tonitru desinentes 21. (11.) ipso primæ quadræ die, secutæ. Hasque rursus sudum in pluvias ac tonitru à meridie terminans. Atque istas denuò sequenti manè sereno aëre, frigus, hoc pluviae lenes, clementiori paulò coelo exceptæ, illud denique sereni aliquot rursus dies aëris clementiæ ac vernæ amœnitatis postliminio quasi cum plenilunio 28. (18.) radiante reducis, ac ad 31. (21.) usque mensis hujus Maii terminum perdurantis, mox tamen in pluvias denuò ac ventos fatifcentis quasi præcursores.

A primo enim Junii (22. Maii) ingrata pluviis ac nimbis tempestas, noctes gelidæ ac pruinosæ, venti Boreales, dies à nocturno gelu rigidi, nec nisi à meridie paulum à Sole luminante degelantes successere, ad ultimam usque quadram 5. Junii (26. Maii) apparentem sævientes. Hæc commodiori rursus tempestatem locum dedit, coelo sereno & amœno, calore grato, pluviolis lenibus ac foecundis ad 7. Junii (28. Maii usque durantibus; Mox verò ab illo, vario & turbulento, frigido & pluvioso, ad novilunium usque 11. (1.) accedens perseverantibus permutatæ. Hoc

insequens dies Solis radios sereniore caelo, frigore tamen molesto admisit 13. (3.) denuo in pluviosum pristinum ac nubilum statum transiit. 14. (4) Nubilum sudo temperavit, subsequen- tibus hunc aliquot ad primam usque quadram 19. (9) illucescen- tem & comites ejus 25. (15.) solo, qui frigidior, nubilus ac pluviosus, excepto, serenis ac paulò mitioribus. Ipso etiam plenilunio his accensendo ut & reliquis, præter 30. (20.) qui mensem hunc, simulque trimestre se- cundum tonitru ac imbre clausit.

Cujus trimestris primus mensis catarrhis, rheumatismis, tussibus, febris catarrhalibus, aliisque diverforum generum, tertianis simplicibus ac du- plicibus satis frequentibus, paucis quartanis, affectibus scorbuticis, hæc endemiis, variis varios variè affigen- tibus infestus.

Alter, quæ morbos, priori ferè affinis, nisi quod in hoc variolæ non- nullæ & purpureæ febres, pleuritides veræ & spurix, petechiæ febrium ar- dentium malignarum non nullarum comites, colicæ & hysteriæ passio- nes, hypochondriaci affectus, angina sepe quandoque parcius tamen offerrent.

Tertius præter præcedentium non nullos, menstrua inordinata, cachexias, ventriculi imbecillita- tes & cruditates, hypochondrio- rum dolores, colicas, diarrhoeas &c. tulit.

Mensis Julii, qui tertii trimestris primus, initium præcedentis Junii fini postremum si exceperis diem, ul- timâ quoque quadrâ 3. Julii (23. Ju- nii) lucente, computatâ ad 7. Julii (27. Junii) usque aëris serenitate &

sic satis jucunda tempestate respon- dit. Hic verò nubilus fuit ac turbidus, cujus morem sequentes ex parte imita- ti manè sereno caelo, pomeridie tur- bidum nubilum ac pluviosum subjun- xerunt. Excepto 10. Julii (30. Ju- nii) qui rursus totus turbidus, fri- gidus, nubilus, & pluviosus adeo- que extremè ingratus fuit, subsequen- ti 11. (1.) Julii novilunium nubilum caelum sudo correxit, hæcque ratio- ne reliquis quatuor ad 16. (6.) usque commodâ satis tempestate exemplo quasi præivit. Ille autem à præce- dentium more desciscens nubilus fri- gidus ac pluviosus successores habuit se ipso meliores ac mitiores, æstivo calore, ac sæpius de die sudo, noctu quandoque pluviâ moderatâ commen- dables, ad primam quadram 19. (9.) lucentem, ut & plenilunium 25. (15.) fulgens, perseverantes & usque 29. (19.) qui, insolito hoc tempore, fri- gore, pluviis, ac circa vesperam toni- tru varius, similes sui sequaces habuit, præsertim 31. (21.) frigidum valde, breveque sudum imbre copioso pen- santem, sicque mensem hunc ingrato epiphonemate terminantem.

Successit eodem ferè tenore 1. Au- gusti (22. Julii) primam quadram ad- vehens, simulque aërem instabilem, frigidum, ventosum, tonitru & plu- viis quibusdam mixtum; Huic æqua- lis ferè 2. Aug. (23. Jul.) sudum, fri- gidum, pluviis ac ventis subinde va- rians 3. Aug. (24. Jul.) ad meridiem usque 4. Aug. (25. Jul.) amœnam re- duxit serenitatem, sed instabilem ac imbre pomeridiano dilutam. 5. Aug. (26. Jul.) turbidus manè & imbribus udus, à meridie quidem siccior, sed frigore horridus. 6. Aug. (27. Jul.)
totus

totus pluviosus & imbris madens, perinde uti & sequens 7. Aug. (28. Jul.) ingrato turbido & pluvioso aëre foedus. Omnes hi & præcedentes non nulli, quod Julii potiore partem, & Augusti initium insolito hoc anni tempore frigore, sereno licet non nunquam intercedente coelo, æstivam aliàs his temporibus debitam amoenitatem, deturparint, simulque factorum proventum, incrementum, & maturitatem impediverint, sicque annonæ caritatem induxerint, infames meritò audiunt & infausti dies, 8. Aug. (29. Jul.) novilunii 9. Aug. (30. Julii) apparentis antesignanus, & sequentes gratam ac æstate dignam, sed heu! serò nimis reduxerunt tempestatem, præter 13. (3.) qui eam à meridie pluviam, vento ac tonitru paululum turbavit, stabilem aliquando, ac nisi quod amoenitati pluviolam quandoque interspargerent, ad ultimam usque quadram, simulque terminum hujus mensis 31. (21.) nempe ejus, paululo prioribus frigidiorum diem percurabilem.

Septembris exordium 1. Sept. (22. Aug.) præcedentis tempestatem æmulatum, cum tonitru pluviam admisit, sic temperato aëre ac sereno ut plurimum coelo lenibus non nunquam pluviis à meridie præsertim alterato, reliqui subsequentes ad novilunium 8. Sept. (29. Aug.) incidens, quod temperatum aliàs udam imbris junxit vesperam, hæcque ratione 15. (5) addendo etiam procellam ad primam quadram 16. (6) orientem paulò præcedentibus frigidiorum procedendo, varioque sequentibus diebus, coelo 20. (10) temperando nubila serenis, moderato quandoque quoque frigore &

pluviis ad plenilunium 22. (12.) radians, inò ipsam ultimam quadram exiguo discrimine à præcedaneis discrepantes perrexerunt, sic simul 30. (20.) & hunc tertium tertii trimestris mensum absolverunt.

Morbi hujus trimestris primo mense, Julio nimirum præter scorbuticos affectus & hypochondriacos, alii non adeò frequentes fuerunt, febres fortassis non nullæ, tertianæ & continuæ, pleuritide quandoque tam verâ quàm spuriam stipatæ, colicæ passionis, hemicranicæ, catharri.

Secundi, Augusti nimirum febres variæ ardentes præsertim acutæ & continuæ cum & sine delirio, cephalæa enormi, & similibus febrium symptomatis comitatæ, non nunquam & diarrhoeâ contumaci, quædam etiam cum exanthematis variis, purpurâ, petechiis, rarò tamen nec usque quaque malignis. Nec defuerunt scotomæ, lipothymiis non nunquam complicatæ.

Tertii, Septembris febres rursus variæ, catarrhales præsertim vario typo luxuriantes, tertianæ tamen pleræque, continuas quandoque combinatæ, rheumata, leucophlegmatæ, vertigines, cephalææ graves & continuæ febrium præcedentis mensis ardentium & continuarum affectæ & pedissequæ, pleuritici dolores spurii.

Primordium ultimi trimestris mensis Octobris triste fuit 1. Oct. (21. Sept.) coelo existente frigido, turbido, ac pluvioso. Sequentes & quidem 2. Oct. (22. Sept.) frigida ac serena, 3. Oct. (23. Sept.) manè frigida & pluviosa, à meridie siccior & mitior, 4. Oct. (24. Sept.) manè nebulosa & frigidula, à meridie serena

& amœna 5. Octob. (25. Sept.) cum primâ quadrâ constantem ad 10. Oct. (30. Sept.) usque tempestatis amœnæ serenitatem induxit. Hæc decima nebulosa ac turbida tota fuit 11. (1.) & 12. (2.) plenilunio insignis; manè nebulosæ, à meridie serenitate aërem temperaverunt, quas sequentes ad 26. (16.) imitatæ. Hæc verò à præcedentibus turbidior paulò calidior ac udo aëre diversa, socias sibi sequentes duas ascrivit, 29. (19.) à meridie serena, 30. (20.) ultimæ quadræ dicata, tota nubilosa. Sequens 31. (21.) sicque mensis hujus postrema manè præcedenti similis, à meridie undosa fuit.

Morbos hic mensis paucos habuit, eosque scorbuto ut plurimum & hypochondriis originem debentes, præter febres non nullas tam intermittentes, quam continuas, malignas rariùs, diarrhœas, haud tamen frequentes, dysenterias paucissimas, epilepsias infantum quædam, dentitioni plurimum imputandas, arthritides vagas, sed & has scorbuticas, hystericas passiones.

November secundus quarti trimestris mensis à 1. Nov. (22. Oct.) ad 4. Nov. (25. Oct.) à pluvîâ immunes nubilos tamen dies præbuit, quarta serena quidem magis, ac frigida quoque magis fuit. Eam nebulosi, turbidi, frigidi & ingrati excepere dies, quos inter & 6. Nov. (27. Octobr.) Nova Lunâ distinctus, tempestate cæteris æqualis, ad 8. Nov. (29. Oct.) ejusdem tenoris, 10. Nov. (31. Oct.) nebulosum, turbidum & frigidum tulit aërem, sic & sequentes ad primam usque quadram 13. (3.) lucentem continuarunt, 14.

[4.] præter nebulam, quam dedit matutinam, prioribus similis fuit. Cujus defectum sequens 15. [5.] pluvîâ pensavit. 16. [6.] & 17. [7.] prioribus incommodis ventus addidere frigidus & immites. 18. [8.] à pluvia immunis, frigidus tamen adhuc & turbidus fuit. 19. [9.] ad ingenium undosum rediit. 20. [10.] cum plenilunio mitiorem paulò reduxit, sed turbidum etiamnum aërem ad noctem usque Lunæ radiis illustrem, quam frigidus, pluviosus ac procellosus secutus. 21. [11.] in gelu primum hoc anno desinens, ac 22. [12.] ut & 23. [13.] continuans. 24. [14.] à Serenitate præcedentium duorum deficiens pluvias turbido frigori miscuit. A quo dissimilis 25. [15.] gelidus fuit atque serenus. 26. [16.] perinde cœpit, sed in pluviam desuit. 27. [17.] amœnâ & serenâ tempestate, 28. [18.] ultimæ Lunæ quadræ, sudo, miti ac sereno cœlo, exemplo admodum hoc hyberno tempore ut raro, sic grato præivit. Sed æmulum nullum nec imitatore invenit. 29. [19.] à serenitate illa mox desciavit, temperatus tamen adhuc & siccus noctem habuit pluviosam, à sequente 30. [20.] ac hætenus ultimo hujus mensis die sicciore, mitiore, paululum tamen turbido hac in parte diversam.

Morbi, quos hic mensis aluit, haud frequentes fuerunt scorbutici plerique, defluxiones nimirum, externas potissimum partes passim invadentes, febribus catarrhalibus complicatæ, catarrhi quoque alii, ac tussis, eæque valde contumaces, arthritides vagæ, cephalææ, quartanæ non nullæ, colicæ passiones & nephriti-

phriticæ, ut & pleuritides, tam veræ quàm spurix, paucæ tamen. Cardialgiæ, anginæ, diarrhœæ, sed parvæ, dysenterix adhuc parviores. Id quod hic annus peculiare his locis habuit ob fructuum proventum valdè concisum; frigus enim ab ineunte vere calore frequentius, arborum floribus infestum, ne in fructus erumpere possent, obfuit, ac quidquid etiam hujus offensam effugerat, à frigore æstatis insolito & autumnii, ne vel adolesceret, vel maturesceret impeditum fuit; hinc sublatâ causâ sublatus quoque fuit effectus.

Postremus hujus ut quarti trimestris, hic anni mensis December primâ die [21. Nov.] turbidus fuit, procellosus ac frigidus. 2. Dec. [22. Nov.] serenior cum frigore gelu reduxit, sequentibus diebus ad novilunium 6. Dec. [26. Nov.] apparens & sequentes etiam usque ad 9. Dec. [29. Nov.] continuans. Qui glacialis initio in pluviam subito liquefscens, pluvias lenes per biduum durantes addidit, donec 11. [1.] primæ quadræ 12. [2.] lucentis anteambulo, cum serenitate gelu moderatum reddidit, ac eodem tenore ad 15. [5.] vesperam usque perdurans, 16. [6.] gelu mitiori aère turbido temperavit. Hanc vero insequens 17. [7.] manè gelu rigidus, à meridie austro satis austerè flante degelavit. 18. [8.] primas hoc anno nives plenilunii 19. [9.] appro-

pinquantis præcones sparsit, respirante simul aliquatenus gelu. Cui tamen rursus dies noctesque gelidæ & quidem non nullæ satis intensæ successe, nivibus quandoque 21. [11.] & 22. [12.] præsertim, quidensam manè adjecit nebulam, in aërem tamen elevatam, ac nivis raræ speciem stellularum ad instar recidentem, nec non 25. [15.] & præcipuè 26. [16.] ubere illarum proventu foecunda, ut & 27. [7.] ultimæ quadræ præcursor gelu moderatum nivibus intertexens. Ultima quadra 28. [18.] splendens copiosas nives primùm leni cum gelu tulit, mox flante circa vesperam Favonio planè eas colliquans: Quas tamen nox sequens rursus gelida quadantenus constrinxit; Sol verò 29. [19.] denuò solvit ac leniter degelavit. 30. [20.] gelu pristinum recuperavit vigorem, ac satis intenso rigore 31. [21.] mensem hunc simul Annum ipsum terminavit.

Morbos hic ultimus mensis genuit ad instar præcedentis febres sporadicæ, primùm varias intermittentes & continuas, & ex his quoque mixtas, catarrhales, malignas etiam, purpurâ, morbillis, variolis quoque variegatas, defluxiones, catarrhos, erysipelata, cephalæas, anginæ, ophthalmias graves, diarrhœas non nullas, & tusses contumaces.

Constitutio Epidemica Hassiaca Anni 1695.

Dni D. MICHAELIS BERNARDINI VALENTINI.

Missâ d. 27. Aprilis An. 1696. Gissâ Augustam Vindelicorum.

Constitutionem epidemicam Anni 1695. quod attinet, illa heic lo-

corum tolerabilis, & quæ DEI est clementia, benigna ferè fuit, ita quidem

quidem ut plures, qui ob tempestatum varietatem, & Proteiformes temporum mutationes morbos nobis fonticos prædixerant, in admirationem rapuerit. Licet enim Hyemem habuerimus variam & inconstantem, mox frigore, mox pluviis molestatam, succedente Vere præmaturo quidem, sed pariter inconstante: Licet quoque Æstas cum Autumno pluvia ut plurimum & uliginosa fuerit, interpositis æstibus quibusdam Solis subitaneis, affectus tamen leuiusculos, sensibus magis, quàm vitæ incommo-dantes observavimus. Si enim ullus, hic anni cursus sensoriis externis sum-mopere infensus erat. Sub Æquinoctio enim verno ophthalmiæ epidemiciæ grassabantur, interpositis verò Martio

& Aprili pleuræ collique inflammatio-nibus, à ventis inclementioribus præ-maturum Veris calorem suffocantibus & humorum stases promoventibus, sine dubio exortis, quæ tamen suctis medicamentis diaphoreticis & discu-tientibus facillè cedebant. Post Solsti-tium æstivale mense Julio ulcera au-rium quamplures infestabant, suppu-rata plerumque, quæ vel spontè, vel sudoriferis & balsamicis curabantur. Tandem sub Æquinoctiò autumnali Augustò decrepitò, inflammatio gin-givarum, linguæ & oris in homini-bus, in brutis verò pedum inflamma-tiones observavi hinc inde, quarum priores præmissis præmittendis, Tin-ctura ligni sancti felicissimè sustuli; posterioribus Veterinariis relictis.

Constitutio Epidemica Augustana An. 1696.

Dni D. Lucæ Schrôckii,

Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Præsidis.

QUAMVIS ANNI hujus ingressus aërem serenum, nebulis tamen matutinis & vespertinis ut plurimum comitatum, cum acri frigore ostenderit, mox tamen temperatior ac serenus, quàm subinde frigidiusculus, ut & mutabili sub Euri Zephyrique flatu pluviosus, rariùs nivofus intercedebat, fuit subsecutus; à Solis præcipuè in Pisces ingressu, usque dum Arietis signum attingeret, blanda adè spirabat aura, ut arbores consueto citiùs gemmas protrudere inciperent, ac præmaturo Ver adeste videretur. Quæ tamen constitutio varias in corpore alterationes produxerat, atque latentia in eo morborum

femina suscitaverat; unde ineunte mox anno feri in faucibus stagnationes catarrhosæ, tussesque pertinaces, ultra æquinoctium vernale plures civium infestantes, ut & postea febres purpureæ, variolæ, intermittentesque febres oboriebantur. Quas tusses, præter Pilulas de cynoglossa, vel sty-race, nocturnum quietem, serum acrius contemperando, spiritusque agitados sopiendo, parvâ dosi sumptas, feliciter conciliantes, variis temperatioribus pectoralibus, Aquis, sirupis, Pulveribus, Electuariis, Tincturis, fibras partium spiritualium irritatas demulcentibus, pungentia acris lymphæ spicula obtundentibus, ejus-

ve visciditatem resolventibus, interpositis blandissimis laxativis, præsertim Infuso thee vel veronicæ, aut hydromelite, foliis sennæ imprægnatis, profligare datum fuit. Phthificos tamen aliquot citatori gradu ad sepulchrum deductos vidimus. Febres purpureæ in adultum usque Ver non puerilem saltem ætatem, sed provectiorem quoque, adolescentes æquæ ac seniores, passim invadebant; aliquos mitissimè habebant, ut nec lecto se committere opus haberent, neque etiam liberiori aëri expositi læderentur, ac sine ullo medicamento, intrà biduum vel triduum convalescerent; in non nullis verò gravius insurgebant, & cum notabili calore, debilitate, ac præcordiorum compressione, vigiliisque, lecto per octiduum, vel longius affigebant; temperatioribus tamen diaphoreticis, antimoniatis, cinnabarinis &c. effervescentiam impuriorum massæ sanguineæ particularum refrænantibus, coagulationem ejus inhibentibus, illarumque per cutis poros eliminationem promoventibus, cedebant: nec deerat in quibusdam contagium, quod uxori à marito, & vice versâ communicatum observavimus: oriebantur, præcedaneo ut plurimum horrore, primò per universû corpus parvæ, rubræ maculæ, sensim dein majorem in amplitudinem se dilatantes, ac tandem aliquibus in locis, dorso imprimis, squamularum instar cuticula decidebat; aderatque in omnibus oculorum pruritus: in non nullis rubedo, tussis molesta, corporisque pruritus. Quibusdam erysipelatis nomine donabatur, mihi febris purpureæ benignæ species, quæ D. Thomæ Sydenhamio in-

obs. med. circa morbos acut. sect. 6. c. 2. febris scarlatina audit, commodissimè appellari posse videbatur, quamvis hanc ipsam commodè quoque ad morbillos referri potuisse, cum D. Richardo Mortono, Pyretolog. part. 2. exerc. 3. c. 5. non negaverim; quo etiam nomine Vulgo nostro communiter appellabatur. Variolæ puerili saltem ætati infestæ, primò mitissimæ comparuerunt; quamvis enim pro more suo ante eruptionem calore præternaturali, capitis, oculorum, ventrisque dolore, vomitu, levioribus convulsionibus, atque deliriis, timorem in quibusdam incuterent, ubi tamen prodire inceperant, cuncta pacatiora fuerunt redita, atque inter paucorum medicamentorum, v. gr. antimonii diaphoretici, cornu cervini philosophicè præparati, lapillorum gammarorum &c. vitiosæ lymphæ turgescentiam moderantium, & acriores ejus particulas absorbentium, usum, tempus suum absque insigni molestia decurrerunt: inprimis ubi primæ corporis viæ prius lenioribus laxativis fuerunt mundatæ, à qua lustratione vidi, qui, signa imminentium variolarum, cephalalgia, dolor ventris, & calor febrilis, licet jam comparerent, ipsique in eodem cum aliis variolosis loco decumberent, sine iis convaluerunt. Postea tamen, vere adulto, quosdam vehementius, & non sine malignitatis nota, adfligere ceperunt, quin & trucidarunt; quos inter puella septennis facilè earum eruptionem ferens, erat, in qua tamen, præsertim in facie, die quinto, post iteratos aquæ frigidæ potus, quasi subsistentes, crustâ saltem

quasi aliquâ depreffione, eandem obducebant, sanguis alvo crebrior excernebatur, & hinc inde, in faucibus potiffimum, nigræ pustulæ comparabant; cæterum mente sibi constans, nec aliàs malè se habere adstantibus visa, die septimo obiit; postquam ejusdem sororcula, paucis ante diebus, sine ulla ferè cura medica decumbens, depreffionibus etiam variolaceis crustis ubique obducta, itidem esset demortua. Febres intermittentes non quidem in adeo multis observabantur; quos tamen invadebant, in iis sine intenso calore, aut siti, nulloque, ut plurimum cum horrore, alternis, aut singulis diebus recurrebant: in omnibus, paroxysmo præfente, maxima de præcordiorum compressione, atque in regione dorsi his opposita, usque ad nucham se extendente dolore, querelæ audiebantur, ab austeriori lymphæ, quæ in glandulis stomachicis & œsophagi colligebatur, spasmodicæque fibrarum nervearum corrugationes excitabat, inductæ; pro varia etiam ægri constitutione, varia alia symptomata concurrebant: virum consistentis ætatis curandum habui, qui post superatam feliciter febrem continuam, paulò post alterâ illâ, non tantum die recurrentem, & tertio paroxysmo terminatam, intensissima cum pectoris & præcordiorum compressione, pulsu debili, respiratione tamen liberâ, correptus fuit; cujus etiam uxor, septimo mense gravida, post unicum talem eodem tempore perpeffum vehementè paroxysmum, immediatè partus doloribus prehensa, sævissimisque totius corporis convulsionibus exagitata, foetum

vivum, pauculos post dies demortuum, inscia excluderat, sensimque denuò convaluerat. Cæterum pro morbofo austero viscidoque humore attenuando & enervando, præter urinosa volatilia, cortex Peruvianus suo hîc egregiè fungebatur officio; ita tamen ut alvus simul esset sollicitanda, partitisque vicibus excrementitii humores lenioribus pharmacis educendi.

Nec hysterici adfectus non multum diversa à causa oborti, atque loco tantum, in quo sedem fixerat illa, fortasse discrepantes, hîc reticendi erunt, qui hoc tempore aliquo maritatas foeminas, non gravidas, tum quæ menstruæ sanguinis evacuationi erant expositæ, tum quæ per ætatem eâdem destituebantur, vehementer excruciarunt, dolores nempe in lumbis ardore molestissimi, versusque pubem se extendentes, ac incertis periodis quotidie ferè affligentes, quos tepidæ, & uterinis herbis alteratæ aquæ balnea, multum demulcere, essentiaque castorii volatilis opio immixto, profligare poterant.

Post Æquinoctium vernum horridior magis constitutio amœnitatem priorem exceperat, mutabilisque primò aëris temperies, mox frigore & Euri inclementiâ molestior fuerat; quam Sole in Tauro versante, calidior, pluviis tamen subinde comitata, exceperat; & postquam die II. (21.) Maii horâ decimâ vespertinâ levior terræ motus, quem post quinquehorium vehementior subsequeretur, Urbem concussisset, atque manè densior nebula, (utrùm à vaporibus motu illo ex terra in auram emissis elevata? nescio; quamvis per inte-

gros duos menses, neque ante, neque post hanc terræ conquassationem ulla alia Urbem nostram ambierit) à sole tamen orto facile discussa, successisset, frigidiorum subinde Jovem, & ubi sereno calore mitiorem quandoque se præberet, mox à tempestate ingruente denuò defervescentem, crebrisque pluviis terram madefacientem, persensimus; interea verò, præter dictas purpuras, tusses, variolasque, pleuritides etiam veræ, cum deliriis, febre, cæterisque consuetis symptomatibus, exserere se cœperunt, à venæ-sectione, ubi dolor urgebat, diaphoreticisque absorbentibus dictis, & expectorantibus auxilium expertæ.

Nec deerant, cum Sol ad Gemellos accederet, (præter tertianas & leviores ad guttur catarrhos ac uvulæ prolapsus) febres petechiales, in superiori ferè Civitatis parte tantum, quæ meridiem spectat, imprimis etiam in Xenodochio publico, stragem multorum è plebe edentes; quarum contagium ex vicinia à famulatio Xenodochii allatum credibile erat. Mihi quamvis paucissimi talium ægrorum tractandi occurrerint, deprehendi tamen, hos, qui in morbi principio alvum adstrictam Antimonii diaphoretici largiori dosi, paucissimis Diacrydii sulfurati granis permixti, multis inde excretionibus subsequenter, expurgarant, evasisse; aliis duabus fœminis, quæ sine tali medicamento fuerant, mortuis; quamvis utramque diu morbum celasse, & non nisi extremè ab eo coactas, lecto ac medicamentis se commisisse, sicque morbi periculosa principia neglexisse, fatendum sit.

Toto ferè Mense Junio, & Julii principio, Zephyri ferè semper inclementiam experti fuimus; qui præterquam quòd terram, pluviis equidem multoties madefactam, plurimum exsiccaret, frigore etiam ingrattissimo corpora nostra offendebat, sicque à natura sua planè descivisse videbatur, cum alias humidam calidiorumque temperiem nobis conciliare soleat; Euro è contra, serenitatis aliàs & siccitatis nobis indice non fallaci, in mensis Junii initio pluvias præter morem accumulante. Sed ante solis in Leonis signum ingressum, posteaque ad ejusdem usque inde egressum, calores huic tempori convenientes satis insignes persensimus, quos tamen continua ferè ventorum, Zephyri imprimis spiratio, pluviis subinde intermistis, nunquam diuturnos esse permittebat. Interea Morbona magnas dabat inducias, nisi quòd circa Caniculæ occasum variolæ & morbilli (qui posteriores per reliquam subsequenter anni partem in aliquibus paucioribus sparsim efflorescere pergebant) denuò puerilem ætatem majori numero, admodum tamen benignè invaderent, ut major ægrotorum pars levioribus remediis, sine Medici opera convalesceret.

Et quamvis, à lymphæ, ob turbatam insensibilem transpirationem, viscidioris cœacervatione, & hinc in varias stagnationes pronitate, atque ex admixtis heterogeneis particulis aliis depravatione, quatuor postremis mensibus, vagi articulorum dolores, primà in aliquibus invasione coxæ tantum infesti; Mense Septembri insuper, post frigidis sicque

eosque Zephyri impetus, diarrhœæ & dysenteriæ; Octobri, tolerabilior rem aëris temperiem usque ad Decembris finem, qui frigore intenso nivibusque stipato comparuit, educente, præter febres petechiales, immaturæ æquæ ac provectiori virginum ætati, nescio quo fato, imprimis infestas, catarrhi, qui tussis molestiam excitabant, aut etiam in apoplexiam fortem, leviorive desinebant, observarentur; quin & adultus Autumnus indolentes genarū tumores Oedematosos, tussim humidam, asthma, in

quibusdam febre intensâ comitatum, & catarrhos suffocativos produceret, non adeò multi tamen hisce epidemicè, morbisve aliis sporadicè ægrotare deprehendebantur, tamque otiosa alcyonia nobis notabantur, ut non leves ad nauseam usque, aliquorum, quibus ex morbofo aliorum infortunio lucrum capere volupe est, querelæ subinde exaudirentur, cum interea, quæ lymphæ stagnanti debitam fluiditatem conciliare, abundantemque ex corpore eliminare volebant, medicamenta salutarem operam navarent.

Constitutio Epidemica Berolinensis An. 1696.

Dni D. Gustavi Casimiri Gahrliæ missa d. 25. Februarii

An. 1697. Berolino Augustam Vindelicorum.

ANni 1695. mensis ultimus vario variatus Æthere, temperatū rigido miscuerat gelu. Hoc ipso tenore, in gelu tamen adhuc quàm calorem magis propenso, Januarius sequentis Millefimi, Sexcentesimi nonagesimi sexti anni initium, stylum Gregorianum si sequaris, ad 10. ejusdem usque perseveravit, à 1. 10. st. Juliano ad ultimum ejusdem seu 22. 31. aëri udo, pluviis ac nivibus quandoque intermixtis, paucis tantum sparsim intercalatis diebus gelidis, ac paucioribus adhuc serenis, remisso ferè penè penitus frigore delens, hyemis, aliàs ordinariæ hoc mense, loco veris primordia substituens, integrum sui dimensum absolvit.

Succedit hinc Veris quasi prænunciatus Februarius, quem, si paucas no-

ctes exceperis, aliquatenus gelidas, nonnullosque dies nubilos ac pluviosos, serenitate atque amœnitate, prolectis etiam in hortis, meo quoque, floribus, Colchico, Croco vernali, & similibus præcocibus, cum vere certantem, Majum potius, quàm Februarium dixisses.

Quem Martius excepit frigus, noctibus præsertim gelu rigentibus, ac diurnis nivibus, pluviis, & grandine quandoque, cum solis splendore sed rariori alternantibus, florum ulteriorem proventum intercipientibus ad 17. 27. usque qui cum sequentibus verno fudo ac tepore gratus hunc primum anni quadrantem terminavit.

Venti uti in hoc, sic in sequentibus fuerunt pro Ætheris varietate varii, nec ullo ordine enumerandi.

Januarii morbi fuerunt præcipui, Febres ardentes ac malignæ diversis symptomatis stipatæ, ac malignitatem, nunc hujus, nunc alterius generis exanthematis prodentes, præfertim variolis, epidemicè grassantibus, partim malignis, & confluentibus, partim benignis, quæ à subsequenter postea morbillis exceptæ non nunquam & petechiis mixtæ.

Februarii febres variæ, catarrhales, ardentes, malignæ etiam, petechiis & morbillis suspectæ, ut & pleuritides non nullæ fuerunt.

Martio mense rariores fuere febres, molestæ tamen ac quædam malignitatis non expertes: præterea & intermittentes non nullæ, tertianæ potissimum, raræ quartanæ. Ophthalmiæ denique & oculorum inflammationes, tam hoc, quam præcedentibus & sequentibus mensibus frequentes, contumaces valdè, ac quædam etiam periculosæ. Defluxiones ut plurimum à capite ad partes subjacentes, pro causa agnoscentes.

Febrium illarum epidemiarum occasionem præter ætheris & aëris perpetuam varietate turbati, varia contenta cum aëre hausta, ac in corporibus continuam illam aëris mutatione, accedente diætæ non nunquam inordinatæ vitiis, sic vel aliter prædispositis, humores fermentando momentia, & in orgasmum illum præternaturalem cientia, sicque nunc hæc nunc aliâ ratione exagitantia, atque ad separationem & expulsionem particularum noxiarum ipsis communicatarum, sed iisdem infestarum stimulantia. Qualia autem sint illa miasmata, cujus naturæ, substantiæ, materiæ, formæ, quarumve

qualitatum & accidentium, aut, ut cum modernis loquar, cujus configurationis, texturæ, motus, activitatis &c. determinare meam transcendit, ut ipsum Æther, ingenii mediocris, & ob ætatem quodammodo jam torpentis, spheram, hujusmodi subtilitatibus neuiquam quadrantem.

Aprilis à primo die Styli Gregoriani aut 22. Martii Juliani, paucissimis sparsim intercedentibus diebus pluviis uti 31. 10. Martii hujus circa vesperam, ac quibusdam ventosis uti 5. 15. 8. 18. 9. 19. 10. 20. 13. 23. & sequenti ad meridiem usque, omnes ferè à frigore nocturno, diurno verò tepore remittentes, ad æstivum calorem paulatim & serenitatem transeunt, æstatem penè loco veris induxit.

Quo prope tenore Majus etiam, variato licet non nihil & aucto dierum ab æstiva amœnitate deflectentium, frigidorum, turbidorum, & pluviosorum numero & ordine, processit ac transiit.

Junius magis fuit Majo & quotidie ferè, serenitate tamen nonnunquam sed transitoria intercedente, pluviosus & quandoque nimbosus.

Morbi mense Aprili parci fuerunt, paucisque funesti, præter enim continuantes adhuc oculorum inflammationes illas contumaces, sparsasque hinc inde febres, tam intermittentes, & inter eas & quartanas simplices & duplices, sed raras, quam continuas, imo & quædam malignas erysipelatodes, pleuriticas, & morbillosas, vix alii occurrerunt hoc mense morbi.

Majus paulò copiosiores morbos tulit,

tulit, sed Epidemium nullum, nisi prædictas sæpius ophthalmias & inflammationes oculorum, febresque quas cum Aprili ferè communes ac convenientes habuit.

Junio Mense, pauciores adhuc, scorbutum, præcedentibus quoque mensibus non rarum, & veneream luem, sororios illos, illam malignitatis pravæ, hunc pravitatis spurcæ, sed sub illius larvâ sæpius latentis, stigmatè notatos, nimis hic, pro! omni tempore frequentes, si demseris, fuerunt.

Cum pauci hi, qui hoc trimestri fuerunt morbi, cum prioris trimestris morbis genio & moribus fere convenerint, causæ quoque eadem aut parum diversæ procul dubio eos produxerunt, insolitus præsertim his locis hoc anni tempore calor æstivus ferè; Quod verò rariores fuerint, aëris æquabilitas & perpetua fere calori moderato juncta temperies, serenitas & amœnitas. Talis enim cum fuisset Aprilis, nec Majus ab eâ admodum deflecteret, paulò quidem plures, sed ejusdem ferè farinæ morbos aluit: Prædictos si exceperis, qui omnium hîc temporum dici merentur, sicque ex parte endemii. Qui etiam Junio mense magis, ob aëris majores turbas, frigusque cum cœlo pluvioso quandoque recrudescens, illis affectibus præcipuè infestum malitiæ suæ & infamiæ notas exseruerunt, ac Medicis proinde plus atque Chirurgis negotii facefferunt.

Julii initium turbido primâ die cœlo, tonitru secunda superaddidit. Succedente æstivo unius alteriusve diei æstu, pluvias tandem sudo ac

tranquillo temperatoque aëri nonnunquam intersparsit ad Caniculæ usque ortum, qui aliam aëri faciem frigidam procellosam ac nimbosam induit, sudo tamen sequentibus diebus interpolatam, ac æstu gratis subinde Etesis, ac pluviolis suavibus temperato emendatam.

Augustus Julio, vario tamen non nihil mutationum tam aëris quam æstus ordine, amœnitate ac temperamento respondit.

September 22. Aug. st. v. Imo die mox procelloso & nimbofo ab æstivo aliquatenus calore, simulque amœnitate præcedentium mensium gratia recessit, atque frequentiores aëris turbas, ventos, pluvias, temperamento præcedentium addidit.

Morbi mense Julio, præteriti Junii morbos tam paucitate quam motibus æquarunt, propter affinitatem forte temperiei aëris. Nisi quod Catarrhi ac tusses ob repentinam cum Caniculâ ingruentem caloris æstivi præcedentis in frigus, pluvias & nimbos mutationem, ac effectus alii scorbutici paulò frequentiores hoc mense, quam præcedenti fuerint, pleuritides quoque non nullæ, & anginæ satis frequentes, à defluxionibus scorbuticis ortæ, valdè contumaces ac periculosæ, eo præsertim symptomate, quod ut plurimum in tumorem grandem ac apostema tandem juncturam ac processus maxillæ inferioris occupans, idque cum cruciatibus insignibus, donec nimirum maturuerit ac internè spontè crepuerit, maxillam immobilem reddens, sicque oris apertionem ac cibi assumptionem plures dies præcluderent, fame ferè pereundum fuerit affectis, desierint.

Quod

Quod tamen incommodum & periculum non nulli imposito maturè emplastro resolvente & discutiente, sicque discusso tumore evaserunt.

Causam hujus symptomatis sanè peculiaris, si quis præter communem omnium phlegmonum ac tumorum, affluxum nimirum & stagnationem incrassati aëre prædictò, frigidò ac uvidò sanguinis, desideraverit, ac cur juncturam illam potius quàm illam faciei aut colli partem affecerit? quæsierit & flagitarit è principiis mechanicis eruendam juxta hodiernam Medicinæ theoriam, hunc ad perspicaciores me, nondum in his apicibus satis exercitato, & veterum adhuc placitis quadantenus inhærente remittere cogor.

Augustus, ut & ex parte September sequens, quasdam adhuc affectus servavit reliquias, in cæteris quoque Julio mensi morborum varietate ac febrium præter catarrhales non nullas, raritate conformis.

September prædictis febres quasdam, etiam ardentes, asthmata, anginas, rariores tamen, inflammationes oculorum, aliaque similia symptomata superaddidit, aëris procul dubio ab æstivo fervore in autumnale frigus & udum ætheris temperamentum jam degenerantis, soboles.

October primùm biduum Septembris æquavit exordium frigore, aëre turbido, ac pluviis. Alterum biduum sudo ac temperatè calido Æthere acceptum, sequens triduum pluviis, vento frigido, ac aëre turbido incommodum, quatrinduo tandem amœniori rursus pensatum. Cæteri ad 10. 20. usque, vario coelo, si frigus autumnale, moderatum tamen

exceperis, temperati, pruinâ nocturnâ sequentis gelu nocturni, prænuntiâ, hyemem præcocem minatâ, dubiam reliquis diebus serenitate satis stabili ventis rariùs pluviisque interpellatâ, cœli faciem, ac frigoris intensioris aliqualem tandem metum fecerunt.

November à primo, excepto solum 27. 7. October; qui totus undosus, ad 5. 15. usque serenitate ac amœnitate aëris, Verni ferè commendabilis, frigore postea auctiori & intercalatis diebus nubilus, ventosis atque pluviosis paulò inamœnior, temperatus tamen adhuc, hyemis exordium satis tolerabile, ad ipsum usque sui finem effecit.

A Decembri non minus, quàm initium tolerabili, exceptus, ad 30. 10. Novembris usque serenum ac gelidum. Qui mutatâ facie nivem primam pluviis non nullis intermixtam, sequenti mane tulit, cui gelu postea, ad ipsum usque sui ipsius & anni finem, remissius quidem non nunquam, ac nivibus paucis interpolatum continuans successit.

Morbos October præter prædictam in guttur & Maxillæ juncturas febrili catarrhali junctam, defluxionem, nondum planè defævientem, Arthritidem vagam scorbuticam, Nephritim, Hypochondriacos quosdam affectus & scorbuticos aluit. Præterea diarrhœas non nullas, parcas tamen, choleram: Dysenterix verò, utut proventus hoc anno fructuum arboreorum satis fuerit, gulâ adhuc non otiantem, oppidò raræ, id quod admiratione non indignum.

November Pleuritides frequentiores, ut & affectus non nullos hystericos,

ricos, colicos, scorbuticos, oculorum inflammationes, catarrhos, tuses, & id genus alios, autumno frigido & pluvioso, nimbofo & aliàs variato Ætheri debitos; Febres præterea catarrhales, continuas initio, mox accessionibus & paroxyfmis interpellatas, in ardentem quoque quandoque easque malignas degenerantes induxit.

December præter enumeratos Hæmoptoën quandoque, etiam non præfente aut præcedente pleuritide, Rheumatismos, aliasque defluxiones varias, scorbutis non nunquam mixtas prodidit.

Causas horum morborum, & symptomatum eos stipantium, præter

diætæ vitia, & obnoxiam hinc fortè aut ob nativitatis stigma, corporum ad recipiendas varias tum ab aëre frigido & humido autumnali, frigido vero & sicco hyberno injurias, tum ab exorbitantibus animi pathematis molestias ac viciffitudines prædispositorum diathesin, indeque nascentes humorum alterationes, fermentationes, ebullitiones, alias assignare aut determinare vix ausim; Quod si verò quis certa quædam, sed vix præcognita aut dignoscenda, nedum definienda Ætheris miasmata, occultis, sed nunc in exilium actis, qualitatibus valde affinia, accusare velit, huic haud difficulter astipulabor.

Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Academiae Præsidi, Perillustri ac Generoso Domino Dn. LUCÆ SCHROKKIO, Sac. Cæsareæ Majestatis Archiatro, ejusque Personæ Imperialis Medico, S. R. I. Nobili, Aulae Cæsareæ, Palatii Lateranensis, & Consistorii Imperialis Comiti, Academiae Patavinæ Recuperatorum Collegæ, ac Reip. Augustanæ physico ordinario, Patrono ac Fautori Magno,

Salutem Officiosam

Conradus Bertholdus BEHRENS.

CUm nullas unquam ab Illustri Generositate Tua literas accipiam, in quibus non subinde, continuationem historiæ Epidemicæ semel cœptæ, hortaris: Tum imprimis singulare illud Societatem nostram exornandi, ac medicam rem promovendi studium, ex proximis luculenter apparet. Ego verò, quamvis hætenus urgentibus viris magnis, & quorum jussa capeßere fas est, Genea-

logicis edendis occupatus sim, non tamen parerga hæc, tanto apud me loco sunt, ut res, quibus totum me dedicavi, artis scilicet nostræ, sive apud ægros faciendæ, sive scriptis illustrandæ iis postponam; Ac propterea multo citius Generosa Tua magnificentia me officio meo defunctum vidisset, modò materia historiæ Epidemicæ consignandæ apta se obtulisset.

2. Post solstitium enim vernali elapsi, & luctuosissimam patriæ nostræ variolarum luen, vix cum media æstate defervescentem, quin adhuc sporadicè grassantem, parum dein ea æstate circa morbos accidit, quod quidem Epidemici nomen mereri, aut scriptioni ansam suppeditare posset; Neque enim quod unus atque alter inordinatæ diætæ usus, animique affectibus abreptus, tertiana seu duplici, seu simplici, colico dolore, vel si sexum attendas hysterico corripiatur, hic sanguinem spuatur, istum calculus torqueat, hypochondriaci aëre nubilo, & circa solstitia magis angantur, alius alio modo laboret, Epidemium statim est; si quidem nec adeo multi eodem tempore, & ex causa communi uno dictorum morborum affligebantur. Pleuritides quidem nothæ, & peripneumonix pituitosæ uti apud nos omnium temporum morbi sunt, ita & subinde iis quidam tam adultæ, quam minoris ætatis decumbunt, verum nec illæ singulari aliquo symptomate, ceu vulgo in constitutionibus Epidemiis fieri solet, stipatæ erant, nec causæ aliqujus universalitas accusari poterat, inter sporadicos affectus tum potius numerandæ.

3. Illud verò forte huc referri posset, quod mulieribus, quales ego intra duorum circiter mensium spatium non paucas novi, circa æstatis declinationem frequentes effluxus essent; cum mensibus per duos tresve circuitus subsistentibus, & nausea quadam comitante, ut & aliquali ventris intumescencia superveniente, gravidas se arbitrarentur, postea verò abortis derepentè dorli lumbo-

rumque doloribus, parturientium hæud absimilibus, cum maxima anxietate, hystericaque syncope, grumi sanguinis enormes, massula informis, substantiam modò vesicalem, modò pinguedinem membranofam referens, in medio tamen cava, humoremque mephitin olentem continens, excideret, ac sanguis primò foetidus, grumosus, dein verò floridus in magna copia excerneretur, & ægræ, veluti puerperæ, per aliquot septimanas lecto affixæ decumberent, donec sensim restitutæ, pristinae sanitati redderentur. Forte autem quis dubitaret, an circa generationis & pariendi negotium epidemici quippiam accidere posset, egoque ipse primò anceps hæsi: Cum verò annum hujus seculi octuagesimum quintum gravidis valde noxium & perniciosum exstitisse, & hæud absimiles abortus provenisse diversis in locis, Excellentissimi Viri *Hannæus* & *Müllerus*, in Decuria secunda, anno quarto & sexto Miscellaneorum nostrorum, notarint, expedita res est, nec video quo pacto & effluxus ejusmodi Epidemicè contingere posse quispiam negare posset; Ab aëre verò sanguineam massam concitante eosdem dependisse non arbitror, namque eo modo & alios ejusmodi fermentativos effectus, diarrhoeas scilicet contagiosas & dysenterias habuissimus, de quibus tamen illo autumno vix quippiam apud nos auditum, siquidem unum atque alterum junioris ætatis viridia dejicientem, aut colicas quasdam adultorum excretiones exceperis. Nec malum cibum potumque, quamvis aliàs ad constitutiones morborum

epidemias suum symbolum conferant, hic quippiam attulisse opiner, alterius enim sexus tantum labes erat, & personarum in statu certo constitutarum. Arbitror verò ejusmodi mulieres, individuali, si ita loqui liceat, sua corporis massæque sanguineæ constitutione ad effectus hujusmodi concurrisse. Cum enim præque illarum circa tempus vernalis febriles insultus perpessæ fuissent, ac ab eo tempore ventriculi imbecillitate laborarent, hinc massa sanguinea nondum debite restaurata, nec spiritus animales vigorosos suppeditante, ovula quoque muliebria debite constituta esse non potuerunt, ut ea propter, quamvis à femine virili fecundata, & ad uterum promota, tamen contentorum staminumque expansionem pro corpusculo foetus sensim effigurando, adipisci non potuerint, sed in informes massulas excreverint, ac mora putredinem contrahentia partes uterinas ad excretionem ejusmodi & effluxus stimularint, conferente symbolum suum sanguine matris ichoroso & acriori. Rem certè ita se habuisse, vel inde palam evadit, quod quædam eo malo affectarum in cachexias lethales delaberentur, aliis cum tempore ad statum naturalem devenientibus. Cum verò debilis ejusmodi constitutio à causa communi, febribus scilicet vernalibus dependerit, hinc quoque ratio epidemia effluxuum magis patescit. Uti enim rectè observat Illustris *Ramazzinus* in Dissertatione prima, Epidemii morbi non constitutionum præsentium, sed præcedentium producta sunt.

4. Et hæc quidem ante solstitium

hyemale; Illo verò ingruente, ac aëre magis boreali existente, juniores, qui circa æquinoctium vernale variolis laboraverant, maximè infestabant tusses acres & convulsivæ, peripneumonix, febresque forte eandem ob rationem, quod digestionem scilicet ab eo tempore imbecilliori existente, sensim sensimque exhalantibus scilicet per æstatem partibus tenuioribus, multa viscida ac acris pituita in præcordiis se accumulavit, & superveniente aëre boreali, acorem contraxerit, similique modo sanguinem infecerit, ut deinceps hæc quasi in peripneumonias & pleuritides nothas, aut quoque simplices diaphragmatis irritationes, quarum producta convulsivæ tusses sunt, collimarent. Atque uti in tussi nihil magis conducebat ac lenientia, acrimoniamque demulcentia, ita quoque plurimi, laxativorum imprimis beneficio, in integrum restituebantur, non pauci tamen convulsionibus supervenientibus, ante primum septendium suffocabantur.

5. In Adultis verò eo tempore præ cæteris quoque affligebant peripneumonix, pleuritides, phthises, arthritides vagæ. Peripneumonix, pleuritidesque, post solstitium hybernum in majori copia, pituitosæ magis, ac tunc quidem senibus maxime lethales. Incipiebant cum dolore ventriculi tensivo, dorsi quoque ac cordis angustiis. In quibusdam pleuritide notha decumbentibus, & quibus aliàs hypochondrii sinistri dolores molesti erant, diarrhœa quædam serosa, ramentis interdum sanguineis comitata, cum levamine superveniebat.

6. Phthi-

6. Phthifes quidem omnium annorum circa autumnum morbi sunt, tum tamen vitio magis præcordiorum existere videbantur, cum eorundem, hypochondriique imprimis sinistri dolores frequenter concurrerent, flatulentia vomitusque æruginosi, nec sputum cruentum esset, quod ipsum tamen, siquidem phthifes hæ primario à pulmonum ulcere dependissent, continuo cruentum esse debuisset. Non autem novum, dari phthificos toto morbi decursu nihil omnino cruoris ejicientes, notavitque post alios id anno nono Decuriæ primæ *Miscellaneorum nostrum Excellentiss. Dn. D. Scharsius*, in juvene phthisi ex sputo sensim post nimium opiatorum usum suppresso, exemplo licet huc non admodum quadrante, illud tamen, quod volo, abundè probante. *Zacutus Lusitanus* ejusmodi phthifes incruentas Asthmaticas vocat, quæ ipsa tamen denotatio apud ægros nostros locum non invenit, non enim memini quosdam ex iis Asthmate simul laborasse, nec in iis qui forte obierunt, Vomitas simul adfuisse suspicor. Phthifes enim nostræ pleræque vel ex catarrhis existebant, vel ab humoribus in præcordiis corrosivam ferè aciditatem contrahentibus, similique qualitate serum sanguinis, sputi materiam imbuentibus, dependebant. Hinc etiam in non uno sputa æruginosa notabantur, in aliis etiam biliosa; Non tamen adeò semper lethales erant, quin aliquot ab omnibus pro deploratis habitos, solo lactis caprilli potu, utpote optimo & nunquam satis laudato, corrosivam ejusmodi succorum sanguinisque acrimoniam cor-

rigente, partim restitui, partim adhuc Servo, cum reliqua auxilia acori opposita, modò ignea sua volatilitate febrem comitem augerent, modò salinis spiculis tussim magis irritarent, decocta autem pectoralia tonum ventriculi admodum laxarent, & ægris appetitum omnem auferrent. Lac verò ipsum, methodicè tamen usurpatum, notante id simul *Illustri Wepfero*, Medico quondam nulli secundo, in Epistola ad Verzascham, hypochondria emendet, febri lentæ resistat, habitum firmiorem, colorem nitidiorem, viresque robustiores conciliet, quin novos planè homines efformet, methodicè dico usurpatum; namque in biliosis complexionibus, aut ructibus jam existentibus acidis assumptum, per Vomitus instar materiæ caseosæ rejectum vidi, quique in prandio pisces, aut alios cibos inconvenientes subjungebant, iis febris de nocte augebatur.

7. In febribus tertianis quartanisque, quæ tamen admodum paucæ, magis ac alias insignis dorsi dolor notabatur, & vomitus in paroxysmis molesti erant. Quartanæ tamen non admodum rebelles existebant; & aliquot vulgatissima methodo, & remediis fere domesticis absque corticis Peruviani usu fugavi.

8. Arthritides autem vagæ præludia erant scorbuti cum novo anno secuturi. Dolores modo totum corpus corripiebant, de membro in membrum, aura citius, desilientes, in quibusdam etiam tubercula subito erumpebant, mox iterum evanescentia, cum subsequente leviori paralyfi. Inter consueta contra hunc morbum remedia mixturam simplicem sa-

tis laudare nequeo; quæ uti aliàs divinum remedium in plurimis morbis existit, ita & hîc debita cum circumspèctione usurpata, nunquam me quod sciam refellit.

9. Cum novo verò anno aër, rarissimo valde, nec senibus observato exemplo, planè æstivus, tepidus ac humidus, ultra duos menses constanter perstitit, ita ut ne pruina quidem noctu terras obtegeret, & ranæ coaxare inciperent. Sub ipsum æquinoctii tempus nix iterum & hyems per aliquot septimanas valde aspera, unde & morbitum majori numero ingruiebant, ceu fieri consuevit temporibus anni debitam suam constitutionem non servantibus. Ex iis verò erant Apoplexiæ, defluxiones, Febres varii generis, cachexiæ, scorbutus.

10. Apoplexiæ, non senibus tantum, quorum aliàs morbus est, sed & iis, qui vegetæ adhuc ætatis, contingebant; Ægri subito animo linqvi videbantur, quibusdam per somnum obveniebat malum. Non tamen adeo lethales erant, sed lymphæ nervosarum partium obstructionem extravasatione suâ causante, seu ope sudoriferorum volatilium, seu quoque propter febrim interdum unâ supervenientem resoluta, inque motum iterum comitata, circa diem octavum plerumque terminabantur, absque remanente paralyfi. Quibusdam rubedo in parte quapiam externa, altero ab insultu die superveniebat, quæ tamen topicis resolventibus facile cedebat. Nec tamen omnes qui subito ita interibant apoplexiâ propriè dictâ extinctos opiner. Quidam non infimæ fortis vix trigesimum ætatis annum excedens, & ex frequen-

tiori erysipelate sinistrum pedem tumidiorem gerens, per octiduum de gravitate cordis ac oppressione ejusdem, ut & punctione in latere dextro querebatur, cui ut levamen daret, venam in brachio aperit, sanguine nimis largiter educto. Altero vesperi inter choreas subito animo defecit, stertit & dicto citius extinguitur, cadaver mane apertum, & quantum in tumultuario isto casu licuit, pervestigatum, viscera partesque omnes, præterquam pulmones sanas retulit. Ex his enim lobus dexter undique annatus, & parenchyma ejusdem per transversum dissectum, abscessibus sinuosis obsessum se præbuit, haud absimilem in modum, quem notarunt in Miscellaneis nostris Excellentissimi Viri, & quidem Decade prima, Anno secundo *Dn. Wincclerus*, Decade secunda, Anno octavo, *Dn. Dolæus*, & Anno decimo, *Dn. Hartmannus*. Præterea attactu diffuebat pulmo, nigriorque erat, ut adeo sanguis per choreas ejusmodi concitator redditus, per illum pulmonis lobum, juxta proportionem motus acquisitam, moveri non potuerit, atque hinc in dextro cordis ventriculo, in quo magna ejus grumescentis copia existebat, sufflaminatus fuerit, illeque quasi syncope correptus, momento citius expiravit. Nulla interim in cute livoris macula, aut sanguinis ex naribus, ore vel auribus eruptio, eoque modo plerosque extinctos arbitror, qui circa æquinoctium illud passim subitanea morte obibant; Vix octiduo post, alius subito inter eundem in platea expirabat, vesperi, sexagenarius fere, & colicis doloribus obno-

xius. Animo sensim defecisse, & se deficientem de momento in momentum percepisse supervenientes notarunt. Post mortem pars illa sinistri lateris, à collo ad costarum notharum extremitatem livida deprehensa, quod etiam sanguinis in corde & vicina regione grumescentiam arguit.

II. Febres varii generis erant sine dubio juxta temperamentorum, constitutionumque in individuis varietates ita discrepantes. Aliquibus ephemerae, sed adhuc semel post unum alterumve diem repetentes. Quaedam primis diebus intermittentes erant, & remittere videbantur, dein verò evadebant continuæ. Vere verò intermittentes, quò magis vernum tempus appropinquabat, eo minori numero. Quæ verò primo statim insultu continuæ apparebant, in iis modò calor, modò frigus, de cætero acutæ valde, cum dolore nuchæ invadentes, & levi delirio primis statim diebus, circa diem nonum pleræque seu ad salutem, seu ad mortem terminabantur. In quibusdam petechiæ apparebant, quas à malignitate scorbutica haud erroneè quispiam deduxerit. Aliis vermes in principio, præcedentibus magnis cordis angustiis, & comitante delirio proveniebant, quorum tamen aliquot, quamvis ætate provectos, servatos memini, cum aliàs in malignis pro pessimo signo vermium in principio excretio habeatur. Quorum verò sanguis per venam sectam educius in superficie instar pultis albæ concresecbat, iis quamvis in principio nulla pleuritica, aliave pectoris affecti symptomata adessent, tamen circa

septimum calore remittente tussis, & phlegmatum expectoratio superveniebat. Malignitas verò major, quò magis ad æquinoctium accedebant. Quibusdam in locis adeo acutæ & contagiosæ, ut ægros altero die obiisse, superveniente pustula magna & nigra in femorum altero fama referret. Alia in loco junioribus bubonum in inguinibus tumor superveniebat. Quidam circa diem octavum melius habentes, & sanorum similimi, imprimis quibus urina post quartum diem apparebat citrina, circa duodecimum malignè relabebantur, maximo cum delirio, & generis nervosi symptomatibus, in quibus desperata res erat. Video hoc ipsum ab Excellentissimo *Ridlingo*, Anno primo Linearum medicarum, vocari Febrium malignarum inducias, nec ineleganter, nostri tamen ægri in medicamentorum usu continuabant, & nihilo minus cum foetore redibat malignitas. Alii, qui videbantur restituti, levi circa res non naturales commisso errore recidebant. Certâ verò methodò omnes ii, qui continuo ægrotabant, tractari non poterant, citius verò evadebant, qui temperato tam medicamentorum, quam aliarum rerum regimine tractabantur, imprimis verò acidorum medicamentorum usui, si quidem pectoris constitutio eadem concedat, facile cedebant.

12. Defluxiones, neque enim vox adeo absurda semper, ut non interdum retineri queat, cum catarrhorum in externis partibus descensus omnino accidat, & evidenti exemplo à Generosa T. Magnif. anno tertio, decuriæ secundæ Miscellaneorum no-

strorum probatus, & à me quoque circa initium Februarii, in quodam Societatis Jesu Professore observatus, cui post acerbum scapulæ sinistræ dolorem juxta tractum spinæ dorsi humor sensibiliter deorsum ruebat, ad os sacrum usque, ubi per aliquot dies substitit. Exin tam diaphoreticis internis quàm topicis resolutus quasi, seu potius mobilis factus, per femur istius lateris & pedem ad plantam usque descendit, de nocte magis affligens, donec tandem remediis convenientibus planè discuteretur. De fluxiones inquam, magno numero circa id tempus occurrebant, ad oculos, aures, maxillas, uvulam, cum ejusdem & faucium erosione interdum, ad pectus, scapulas, & quorsum non. Interdum subito, ut ita loquar recedebant, calore aliquo febrili & lassitudine per octiduum subsequente, in quibusdam verò membrorum contractura, aliisque latentis scorbuti symptomatibus. Imprimis quoque frequens humorum ferrosorum ad sinistram scrotum decubitus, præcedente quadam quasi horripilatione, sinistri hypochondrii dolore, & in inguine tensione. Ad hydroceles verò pertinebant, hydragogisque internis, & topicis his in casibus consuetis curabantur.

13. Cachexiæ pedumque tumores imprimis circa æquinoctium vernalis notabantur, præsertim in iis, qui Asthmatis & catarrhis obnoxii erant: In plerisque cum diminuta urinæ excretionem, eaque modò viscidum & album, modò rubrum sedimentum referente. Etiam in puerperis quibusdam observatum hoc malum, quibus aliàs nihilo minus lochia rite flue-

bant. Causa verò imminutæ hujus excretionis, cum nulla circa vesicæ regionem gravitas deprehenderetur, hinc in massa potius sero-sanguinea nimis viscosa, tenaciori quærenda, cui etiam curatio consentit: namque ægri à nullis remediis melius habebant, quàm ab attenuantibus incidentibusque, salibus scilicet diureticis fixis cum volatilibus combinatis.

14. Restat scorbutus qui ipse quamvis Endemium apud nos malum sit, non memini tamen intra aliquot annorum spatium, adeo frequentem extitisse, ac post solstitium hyemale. Non quidem me fugit, prudentes medicos interdum ejusmodi affectus, quorum genuinas appellationes ac causas ægri aut horrent, aut propter terminorum artis subtilitatem capere nequeunt, scorbuti nomine efferre, nec minus & illud commune dicitur me latet, scorbutum esse asylum ignorantia medicæ, plurimosque affectus, quorum nomine eum incusamus, vel morborum fientium nullumque adhuc certum typum adeptorum effecta esse, vel etiam infelices reliquias existere morbi alicujus nondum penitus destructi, à quibus sanguis & cæteri humores contaminentur, ceu utrumque rectè animadvertit *Sydenhamius*. Cùm tamen superioris ævi medicis placuerit ejusmodi dyscrasiæ massæ sero-sanguineæ, in qua partes nitro-sulphuræ cum quadam viscositate, præ cæteris magis exaltatæ, & spiritus vitales (utor termino communi) simul depressi existant, scorbuti nomen imponere, & verba usu valeant, ceu nummi, hinc quoque præ-

præsente ejusmodi sanguinis statu, ac symptomatibus ab eodem dependentibus, voce hac uti nolle, nescio quæ animi singularis opinio existeret. Et certè non apud adultos solum, sed & qui junioris adhuc ætatis erant, & in infantia constituti, frequentia ejus generis symptomata notabantur. Morbillorum enim radices haud incommode quis in diathesi scorbutica quæstiverit, in aliis lassitudines, hæmorrhagiæ, qualem insignem in puella octo annorum deprehendi, quam suppressam maculæ magnæ sanguinæ in pectore & pedibus sequebantur, cum vermium excretionem. Supervenit dein brachiorum pedumque contractura, & horum circa vesperam intumescencia; In Adultis verò, non modò morbis supra enumeratis comitem se adjungebat scorbutus, sed & insuper aliis symptomatibus molestus erat. Hinc frequentes de lassitudine cum appetitu prostrato, sudoribus nimis, ptyalismò, doloribus membrorum nocturnis, immobilitate & contracturis querelæ, alii tuberculis infestabantur, maculisque, quidam verò tantum, quando in lecto incalescerent, gingivæ plurimis sanguinolentæ, & in iis qui alias per totam vitam nec quicquam de scorbuto perceperant, quique diætæ malum hoc causanti non assueti erant. Aliis phlogoses erysipelatosæ in facie partibusque externis, quibus cessantibus punctiones in præcordiis cum febre erratica superveniebant, phthisin minantes, nisi præventum fuisset. Singulare in vitriario quodam, alias arthritidi scorbuticæ obnoxio, linguæ symptoma initio hujus men-

sis deprehendi. Huic cum per aliquot dies ptyalissimus præcessisset, subito palpitatio tremula apicis linguæ cum aphonia supervenit, sectione venæ raninæ sublata. Exemplo *Augustini Thonneri* symptoma hoc ad scorbutum refero, qui haud absimilem linguæ convulsionem, in quodam arthritide scorbutica laborante observavit. Ex sola certè lingua excoriata, pustulisque in eadem valde dolentibus latentis scorbuti indicia desumpsit Excellentiss. *Ridlinus*, *Linnearum* medicarum Anno primo, medela opinionem comprobante. Ad scorbuticam quoque classem symptomata à spirituum defectu existentia referas, uti vertigines, oculorum caligines, lipothymias, melancholias, sive illis inordinatæ diætæ, animique alterationes prægressæ, sive in altero sexu menses suppressi & graviditas ansam darent. Denique nec illius obliviscendum arbitror, nullo anno majores de ventriculi imbecillitate querelas apud illos fuisse, quibus ex sui coetus instituto tempore quadragesimæ piscium esus incumbit, quam digestionis debilitatem, an ad spirituum propter diathesin scorbuticam defectum, & fermentum ventriculi proin non satis exaltatum rectè referam, penes alios judicium esto. In curatione verò symptomatum scorbuticorum illud imprimis magni momenti deprehendi, cujus etiam in aureis suis observationibus meminit Illustris *Pechlinus*, acidiusculos liquores, amaritudine balsamica delibutos palmam obtinere. Siquidem si quopiam in morbo, certè in scorbuto ebullitionis tempora, à reliquo ejus motu, massæ-

que sero - sanguineæ statû probè dignoscenda, & medicamenta juxta varianda.

15. Et hæc quidem de constitutione morborum apud nos à solstitio æstivo anni superioris communicare potui; Non quidem talia sunt, quæ ab aliis consignari non potuissent, sed quorum continuationem à me fieri posse Illustris T. Magnif. censuit, ego verò maximè vellem. Quod superest, neque enim ulterius progredi termini Epistolares patiuntur, Te, Magnifice Domine Præses, ut in præsidium ac incrementum artis societatisque nostræ, quin & totius Reip. literariæ in

multos annos quàm felicissimè supersititem Deus fervet, ex animo voveo, & nemo non ex societate mecum, quo summas ingenii dotes, atque elegans imprimis maximeque subactum judicium practicum in lectissimis scholiis ulterius demirari liceat. Ipse ego profectò tota vita mihi gratulabor, quòd ILLUSTRIS SCHROECKIO PRÆSIDE, eam felicitatem nactus sim, quàm in SOCIETATEM LEOPOLDINAM recepto, imposteriorum cum Exercitatissimis in arte viris conferendi occasio mihi suppeditetur. Scripsi Hildesii d. xxviii. Aprilis Anni MDCC. LXXXVI.



Constitutio Epidemica Augustana Anni 1697.

Dni D. LUCÆ SCHROECKII,

Academ. Cæsar. Leopold. Naturæ Curiosorum Præsidis.

Quam Morbona Anno elapso ad finem vergente quietem Medicis Augustanis concesserat, multam hoc quoque continuaverat, ita ut licet morbi aliqui epidemice Urbem infestarent, rarò tamen multos invadere deprehenderentur. Morbilli imprimis & Variolæ, tum benigniores, tum confluentes, gravibusque symptomatibus stipatæ, puerilem æquæ ac juvenilem ætatem invadebant, & cladem iisdem inferebant. Dn. G. mercatoris filiulus novem annorum, cum Variolas feliciter superasset,

paulo post mense April. in tres etiam sorores fratremque octo annos natum contagium derivaverat; in er quas sororcula triennis, ad medicamenta sumenda difficilis, atque pustulis non adeo multis licet laboraret, ob crassæ lymphæ bronchia obviscantis abundantiam gravius respirans, nec non cephalalgia intensa, cum subsequo ex aure dextra purulenti humoris, pariori tamen effluxu tentata, accedentibus convulsionibus sensim defecit; in altera autem sorore, decimum ætatis annum agente, non admodum ægro-

ægrotare visa, variolæ quidem plurimæ, nec difficulter prodierunt, ulla tamen arte, in justas pustulas extolli atque suppurari recusarunt, ut & ipsa tertia hebdomade obierit; tertia verò soror sedecim annos nata, atque confluentibus Variolis obsita, de intenso totius corporis ardore, quem & ipse rubens cutis color testabatur, potissimum conquesta, feliciter emerfit; cumque ipse frater, qui Variolas discretas mediocri numero efflorescentes, nec symptomatum aliorum concursu graves licet pateretur, decimo tamen à decubitu die, magnam narium hæmorrhagiam subiit, quæ per quatrimum subinde recurrens, Variolarum tamen neque ad interiora ingressum, neque mortem induxit, sed temperatorum emulsio-num post usum cessavit, quam Variolis jam exsiccatis, icterus plurium dierum excepit, à quo jusculis, herbis recentibus bellidis &c. medicatis sensim convaluit.

Pleuritides etiam veræ, & Peripneumonix, in principio si negligebantur, senibus inprimis funestæ; quin & Catarrhi graviores faucibus molesti, ac ferè suffocativi, Tussesque humidæ notabantur: in illustrissimo quodam Barone fauces constringebantur, ut suffocationis in periculo versaretur, cui Elixir proprietatis Claud. cum spiritu cornu cervini mixtum præsentaneam opem præstitit, & recurrentem aliquoties insultum potiuncula laxativa, subductis serosis viscositatibus, penitus abegit. In aliis decocta herbæ veronicæ, radicis liquiritiæ, seminis anisi &c. aliaque serum stagnans dissolvendi vi pollentia, & quæ illius

abundantiam blandè eliminabant, laxativa se commendarunt. Non nullis facta serosæ materiæ in ventrem inferiorem metastasi, cum subsequa diarrhœa, aut febre tertiana, morbus fuit solutus; quidam virili in ætate constitutus, cum faciei intumescentiam, intenso calori, cephalalgix & virium debilitati junctam incidisset, paulo post, à propinata bis sudorifera portione, cessante tumore atque dolore, serum peccans inde per anteriorem corporis partem defluere, scrotumque in molem insignem extendere sensit, eodem tamen tumore, post propinatum binis solum vicibus diascordium Fracastorii, alvumve sicciorem per folia sennæ prunorum Damascenorum decocto infusa referatam, à cataplasmate ex resolventibus & discutientibus pulveribus cum lacte coctis parato, facile iterum evanescente.

Ut porrò Arthritides vagas, Ischiadicos dolores in Anni præcedentis exitu memoratos, & huc usque urbem infestantes taceam, Febres etiam ardentes in pustulosas sæpe & maculosas efflorescentias, non absque malignitatis aut contagii nota, & cum dorsi præcipuè ac capitis magno dolore in principio conjunctas, abeuntes; præcipuè autem, præter erraticas, quotidianæ ac tertianæ notabantur; quæ cum primum invaderent, continuarum in aliquibus metum, vehementi suo calore, cephalalgia, deliriis ac virium debilitate, incusserant, brevi autem tempore, à propinato, varia sub forma, chinchinæ cortice, & sine quo difficilis ac ferè frustranea reddebatur cura interposito quandoque blandiorum evacuan-

tium usu, absque recidivæ metu, nî gravis in diætâ error committeretur, recesserant; prout nec continuæ febres, bezoardicis & diaphoreticis continuatis haud immorigeræ, perfectam sanitatem semper admittebant, nisi superstitem vitiosæ lymphæ abundantiam, ventriculo imprimis atque intestinis molestam, in fine morbi Lenitivis commodè educere studuissent. Nobil. Matrona, floridæ ætatis, sanguinæque constitutionis, in fine secundi mensis gravida, post cibos concoctu difficiliores ingestos, in tertianam incidit, cum permolesto tensivo dolore, à quo, post biduanum Specifici stomachici Poteriani usum, pulveris Peruviani scrupulum unum in tantillo vini Neccarini rubri subadstringentis, mane & vesperi per duos dies sumpisset, libera quidem evasit, insignem verò uteri hæmorrhagiam, cum abortus periculo incurrit, quæ tamen à coralliorum rubrorum pulvere tum solitario, tum lapidi hæmatiti ac terræ figillatæ commixto, successivè exhibitò, imperata simul quiete, sensim cessavit, alvo interea sicciori & flatibus gravata, cibus lubricantibus minimè, foliolis autem fennæ parva quantitate decto prunorum Damasc. infusis, obsecundante, partù verò filiolum iusto tempore sanum & vegetum excludente.

Pluribus Ophthalmiæ, & genarum non tantum œdematosos tumores, modo indolentes, modo odontalgicæ, in ulcuscula buccarum interna aliquibus terminatæ, juncti, molestiam magis quam periculum creaverunt, sed Parotides etiam glandulas, modò in

uno, modo utroque latere, cum præcedanea febrili effervescentia, in pueris quandoque ad delirium usque spiritus magis mobiles exagitante, lymphæ lentescens stagnatio, M. Maio occupaverat; nec catarrhosæ capitis & pectoris gravedines M. Junio omnino aberant. Ophthalmiæ ardorem nihil felicius quam vini spiritus linteolo exceptus & impositus compecebat. Parotides autem, juxta cum diaphoreticorum usu, emplastrum malacticum August. simplex discutiebat.

Infirmis hinc, quæ à feri stagnationibus ac coacervationibus, nec non ob sufflaminatam insensibilem transpirationem, variarum impuriorum particularum inquinacionibus commodè derivari amant, producendis frigidi aëris inclementia, & postea inæqualitas plurimum contulisse videbatur; cum enim primus Anni mensis frigore, admodum quandoque intenso, crebrisque comitato nebulis, infestus esset, quas M. Februario frequentes nives, præter frigoris continuationem, vespertinis autem horis remissionem excipiebant, Martius & Aprilis principium inconstantia sua modò nebulas, pluvias, nives, modò serenitates, aëris teporem frigufve produxerant; usque dum sol ad Tauri signum propius accedens, amœnioris Veris spem faceret, inque Majo calores æstivis ferè æquales primo excitaret, quos tempestates non infrequentes, nobis equidem per DEI gratiam clementiores, viciniæ autem nostræ, atque remotissimis etiam in locis, imprimis d. 21. st. n. grandine insolita [nobis equidem è longinquo saltem comparente] admodum dam-

nosæ sequebantur; quam intemperiem succedens Zephyri vehementia d. 27. nivem copiosam adduxerat, aëremque postea ad pruinas matutinas usque, in fine Maii, sub crebriori Euri flatu, ac cœli serenitate refrigeraverat; cum cæteroquin temperatior aëris status & grata caloris variatio M. Junio nihil inconsueti corporibus nostris inferret; accedente præterea crebriori ventorum alternatione, qui modò ab orientali, modò occidentali imprimis plaga, Urbem huc usque perflaverant, terramque à pluviis licet multoties madefactam iterum exsiccaverant, quin & simul continuo isto aëris motu plurimā morborum miasmata, discussérant.

Nec aliam Æstas faciem induerat. Sole autem Leonis signum percurrente, frigidiusculam frequenter auram, & crebriores pluvias, messis collectioni multum damnosas, Zephyrus adduxerat; quæ ipsa temporis constitutio, præsertim horæorum fructuum abundantia cum daretur, Diarrhœas non paucas, minus tamen periculosas aut refractarias pariebat; usque dum Sol Virginem tenebat, ubi meridionalis ventus nubila discutens, serenius, vespertina tamen & matutino frigore horridiusculum cœlum reddiderat. Cum Æquinoctio tamen autumnali crebriores Zephyri impetus plurimas denuo pluvias, frigore comitatas, adduxerant: quæ pluviosa, ventosa & frigida facies, usque ad Solis in Scorpionem adventum continuaverat; ubi sub ulteriori varia ventorum alternatione, frigida aëris intemperies, quam Sole sagittarii signum ingressu, diuturnæ nebulæ & postea crebriores nives comitabantur,

nec non circa hyemale Solstitium pluvix ac temperatior aura exceperant; finem autem Anni frigidus ac nebulosus aër clauserat.

Interea Variolæ, quamvis malignitate carere visæ, atque Odontalgix nunquam recesserant; ante Æquinoctium autumnale Febres etiam quotidianæ & tertianæ, nec non Tusses humidæ æquè ad convulsivi quid habentes, contumaciores, in puerili præcipuè, sed adulta quoque ætate, nec non post Æquinoctium Rheumatismi ad brachia, atque senescente Autumno Febres petechiales notabantur, quin & Ischiatica passio, cum præcedaneo vel comitante circa os sacrum dolore, haud infrequenter occurrebat; quæ etiam extra Urbem infesta erat, quin multis in Sueviæ locis plurimos excruciare ferebatur.

Odontalgix quidem majorem pene incolarum partem adfligebant, ut raræ in Civitate domus essent, in quibus malum hoc non inveniret hospitium; à medicamentis verò serum ex corpore subducentibus, ac præterea spiritus ferocientes demulcentibus opiatis, noctu parva dosi successivè exhibitis, certius, quàm aliis artificiis, expelli aptum: qui verò dentium ab evulsione lenimentum speraverant, pertinaciorum ut plurimum dolorem experti fuerunt.

Rheumatismos ad brachia, in quibus nec rubedo nec tumor notabatur, capitis dolor, aut gravedo prægressa, a feri ex cerebro in nervos decubitu, productos fuisse indicabat; quorum difficilis erat cura; quæ etiam reiterato laxantium ab usu promptius, quam sudoriferorum successerat; externè autem crebriori spiritus vini campho-

rati aut similium inunctione symbolum conferente.

Qua ipsa etiam methodo coxarum dolor tractari volebat, à simili in nervos feri abundantis translatione dubio procul ortus, præcipuè cum illum ab offis sacri regione potissimum principium sumsisse, ex ægrotorum relatione constiterit.

Febres petechiales minùs erant letiferæ, pleuritides ut plurimum in principio mentiebantur, dolore capitis semper, deliriis tamen nunquam, vel rarioribus infestæ. Sic Vir quadragenario major, J. C. S. melancholici temperamenti, d. 22. Novemb. st. n. subito horrore cum calore alternante, intensa cephalalgia, vigiliis, virium prostratione, lateris sinistri dolore punctorio, & appetitu prostrato prehensus, Tincturam bezoardiacam sumsit, sine ullo levamine. Die morbi tertio vocatus, potionem diaphoreticam ex diascordio Fracast. sale cornu cervi volatili, & pulvere rubeo Pannonico duabus vicibus sumendam præscripsi; nox inquieta; d. quarto horror & dolor lateris remittere, capitis verò erat tolerabilior, urina paulo minus tinctorum quam præcedenti die, idem medicamentum mane continuavit, vesperi ad alia nauseabundus, Tinctura bezoardicam solam admisit, nocte quietiore subsequente; d. 5. eadem, fitis adaucta, quam aqua pomis citris medicata, demulcebat; Tincturam continuavit; quam tamen postea sibi nocere imaginatus est; successit tussis sicca, molestæ, fortasse à potu frigidiorè; nox inquieta; d. 6. dolor in capitis tantum dextra parte recruduit, tantus, ut nec manus attactum ferret, ab

imposita verò herba recenti rutæ, cum baccis juniperi contusis, atque inter sudandum (quæ continua diaphoresis, sub temperato aëris regimine per Bolum ex diascordio, sale C. C. vol. & antimonio diaphoretico, quavis sexta hora exhibitum, sensim promovebatur) cum halitum quasi aliquem ex aure dextra erupisse sensisset, remisit; d. 7. in meliori statu versabatur, urina minus tinctorum & petechiales maculæ cum intermissis plurimis pustulis aqueis in collo, pectore, & dorso erumpebant, sicque successivè alias etiam partes, d. 8. 9. 10. occupabant; quas, earum ante ignarus, d. 11. in manibus etiam obortas cum conspiceret, valde contristatus inde & perterritus fuit; urina quoad colorem naturali similis, noctu largiori rivo effluxit; d. 12. tussicula continuavit, fitis intensa, urina maxima in quantitate, & longè ultra potus sumti mensuram excernebatur, aquea prorsus, cum summa virium prostratione: unde vinum sive succum cydoniorum saccharatum aqua dilutum bibere vesperi iussus est: cuncta mala inde mitigari visa, nocte etiam quietâ succedente, calori interea adhuc gliscenti moderato bezoardicorum, & tandem unicornu marini matutino ac vespertino usu, obviam ibatur; d. 16. noctu sudor magnus cum totali morbi cessatione erupit.

Mulierem juvenculam, J. L. tertio mense gravidam, eadem symptomata d. 21. Novembr. invaserant, altero die meam opem domi tantum desideravit; d. 4. ut ipse accederem rogatus, magnum sanguinis æstum & præcordiorum angustiam adesse observavi, dolor lateris erat remissior, uri-

na tineta, sed copioso viscido sedimento referta, vesperi & noctu aliquoties narium hæmorrhagiam moderatam patiebatur; d. 5. dolor capitis tolerabilior, cor liberum, vesperi dolor colicus; qui d. 6. à sumto amygdalorum dulcium oleo, & bino subsecuto vomitu cessavit, remanente tamen stomachi ardore; petechiæ apparent; nox insomnis, sed alvus soluta; d. 9. stomachus pacatior, noctu parum deliravit; d. 8. somno, quamvis interrupto non nunquam fruebatur; d. 9. non nihil cibi sumpsit, sicque continuans, d. 13. vesperi cibo se replevit, unde appetitus denuo prostratus; cæterum d. 14. satis commodè vixit, sumptaque tinetura bezoardica, (quam aliquoties per morbi decursum, juxta cum temperatiorum diaphoreticorum, alexipharmacorum uti pulveris rub. Pannon. specier. diacret. Mynf. &c. usu adhibuerat) noctu alvus cum torminibus soluta est; petechiæ sensim disparuerunt; è contra febris quotidiana, vesperi calore infesta successit: quam chinchinæ in-

fusum, cum aqua cichorii factum, post colaturam paulatim ebibitum, brevi profligavit; ipsâ ægrotâ postea debito tēpore puerperâ feliciter redditâ.

Virginem N. J. unum supra viginti annum natam, eadem febris, similibus symptomatibus stipata, d. 24. Novembr. occupaverat, præterquam quod dolor pleuritico similis non adesset, hypochondrium verò sinistrum doluerat; sumpsit ex matris consilio purgans, quæ d. 3. meam opem domi imploravit, cui potionem diaphoreticam bis sumendam ordinavi; d. 4. ipse eam visitans, petechiis & pustulis totam maculatam, cæterum melius se habentem deprehendi; & cum diebus sequentibus quatuor, tineturam bezoardicam, reliquis medicamentis fastiditis, diligenter sumisset, d. 9. ob alvum constipatam supra memoratum infusum fennatum bibit, à cuius usu circa vesperam ingentem quantitatem excrementorum pituitosorum, sanguini & puri permixtorum, unica dejectione emisit, sicque protinus convaluit.

Constitutio Epidemica Augustana Anni 1698.

Laudatissimi Dni D. LUCÆ SCHROECKII.

ANni principium equidem aurâ temperatiori, pluviis stipatâ illuxit, paulò post tamen nivofum & frigore horridum comparuit; & quamvis mitiorem interdum temperiem, atque post Februarii initium Zephyrus pluvias adduceret, mox tamen Eurus nives & frigus intensius reduxerat, usque dum circa Æquinoctium vernale, Zephyrus vehementer spirans crebriores pluvias

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

concitaret, alternante subinde cum ipso Euri impetu, utroque autem terra imbribus sæpius irrigante, sicque ad finem usque Maii, qui ideo, ut passim alibi in remotioribus etiam locis, frigore horridiusculus comparuit, continuante.

Interea pauci ægrotabant; Tusses tamen graviores ac contumaces, nec non pleuritides, non nullis ob vehementiam lethales, Variolæ, Febres

O con-

continua, pauca maligna, Icterus, (cui martialia medicamenta, acidula Egranæ, essentia mineræ Martis Hass. opitulabantur) ob aëris inæqualitatem sparsim notabantur.

Circa Solis autem in Taurum ingressum Febres tertianæ, intenso circa scrobiculum cordis compressivo, in regione etiam dorsi opposita, molesto dolore, cephalalgia, interdum & vomitu stipatæ, plures invaserant, sed à sumpto purgante, & chinchinæ pariori etiam dosi facilè curatæ: Virgo viginti annorum, eadem prehensa, à frigidæ potu die morbi sexto, cessante febre, mox sinistri lateris sævum punctorium dolorem cum febre acuta, sputoque cruento incidit, quod in purulentum die octavo morbi mutatum, sumptâ binis vicibus olei amygdalini recenter expressi dimidiâ uncia, copiosè per alvum fuit ejectum, sicque cessante tussis ferocia, & calore præternaturali, (cui Antimonii diaphoretici largâ dosi obviam ivi) ab iterato dicti olei usu, die nono convaluit.

Post tot tandem pluvias cum jam jam Junius appropinquaret, serenior aura comparuit, caloreque fortiori terram iterum exsiccavit, Cereri autem & Floræ Bacchoque vires crescendi attulit, quæ serenitas, à pluviiis tamen sæpius interrupta, calorque toto Mense illo continuarunt: Julius verò crebrioribus imbribus & nimbis, Zephyri vehementiâ subinde comitatis, infestus successit; quam humidam aëris constitutionem Augustus etiam mensis induit, frigoreque insolito, sub Euri dominio, austeriorem reddidit, ut ita messis non tantum serius inciperet, sed non exiguo

etiam in periculo corruptionis versaretur, quam tamen blandior coeli facies, post Solis in signum Virginis progressum, satis exoptatam in vicinia nostra reddidit, ut quæ subsequuta fuit annonæ caritas, non tam Cereri deficienti, quam ad commune aliarum regionum exemplum compositæ, impiæ infitorum avaritiæ imputari debuerit. Inclementior autem September, præter multiplicem ventorum variationem, diversam etiam aëris temperiem, ut plurimum tamen humidam & frigidam produxerat, donec d. 5. Octobr. st. n. Sol discussis nubibus, decendio sereno nos reficeret; postea tamen austerior Favonius cum aëri pluviis iterantibus multum frigoris impressisset, November præmaturum hyemis adventum dabat, crebrioresque nives spargebat, ita tamen ut varia tempestas subinde intercurreret, nebulis, pluviis, serenitate, ventisque modò ab occidentali, modò orientali aut meridionali plaga spirantibus molesta, atque hyemale usque ad Solstitium continuans; quo præterlapso, Zephyrus vehemens, pluviis stipatus temperatiorem aërem effecerat.

Interea, mense nempe Junio & præsertim Julio, Morbilli puerilem ætatem invaserant, per plurimosque lectò adfixerant, non adeo difficulter tamen, temperatori sub regimine, & absorbentium dictorum ac diaphoreticorum blandorum, Pulveris rubei Pannon. Oculor. cancr. &c. usu curabiles; donec sub Æquinoctium autumnale planè disparerent. In non paucis quidem hæcticâ dispositione, tussique pertinaci, sive ob diætæ errores, sive præexistentem acriorem san-

sanguinis constitutionem superstitite, diligentiori tamen sanguinem contemperantium usu, non neglectis, ubi opus, laxantibus, & quæ vermibus, quorum vestigia non rarò notabantur, resistunt, tandem devictæ. Licet crebriora quoque funera puerilia numerare tum temporis datum fuerit, non tam morti, nostrorum Medicorum artem haud adeo eludentis, malignitati, quàm incuriæ potius, vel perversæ muliebri sapientiæ, aut medicastrosum imperitiæ adscribenda.

Cæterùm rariores apud nos hoc tempore ægrotabant alii, nec epidemicorum morborum tyrannis major notabatur. Julius quidem Febres quotidianas, tertianas, Catarrhos pectoris molestos; Augustus Colicas, Dysenterias; September præter cruentos hos fluxus, Variolas majores, ulcerosas, (*Schafblattern* nostratibus dictas) Octobris initium strangurias seniles; adultus, cum subsequis Mensibus, Pleuritides veras ac spurias; December Catarrhos ad fauces ruentes, (Morbos omnes ex coacervata in sanguine sensim per tot aëris anomalias, frigidas præsertim & humidas, viscidiori lymphæ ortos, quæ tandem per varios in diætâ errores hîc vel ibi stagnabat, aut etiam eandem ob causam, vel sponte in orgasmum concitabatur) alebat, non

adeo multi tamen eorum impetum experiebantur. Febres interdum præcipitantibus sic appellatis, chinchinæ autem parciori etiam dosi sumptæ facilius; Catarrhi continuato expectorantium usui, non posthabita, quæ sæpe conjungebatur, febris intermittens cura, & corpore semper blande evacuato, cedebant; Colicæ, quæ flatuosa quidem dici merebatur, non sine convulsiva tamen labe erat, atque ideo lumborum conjuncto dolore, & urinæ suppressione, nephritidem simulabat, demulcentia & potissimum laxantia, sive ore sumpta, sive clysteris formâ adhibita; Dysentericæ, tormentillæ, vel catechu essentia aut extractum, cum paucis opio maritatum, & parca dosi sæpius adsumptum, medebatur; Variolæ benignissimæ, cum febrili tamen calore, vehementiori quandoque, paucarum tamen horarum spatio finito, invadentes, ulla ferè sine medicinæ ope, sensim sponte exsiccabantur; Stranguriæ illæ, quæ visciditatem lymphæ imprimis corrigunt, perque urinarios meatus educunt, uti essentia carminativa Wedeliana, spiritus nitri, tincturæ cortic. aurantior. mixtus &c. Pleuritidi verò nostris in pharmacopoliis usualis pulvis, cum antimonio diaphoretico, lapillis gammarorum &c. medelam conferebant.



Constitutio Epidemica Augustana An. 1699. & 1700.

Dni D. LUCÆ SCHROECKII,

Academiæ Cæsareo - Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Præsidis.

UTI Anni proximè præcedentis exitum Zephyri, pluviosi & tepidi, vehementia comitata fuit, ita præsens Annus 1699. simili cum austrina temperie incepit, atque tam constans venti hujus, cum Austro tamen & Africo subinde reciprocantis, ferocia usque ad Solis in Aquarii signum accessum notabatur, ut Incolarum nemo tam diu horum impetum continuasse recordaretur, & rariora ac breviora hyemis indicia intercurrerent. Et quamvis austrina constitutio aliàs pessimè Medicis, ipsi etiam Hippocrati Sect. 3. aph. 5. non bene audire soleat, hic tamen vires exferere suas non valuit, ventorum potentia atomos morbificos, quæ in putredinem proclives, & aërem inquinare aptæ fuerant, feliciter ubique discutiente; impedire tamen eadem non prorsus poterat, quò minùs ex collectis jam antea, & porrò huc usque coacervatis lymphæ superfuitatibus, aëreque interdum frigido insensibilem transpirationem retardante, Pleuritide aliqui corripentur; Catarrhi autem in prægresso Decembri faucibus infesti, nunc magnam Incolarum partem, gravius mitiusve, & modò fauces solas, sed rariùs modò, simul

& frequentius pectus, sive glandulosam asperæ arteriæ texturam ex improvviso, cum horrore occuparent, concomitante ut plurimum capitis dolore, & febrili intenso calore subsequente, (sed diaphoretico sumto paucas intra horas denuò recedente) nec non diuturniore, dum reconvalescentes aëri citius quàm decebat se exponerent, tussi humida superstita, quæ multum crassi sputi expellebatur. Et hæc anginæ nothæ species hyemali tempore, quòd epidemica evaserit, quæ aliàs inter vernaes morbos ab Hippocrate Sect. 3. aph. 20. referitur, minùs mirari licuit, cum præsens hyems naturam primè veris induerit, sicque prægressum mensibus prioribus frigus viscosi seri collectioni ansam cum dedisset, mitior illa succedens temperies fluxionem ejusdem, sive liquationem promoverit. In ipsa morbi invasione, quæ suffocationis metum sæpe incutiebat, aliquot olei amygdalarum dulcium, aut olivarum cochlearia, præsentaneo cū emolumento fuisse propinata, reliquum autem curæ blandis diaphoreticis, cephalicis temperatis, expectorationem promoventibus, aliisque pro circumstantiarum & symptomatum diversitate, externis etiam,

etiam, emplastro de meliloto, malactico simplici, & Officinis nostris dicto filii Zachariæ, non inanes suppetias ferentibus, absolutum fuit. Qui ipsi Catarrhi, faucibus, pectori, dentibus infensi, in verum utque tempus, mitiores tamen ut plurimum, epidemice grassari continuarunt. Præter hos Morbilli quoque plurimos in puerili imprimis ætate, licet nec adultioribus parcerent, invaserant, & per aliquot, vernaes etiam, menses se exeruerant; benigni tamen & facile iterum dissipati, quamvis intenso ut plurimum calore incipientes, quin & capitis Erysipelas in multis notabatur, molesta quidem febrili incalescentia, tumore & pruritu periodum suam decurrens, ast cum cuticulæ desquamatione, moderatoque sub caloris externi regimine non difficulter admodum iterum evanescens.

Erant eodem, & subsequo tempore, quibus febricula, hecticæ ferè æmula, & quotidie calore quodam præternaturali, vel præcordiorum, circa ventriculi superius orificium compressione, incerta periodo recurrens, cum appetitu imminuto, siti vel nulla, vel tolerabili, & virium lassitudine, infesta fuerat. Tinctura autem bezoardica bis in die, sine sudoris coactione, sumpta, interpositoque pilularum nostratibus Immanuelis nomine venientium usu, citiori vel tardiori circuitu, prout causa morbifica, viscosa, in glandulis fortasse minoribus ventriculi vicinarumque partium hærens, incuneata magis vel minus erat, sine periculo finita. Licet & hecticæ febriculæ puerili ætate infestæ essent, à collectis viscidis acidisque in

sanguine particulis, & glandulosas in primis viis partes obstruentibus oriri à me creditæ, Essentiisque alcalicis, & absorbentibus terrestribus medicamentis, post laxativorum usum, maturè propinatis, non admodum difficulter abigendæ.

Dehinc Eurus penetrante quidem frigore, serenos tamen dies comitante, nos aliquamdiu infestabat, cum sol in Aquarii signo esset constitutus; quo tamen dimidio emenso, novas Zephyri, ab Africo sæpius intercurrente adjuti, impetus ingruerat, ac nives plures spargebat, quæ verò brevi, cum aëris temperies ut plurimum ad temperatiorem statum inclinaret, iterum liquecebant; usque dum aër non multum amplius à ventis agitatus, aliquot ante Æquinoctium vernale diebus copiosam nivem demitteret, atque exin frigoris inclementia per longum tempus nos afficeret, sub potiori Zephyri dominio, qui post Calendas Majales vehementia sua vernalium deliciarum proventum tardabat, tandemque in longiores pluvias resolvebatur; cui cum circa Solis in Geminos ingressum Eurus succedens serenitate, grataque calidiore temperie nos refecisset, lætior terræ facies vernates suas amœnitates eò liberalius protruserat. Sub vario deinde, modò pluvioso, modò sereno Jove, præter reliquorum ventorum reciprocationes, Zephyri potissimum nova violentia cōcuti aër cœpit, usque dum Euro leniori spirante, calor æstivus mense Julio cōstantior ingrueret, Siriusque campos exsiccaret, messem quidem ita maturiorem, nec illaudabilem reddens, succum tamen granis cerealibus, ut justò macriora exi-

sterent, subduceret. Interea febres continuæ petechiales, quandoque insuper pustulis miliaribus aquosis stipatæ, interdum verò malignitate equidem non carentes, sine tamen istiusmodi efflorescentiis periodum suam absolventes, cum horrore, virium prostratione, cephalalgia, dorsi dolore quandoque & siti non admodum molesta, nec appetitu prorsus prostrato incipientes, per urbem, usque dum Virginem sol accederet, notabantur: non paucis, inter succedentia in morbi progressu deliria & faucium ariditates, exitiales factæ, ubi vel ab imperitis tractatæ, vel per initia neglectæ, aut etiam decubentes immorigeri monitis Medicorum fuerant; quam ipsam ob causam habitantibus in pagis vicinæ nostræ Hebræis non levem cladem in Majo attulerant, Laniorum etiam familias in Urbe, quas præ aliis invaserant, crebris funeribus contristaverant; ast in principio ubi ex arte tractabantur, non admodum refractarias eas notare licuit, ita ut etiam in prima, quod dicitur, herba oppressas, paucoque alexipharmacorum, tincturæ bezoardicæ, theriacæ cœlestis, cum chinchinæ extracto &c. usu abactas non una vice notaverim; sicut etiam reliqui sub tepidiori per morbi decursum corporis custodia, per continuatum diaphoreticorum usum haud difficulter evaserant. Alvus in nonnullis obstructa per plures dies nullum incommodum attulisse, nec somnolentia in morbi decremento diutius instans nocuisse observabatur.

Sole in Virgine versante, cœlum, Eurô crebrius perflatum, humidius & frigidiusculum primò, postea constanti radiorum solarium præsentia

animatum, denuò excalefactum cum esset, Diarrhœæ simplices, paucioribus cruentæ, tenellam præsertim puerilem ætatem, imò vix dum in lucem editos foetus, hoc æstivo tempore infestarunt, excretionem aquosa, pituitosa, acidum redolente; quorum ægrotulorum magnam partem, ob parentum & qui curam puerorum agebant, negligentiam, remediorumque intermissionem trucidarunt: quibus enim medicæ manus prudenter adhibitæ, non infeliciter evasisse, atque coraliorum imprimis aut terræ signatæ pulverem, cum theriacæ cœlestis tantillo maritatum, aliaque stomachi fibras roborantia conduxisse notavi, causam vix aliam fuisse suspicatus sum, quàm pulimentorum ex farina cum lacte coctorum esum, quæ ipsa farina ex tritico ante annum tempore humido cælo collecto, atque exactam maturitatem non adepto parata, plurimas crudiores particulas absconditas, non infrequenter mucidam, quod sapor odorque testabatur, corruptionem expertas habuit, quæ dein tenero in pusionum ventriculo in liquorem acido viscidum abeuntes, digestionem vitiarunt.

Interea etiam magna illa Solis Eclipsis d. 23. Septemb. comparuit, quam multi nostratum ex plebe, vana persuasionem seducti, licet multum reformidassent, ut sanitatis inde iacturam si fecissent, haud mirari quis potuisset; quamvis nec tunc temporis, nec postea ullos morbosos effectus observare datum fuerit; quæ enim in Octobri & Novembri lymphæ stagnationes in plurimis odontalgias & Catarrhos leviores produxe-

rant,

rant, aëris potius, quæ Eclypsin à d. 27. Sept. usque ad d. 27. Octob. infecuta fuit, inclementiæ, nebulis crebris, pruinis, pluviis, frigore horridæ debebantur. Ipsa Solis obumbratio, quam cœlo prius admodum sereno, nubium sparsarum ab orientali plaga progressus antecesserat, cum sensim increveret, remissioreque caliginem induceret, Eurus subito exoriens, non tamen impetuosus horridiusculam auram reddidit, campique, ex non nullorum relatione, quasi rore maduerunt; quæ tamen cuncta tum obnubilatione cessante & ipsa recesserunt.

Sol in Scorpionis signum ubi pervenerat, & Eurus præsertim, ad meridionalem tamen plagam quandoque inclinans spirabat, plures serenos frigidiusculos numeravimus dies, matutinis tamen crebris nebulis turbatos. Novembre autem ineunte Zephyrus (qui altero post Solis in Sagittarium ingressum die vehementissimus erat) temperatiores eos, varietateque constitutos, ut plurimum tamen serenos reddidit, & tandem sub multivaria in Decembri aëris alteratione, atque cum reliquis ventis, videlicet primùm cum Euro frigido, circa medium mensem Austro temperato, & tandem Borea frigido alternatione, in nives & frigus despumabat. Nec singulares morbi notabantur, nisi quod in dicto mense ultimo puerilem ætatem, non quidem admodum multos, Variolæ benignissimæ, quas nostrates aureas dicunt, quibus verò majores pustulæ, longiori quàm priores decursu finitæ, in non nullis interspersæ fuerant, occuparent, omnes tamen absque singu-

lari periculo paucis temperatioribus remediis, blando externo regimine facilè abigerentur; insuperque Febres quotidianæ, quales jam circa Anni principium infestæ fuerant, repullulascerent: quæ majori cum calore, sine horroris ut plurimum sensu ingruebant, & facilè in hecticam declinabant, difficilioremque in multis curam reddebant, tandem tamen, cum interpolato laxativorum usu, pulveribus absorbentibus, nitratis, chinchinatis, martialibus medicamentis cedebant.

Principium Anni 1700. serenitate, frigori junctâ, cum se commendasset, paulò post varia cœli facies, nebulosa, nubila, nivosa, pluviosa, serena, frigida, temperata comparuit, quin & d. 28. Januarii tonitru ac fulgure tempestuosa exstitit, cum per aliquot dies Zephyrus, huc usque semper, nisi quòd ad semimeridionalem plagam sæpius inclinaret, se exserens aërem multum prius concussisset; qui etiam venti M. Februario continuarunt, & hyemale frigus constans inter nives sæpius delapsas, induxerunt; quod circa Solis in Pisces ingressum ab Euro incrementum sumpsit, nivesque, in M. Martio sensim liquatas, subinde spargere non intermisit. Interea Januarius febres quotidianas in fine præcedentis Anni memoratas producere non prorsus cessabat; & non nullos Apoplexia, diverso facto terminata, alios Rheumatismo artuum superiorum, qui usque in Aprilem, juxta cum febribus nominatis notabatur, atque à repetitis sudoribus, præcipuè quos Laconicum coriariorum proliciebat, soluto, infestabat;

stabat; Infantes autem in glandulis faucium ipsisque pulmonum vesiculis, non sine febrili incalescentia invadens, atque grave asthma inducens, stagnatio periculo non levi exposuit, multosque eorum, præsertim aut ferius, aut negligentius curæ commissos, in sepulchrum præcipitavit, cum reliqui orgasmum istum refrenantium absorbentium, & viscosam colluviem blandè per alvum sputumque educentium usum salutarem experirentur: Quæ cuncta sicut inæqualitati aëris, lympham modò in-crassantis, modò in fluorem iterum eliquantis, deberi arbitror, ita ejusdem etiam aëris effectum fuisse non dubito, quòd diversas puerperas abdominis, præcipuè in hypogastrica regione tormina corripere, eaque lochiorum evacuationem non ad votum succedentem, & hinc ex sanguinis stagnatione nervosam fibrarum tensionem inducentem comitem haberent; quæ ipsa medicamentis castorinis, aliisque fluorem sanguini debitum blandè restituentibus, ac viscosas impuritates unà per alvum eliminantibus ideò cedebant. Ab eadem aëris inæqualitate etiam, antequam Æquinoctium vernum advenisset, Icteri, Martialibus remediis debellati, & Febres petechiales continuæ, cum cephalalgia ingruentes, in quibusdam Pleuritide comitatæ cæterum nihil singulare ostendentes, nec admodum lethales, usque in Aprilem, frigidum & primò quidem ab Euro serenum, postea succedente Zephyro cum semimeridionali vento alternante pluviosum, sparsim ut vix epidemicos inter morbos referri me-

rerentur, notabantur, sed Majus, crebros Zephyri flatus expertus gratiori cœli amœnitate illuxit, in fine tamen frigidus evasit, morborumque femina [præter Variolarum, nunquam uti hæctenus, ita per totum reliquum Anni decursum planè cessantium] prorsus suppressisse visus est; quos nec postea repullulare variorum ventorum, aërea, si quæ ingruerent, inquinamenta ex omni mundi plaga dissipantium vicissitudo, sub grata calidioris, nec non temperatioris auræ alternatione, permiserat. Quamvis postea per æstatem Febres quotidianæ & Rheumatismi subinde denuò caput extollere conarentur, inque Mense Augusto Dysenterix aliqua vestigia notarentur, vix tamen memorari hæc merentur. Post caniculares dies primò frigidiuscula aura spirabat, postea longior aëris serenitas non levem terræ siccitatem inducebat, usque dum post Æquinoctium autumnale Zephyri vehementia, ab aliis ventis sæpe interrupta, crebras pluvias fuscitaret, tepidioremque ut plurimum auram redderet, quæ austrina constitutio, paulò post non tantum Variolas in plures infantes diffuderat, sed etiam Tusses contumaces in multis, & Febres petechiales in quibusdam produxerat; & has quidem non sine contagii nota, ut integræ etiam domus alicubi inficerentur, & non pauci succumberent, quos tamen non tam morbi violentia, quam quòd negligenter & imperitè, præsertim à stupida fœdi carnificis temeritate, quæ nescio quo infortunio plures dementaverat, tractarentur, mortis prædam

dam fecerat, cum alii ritè & maturè curati, paucis assumptis alexipharmacis, primus morbi impetus prorsus, vel intra biduum retunderent, vel salvi tandem evaderent. Omnes præcedaneo horrore, subitam virium prostrationem & præcordiorum oppressionem patiebantur, non nulli cephalalgia per initia torquebantur, deliria verò & inquietudines interdum subsequabantur, sitis rariùs urgebat, nec caloris præternaturalis externa indicia aderant, urina ut plurimum & pulsus non multùm à naturali statu recedebant. Talia etiam Civis cujusdam uxorem cum filio 17. annorum invaserant, qui empiricæ etiam illius imperitiæ expositi mortui sunt; filia autem 19. annorum eodem malo correpta, in morbi augmento vermem duas spithamas longum mortuum vomitu excreverat, motibusque membrorum convulsivis & continuis deliriis agitata, nil cibi & medicamentorum ulterius assumere voluerat, quin & potum omnem, quamvis fauces aridæ essent, & muco viscidissimo incrustarentur, per biduum respuerat; quæ tamen, cum utriusque humero vesicatoria applicare curassem, tumque ipsa deglutire iterum aliquid inciperet, sicque cephalica alexipharmacis mixta admitteret, mentem paulatim & membrorum tranquillitatem resumserat, & circa tertiæ hebdomadis à decubitu finem, subortâ diarrhoeâ evaserat; altera filia duodecennis tertio & quarto morbi die vomitu crebro agitata, nil cibi, potus vel medicamentorum retinere poterat, datâ verò theriacâ cœlesti cum chinchinæ extracto mo-

tus ille ventriculi perversus sedatus est, die autem decimo caput intumescere, & immensum dolere cœpit, sed propinatis ibidem cephalicis & alexipharmacis, nec non vesicatoriis utriusque humero impositis, parotidisque sinistræ tumore suborto, postquam ille à cataplasmatibus usu discussus fuisset, atque diarrhoea supervenisset, convaluit. Filia 14. annos nata, & filius undecennis cum parem morbi insultum passi, intra octiduum sanitatem recuperarunt. In omnibus his sudor ferè nullus prolici poterat: maculæ etiam puncticulares lentè nec satis ad votum prodierant: Pater prima morbi indicia sentiens, sumtâ bis Tincturâ bezoardica ejus violentiam elisit, inter medicamenta etiam Pulveris nostri alexipharmacis officinalis, qui ex terr. sigill. C. C. phil. præp. rad. angel. Zedoar. cort. citr. & myrrh. componitur, repetitum usum imprimis proficuum expertus sum; qui non tantùm lymphæ visciditatem corrigere, ejusque coagulum resolvere, sicque ad diaphoresin disponere; sed etiam balsamicis suis partibus sanguinem à corruptione præservare valuit. Tusses magnâ vehementiâ adultis æquè ac pueris infestæ, convulsivi aliquid alere visæ fuerunt, & magnam humoris viscidi copiam excreverunt; quibus verò, ut alia taceam, continuatum herbæ thee vel veronicæ, cum radice liquiritiæ infusæ usum præcipuam medelam attulisse observavi. Quo sub Morbonæ dominio reliquum anni, varias cœli mutationes, temperatiorem imprimis auram produçens, transegimus.



Constitutio Epidemica Berolinensis Anni 1699.

Dni D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

Von der Müllen.

JAnuarii Ima dies tota pluviosa, vespertino tonitru sexies satis vehementer reboante, insolito & hoc saltem tempore raro phænomeno, tremendum edidit ostentum. 2da inconstans manè ex parte serena & sicca, reliquo nimbis ingrata. 3tia manè pluviis molesta in Caurum à meridie valdè impetuosum desuit. Sequentes ad decimum varii ut plurimum pluviis, quandoque nivium flocculis mixti, non nunquam frigore temperato, in grave tandem gelu degenerante distincti, succedente demum nive, hisque pluviis, vernam ferè cum sudo temperiem ad 19num usque reducentes. Cœlo nimirum de die sereno, noctu verò gelido, revertente sic paulatim fortiori gelu, triduum durante: tum verò rursus in pluvias ac temperiem aëris leniorem per quatrimum declinante, ac succedente denuò 28vo gelu satis acris, sed ephemero, in nebulosum & pluviosum quatrimum unà cum mense terminante.

Februarius eodem typo coepit, mox verò 2do, succedente gelu ad 11mum usque continuavit, in pluviolam vespери solutum, sed 12mus manè rursus gelidus, cœlo quidem obscuro &

flocculos subinde niveos spargente, octiduum continuavit, 19nus tandem remissior toto biduo pluviosus ac nimbofus. Verum 22do post mane obscurum sequens 23us sereno cœlo pluvias ac grandinem miscuit, succedente post pacatiori 23to, rursusque nimbofo ac nivoso 25to, tandem à modico manè gelu in amœnum triduum 28vo, & ultimo transiit.

Martius à pauca nive, sereno mox rursus cœlo exorsus variis & inter se alternantibus tempestatum vicissitudinibus, Aprilem potius referens, nivibus pluvias, gelu deliquia miscens ad 12mum usque perrexit. Constantiori postmodum frigore, sereno ut plurimum cœlo, nivibus, non nunquam parvis interpolato ad 24tum usque continuavit. Inde remittens, post biduum pluviolis quibusdam aspersum, vesperam versus clarescens, 27mo in amœnam serenitatem, sequenti tamen 28vo turbida tempestate, nimbis, pluviis ac grandine foedâ interceptam, mox verò tolerabiliori biduo redditam, 30mo unà cum trimestri hoc primo in vernam amœnitatem desuit.

Morbi hujus trimestris initio frequen-

quentiores, ac Epidemicæ fuerunt præcipuè febres peculiare catarrhales, malignitatis non expertes, difficiles, periculosæ & quibusdam exitiosæ, quibus ardentes postea successere, pleuritide ut plurimum comitatæ, eaque acuta quandoque & maligna, nonnullis lethali, tandem variolæ. His ob varium adeò cœlum Februario mense substitutæ febres acutæ ardentes & continuæ intermittentes, aut subinde potius exacerbatae, malignitate ac petechiis infames, aliæque paulò mitiores quidem, sed variis exanthematis, purpura, morbillis, malignitatis latentis indicibus, foetæ, quæ & sequenti Martio, totoque adeo trimestri & ultra durarunt ac haud paucos ad plures miserunt.

Aprilis primus coeptam sub finem mensis præcedentis amœnitatem vernam, quibusdam 4to præsertim, 6to & 8vo cum æstivis de serenitate & æstu certantibus, nonum usque serie vix interrupta, nisi nubilum, utut rarius, horis potissimum pomeridianis intercedens, cœlum variationis insimulaveris, continuavit. Sequens quatrimum à nono ad 13um serenitati pluvias induxit leves ac foecundas. Inde ad 18vum Euro in Aquilonem paulatim deviante, aër quandoque serenus, ut plurimum turbidus, siccus tamen, simulque frigidus, non nunquam ventosus. 18vus serenus ferè totus, circa vesperam foecundam sparsit pluviam. Succedente hinc cum sudo temperato & amœno octiduo, 21mum procellosum & subfrigidum si exceperis, ad vigesimum septimum usque, qui

varius, manè turbidus a meridie tonitru, pluvia ac grandine horridus, circa vesperam demum serenus, triduo comitatus, turbido tandem in pluviolam sub iplo mensis exordio deliquit.

Majus totâ & amœnâ serenitate ver initiavit, sed à successore paulò asperiore, Aquilone nimirum afflante, destitutus, Zephyro tandem subeunte in pluviosum transiit quatrimum à biduo sereno denuò exceptum, sed 10mo sub vespera pauca asperum pluvia. 11mus manè serenus à meridie udus, successore 12mo sereno ac sicco interferto, pluvium & circa vesperam tempestuosum substituit triduum. Cui biduum æquè turbidum, sed præcedenti ternario siccus accessit, donec 18vus serenus & amœnus vernam gratiam ac jucunditatem, quindecim dierum continua serie ad ipsum usque mensis terminum durantem redintegavit.

Junius eodem quidem tenore inchoavit ac biduo ad vesperam usq; sereno continuavit, in pluviam verò satis grandem aut imbrem potius & tonitru circa hanc defecit. 4tus nubilosus & frigidulus, siccus tamen successorem tota die Cauro impetuosius flante nimbosum habuit, triduum tamen serenius & amœnius accersentē, ad nonæ (quæ pentecostes prima erat) usque meridiem in pluvias fatiscentem. 10mo succedenti vario, turbido ac subinde madido, 11mo manè nubiloso à meridie claro, 12mo sereno amœno ac temperato toto. Huic 13us manè serenus ac ventosus, à meridie pluviosus, Iride bis apparente, ac biduanam serenitatem nunciante, notabilis successit. Quæ

tamen à biduo inconstante excepta, quatrimum addidit paulò constantius, mox tamen in biduum è sudo & pluviis mixtum descifens, 21mum totum pluviolum ad meridiem usque 22di, à meridie clarescentis succedaneum habuit, 23tius sudo & æstivo calore gratus, 24tum ejusdem amœnitatis ad occasum usque solis imbre degenerem, socium sibi ascivit, ut & triduum sequens, & pluviolis tamen quandoque madens, 28vus pluviolum, à 29no sicco & à meridie sereno correctus, cum 30mo toto æstu ac sudo acceptissimo ultimum secundæ hujus anni quadræ mensem clausit. Trimestre hoc secundum morbos haud adeò frequentes aluit præter scorbuticos nonnullos aliis ut plurimum complicatos, utpote Arthritidi vagæ, Nephritidi, Colicæ. Febres quasdam Catarrhales, quandoque, ut ut rariùs malignas. Major scorbuticis prædictis hypochondriacos quosdam, & at rarò maniacos junxit. Hisque Epilepsias infantum præsertim, & puerorù diarrhœas, subinde & dysenterias, hoc anni tempore alias insolitas, febres quasdam cum colica scorbutica aut hysteris passionibus combinatas accensuit. Junius his malignas non nullas cum pleuritide, quandoque & in peripneumoniam degenerante concurrentes, exanthematum quoque miliarium peculiari quodam genere, ut & petechiis, iisque periculosis ac quibusdam lethalibus, infames superaddidit.

Julii primus dies sudum ultimo Junii inchoatum per quatrimum ad 5tum usque propagavit, cujus vespera pluviolum sparsit raram. Sextus mane serenus, rorantibus subinde tamen

pluviarum guttulis aspersus, à meridie imbrem fudit valdè largum, sequentes septem nubilo, aliquando & imbribus & nimbis turbato cœlo varii fuerint. 14tus æstivum redintegravit sudum, ac excepto 19no tonitru & pluviis circa vesperam turbido, & 21mo pluvia vespertina madente, ad 28vum usque jugi sudo & æstu gavisus est; Hic tandem serenitati huic satis durabili triduum tonitruolum, pluviolum ac quandoque grandinolum succenturiavit, ac 31mo demum sereno & amœno finiit.

Augustus à triduo sic satis sereno, pluviis tamen quandoque interpolato exorsus, 4to sudum produxit amœnum, ad vesperam usque sequentis durans, tum verò tonitru horrendo ac imbre valdè largo turbatum, 6to sudo subinde pluviolum miscuit, 7mo tonitru superaddidit, subsequente vario quandoque ventoso, turbido ac pluviolum ad 20mum usque cœlo, postea verò sereniori ac tranquilliori, non tamen omnino à pluviis immuni ætheri abblandivit ad 28vum usque; una cum triduo sereno toto, ac æstivo calore amœno, mensem hunc claudentem.

September sudum æstivo fervore jucundum primo die continuavit, 2do à meridie pluviolum quasdam miscuit, sequens nubibus id subinde temperavit, 5tus idem reparavit, à meridie pluviolum aspersit, 6tus à pluviis immunis, 7mus & 8vus raras sereno pluviolum intercalavit; A nono ad 18vum æther æstivum, sudo rursus & temperato calore amœnum affulsit, 18vus pluviolum pauxillò aspersò, 19no & 20mo redintegratum sed frigidulum, 21mo & sub-

& subsequente biduo paulò mitius, 24to nebulosum, sed mox rursus serenum cum successore toto 26to sudum pluvia matutina modica ac nubilo postea interpolatum ad 30um usque adeoque postremum reduxit, sicque trimestri huic tertio gratum reddidit terminum.

Tertii hujus trimestris à priori haud multum abludentis Julius hypochondriacas non nullas & scorbuticas affectiones variis comitatus symptomatis, & hæc inter præcordiorum præcipue oppressionibus & angoribus molestas; febres continuas ardentis, aliasque paroxysmis subinde vehementibus graves, nec omni malignitate vacantes, symptomata periculosa, pleuritides, hæmoptoes, deliria, ad phrenesin durantia, inducentes. Epilepticos insultus, frequentissime, adeoque epidemicè diarrhœas non nunquam & dysenterias periculosas, à tergo trahentes. Augustus eodem fere tenore transiit, nisi quòd febres continuæ ardentis, malignæ admodum, frequentiores adhuc ac petechiis quoque stipatæ successerint, atque Septembri quoque continuarint, in hæcticam haud rarò, tussis contumacissimas, colicas quoque passiones, diarrhœas, & dysenterias transeuntes, periculosas, rarò tamen lethales, purpura sæpius, variolis rarò, morbillis frequentius notatas.

October autumnò congener à primo ad 19num usque vario cœlo sæpius pluvio, rarò sereno, semper horridulo transiit; Hic serenus, præter parum pluvie 23tio sparsæ octiduum adduxit serenum, & 25to præsertim æstivo sudò ferè compari, à biduo paulò nebulosiori exceptum,

29no nebuloso turbido ac pluviis raris tamen interpolatum, biduo alio sereniori, sed Euro afflante frigidulo furrogata compensavit, tandem postremo biduo in primam glaciem sub ipso exitu dirigit.

Novembris primus, ejusdem cum prædictis postremis genii, serenus nimirum & gelidus, 2dus gelidus adhuc, sed nubilosus ac turbidus sequenti nocte primas sparsit nives, remittente parum gelu, noctu rursus pruina, tum manè nebulam in pluvio-lam deliquescentem tulit. Subsequente 5to sicco, mitiori æthere grato, tum pluviosa nocte ad meridiem usque sequentis intersera, inde clarescente rursus aère post turbidum 7mum, triduum subsecutum sudò temperato valdè amœnum ad vesperam usque 11mi pluvia rorantem, cui quadriduum rursus serenum successit, ac 18vum manè pluviolam spargentem, si exceperis, ad 21. usque à meridie pluvia quoque rara cum frequentibus duobus madentem. 24tus ejusque successor nimborum assecas habere turbidos, ac pluviosos, solo 30mo mensis nimirum ultimo sereno ac temperato excepto.

Decembris primus & secundus alternatim pluvias serenitati, ille manè, hic vesperi subordinarunt, 3tius in gelu pronus à nocte gelida, meridie nivoso, reliquo sereno in triduum brumali frigore rigens transiit; 7mus mitior, cum 8vo toto nives addidit; 9nus temperato gelu serenus: 10mus totus nivoso à procellosa nocte in serenum ac temperatum gelu migravit, quòd 11mo fortius; 12mo subturbido cœlo per triduum subsequens satis rigorosum, in

gelicidium tandem desit, 16to nebuloso cum sequente, cœlo etiam sereno paululum remittens, biduum substituit penitus degelascens, sed reintegrato 20mō gelu ad meridiem usque mitiorem, 21mo & 22do nebulosis ac pluviosis, 23. à nocte serena gelicidium à meridie adduxit ad 24ti usque sequentis meridiem, in pluviam tandem fatiscentem. 25tus nebulosus ac nubilosus totus mite restituit gelu, cœlo sereno cum nivibus quandoque alternante; ad 31mum usque & postremum hujus ut trimestris sic anni totius, robur successive validius acquirens.

Postremum hoc trimestre, perinde uti priora, febres obtulit varias, satis frequentes satisque vehementes, acu-

tas & ardentes non nullas simulque malignas pleuritide, & peripneumonia quandoque, ut plurimum funestis, diarrhœa, cholera, Ictero, Catarrhis cum defluxionibus molestis indentes, tonsillas, guttur, pulmones &c. depluentibus contumacibus, Cephalæa, cardialgia, palpitationibus cordis intensis, purpura subinde, morbillis, variolis & haud rarò petechiis stipatas. Præcipue autem Colica quædam scorbutica valde frequens fuit, prima facie levis, ac haud magni momenti visa, mox verò nunc diarrhœæ, nunc dysenterix, nunc pleuritidis in peripneumoniam sæpè degenerantis, contumacis, periculosæ, & haud rarò lethalis, Protei instar larvas induens.

Constitutio Epidemica Basileensis Anni 1699.

Dni D. Joh. Jacobi Harderi.

P Rincipium Januarii ferè ad usque hujus medium, varia tempestatis eaque subita dyscrasia ac mutatione, novi anni auspiciis prælusit: imminente paulatim novilunio cœlum læta serenitate, aërque desiderato Pruinæ incremento ac siccitate ad usque finem hujus mensis favore perrexit: inde verò obscurior aër ingruit, Februariique initium nunc nebulosum fuit, nunc pluviosa cum nive mixtum, ventis per intervalla fortiter spirantibus: Pleuritides & pleuropneumoniæ cum febribus continuis jam frequenter homines invadebant: neque catarrhi ferini iisdem pepercerunt, variolis teneriori infantix subinde infestis.

Martii principium pluvialis nix

ingratum reddidit, quæ instante Plenilunio, magnâ & insolita cohorte, arva montesque adeo obsedit, ut itinerantibus non parvo fuerint obstaculo: inde blandiore accedente aëre, nix paulatim fundi, & fertilis tempestatis spes major affulgere cœpit: usque tamen interpolatæ circa finem hujus, & Aprilis initium nivales pluvix, eandem rursus extinguere cœperunt. 8. 9. & 10. April. interdium calore blando terræ gremium re-ficiente, noctu verò pluvia cum tantilla nive idem irrigante, febres continuæ hoc tempore satis adhuc infestabant.

Die 12. April. calidiusculæ pluvix fugata in arvis, montibusque adhuc dum hospitans nix maxima sui parte, afful-

affulgente deinceps serena tempestate, cum exoptato calore solis, florum fructuumque fœcundo parente, tantum non prorsus evanuit.

Maii initium multa pluvia comitabatur, in montibus heic illic nive per intervalla interspersa, inde optata tempestas ingruit, solis desiderato calore singulis terræ fructibus & seminibus, in vitam excitatis, cujusmodi in Junium usque & ultra fœcundissimè continuavit: Julius quem canicula promittit fervorem, minus largum sensit frequentibus pluviis præter votum illum attemperantibus: neque ejus defectum Augustus majori calore, quem ab hujus medio ad

finem usque demum experti sumus sarcire potuit: unde uvarum maturitas quam Septembri mortales præstolantur, versus finem usque hujus à nobis desiderata fuit, & quamvis dies calidi interpolatè alluxerint, noctes tamen frigidiusculæ, eandem non parum sufflaminarunt; sub finem Octobris nivalis tempestas jam ingruere cœpit, quæ subsequen-
tibus hinc Novembri & Decembri mensibus, inprimis circa medium finemque hujus cum multa Brumæ sævitia, ingravit; præter febres continuas & in quibusdam locis fatis malignas, alii morbi rariùs frequentes erant.

Dni D. Rudolphi Jacobi Camerarii,

Academici Naturæ Curiosæ,

Schediasma Tubingâ missum ad Historiam Epidemicam.

Ann. 1699. & 1700.

LAudabile est institutum historię epidemice Germaniæ, in appendicem Ephemeridum ab annis aliquot referri solitæ, quod ex multitudine observationum per diversas provincias collectarum progressu temporis acquirendam spondet notitiam meliorem & pleniorum de subdolis aliàs & occultè, utut populariter, grassantibus morbis. Hanc ego collectaneorum suppellectilem hac quidem vice non venio locupletatum, nec plenam descriptionem constitutionum utriusque anni hinc inferere necesse duco; Quoniam qui suis temporibus grassari solebant ca-

tarrhi, & inflammatorii pectoris morbi, quæque intercurrerent variolæ, cum aliis levioribus, tanti momenti non videbantur, epidemiarum autem febrium pristina frequentia & malignitas ab aliquot retro annis per Dei gratiam in urbe dominium non obtinebat: Sed ea fata, quæ per tristes olim annos communiter plures experiri solebant, jam paucis & vel uni atque alteri solùm obtingere, idque modo quodam sporadico potius quàm epidemico, hoc annotare cum licuerit, communicare etiam operæ pretium visum fuit.

Exemplum quod huic rei fidem faciat

faciat singulare. pro anno 1699. suppetit in una domo: Scilicet Aprili mense primus in familia pater, vir robustus, idemque hætenus sanus bibliopegus, febre maligna planè ex improvise modoque acuto abripitur, hunc post breve tempus, liberis interim etiam correptis, sed evadentibus omnibus, intra mensem ultima sequitur in familia mater; sic viduata domus, cum altum de simili malo in urbe esset silentium, nec per hunc annum ante & post ita acutè abriperetur quisquam. Nihil etiam contagii hinc retulerunt vicini, aut qui alias tristes illas ædes visiterunt. De causa illa manifesta non constabat: Audiebantur quidem tum temporis hinc indè varii pauperum morbi sub annonæ caritate ob diætæ vitia, vertigines, tormina, alvi fluxus, sed hæc in pagis potissimum, minus in urbe; Constitutio autem aëris per istum mensem, utut sæpè blanda, mitis, velut æstiva, hinc & leviter tempestuosa, in principio tamen & fine fuit frigida, humida, cum & vicinis Alpibus diu inhæreret nix, quin nova sub medium & finem ibi caderet.

Pro anno 1700. duo suppetunt exempla, notata in binis ædibus: ubi principium continuæ non communis febris iterum deducendum est à mense Aprili, qua sub ejus finem correptus fuit sartoris filius, absque omni, quantum quidem constat, causa evidenti, nec ab alio quocunque infectus; Hunc sequitur soror major, hanc minor natu; omnes medico nullo consulto vel absque vel cum medicamentis ut aiunt domesticis evadunt, ita tamen ut ad quinque & sex septimanas pro-

tenderetur apud singulos plena convalescentia. Quarta in ordine mater demum die septimo vel octavo Junii (non enim simul tres priores personæ decubuerant, sed una ferè resurgente dejecta fuerat altera) cum malè habere circa præcordia inciperet, sumit purgans, nescio quale aut cujus suavis, & movetur fortiter, sed abhinc statim lecto affigitur, alvum ad tredecim dies habet clausam, tunc suppositoriis & enemate tardè & parcè motam, jacet soporosa, omnium negligens, excitata & interrogata sibi non malè esse dicit, tandem subdelira, nullis usa medicamentis, in tertia demum septimana die vigesimo quarto Junii moritur, lividè post mortem nigricans. Ipso die sepulturæ frater defunctæ, lanio robustus, quinquagenarius, tabellarius, post varios quidem errores diætæ, largos certè in vino excessus, ægrotare incipit, sc. prævio horrore malignè dejicitur die vigesimo sexto Junii; Dicitur autem turbatus & vestibus indutus diu mansisse extra lectum, ludens, garriens, cum pulsus præ spasmodis jam explorari vix posset, & ut ajunt pleuriticus. Quidquid sit de ipso, quem non vidi, moritur satis acutè mane diei secundi Julii, convulsus. Abhinc terrore percussa alterius fratris uxor etiam dejicitur, sed evadit; Cum verò insuper binæ personæ aliis in ædibus, quibus cum ista familia nihil intercesserat commercii, febre, sed mitiore & remittente, corripentur, caderetque vir sanus hætenus ex improvise apoplecticus lethaler, imò de subitaneis per patriam casibus tristes hinc inde advolarent nuncii, magna utique tum pavido-

rum

rum commotio. Sed redeundum ad ædes fartoris; Die altero post sepulturam matris, filia annorum septendecim nondum menstruata, manè circa horam octavam ægrotare incipit, friget, à meridie incalcescit, atque ita hinc continenter febricitat, ut extra lectum planè non degere, quin sæpè in eo ne quidem se erigere posset, plerisque tamen diebus horas matutinas experiretur meliores, pomeridianis autem sentiret exacerbationes omnium symptomatum, quorum præcipua erant dolor capitis & ut aiebat cordis, cum levi tussicula, alvo tarda, pauca, siti non nimia, appetitu nunquam plenè abolito, lingua mucosa, molestia quadam deglutitionis, absque maculis, (uti & priores omnes) absque singulari delirio, mittens urinam nunquam rubram, cum nebula post moram crassa albidè pallida: Hæc filia post dies quatuordecim evadit feliciter, usa decocto rasur. corn. cerv. rad. glycyrrhiz. sem. foenicul. pulveribus panonico, alexipharmaco, cervino, (prout hinc in officinis juxta descriptionem B. Parentis in gratiam pauperum præstant minus pretiosi) bis in die aut ter, alternis enim noctibus dabantur grana quatuor extracti bezoardici, descriptionis ejusdem, cum vehiculo & mixtura aquarum melissæ, card. bened. cerasor. tiliæ, Syr. acetosif. citr. cui addebantur cornu cervi ustum, antimonium diaphoreticum, & tinctura bezoardica, cum pulveres illos porrò sumere recusaret. Tandem ultimus in domo pater, die duodecimo Julii languere visus, sibi que metuens, ne ordo jam ipsum tangeret, à deglutitis no-

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

ctu septem pilulis bezoardicis, & drachma dimidia theriacæ Andromachi mane in vino hausta, largiter sudans præservatur, nilque ultra mali passus, finem ita imponit malæ febrì, inducias hinc iterum urbi nostræ (utinam benè longas) concedenti.

Hæc de hac familia: Interim alibi in urbe lotrix, cum prioribus non communicans, circa idem tempus cum ista muliere, sc. die octavo Julii, post loturam linteorum, sub horam vespertinam septimam horrore gravi correpta, hinc ob æstum, sitim, acutum capitis dolorem, cardialgiam, tussim frustraneam, dolores costarum pleuritidem æmulantes, die decimo Junii manè venam secari jubet in brachio, (unde sanguis extractus mora temporis nullam contraxit crustam, sed mundam servavit superficiem) decursu dierum mane & meridie melius, à vespera in noctem semper pejus habet, tum dyspnoica subindè & subdelira; Die decimo tertio mensis observantur in collo ipsius & pectore maculæ minutæ rubentes, die decimo octavo per collum efflorescentes vesiculæ miliares; Alvus die decimo quarto ante meridiem spontè novies non torminosè soluta, per morbi decursum manet lubrica, laxior communiter sub exacerbationibus; Urina mittitur nunquam tincta, plerumque turbida, cum sedimento post moram laxo, crasso, pallido. Sic afflicta foemina sub usu prædictorum medicamentorum, quibus hic accesserat decoctum pectorale alexipharmacum, electuarium diascordium, & cortex Peruvianus evasit feliciter; equidem in sexta septimana jam iterum lotri-

Q

cem

cem agens, notabile adhuc sub declinatione emergens narravit phenomenon, pruritus sc. ferè universalem, valdeque molestum, quo ad fricandum vehementer corpus urgebatur, unde & in squamulas elevata & exsiccata cuticula abscesserat passim. Cæterum hæc non uti prior, infecit quenquam, sive nemo ab ea laboravit similiter, nisi quòd filiola annorum quatuor eam videretur sequi, febricitabat enim per dies quatuordecim continenter, cum exacerbationibus vespertinis, sine maculis, convaluit autem absque medici ope, cum post longam anorexiam & abstinentiam, appetitu ferebatur in lac acidum eoque satiaretur.

Hæc sunt fata familiarum, quas in alta velut pace securas hostis improvisus diversimodè aggressus graviter exercuit, modò unam & alteram in domo eligens personam, reliquis parcens, aliàs nulla prætermissa paucas fataliter abripiens; Ibi in una domo persistens, decursu intra breve tempus absoluto, hic extra domum ad consanguineos & affines sese extendens, diu tamen protracta successione in eadem, ad mensem sc. usque tertium. Illum aliàs novimus morem talium febrium, quòd cum epidemiam minantur invasionem, accedentes subdolè & sparsim se prodant, & cum finis earum adest, re-

cedentes subindè tamen, cum minimè credis recurrant; Hic autem neutrum locum habere videtur, sed alia ratione tristem sui memoriam renovasse malignitas; idque non tam hyberno, quo major olim communiter notabatur, quàm æstivo potius hac vice tempore, quo Mars apud nos (utinam per Dei gratiam diu) quiescit, & qua mediocre fuit annonæ pretium. Addendum hac occasione post hyemem inconstantem, ventosam, lutulentam & gelidam, non minus varium successisse vernum tempus, nive iterum Alpibus diu, ad finem usque Aprilis, inhærente; Junium in specie sæpe, ipso die septimo fuisse pluviosum, ad exundationem fluviorum in utramque circa urbem valle. Respondebant interim tali constitutioni morbi varii, inter quos præcipuæ hybernæ variolæ, vernæ scabies, pleuritides, peripneumonix, sub initium Maii perquam frequentes: Abhinc autem inter benignos nec multos morbos observabatur singularis illa malignitas, ad paucas determinata personas. Quibus sub finem pro declaranda temporum istorum de cætero bonitate addi potest, quòd à quo tempore fama de novo remedio antidysenterico percrebuit, nullus observatus inter nos fuerit æger, quocum ejus periculum fieri potuerit.

Serius Missa Dni D. AMBROSII STEGMANNI

Historia Epidemica Mansfeldiaca Anni 1697.

CUM Temporum inæqualitas, Hippocrate & Experientia teste, plurimos pariat morbos, nec minima utilitas, iudice Per-Illustri Domino Præside ex Epidemica Annorum constitutione, diligentique illorum observatione resultet in Rempublicam Medicam, operæ pretium duxi & Ego, ut circa Comitatum Mansfeldiacum ex epidemica constitutione propullulantes morbos, quantum mihi observare datum fuit, annotarem & Ephemeridibus adderem. Ab Anno itaque 1697. bono cum DEO, initium faciam: Cujus Mensis JANUARIUS incepit gelu rigoroso congelare aquas, & nive conspergere terram ad 5tum usque diem, quem inconstans ingruente ultima Lunæ quadra, aëris tempestas excepit, & per reliquos hujus mensis dies mox pluviis, mox nive, mox turbinibus continuavit.

MORBI: Per hunc mensem tumores insoliti hominum capita occuparunt, ut tertio majores extiterint, quos tamen sudorifera & vesicatoria optimè dissiparunt. Sic & Pleuritis notha in gravidas nimium quantum sæviit. Nec non catarrhi suffocativi primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines invaserunt, qui Affectus tamen appropriatis suis remediis auscultarunt.

FEBRUARIUS inconstante Aëris temperie, multis comitatus nebulis matutinis & vespertinis ad no-

num usque diem continuavit, quo frigus intensum ingruit & ad 24. duravit, reliquos hujus mensis dies rursus Aër pluviosus, udosus & nebulosus excepit.

MORBI: Mense hoc Morbus Hungaricus, superveniente ut pl. 7timo die Anginâ, Febresque Petechiales multis exitiales fuere. Petechiæ in plerisque absque ullis datis Medicamentis 2do statim & 3io die maximâ cum virium prostratione & malignitate eruperunt. Et licet multi his laborantes sanis similes viderentur, tamen præter omnium opinionem die 7timo extincti sunt. Die 5to ut pl. in sexu nobiliori hæmorrhagiæ narium, in sequiori menstrua cum infallibili lethalitatis indicio, erumpebant. Quibus mox ab initio delirium superveniebat, morbo absoluebantur; sic & diversos ex pauperioris sortis hominibus vidi superstitites, qui negligentius vivebant, in frigore jacebant nec ullam sui corporis curam habebant. Ex decumbentibus etiam quidam recidivam sunt passi, ita, ut intra mensem bis fuerint petechiis insigniti, qui tamen omnes vitâ privati sunt. In quibusdam febre hac demortuis, facies vivorum simillima & sudore guttatim conspicua, deprehensa est. Admirationem etiam subit, quod bubones pestilentiales, in quibusdam peste, tempore ultimæ contagionis, olim infectis,

hoc mense rursus intumuerint, purulentamque materiam de se dederint. Optima Bezoardica lege Artis & summo studio adhibita respuebat omnia hæc febris; Idemque vomitoria & Venæ sect. in principio etiam ministrata erant de nihilo. Sola vesicatoria, quæ tamen plurimi recusabant, primis statim diebus in diversis corporis partibus simul applicata, multos eripiebant è faucibus mortis.

MARTIUS & APRILIS mox pluviis & tonitru, mox nive, mox turbinibus mutarunt suos dies.

MORBI: Catarrhi & tusses nimium quantum infestarunt Homines, in his Pillul. de Succin. Craton. it. de Cynogloss. associatis Elixiriis pectoralibus multum profuerunt.

MAJUS insolito Aëris fervore & tonitru ingruit, & usque ad X. diem continuavit. Reliqui hujus mensis dies pluviosi & ventosi, noctes verò ob flantem Boream summè frigidæ extiterunt, ut & exinde fructus & fruges ob glaciem obductam frigore sint tactæ & læsæ.

MORBI. Hoc mense Pleuritis, Hæmoptysis, Arthritis vaga scorbutica, & imprimis febres Catarrhales multò infestarunt.

JUNIUS intravit rursus insolito Aëris fervore, cujus XI. diem Boreas excepit & usque ad XX. diem duravit, quo rursus Aëris fer-

vor cum tonitru ingruit, & mensem finiit.

MORBI. Hoc Mense Melancholia multos utriusque Sexûs homines invasit, qui truculentas manus sibi suisque intulerunt, supervenit & quibusdam Melancholicis Epilepsia paucas post horas lethalis.

JULIUS crebrioribus pluviis, flante Borea, per totum mensem ita molestus fuit, ut Vulcanus tunc temporis superbiret in nostris fornacibus.

MORBI. Hoc mense febres Tertianæ & Quartanæ, it. Partus difficiles sequiori sexui periculosi fuere.

AUGUSTUS, SEPTEMBER & OCTOBER pluviosi & ventosi flante Borea & Euro extiterunt.

MORBI. Catarrhi, Tusses, & Pleuritis vagarunt hinc inde.

NOVEMBER & DECEMBER maximè inæquales fuerunt, & mox pluviis, mox nive, mox frigore mutarunt suos dies.

MORBI. His mensibus Icterus in quibusdam cum diarrhœa, in aliis cum vomitu, in plurimis cum tumore ventris observatus est, & totas familias infecit, paucos tamen intra dies pillulis meis Martialibus & Sale Cachectico Ludovici profligavi hunc morbum. Sic & Arthritis vaga Scorbutica & Podagra multos infestavit.

Epidemia Mansfeldiaca Anni 1698.

JANUARIUS frigore intenso per 4. dies spirante Subsolano continuavit, 5to die Aër nebulosus ingruit. 6to & 7tmo Aqu-

lo nivem, d. 12. 13. 14. Zephyrus pluvias protulit, d. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Euro-Notus nivem & intensum frigus reddidit. Reliqui mensis

sis dies, flante Zephyro, rursus plu-
viosi extiterunt.

MORBI. Tuffis, Catarrhi &
Pleuritis notha multis molesti fuere.

FEBRUARIUS pluvioso & au-
strali aëre usque ad Sextum continu-
avit diem, 7mo frigus intensum,
spirante Euronoto, ingruit, & per
reliquos hujus mensis duravit.

MORBI. Pleuritis, tumores sub
axillis, & morbilli admodum familia-
res fuere hoc mense omnis ætatis ho-
minibus.

MARTII primi VI. dies flante
Zephyro, pluviosi extiterunt, VII.
frigus, spirante Euro-noto, inten-
sum rursus ingruit, & usque ad XX.
continuavit, quos reliquos mensis
hujus dies aër meridionalis cum plu-
viis & tonitru absolvit.

APRILIS totus pluviosus, spirante
aëre meridionali extitit.

MAJUS eodem aëre & pluviis us-
que ad 18. diem continuavit, d. 19.
Subsolanus radiis Solaribus terram
siccavit, quam tamen d. 27. pluvix
& grandines rursus humectarunt, &
ad finem usque hujus mensis perdura-
runt.

**JUNIUS, JULIUS, AUGUS-
TUS, SEPTEMBER & OCTO-
BER** mox pluviis, mox radiis So-
laribus & aëre validiori, mox fri-
gidiori, variante Aquilone & Austro
admodum molesti, extiterunt.

MORBI. Licet maxima Aëris inæ-
qualitas per totum fermè Annum ex-
titerit, minimi tamen morbi has
oras visiterunt. Nam præter Melan-
choliã, Maniam & furorem ute-
rinum, planè nullus alius in Comita-
tu Mansfeldiaco per Mensem Ju-
lium, Junium & Augustum obser-

vatus est morbus. Hi autem affectus
permultis familiares fuerunt. Nam
XV. Melancholiã, VII. mania, & octo-
decim furore uterino laborantes me-
am solummodo implorarunt opem,
quibus etiam ad unum omnibus ap-
propriatis suis remediis, & imprimis
vesicatoriis, & Venæ Sect. Deo auxi-
liante pristinam reddidi sanitatem.
Nymphamaniacæ imprimis mira pas-
sæ sunt symptomata. Quædam nil
nisi obscœna proferebant verba, ve-
neremque intendebant. Quædam in-
somnia phantastica recitabant, &
modò hunc, modò illum Sanctum,
l. Principem, l. alium Magnum pro-
sponsis habebant. Aliæ cantabant,
saltabant & modò in caput, modò
in pedes se conjiciebant, variaque
absurda immiscebant. Aliæ rythmos
componebant, totas paginas è Bi-
bliciis recitabant & Chiliastras se pro-
fitebantur. Extitit autem, quod mi-
randum, furor uterinus contagiosus,
nam iisdem in ædibus sæpè 2. 3. &
plures decumbebant mulieres hoc affe-
ctu. Vidi etiam meis oculis: Quòd
præfecti cujusdam uxor in paroxysmo
ejusmodi furente constituta, ex ad-
stantibus mulierculis rusticam quan-
dam virginem ad osculandam mani-
bus arriperet, recusantique cola-
phum impingeret, ex quo terrore
rustica hæc, altero die post, eòdem
affectu infecta fuit.

NOVEMBRIS initium frigidum
fuit, reliqui verò ejusdem dies mox
pluviis, mox nive rursus molesti ex-
titerunt.

DECEMBER mox frigore, mox
pluviis, mox nive, mox turbinibus
Annum absolvit.

MORBI. Hisce mensibus vario-

læ suis maculis primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines signarunt. Vidi enim vetulam septuagenario propinquiore, & virum sexagenario majorem, variolis absque vitæ jactura decumbentes. Sic & bruta à variolis non immunia fuere, ex quibus pennata, utpote anseres & gallinæ,

tum domesticæ, tum indicæ, hisce infecta perierunt ferme omnia. Oves & porci verò, quibus expellentia (utpote cineres ex stipitibus fabarum, vel frumento secalino cum urina humana, vel rob. Sambuci &c.) ab Oeconomis curiosis propinata sunt, ut pl. evaserunt superstites.

Constitutio Epidemica Berolinensis Ann. 1700.

Dni D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

Von der Müllen.

JAnuarii primus st. Greg. gelu quod annum præcedentem finierat, cum degelascete tepore imbribus ac nivibus mixto commutavit, & ad festum Apparitionis s. ut vulgo vocant trium Regum usque continuavit, sequenti festum die gelu cælo sereno vires recuperavit, ac per triduum servavit, 10mo rursus & sequentibus; 12mo gelu aliquali & nivibus diversum, cum 16to, 17mo & 18vo blandum gelu nocturnum cælo nubiloso à meridie pluviis rostantibus, si exceperis ad 25tum usque remittens, 26tus priorem vigorem reassumit, illique nives superaddidit; eoque tenore sequentibus, 29no excepto, ad 30mum usque duravit, tandem 31mo ac ultimo illius mensis, pluvioso, à meridie vario desit æthere.

Februarius temperato quidem frigore cœpit, sed nivibus, quandoque alias pluviis, utut raris, interpolato varius fuit ad 22dum usque, à quo redintegrato per triduum brumali frigore, sereno interdum cælo, 25to sensum remittente, 28vo circa vespe-

ram in pluviam tandem delicuit.

Quam prima Martii serenus excepit dies, huncque sequentibus gelu nocturnum, subinde & diurnum, nivibus 3tio & 4to opertum, succedentibus à 5to ad 11mum satis rigidum, remittens 12mo ad 25tum usque Cauro impetuosius flante noctu valdè gelidum & hujus sequaces ad finem usque mensis, Cauro licet ab Aquilone repulso ac hinc 30mo succedente Euro eodem ferè tenore perdurantes.

Morbi hoc anni quadrante præter scorbutum ferè endemium ejusque affeclas, ut & cognatum malum hypochondriacum, fuere frequentiores Catarrhi, tusses, febribus, quandoque Catarrhalibus, variis defluxionibus, in genas, dentes, maxillas, guttur, scapulas, ipsum quoque pectus & pulmones, pleuritide item tam verâ, quàm spuria, indeque ut plurimum pullulante hæmoptoë, hancque non nunquam excipiente, aut Phthisi, aut hectica, haud rarò etiam nephriticis doloribus complicatæ. Præterea febres quoque aliæ variæ, inter-

interque illas quædam malignitate non vacantes, morbillis, & variolis, & purpura sese prodentes.

Aprilis primis diebus Euro-noto spirante paulò remissior, 6to Vernæ amœnitatis prænuntio, variantibus subinde ventis & non nunquam satis asperè flantibus, sereno tamen plerumque cœlo, rarius pluvias rorantes spargens, ad extremum usque diem temperatus fuit.

Cui Majus ferè totus respondit, frigidior equidem, paulò præter 12mum & 17mum fudo & tepore verno amœnos, ad 22dum in pluvias comite tonitru circa vesperam cum sequenti toto & 24to manè udo solutum, succedente biduo sereno ac temperato, postque 27mo manè pluvio, tandem ad 31mum adeoque ultimum serenus & amœnus.

Junius serenitatem & amœnitatem vernam Majo cœptam ad 6ti usque vesperam cum pluvia tonitru advehentem continuavit, 7mus & 8vus præcedentibus nubilosiores, circa vesperam rursus pluvii fuerunt, reliqui ad 12mum obscuri & frigidi, sicci tamen; à 12mo verò, 20mo manè pluvioso, vesperi tonitruoso excepto, ad 22dum & 23. serena & amœna temperie commendabiles, ac hos inter 14tum, 15tum, 16tum & 17mum æstivo ferè æstu graves fuerunt, subsequentes pluviosi, quandoque tota die ac nubili ad 30mum usque & ultimum manè nubilum, postea præcedentibus sereniorem.

Morbos hoc trimestre præter prædictum scorbutum & ab illo dependentes Cachexiam, dolores, tumores & id genus alia symptomata, febres genuit omnis generis, commu-

nes, Ephemeræ, intermittentes varias; etiam septiduanam, paroxysmo septimo quoquo die recurrente, rariùs, si unquam antehac in praxi occurrentem; continuas, ardentis, cum & sine exacerbationibus, Catarrhales, malignas haud rarò, pleuritide, arthritide, Catarrhis aliisque variis defluxionibus, tussi, doloribus præcordiorum, & hypochondriorum, asthmate, interdum convulsivo infestas, purpura, morbillis, atque variolis, aliisque exanthematis foedas, passiones item hystericas, nephritides, diarrhoeas, hæmorrhagias etiam uteri, &c.

Julii prima dies serenitatem ultima Junii cœptam continuavit; Verùm sequentes mense ferè toto alternis diebus sudum cum pluviis nunc parioribus, nunc copiosioribus alternando, æstivum sereni cœli æstum sic imbris & pluviis temperarunt.

Augustus à primo ad 7mum ferè pluviosus, triduum ad 10mum usque serenum intercalavit, sequens triduum manè siccum vesperi pluvia maduit, 14tus vento nubes dissipante serenus, 15tum successorem habuit totum udum & imbrosum, 16tum manè pluvium, postea serenum, serenitate triduum continuante, biduum rursus mane nebulosum, post raras spargendo pluvias vidimus. Sudo 22do interserto 23io nubilo, tonitruoso ac pluvioso in serenitatem tandem declinanti, 24tus successit serenus & amœnus, atque huic frigidulum pluviis subinde madens ad finem usque mensis septendium.

September facie à primo rorante nonnunquam aliàs sereno, in sudum æstu sæpiùs grave mutata, ad 13ium usque

usque manè serenum, licet à meridie post tonitru grave imbridum, commendabilis, triduum accivit varium pluviis serenitati interspersis, ac frigore, moderato tamen, non usquequaque gratum; triduo alio sudo gratiori exceptum, biduo rursus interpolatum vario, 22do sicco, 23io. toto ferè pluvio ac frigido, 24to manè nebuloso ac nubilo, à meridie sereno, substituti triduum ejusdem ferè tenoris, frigidum, tum serenitas bidui postremi, mensem nunc simulque trimestre hoc absolvit.

Quoad morbos id præcedenti ferè compar, nisi quòd frequentiores adhuc fuerint febres præsertim ardentes & malignæ, petechiales quoque, pleuritides in phtisin quandoque declinantes, quædam veræ, quædam etiam nothæ, dysenterix & diarrhoeæ, æstui partim & inordinatæ, in potu præsertim & fructuum horariorum ingurgitatione, diætæ originem debentes, non nunquam lethales variæ, febribus interdum comitatæ defluxiones cum tumoribus artuum, præcipuè genarum valdè contumacibus.

October à primo ad 4tum usque nubilum & à meridie rotantem, indeque ad 8tavi usque vespertinam pluviam serenus, temperatus ac sudo ferè jugi veris instar amœnus; Noctu inter 8vum & 9num Tonitru horrendo terribilis, nono sparsis à meridie pluviis paulò horridior, 10mo sine pluvia nubilus, 11mo sudum redintegavit, biduo succedente vario ac quandoque pluvio, 16to vesperti pluvia madens, cætera cum sequentibus quinque serenus, 21mo nubibus subindeque rorans ac Austro

flante frigidus, 22do manè pluvius ac nubilus cum sequentibus quinque sicco; 27mo nubilus totus ac imbrofus, 28vo Vulturno aspirante nebulosus manè, postea cum insequentibus ad 31mum, ac mensis hujus postremum, paululum rorantem & frigidum, serenus atque sicco.

Novembris primus durante adhuc Vulturno gelu induxit, & per biduum continuavit, quod tertio rorante manè parumper cœlo remisit, succedente 4to toto pluvioso; tum biduo turbido sicco tamen, manè præsertim atque huic ad 12mum usque varia, quandoque nubila, aliàs serena, sicca subinde, rursusque pluvia tempestate; tandem Cauro afflante gelu 13tio serenum accessit ac sequenti mane turbido, & à meridie nive prima comitato, usque ad 19num à rigore remittentem & pluviis madentem duravit. Tum post biduum pluvium, biduum successit gelidum, procellosum & grandinosum; huic demum nix manè pluviis mixta, à meridie ac sequenti 24to in imbres deliquescentes, sequenti verò nocte Austro flante rursus gelascens, diurno succedente per quadriduum sudo, vesperti vento paulatim ad Eurum regrediente in nivem resoluta ac biduo subsequente toto pluvioso, nebuloso ac inamœno mensem terminante.

Decembris primus gelu reduxit ac nives, quod ad 5tum usque circa vespertinam pluvia sparsa remittentem duravit, hunc sequens biduum adhuc remissius prima die pluvias vespertinas tulit, altera siccius fuit, 8vus manè nebulosus valdè ac pluvius, postea siccius; 9nus, totus nebulosus &

10mus & Zephyro aspirante imbrofus, 11mus manè paulò serenior, vesperi pluviòsus. 12mus mane turbidus, post serenior tandem nubilus & udus, 13mus blandum gelu, non nunquam nivibus non nunquam gelicidio interpolatum reduxit, ad usque 20mum, qui rigorem majorem addidit ac quadrimum continuavit, circa vesperam 24ti remittens ac vario cœlo, ut plurimum tamen uvido, ad 31mum usque perseverans, sicque hoc trimestre simulque annum ipsum temperato, at ingrato frigore claudens.

Ultimum hoc trimestre morbos produxit prioribus nec frequentia, nec varietate nec gravitate cedentes, passiones Hypochondriacas, Ilicas, Colicas, Hystericas, Nephriticas,

Febres varias, præsertim acutas, ardentibus continuas, catarrhales, pleuriticis, malignas quoque variolis & petechiis infames & quandoque funestas. Defluxiones & Catarrhos, suffocativos quoque, in genas, guttur, pulmones &c. depluentes. Asthmata convulsiva quoque non nunquam & anginas causantes. Diarrhœas & Dysenterias, Cephalalgias, Hemicranias, Cardialgias, Odontalgias, Hemiplegias, Apoplexias, Epilepsias, præsertim infantum. Tumores varios & dolores, ut plurimum contumaces, & innumera alia scorbuto præsertim & Venereæ lui familiaria symptomata, brumali frigori, cœlique frigidiori ac humidæ constitutioni variabili & inconstanti ex parte tribuenda.

Constitutio Epidemica URATISLAVIENSIS.

Anni 1699. 1700. & 1701.

EXcellentissimi Domini Uratislavienfes uti hæcenus inter Naturæ Curiosos solertiæ & curiositatis pãlmam non paucis aliis dubiam reddere allaborârunt, ita laudabili instituto, circa conscribendam morborum in Germania epidemico- rum historiam, & ipsi favere, ac Patriæ suæ celeberrimæ similem statum delineare decreverunt; Cujus priores tres Anni de Morbis qui Anno 1699. 1700. & 1701. Uratislaviæ grafati sunt, publicis typis jam exscripti legantur, & cum pro hoc nostro Volumine paulò prolixiores sint, synopsis eorum hæc dare libuit, omissis iis morbis, qui epidemico- rum censum haud ingrediuntur.

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

Cum Anni millesimi, sexcentissimi, nonagesimi noni Januarium horridum Uratislaviensibus reddidissent Nebulæ & Venti, variis vicissitudinibus, potissimum intercurrente pluvîâ, subinde tamen & frigore, quamvis remissiore, graves, initium quoque, imò majorem ferè partem Februarii sub eadem cœli inconstantia transfegerunt, nisi quòd alterna frigoris vis majori impetu corpora concuteret, & aër circa plenilunium serenus languentes animos excitaret; quæ cœli inclementia ineunte mense Martio continuavit, non rarò tamen effusis ad plenilunium usque, quæ illicò tabelcebant, nivibus, & terra pruinis hor-

Rente;

rente ; cum è contra melior aër , vergente ad finem mense , ac sudum tellurem foveret. Primus ergo hic anni quadrans ferè decursu excessit in humida constitutione , quam etiam accuratæ tam barometricæ , quàm thermometricæ observationes confirmarunt. Quo tempore , cum primis sub Januarii principium , Dolores spasmodici sanguineo-cholericos , & melancholico-phlegmaticos affligebant , frequens erat Arthritis , prædominabatur tamen in subjectis iracundiæ obnoxiiis , & diætæ aromaticæ ac vinosæ deditis , præcipuè liberaliori vini Hungarici , à solo calce vivâ ferè penitus substrato infecti , potui inhiantibus. Plures intempestivo frigidi & humidi aëris accessu admissio , Pleuritis notha occupabat , temperatioribus diureticis magis , quàm diaphoreticis cedens. Multi de dolore lumbos infestante conquesti , pro nephriticis promiscuè à Medicis non satis exercitatis , & vulgo habiti fuerunt , cum tamen non semper renes , sed plurimas etiam alias partes in illa corporis regione latentes , adfici posse , sagaciores Medicos fugere nequeat.

Sub finem ejusdem mensis in scenam prodibat Febris petechialis , quæ licet post 14. Aprilis diem conticesceret , mense tamen Majo iterum ferocire , & quidem cum catarrho suffocativo , præprimis in ætate teneriori incipiebat , ac non æquè in infantes , pueros & senes , sed in foeminas , & frequentius in mares sanguineos & sanguineo-phlegmaticos sæviit , ac præprimis iis gravis ac infesta incubuit , qui vino atque spiritu vini se obruerant , ac

corpus cacochymicum pravâ victus ratione contraxerant ; cæterum prævio horrore , cum quadam gravedine , tussi , imò & faucium inflammatione & tumore invadebat , adebat præceps subita virium prostratio , pulsus exilior & imbecillior , frequens tamen & inæqualis ; calor qui horrorem sequebatur , in sanguineis intensior totum corpus occupabat , maximè verò caput , undè in fluidioris habitus corporibus , cephalalgia acutior , rubor faciei , oculi scintillantes , vigiliæ , deliria furiosa , jactatio corporis , sitis &c. in sanguineo-phlegmaticis , quorum sanguis sero viscido abundat , color multò mitior apparebat , qui non paucis imponere solet ægris & Medicis , ut parum periculi subesse , cum magno suo discrimine credant ; à quo fallaci calore forte febris illa maligna vocari meruit , sumptâ metaphorâ ab hominibus malignis , qui aliud fronte promittunt , aliud in intimiori cordis recessu premunt ; in his calori respondebat sitis tolerabilis , & quies corporis sine manifesta jectigatione , sed debilitas gravis ac continua in somnum propensio , ac non consulta antea taciturnitas , cardialgia , lingua modò lento succo obducta , modò fissuris asperis & scabris dehiscens , aut retorrído calore cum vicinis faucibus arebat. In hominibus melancholici temperamenti , quorum tamen non nimis multi hac infirmitate detenti fuerunt , statim ab assumpto alimento vel medicamento , flatus & hypochondriorum murmura. Cholericis loquacitate suâ aliorum aures obtundebant , & calore acriori tangentis manum urebant.

Omnes

Omnes cujuscunque complexionis , graviter nausea cibi & appetitus dejectio infestabat. Sensim deinde æstus invalescebat , ut luculentus calor in partibus externis deprehenderetur. Exerebant se etiam dolores varii , modò pungentes , modò mordicantes. Circa quartum , septimum , imò etiam undecimum diem , in pectore , dorso , brachiis , lumbis , & cruribus , maculæ rubentes , puncturis pulicum similes , sine levamine erumpebant , aliquando etiam majores lenticularum magnitudinem æquantes ; rubræ illæ meliores , deteriores verò citrinæ , lividæ , violaceæ , imprimis si hæmorrhagia gingivarum circa dentes incisivos superioris maxillæ enormior juncta fuerit ; nigræ , præprimis majores , omnium pessimæ. Urina non uno modo comparata erat ; nec alvi excretio ; hæc liberalior salutaris admodum post diem septimum observata , & accedente sudore solutionem morbi promittebat ; cùm è contra siccitatem alvi hæc febris pessimè tulerit. Vermes per alvum cum sedibus aliquoties rejecti. Pejus cum iis agebatur , quos vomitus partim humorum variorum , partim quorumvis assumptorum , aut etiam inanis cum nausea & cardialgia affligebant , præsertim si singultus iis se comitem adjungeret. Sudores primis statim morbi temporibus sine levamine , sed post quartum morbi diem , circa septimum , undecimum &c. felicioris eventus indices erant : cadaverosus erat funestus. Cum hæmorrhagiis quidam evaserunt. Morbus nequaquam intra quatuordecim dies finiebatur , sed ad 21. imò &

ultra ad 40. usque extendebatur. Solvebatur rarissimè per hæmorrhagiam , aliquando per abscessum , frequenter per sudores , sæpissimè autem tum per hos , tum per diarrhœam ; quandoque etiam per tumores in variis corporis partibus , cum primis in ano , per exanthemata miliaria , pedum scabiem , icterum &c. Cura sine V. S. (qua sanguis educus in superiori parte , crusta albâ spissâ , tenacissimâ obductus , in inferiori verò , modò floridus & fluidus , modò concretus & coagulatus fuit deprehensus) peracta feliciter successit. Quibus statim ab initio mite evacuans datum , facilius morbum superarunt , quale fuit potio Sydenhamiana in dosi aliquantum minori , pulvis ex Antimon. & Nitro depur. Tart. Vitriolato , ac grano j. vel ij. scam. sulphur. additis apud ditiores granis paucis auri fulminantis , vel etiam quæ simul ad malignitatem habent respectum. Vomitoria in principio hominibus phlegmaticis aut melancholicis robustis & nauseantibus , præsentis conatu vomendi , interdum cum successu data. Cæterum ferè tota cura per placidum sudorem , seu potiùs madorem , bezoardicis , pulv. Bez. Sennerti , *Rhumbaum* , *Doring* , Pannon. rub. &c. Mist. simpl. Essentia scordii saturatori , myrrhâ , dia-cordio , absoluta ; fortiora , volatilia salia , bezoardica calida ac spiritiosa omissa , quia obfuerunt : camphora planè præterita , cum vis ejus alexiteria non nisi nuda traditione & opinione hominum nitatur , & internè plus detrimenti quàm auxilii spondeat. Diarrhœam , nisi esset colliquativa , aut inflammationi in-

testinorum superveniret, nequaquam suppressere studuerunt; quin imo non rarò laxans ordinarunt, ac internè per totum morbi cursum nitrosa cum sufficienti potus quantitate eâ intentione ægris propinarunt, ut ventriculus & intestinorum volumina ritè abstergerentur, & materia biliosa acris ac urens è corpore proscriberetur; alvi tamen profluviis modum excedentibus nitro in exigua dosi exhibitio, interpositisque terreis, pulveribus, aut diascordio Fracast. frenum injecerunt; reliquis etiam symptomatibus convenienter obviam iverunt.

In Januario Odontalgia seu Hemicrania laborabant istæ potissimum mulieres, quibus negotium mensium magis impeditum; non nulli erant, qui Ophthalmia vexarentur; Illis Tinctura odontalgica Myns. & Wedelii &c. his decoctum cort. granator. &c. profuit. Occurrebant etiam, quos Icterus fœdabat, & Martialia liquida præcipuè cum salinis, aliisque juvabant.

Mense Februario, præter Variolas & Morbillos, aliæ quoque Maculæ cum febre sub noctem ingravescente, & tussi ferina, corpora infantum occuparunt, latæ rubeæque, Morbillis non admodum dissimiles in facie, minutissimæ verò & puniceæ in dorso, lumbis & pectore; non nullæ elevatiores ad naturam Variolarum accedebant, ac pruritu & fervore molestissimæ, tandem per abscessionem epidermidis in squamulas resolvébantur. Grassabantur etiam aliæ mitiores Variolæ, à forma acuminata *die Spitzblattern* vocatæ, nec non quas *Schaafs Blattern* nomi-

nant, pustulæ scil. latiores minusque acuminatæ. Graviore ob intensiorem æstum erant Rubeolæ, diaphoreticis fixis curatæ.

Fuere etiam qui difficulter admodum respirabant, & de gravedine solum quadam ventriculi conquerebantur, paratam in scorbuticis medelam invenientes, acetosa, acetosella, rad. ari, helenii &c. non in cochlearia, si maculæ fervidioris intemperiei indices deformabant.

Infantes Tussis convulsiva fatigabat satis frequenter, in qua Pulvis antepilepticus Ludovicianus utilis.

Alii, lactantes æquè ac ab lactati, omni hyeme Atrophiam corripuntur, cum febricula circa vesperam ingruente, inquietudine & siti nocturnâ, fame, torpore, abdomineque tumente; à ductuum lacteorum & glandularum, viscerumque glandulorum lenta ac viscida obstructio, in qua Tinctura aperitiva vitriolata, arcanum duplicatum &c. profunt.

Erant etiam quidam Hæmoptoici, atque inter hos pauci, qui sine noxa evaserunt, in lentam tabem & phtisin præcipuè prolapsi; V. S. malum hoc cessasse compertum est, nec non largiori nitri exhibitioni.

Non paucos quoque malum hypochondriacum torquebat, solitis stipatum symptomatibus, hypochondriorum distensione, ventriculi concoctione languidâ, ructibus acidis, vomitu, rugitibus, sputatione crebrâ, alvo segni, duritie, tumore in regione lienis, anxietatibus præcordialibus, cordis palpitationibus, vertigine, pavoribus in somno, aurium tinnitu, doloribusque variis.

Cura

Cura eorum in crassis humoribus attenuandis erat, per nodulos aperientes, martialia, urinosa, volatil. myrrham, crocum, mixturam simpl. tincturam vitriol. ♂. tart. D. L.

Illucescente Martio turmatim scabiosi occurrerunt curandi; id quod, præter externa, blandis diaphoreticis imprimis fuit præstitum.

Circa idem tempus non paucos tantum non exanimabat molestissimus pruritus, præprimis senibus & cœlibibus gravissimus, ac inter hos hominibus siccoris constitutionis. Conducebant iis medicamenta nitrosa, & diuretica saponaria, quæ salfos & acres atomos ad vias urinarias deducunt.

Primus Aprilis dies serenus illuxit, & calore suo Veris delicias sperare iussit. Non diuturna tamen hæc felicitas fuit, nam nebulæ & pluvix à meridie primis diebus gratum solis aspectum ad breve tempus ademerunt. Qui secuti dies, vernali tepore ad plenilunium, omnia brumali aurâ quasi rigentia blandè vegetabant. Deinde cœlum varium erat, interdum serenum, interdum nebulis obductum, nimbos ac pluviam effundebat. Majus, quo alias omnia rident, & est formosissimus annus, nebulis, pluviis & ventis, si paucos amoeniores dies excipias, rigidus erat. In Junio iterum amœnior ac serenior aër, cujus jucunditatem etiam vergente ad finem Majo degustare licuit, comparuit; neque tamen ad finem processit sine imbribus, quorum iram proximi Uratislavix accolæ, perruptis aggeribus, gravem, cum damno sanctus & facultatum experti sunt. Grassabantur tum mor-

bi plerique ab Hippocrate enumerati, ubi de vernalibus ei sermo, furores, melancholiæ, epilepsix, fluxiones sanguinis, anginæ, gravedines, raucedines, exanthemata varia, & articulorum dolores, febres insuper intermittentes: in ætate puerili & adolescentia, sanguinis excretiones è naribus, hæmoptyses juvenibus magis familiariter evenere, quemadmodum vomitus cruenti viris & foeminis, vitæque sedentariæ deditis, hæmorrhoidales autem depletiones paulò annosioribus acciderunt; mictus quoque cruenti exempla notata. Circa loca illa corporis, quibus sanguis erumpit, ingeniosissimum D. Stahlium, Hallensium Practicum, & Professore secuti, spasmodicas passiones, sanguinis congestionem, vasorum & pororum tensionem, atque turgescentiam, cum sensu ardoris, lancinationis & pulsationis observarunt, quin etiam ferè ad ejus mentem, curam felici cum successu instituerunt: violentioribus verò sanguinis depauperationibus, efficacissimis remediis occurrerunt. Insolita uteri hæmorrhagia septuagenariis proximas, quæ nullo remediorum genere cohiberi potuit, in mortem præcipitavit.

Typus febrium intermittentium non unius generis erat: non nullis paroxyfmi omni die, aliis tertio quovis molesti erant; erant, quibus quovis die duo paroxyfmi erant superandi. Nec infrequentes tertianæ duplices in quibus paroxyfmo primo non respondet secundus, sed tertius, secundo quartus, tertio quintus, quarto sextus &c. ita tamen, ut non tantum tertio die, sed etiam

intercalati febricitarent. Semitertiana paulò quidem rarior, at non prorsus defuere, qui omni die quidem febre corripentur, sed tertio quovis die duorum paroxysmorum impetum sustinerent. Vigebant quoque febres erraticæ; quæ incertis recurrebant diebus & horis. Ambigebatur, an in censum febrium intermittentium referri debeant etiam illæ, quæ contra communem intermittentium indolem, tragœdiam à calore satis intenso auspicabantur; nam utut *ἀσυνεξία*, quæ initio adesse videtur, genium intermittentis redoleat, languor tamen magnus, pulsus aliqua agitatio, & cætera symptomata continuitatis opinionem confirmabant. Eadem ferè mens erat de illis quibus malignitas conjuncta est, & tamen remissione quadam non carent, sc. doloso intermissionis cineri primorum dierum suppositum fuisse ignem continuatum, elucet ex eo, quòd sequentibus exacerbationem quidem caloris & symptomatum, non item veram remissionem observare liceat. V. S. omissa, Vomitoriorum tempore intermissionis frequentior usus fuerat; nec purgantia omissa. Quoniam verò hæc febres focum habent in primis viis, incidentibus cura fuit peracta, præsertim tartaro vitriolato, arcano dupl. sale lixiv. absinth. centaur. min. card. ben. &c. quæ cum acria sint, incidunt, dissolvunt pituitam, & reluctantur acido, addita iis, præprimis post aliquot febrilium paroxysmorum decursum, subinde præcipitantia; in exanthematica, antiscorbutica; in contumacioribus cortex Peruvianus, in pulvere vel electuario, cum ef-

sentia segnior sit; in vino generoso albo maceratus rarissimè spem expectationemque implevit: in febribus cum inflammatione quadam conjunctis nunquam non noxius deprehensus, in febribus etiam aliis calidioribus obscurè remittentibus funestus fuit; quibus non alia, quàm quæ malignis debetur, ratione medendum: & eximie prudentiæ medicæ statuitur, etiam verè intermittentes, epidemicè grassanti aliquâ malignâ febre, alexipharmacis & bezoardicis oppugnare, ne ægri in prædominantem epidemicam prolabantur.

Vehementius eodem anni tempore dentientes laborabant, ob turgescentes nutricum, & ipsorum infantium humores.

Sæviebant quoque pathemata spasmodica, ac Epilepsia passim puellorum corpora hoc mense torquebat, multosque jugulabat: In symptomata, fomitem in pituita viscida & acida habente, resolventia, incidentia, & modestè evacuantia omne ferunt punctum; in idiopathica quò te veritas, vix apparet, specificis voto non respondentibus.

Multis negotium faceßere visa est Cardialgia: alii morsus, punctiones & lincinationes, alii rosiones sese percipere aiebant: nonnulli de tensivo & compressivo tantùm dolore, ad utrumque latus pertingente, & cinguli alicujus instar constringente conquerebantur: plurimi verò gemitibus & altè ductis suspiriis, anxietatis interpretibus, adstantium aures obtundebant. Inanes vomitus ut plurimum cardiagmi erant comites, quos imperiti emetica indicare

credebant; sæpe etiam in foeminis, passionibus hysteriis obnoxiiis, deliquia superveniebant; singultus etiam jungebatur.

Nonnulli Bubonibus infestabantur; alii tumoribus aliis, præprimis Parotidibus, quæ iis, quorum vires violentia morbi fractæ erant, mortem denunciabant; profuerunt autem emollientia, maturantia, discutientia, his verò non satisficientibus, suppurationia.

Frequens erat illis diebus Coryza, conjuncta cum *καρνηβασία*, dolore capitis, sternutatione; nec non depravata auditio, modò enim erant, qui sonum talem quod tintinnabulum pulsatum edit, sibi percipere viderentur, modò qui de sibilo quererentur; nec nulli, qualem, qui pulsationem intra aurem sentirent; pulsus autem ille exactè cum pulsu arteriæ convenit, nec aliunde, nisi ab arteria dilata pendere verisimile est; senes nonnulli sonum fluctuum allisioni similem, vel strepitus varios in auribus suis excitari ajebant: ubi sanè aër aliis foetus corpusculis in ejusmodi sonitu non tantùm organum immediatum auditus, sed & partes cerebri, in quibus filamenta nervi auditorii terminantur, concutit, ac eò ipso varios sonos excitat. Varia contumaci huic malo, & aliquando in omnimodam surditatem abeunti opposita, non semper optatum eventum consecuta fuerunt.

Raucedo etsi hyberno tempore maximopere soleat esse frequens, ac facile curetur, quia fortassis tantùm ab exasperatione superficiei glottidis, à frigore aut acris salisque humoribus inducta, dependet, occurre-

runt tamen aliquot etiam in Majo exempla raucedinis omnem artem eludentis.

Mense Junio aliquot Anginæ exempla oblata fuere, i. e. laryngis seu pharyngis inflammationis, in juvenibus potissimum sanguineæ constitutionis, post motus corporis impetuosiores, aut nimias spirituosorum potuum ingurgitationes; horrorem ingens æstus cum siti Tantalea excipiebat, pulsus erat frequens, durus, inæqualis, urina saturatissime rubra, magna aderat respirationis difficultas, apertoque ore anxium ægri spiritum ducebant, & crescente malo strangulationis periculum instabat; deglutitio tantopere impedita, ut potus faucium angustias vix superaret, quin sæpe in nares refundetur; in faucium isthmo interdum apparebat tumor, interdum autem in externo collo, ubi morbus mitior est, vel oculis cernebatur, vel manibus palpabatur, in iis verò, quorum vita in majori periculo, nullus planè tumor deprehendebatur. Non tantùm isthmus ita exurebatur, sed spectabatur simul in ore rubor flammeus, urgebat dolor acutus pulsatorius & punctorius, lingua tumida, obscure rubra canum instar exerebatur, fauces arebant; si ægrotantium os aperias, omnia tensa videbantur; venæ infarctæ, oculi prominentes & sanguine suffusi, præterea aderat jacendi difficultas, ac frequens sedendi cupiditas. Ingens præforibus periculum, cum articuli gelido torpore rigeabant, vultus livescibat, vox interceptiebatur, & stridor quasi in gutture & pectore audiebatur; inexorabilis mors instat, deficiente

ficiente pulsu & voce quasi in caninam mutatâ, apparente etiam subinde spumâ oris. Omnia verò symptomata sunt mitiora in notha Angina. In vera, post venæ sectionem, leniorem purgationem, resolventia seu discutientia, & in sanguine viscidiori etiam attenuantia profuere, non neglectis lenissimis adstringentibus; si verò conatus discutiendi essent irriti, & dolor pulsatorius quarto vel quinto die suppurationis admoneret, eadem fuit debite promotâ. Notha purgantibus mercurialibus, & blandioribus diaphoreticis, post V. S. in plethoricis, feliciter intra paucos dies fuit sublata.

Occurrerunt etiam eo tempore quidam alii inflammatorii affectus, quorum sedes an in hepate, an in pleura, an in membrana pulmonum quærenda, dubium, signis vulgò traditis fallacibus; cum è contrariis curandi eos methodus una eademque observari tuto possit; quæ in stasi sanguinis discutienda consistit, per V. S. in plethoricis, & diaphoretica fixa, non exclusis in phlegmatico-sanguineis volatilibus in dosi valde mediocri; externè verò per vini spiritum camphoratum.

Julius naturam suam planè exuerat, ac majori ex parte imbris, procellosis aëris agitationibus, ac frigore squalidus erat; benignior Augustus, non tamen absque pluviis cursum absolvit. Æstiva amœnitas verò denuò in Septembri affulsit.

Mense Julio vagabantur iidem prope modum morbi, qui præcedentibus mensibus stragem ediderant, sed præ reliquis ferociebant Catarrhi,

qui difficillimè, medicamentis compescebantur, ac præprimis admodum rebelles erant illi, qui sedem in artubus, & potissimum in superiori brachii parte fixerant, ac ex dolore gravativo motu partis impedito, imò etiam tumore aliquo, sine inflammationis signis, ex decubitu serosæ materiæ oriundo cognoscebantur; Unde lympham stagnantem vel motui suo restituere, vel ex corpore, ac præcipuè partibus laborantibus evacuare decuit.

Catarrhalis quoque profapiæ alii morbi notati, Otagia scilicet & Tumores palati; nec non Diarrhœæ frequentiores comparuerunt, quas rhabbarum tostum, c. nuce mosch. & bolus Tockaviensis ac caryophyllata compescuerunt.

Obvenere etiam quædam melancholicæ sceminæ 30. ætatis annum supergressæ, mœstæ, alta suspiria ducentes, taciturnæ, à communi hominum consortio se subtrahentes, & ad nescio quem strepitum expavescentes, ac mirabilibus suspicionum procellis jactatæ, levique causâ in epilepsiam hysterica devolutæ. Cum verò dyscrasia humorum, ac impeditior eorundem motus in vena portæ, ac excretionis menstruæ morâ adesset, post venæ sectionem, vomitoria, pediluvia, sanguinis attenuatio procurata fuit per volatilia, sudorifera, martialia &c.

Mense Augusto nonnulli laborabant feбри, quam veteres dixerunt biliosam, (quæ subinde in lipyriam abit), cum gravitate & angustia in serobiculo cordis, conjuncta, non rarò cum nausea incipiens; aderat horripilatio non nimia, sed frequenter

ter recurrens, capitis turbatio, & sanguineo-cholericis etiam dolor. Exacerbabatur quotidie horis matutinis, subsequens vel vomitu vel sedibus; quæ si deessent, æstus gravior, fauces aridæ, & sub finem deliria comatosa, semper ferè funestum minabantur exitum; hypochondria tendebantur & acerbissimis puncturis infestabantur. Juscula tenuissima, nitrosa, theriacæ, optimo cum successu adhibita; locum etiam habebant acida temperatiora, decoctum hordei &c.

Nonnulli etiam patiebantur febrem, quam synocham Scholæ Medicorum antiquæ, alii causum nominant; scilicet plethorici hæmorrhagiis vel venæ sectioni assueti, ante solis ortum horrore quodam corripiebantur, subsequente æstu valdè gravi, respiratione anhelosâ, & suspiriosâ, lipothymiâ ac ἐφυσίωσι; dolores capitis lancinatorii, ac tinnitus aurium, ut & vertigines indivulsi comites erant; tensiones dorsi & artuum non minori molestiâ afficiebant; sitis premebat maxima, ejus defectus non semper malus, in junioribus circa diem septimam hæmorrhagia narium largior morbum solvebat, in paulò annosioribus die 14. copiosis cessabat sudoribus; calamitosa autem horum fors, si soporosi supervenirent affectus. Eximius usus V. S. in principio hujus febris, modò illa non ortum trahat à nimis laboribus, aut quòd neoptis aliquando accidit, abusu veneris; Cæterum bezoardica & diaphoretica, analeptica & diaphoretica in usum venerunt.

Spectatæ insuper fuere aliæ febrium species, allodes, elodes, syn-

copales.

Mense Septembri Ophthalmia frequentius occurrit; cui interdum venæ sectio, purgantia ferè omnibus aliquod auxilium attulerunt, diaphoretica apprimè juvarunt.

Diarrhœæ satis erant frequentes, neque tamen nisi ad medium mensis durabant, ac locum deinceps cedebant redeuntibus febribus continuis, cum doloribus capitis, nuchæ, faucium, orificii ventriculi, lassitudine ulcerosa &c. quæ bezoardicis fixis & temperatis optime curabantur.

Plurimæ fœminæ de mensium perturbatione & suppressione conquerebantur, quæ cum ab ingurgitatione ciborum insalubrium proveniat, emetica, in quibus malum nondum egerat radices, cum salutari effectu data sunt; reliquis verò lenioribus purgantibus, ac incidentibus, & aperientibus subveniendum erat.

Nec nulli erant, quos tum vexabat Dysenteria; qua de prolixum discursum Excellentiss. Dn. D. Helwichii in ipso tractatu legere licet.

Initia mensis Octobris æstivâ amœnitate ablandiebantur, & à novilunio ad primum Cynthiæ quadrantem demulcebat sudum, quod reliquis hujus mensis diebus, ventis, nebulis, ac pluviis sæpe obscurabatur, donec Luna denuò nasceretur mense Novembri, ubi iterum benignior aëris temperies: sed ad breve tempus, nam primus Lunæ aspectus ad plenilunium usque, rigido frigore horrescebat, quod quidem iterum minuebatur, ac insigniter remittebat, sed ut tantò major vaporum copia ex terra humida ascenderet, ac

crassiores inde nascerentur nebulæ, sæpe propter admixtiones sulphureas, tetrum spirantes odorem, ac nubes huc illuc agitatae, donec in pluviam fatiscerent. Sub exordium Decembris tempestas varia, ac inconstans erat; circa medium mensis, & Anno in finem vergente intensius frigus dominabatur.

In Octobri, præter febres tertianas, etiam quartanæ occurrebant: horis pomeridianis homines melancholici temperamenti, ac segnioris naturæ, qui jam ætatis provectioris erant, adoriebantur, aut etiam febres malè curatas, aut diarrhœas ab Empiricis suppressas sequebantur, in cujusvis temperamenti & ætatis hominibus, ne infantibus quidem & pueris exceptis. Præter vomitoria in robustioribus, aliis verò lentissima evacuantiâ, aperientiâ imprimis data; quorum usu cum impetus febris quodammodo fractus esset, cortex Peruvianus (ad quem ab initio nonnulli malo consilio confugiunt) plerumque subjugavit.

Ferax quoque erat Autumnus febrium lentarum & hecticarum, quæ partim quartanis malè curatis, partim hæmorrhagiis, per adstringentia interna & frigida externa cohibitis, aliisve morbis succedebant; quæ, causam earum per resolventia, mundificantia & balsamica tollendo, & excedentem corporis calorem debite temperando, exturbatis acerbis recrementis per absorbentia lenia, diaphoretica, & diuretica, imprimis nitrofa, nec non corpora vix ossibus hærentia commodè restaurando, curatae fuerunt.

Eodem mense Variolæ infantibus

erant infestæ, quas aphthæ ac tuffis pertinacissima comitabatur. Adultos febres continuæ cum levi rigore, æstu mitiori, dolore capitis & pleuræ, lumborum & artuum infestabant, sub finem verò in remittentes mutabantur, ac diarrhœis quasi criticis, non tamen sine omnibus torminibus, finiebantur.

Fœminis solito frequentius hæmorrhagiæ uteri erant molestæ. Longè autem comunissima erant apostemata ac ulcera, quæ non tantum callosa, varicosa, & sinuosa, ac cum carie ossium conjuncta, aut quæ circa articulos erant, aut partes glandulosas, membranosas obsidebant, Chirurgis crucem figebant; sed alia benigniora in iis etiam corporibus, quæ cacochymicis humoribus non adeo turgebant, aut ex cachexia languebant, difficulter curabantur. Nam & symptomata, singulis autumnis, plura eaque graviora, curam alio tempore facilem, plerumque reddunt difficiliorem.

In Decembri Tumores circa latus sinistrum (quos antiscorbutica, resolventia, & distentionem ac flacciditatem fibrarum respicientia juvant) in hypochondriacis, ac minime rarè in mulieribus hysteriis spectati; molles ii & fungosi, in non paucis ferè universam sinistri abdominis partem obsidebant; ferè sub costis nothis incipiunt, & quando supini jacent ægri, lineam albam aut transcendunt, aut proximè attingunt, & vacuum spatium inter costas & spinam illi implent; tactu interprete non obscure constabat, quod tumefactus lien supra mesenterium, intestina, ventriculi partem,

tem, ac in mulieribus supra uterum emineat.

Phlegmatici & phlegmatico-melancholici, inter 20. & 30. ætatis annum, catarrho correpti, quotiescunque prioribus quinque diebus ex bronchiis rejectio non ritè procedebat, in febrem incidebant catarrhalem, seu continuam periodicam quotidianam veterum; scilicet post quartam pomeridianam, horrore & frigore levi tentantur ferè per horam unam, succedit calor acris, & ferè per noctem durat; lingua est albo & lento humore obducta; non urget magnopere fitis, pulsus est frequens, non adeo magnus, urinæ colorem aurantium æmulantur, ac post brevem moram, parietibus vitri inducunt cutem ex albo rubentem; lassitudo artuum gravis est; torquet & anorexia ac agrypnia, cum cephalalgia gravativa, aurium susurro, ut & tussi, quæ tamen nec patientes nec Medicum terrere debent; aliquid tamen monstri alunt pleuritides &

deliria, periculum autem maximum denunciant anginæ & aphthæ, si quando cum ea complicantur. In qua medicamenta facultate resolvendi mucum, & salia diuretica commodo tempore exhibita votis ægrotorum satisfecerunt.

Nephriticæ passiones etiam, ferè in sanguineis, & hæmorrhagiis antea assuetis, observatæ, sive renum inflammationes, quas non solum dolor & ardor vehemens comitatur, sed & dysuria, fibrosæ excretiones, arenosæ cum sanguine aliquo, subsequâ ordinariò lithogenesi. In quo affectu imprimis decoctum Foresti, & pulvis famigeratissimi nostri quondam Præsidis Volckameri laudantur.

Nec minus podagrîci dolores illo tempore satis erant communes; quibus in paroxysmo, horis matutinis, lenia diapnoica, cum nervinis, sine sudore coacta; pomeridiano aperientia, ac sub noctem pulveres nitrosi, cinnabariini &c. exhibita; externè camphorata omnibus præferri merita fuerant.

Constitutio Epidemica Uratislaviensis,

Anno 1700.

IN Januario frigus usque ad Lunam *πανσίληνον* satis erat remissum, quod nec nerveas fibras spasmodicè corrugare, nec glandularum subcutanearum meatus constringere, aut poros cutis coarctare aptum; reliquis verò ejusdem mensis diebus usque ad Interlunium nebulæ corporibus infestæ, aërque humidus, & feri copiam accumulare, hujusque inter glandulas laxiores stagnationi ansam præbere, tonum-

que relaxare, ac enervare potis erat.

Februarium jam gratum Solis jubar illustrabat, jam pluviis & nivibus exposita torporem corpora ægrè declinare poterant; frigus verò per aliquot dierum intervalla quodammodo adurebat, cum Luna tota nocte luceret. Usque ad medium ferè Martii perpetuæ frigidi & tepidi aëris vicissitudines notabantur, quas ad finem mensis usque turbida

ventis ac pluviis moleſta tempeſtas excipiebat.

Præter morbos ſuperiori Anno enumeratos Variolæ graſſabantur, & quidem multò frequentius diſtinctæ, quàm confluentes. Primis ab in-vaſione diebus, ſeu tempore ebullitionis, nunquam non febris acuta aderat; cujus exacerbationes fatis incertæ, niſi quòd tertio die recurrentes aliquibus tertianæ febris ſuſpicionem moverent; præcedebant ferè laſtitudo & gravitas corporis, pandiculationes & oſcitationes, dorſi lumborumque dolores, pulſus ad ſpinam dorſi, & ſenſus pruritus ac pun-ctionis in cute, ſed horror & rigor, præſertim recurrens, rariùs vulgò; frequenter vomitus à primo morbi inſultu fatigabant; iique interdum immanes, aut ſi hi abeſſent, præcordiales anxietates graviffimæ, cum inani vomendi conatu conjunctæ, ægris negotium faceſcebant, alvi fluxus rariores obſervati; in pluribus alvus ſine damno ad aliquot dies adſtri-cta; in pauciſſimis etiam urina ſuppreſſa; vix viſi qui sæpe ſe ad reddendam urinam urgeri conquererentur. Urina varia erat, quorundam flammea, & intenſè rubra, nonnul-lorum turbida, & opaca, qualis jumentorum eſſe ſolet, quæ poſt eruptionem variolarum interdum clarior reddebatur; interdum verò per aliquot dies à protruſione adhuc turbida excernebatur; aliorum autem pallida, in uno alteròve cruenta; nares frequenter ſanguinem ſtillabant. Propenſio in ſudorem ingens; nonnulli; præprimis qui erant temperamenti phlegmatici, dormituriabant, alii de turbulentis conquerebantur

infomniis, ac sæpe expaveſcebant, ac altos ſubinde in illis tollebant clamores; capitis dolores, jam gravati- vi, jam punctorii, cum temporum pulſationibus moleſti; facies tume- bat, atque maxillæ rubebant. oculi prurientes, rubentes, ac ſplendentes, quin imo aquâ ſuffuſi, palpebræ ac nares dolore pruriginoso vexabantur; anhelitus difficultas; vox rauca, tuſſis ficca, cordis palpitationes, & tan- dem etiam deliquia non rarò obſer- vabantur; in aliquibus habitu cor- poris denſiori præditis, etiam ſaliva in majori quantitate rejiciebatur; pars magna ægrorum corpus variè jaſtitabat; in genere muſculoſo ſubinde motitationes; minimè etiam rarò teneriores invaſerunt motus convul- ſivi, iique vel particulares in labiis, oculis, vel magis univerſales, in multis deliria. Ordinario die quar- to prorumpabant, in quibuſdam tar- diùs vel citiùs, ſubruptæ puſtulæ tenuiſſimarum acicularum puncta æ- quantes, ſenſim dein ſubeunte hu- more agebantur in altum, & eva- debant ſaſtigiata, ac diſtincta, quæ multò erant tutiores, ſi in baſi eſ- ſent rubræ, ſuprà autem albæ, emi- nentes & molles, quàm illæ quæ in- latum exporrigebantur; mali ominis erant, quanquam non adeò frequen- tes, lividæ, violaceæ; certi verò le- thi prænunciæ, quæ maculâ nigrâ in medio deformabantur. In quibuſ- dam cacochymicis corporibus notatæ fuerunt in interſtitiis variolarum pete- chiæ, aliæque maculæ, nonnunquam etiam veſiculæ aqueæ, cum funeſti ut plurimum eventus præſagio: Non- nulli etiam poſt eruptionem nihi- lo minus febrili, difficultate ſpirandi,

anxietate, cruciatibus insignibus circa lumbos vexabantur; atque hi non erant extra periculum constituti; evasere nihilo minus plerique, modo abessent inexpugnabiles vigiliæ, phrenitis, crebra deliquia, palpitationes cordis, motus convulsivi; urina nigra, vel hæmorrhagiæ enormes, aivi profluvium. In aliquibus admissio frigore, alioque incommodo regimine, retrocedebant, non sine summo discrimine vitæ. Circa octavum diem in facie intervalla pustularum prius alba rubere incipiebant, in tumorem attolli, & dolore tensivo affici; extendebantur palpebræ, & ut vesica inflata, haud raro oculos claudebant; proximè dein intumescabant manus, digiti-que distendebantur. Calamitosum, si pustulæ subito iterum conciderent. Tandem pus fundebant satis coctum, quod sensim exsiccabatur, variolæ-que circa diem 14. decidebant. Variolis exsiccatis, majores tumores & abscessus subinde in artubus observati, pus acerrimum plorantes, & nisi in tempore occurreretur, venas exedentes, carnes consumentes, ac ipsa ossa vitiantes, membrisque omne robur adimentes. Omissis calidioribus remediis, si motus & agitatio sanguinis jam satis magna in corporibus calidioribus deprehenderetur, ut & V. S. ac purgatione, victus refrigerans, & moderatissime calidus aër fuit commendatus; in effervescentia justò minori lenis & blanda diaphoresis cardiacis moderatis, matre perlar. coral. & diaphor. C. C. lap. bezoar. utroque, emulsionibus; ægris phlegmaticis etiam calidiora, Tinct. bez. El. myrrh. scor-

diis &c. exhibita: appetente exulcerationis tempore, & pustulis non debite se attollentibus, pulveres bezoardici tantillo myrrhæ, & croci grano uno alterove remixti, suppetias tulere exoptatas: planè maturæ & pure acriori turgentes quibusdam non malè apertæ: dum exarescerent, pulveribus supra dictis lapides cancr. additi: In Macularum vestigiis certò tutoque sapo Neapolitanus balsamicus profuit.

Variæ morborum spasmodicorum species eodem tempore, ac convulsionum non unum genus visum. In spasmo cynico topica non tantum in principio nervorum, sed & bono cum successu musculis in latere opposito applicata. Satis communis erat in foeminis hysteris ac splenicis illud deliquium, quo omnium sensuum ac motus exercitio privabantur, & concidebant, quod vulgò audit epilepsia uterina, & curabatur methodo à Practicis præscripta. E contrario interdum corpus variis motibus concussum, sensusque maximam partem fuisse integros notatum fuit, ita ut omnium, quæ circumstantes egerant, recordarentur, finito paroxysmo.

Erat etiam hisce diebus Odontalgia non paucis molesta, quemadmodum etiam aliis anni temporibus esse solet, quando aër frigidus, humidus, & pluviosus existit, quanquam & plurimis aliis à causis eadem aliàs oriebatur. Unde etiam varia opponenda sunt remedia.

In Aprili terra blando tepetate calore, quæ aliquando etiam calidis fovebatur pluviis, de cæterò ferè semper grato Solis jubare illustrabatur.

In Majo major aëris inconstantia erat, visus post nubila Phœbus, ac post Phœbum fulgur, & nonnunquam tonitrua audita.

Ineunte Junio calor Solis temperatus refocillabat, qui etiam in procedente mense, non tamen absque intermixtis pluviis, recreabat; circa finem verò turbida fuit tempestas, ac frequentes imbres.

Sub initium hujus trimestris febres petechiales quadantenus remittebant, ac in quotidianas, tertianas, aliquando etiam, ut ut paulò rariùs, quartanas degenerabant.

Passim verò tum temporis Erysipelate infestabantur, præprimis sanguinei, & sanguineo-cholerici, rariùs sanguineo-Phlegmatici, & tantò magis, si consuetæ sanguinis evacuationes ad tempus suppressæ, aut patientes terroribus, aliisve animi pathematibus concussi fuissent: Præcedit ferè horripilatio, sequitur verò calor præternaturalis totius, æqualis & ferè vaporosus, cum aliqua tamen acredine & morificatione conjunctus, ac cætera adfunt, quæ alias in inflammationibus observantur, rubor, dolor, febris, aliqua partis intumescencia. Cura sine V. S. & purgatione absolvi potest, solis diaphoreticis, & externè discutientibus.

Purpura alba solito frequentius hisce diebus infantes, pueros ac foeminas, & imprimis puerperas cholerico-sanguineas &c. corripiebat. Ultimas quidem omni tempore post lochia suppressa invadere suevit, at verò si hæc causa absit, nec iracundia gravior, ac illa quidem ferè suppressa præcesserit, aliis anni parti-

bus non æquè multis infesta est: Typus morbi sequens est: Initio quidem mediocri corripuntur horripilatione, quam excipit æstus non adeo vehemens; magis molesta est angustia præcordiorum, quàm dolor capitis, qui non acutus, sed ferè turbulentus existit; adest enim faucium dolor & ardor; Somnus prope modum omnis cessat, & paucæ sunt quæ sub initium morbi, per unam alteramve noctem somno non interrupto fruuntur, alvus plerumque officio non satisfacit: pulsus celer est & quasi oppressus: urina cruda ineunte morbo, sub exitum satis copiosum deponit sedimentum, appropinquante die quarto, quanquam interdum etiam citius illud fiat, in artubus, collo, pectore, elevantur & extuberant pori cutis cum rubore, instar cutis anserinæ, ac sensim oriuntur numerosissimæ pustulæ magnitudinis exiguæ, pellucentes, aquea quadam humiditate gravidæ, quæ in siccoribus satis maturè ferè intra 24. horas exsiccantur; In humidioribus & junioribus aliquantò diutiùs, erosâ cute, aliquid humoris exstillant, non sine aliquo corporis pruritu & ardore, qui ab initio vix observabatur. Conveniunt nitrosa & salina aliquoties per diem exhibita, & præmissis manè diaphoreticis & bezoardicis fixioribus, aut etiam decoctis ex fumaria, sambuco cum sero lactis caprini paratis.

Satis etiam communis erat Fluor albus uterinus in foeminis quibuslibet ultra pubertatem annis, frequentius tamen paulò provectoribus ætate; cujus mali non ita facilis est cura, quippe in qua & viscerum chyli fe-

cretioni, & feri depurationi infer-
vientium, & lymphæ ratio habenda;
ut nempe abundantia feri excrementi
ac viscosi ex corpore eliminetur,
materiæ fluxum hunc constituentis
proventus impediatur, & uterus
corroboretur, imprimis per nodulos
ex stomachicis, uterinis ac purgantibus,
& diuiterica, succinata, terebinthina
&c. per diaphoretica, ꝑ. ꝑ. lignorum
decocta; Saliuatio generosum illud
remedium est, quo etiam inveterati
fluxus debellari possunt &c.

Qui isto tempore in ætate puerili
fuerant immunes ab exanthematibus,
sub finem Veris, Achoribus & Tineâ
infectabantur; ubi optimè conducunt,
quæ aliàs in scabie profunt: non sine
fundamento Nicotiana laudatur,
at camphoratorum usus noxius,
& tantum excitant dolorem, ac si
carbones vivi capitibus impositi
essent.

In Julio terra per totum mensis
cursum benigno Solis calore animabatur,
ac simul calidis fovebatur pluuiis,
subinde tamen etiam tonitrua audiebantur.
Per Augustum eadem gratæ inter Phœbum
& nubila vices durabant. Nec alia
aëris in Septembri constitutio, nisi
quod frigidior aura post benignum
Solis calorem allaberetur corpori ac
aliquam ei afferret molestiam.

Hoc tempore grassabantur febres
continuæ intermittentes, cum dolore
hypochondrii dextri, Pleuritides spur-
iæ, in infantibus corporibus excretio
miliaris notabatur. Multos cholerae,
Diarrhœæ ac Dysenteria fatigabant.
Multi Catarrhis obnoxii degebant,
ac pertinacissimis Tussibus

concutiebantur.

Vidimus etiam in æstate motus
quosdam febriles, qui nullum typum
observabant, neque statis exacerbantur
periodis. Mirabilis in istis vicissitudo
est, eaque satis crebra: qui hac hora
ex angustia cordis gemit & trepidat,
de fatigatione summa conqueritur,
post unius alteriusve horæ spatium,
erecti animi est, & frontis exporrectæ.
Propemodum autem febriles ejusmodi
excandescencias experiuntur homines
scorbuticis maculis modo rubicundis,
modo lividis deformes. Hæ quando
numerosiores in corpore comparent,
ferè abest ejusmodi ebullitio, sed
quando pauciores adsunt præprimis
in loco minùs consueto, tum ejusmodi
alterationes sentiuntur, præsens quoque
est manifesta coloris macularum
mutatio. Non carent hæ inordinatæ
febres suis symptomatibus; nam &
anxietates gravissimæ præcordia
premunt, languor totius corporis
& ossifraga omnium membrorum
lassitudo invadit, ac interdum alii
graves impetus ac tumultus corpus
affligunt; partes autem maculis
obsideri solitas dolor tensivus,
gravativus, imò & rigor occupat,
adeest vertigo, non rarò æstuantem
calorem sequuntur horripilationes;
pulsus ferè magnus est, interdum
aliquo modo inæqualis & parvus;
urina ferè crassa est, & statim,
postquam reddita est, conturbatur,
ac deponit corpora rotunda, instar
arenularum, & superior substantia
nihilo minus crassa manet, & quasi
pinguedo quædam vitri parietibus
adhæret; vix post sumpta cathartica,
ut aliàs fieri solet, clarescit, sed
turbida manet. Prodest excretionem
macularum promote-

move, aut materiam earum subigere & corrigere, cum antifebrilia sola non sufficiant.

Vicissim eodem tempore excruciantur aliqui dolore artuum, stasis horis, singulis diebus per aliquot septimanas redeuntibus, sine ullo febris signo. In cortice Peruviano inventum est remedium.

Vir quidam & mulieres fervido cœlo de tormentis pruritus, interdum ad lypothymiam usque, interdum certis tantum in partibus, præsertim ano & pudendis, fuerunt conquesti. Quædam gravidæ cum aliquibus exanthematibus tortorem hunc per multas septimanas sustinuerunt. Qui non tam ab humoribus acris, quam à vermium morfu excitatus fuisse videtur, præsertim quòd remedia anthelmintica præ cæteris conduxerint, ut topica amara in vino decocta &c.

Cœlo sereno & calenti frequentissimæ erant sternutationes, & jungentur hæc etiam morbis tum grassantibus. Præter hydragoga, suus sudorificis hîc constat honos; eximie verò præ cæteris juvant frictions & ligaturæ extremorum, ut V.S. nec non Spiritus retentio.

Octobris initia benigno calore grata, reliqui autem mensis hujus dies turbidiores, & propter pluvias ac frigus inamœniores erant. In Novembri temperatus erat aër, usque ad plenilunium, postea autem nebulosus ac pluviosus, mense ad finem vergente, inconstans ingruerat frigus, ut plurimum tamen satis remissum. December inter nebulas, ventos & pluvias transactus. Multi sub hac aëris constitutione tussi infestaban-

tur. Regnabant etiam febres cum mordaci calore, doloribus hypochondriorum, dorfi, siti immodicâ, exanthematibus serosis, purpurâ, pleuritide, ictero, & diarrhœâ, singultuque conjunctæ; & bezoardicis fixis & volatilibus, internixtis anodynis, oppugnatae fuerunt. Jungentur etiam paralyfes linguæ, & insultus apoplectici, sine evidenti periculo. Circa solstitium hybernum etiam Asthma convulsivum, aliquando Parotides supervenerunt.

Parturientes in autumnno experiebantur dolores & spasmodicas vellitationes ac contorsiones in diversis locis, quas ex fructuum ingurgitatione ortas, suspicio fuit, iisdem autem Essent. carm. D. Mich. D. Wedel. &c. obviam ibatur.

Creber affectus erat inflatio ventriculi, interdum satis enormis, quam ructus, difficultas deglutiendi comitabantur, per evacuantia, & carminantia non nimium calida facile curabilis.

Alii Lienteria corripiebantur, & egregie stomachicis sublevabantur, præprimis ex mentha & absinthio paratis, nisi quod aliquando eveniebat, cum ictero, hydrope, febribus tertianis lentis eadem complicarentur. Quidam coeliaco laborabant fluxu, atque iisdem remediis sanabantur. Exempla etiam Asthmatis stomachalis offerebantur, sive cruditates in flatus resolutæ diaphragma comprimerent, sive ventriculus à contentis suis in spasmus concitatus, contiguum sibi diaphragma simul afficeret; imò unum alterumque datum fuit exemplum febris anhelosæ & asthmaticæ, quam describit Syl-

vius l. I. prax. c. 30. Cura in euemetis, ubi circumstantiæ permittunt, vomitorio expediri potest.

Consilium Medicorum hoc tempore à Chirurgis non minus requisitum fuit, quomodo in ulceribus sinuosis inveteratis internè ortis & oblongis, exterius verò callosis, ritè sese gerere deberent. Hæc enim ulcera tum aliis temporibus Uratislaviæ, tum maximè in Autumno Chirurgis crucem figunt. Ubi totum imprimis ductum discindere, callosam cavita-

tem septicis tollere, consolidationem balsamicis promovere &c. consultum fuit.

Omni quidem etiam tempore gummata Gallica observantur, maxime operè tamen circa autumnum sæviunt, quæ post sanguinis depurationem, eorundem per emplastrum diachyl. c. Gum. & mercur. &c. putrefactione, per causticum apertione, unguento basilico, mundificatione, inprimis curata fuerunt.

*Constitutio Epidemica Uratislaviensis.**Anni 1701.*

IN Januario variæ erant ratione frigoris vicissitudines, modò enim aër liquefcere, & quodammodo diffuere, ac in ampliora spatia sese diffundere videbatur, modò autem frigore constipatus in angustum cogebatur; finem verò mensis imponebant nebulae illæ insalubritatum fomites. Februarius tum his, tum etiam nivibus, & variis ventorum mutationibus horridus erat, nonnunquam tamen quodammodo placidus, & æquabilis aëris fluxus observabantur. Sub initium Martii frigidiuscula aura subito cum blandiori aëre commutabatur; nec tamen Mensis ad finem sine nimbis, grandine, variis ventorum tumultibus decurrebat, sic tamen ut blandus solis calor in his aëris varietatibus non nunquam Silesiæ, incolas exhilararet.

Mense Januario febres continuæ periodicæ, variis stipatæ Symptomatibus, præprimis autem cardialgia, vomitu, spasms, hypochondriacis

&c. non paucis erant molestæ. Grassetur etiam Pleuritis Spuria; erant quos Erysipelas capitis in periculum vitæ conjiciebat. Lumbago quoque iis, qui Baccho & Venere delectabantur, molestiam creabat. Nec minus febres petechiales satis erant frequentes, quæ etiam ad domesticos incautè cum ægris conversantes, præprimis si hi essent meticulosiores, per contagium propagabantur. Tractati fuerunt hi morbi non sine felici successu, methodo superius adumbrata.

Catarrhi, Tusses ferinæ &c. etiam grassatæ sunt; in quibus hoc tempore opiata minimè profuerunt.

Mense Aprili admodum inclemens erat aëris constitutio, & miris ventorum, frigoris, grandinum, nebularum, nivium, pluviarum vicissitudinibus, etsi ad teporem nonnunquam inclinaret, ingrata. Nec in Majo Veris dabatur frui deliciis, sed subturbido, & nebulis obducto, ac plu-

viô coelô major mensis pars agebatur, eoque gravior erat blandus in Junio Solis calor, qui tamen & ipse pluviis & tonitru subinde turbabatur.

Hoc tempore omnis generis febres grassabantur; præprimis crucem figebat illa, quæ typum talem observabat: primo die horror satis gravis homines catarrho obnoxios & crassiori victui assuetos, aërisque injuriis crebrius expositos, aut ad tabem pronos invadebat, horrorem sequebatur calor valde inæqualis, pulsus autem ferè debilis erat; æstus per horas modò pauciores septem, novem, modò plures, v. g. 12. 14. &c. perseverabat, post quem aliquibus sudores effluebant, quibus manantibus, ut febris remitteret, plenè tamen non cessabat. Erant qui post calorem nondum sopitum, eodem die denuo horrore & frigore concuterentur, ac illis jam dicto die vomitus erant molesti; iis præprimis horis, quibus febris intendebatur, die secundo perseverante adhuc calore, denuo propemodum eadem horâ, quâ primo, miseros opprimebat alius horror, aliudque frigus, & tandem etiam calor, qui sensim augebatur, sed tamen longè adhuc aberat à ferocia ejus, qui primo die ægros exurebat, sed neque tot horis, quàm illic continuabat; tertio die eadem, quæ primo, ludebatur fabula; quartus iterum secundo respondebat; verbo; semper uno die febris erat gravior & quasi composita ex tertiana & quotidiana, altero autem erat levior, typum unius quotidianæ referens. Solvebatur intra 14. aut 20. dies per diarrhoeam, mutabatur etiam in tertianam duplicem, in aliquibus sca-

bies succedebat per totum corpus diffusa. Cedunt etiam hæ febres adhibitâ ordinariâ methodo curandi superius adumbratâ. Lenia evacuantiâ eximiè profuerunt secundo aut quarto die, imò & aliis diebus paribus, etiam repetitis vicibus exhibita. Omnia Symptomata erant leviora, si illis diebus, quibus unus tantùm affligit paroxysmus, sub declinationem blanda dabantur alexipharmaca. Ante paroxysmos præcipitantia cum salibus alcalinis & nitro, rectè etiam morbo huic opponuntur omisâ venæ sectione.

Præter has febres occurrebant etiam, quæ itidem tertio quoque die ut priores ingravescebant, sed absque rigore & horrore stata observantes tempora, nisi quòd rigore *ἀτάκτως* καὶ *πεπλανημένως* inordinate & erraticè, non unâ cum paroxysmo invaderent. Non mali videbantur esse moris ab initio, sed procedente morbo ferè in pejus ruebant, ac criticis præsertim diebus excandescebant; aderat morsus ventriculi, aliaque symptomata maligna, in his lethargus, in aliis vigiliæ cum deliriis conjunctæ; impeditus erat urinæ fluxus eo tempore, quo rigeabant. Satis erant contumaces, nec nullos interimebant. In cura nihil peculiare observatum, nisi quòd è re fuerit, superato rigore, ad æqualem sanguinis distributionem obtinendam diaphoretica & alexipharmaca propinare.

Cæteræ febres ferè omnes conjunctæ erant cum Ontalgia, quæ certè & ægris & Medicis faceffit negotium. Omisissis emeticis, purgantibus, & V. S. fuerunt internè exhibita, quæ alias in viscerum & meningum inflam-

mationibus præscribi consueverunt; externè verò potissimùm linimenta spirituosa, & hæc quidem camphorata & crocata sæpius applicata: aliquod etiam in pediluvii solatium, si dolor ille, quod tum temporis observatum, solitariè absque febre affligat.

Primiparæ habitiores lautioris conditionis, imò & aliæ puerperæ partus doloribus defunctæ, hisce diebus ferè omnes conquerebantur de dolore compressivo satis vehementi in dorso, quem nec mulierculæ suis remediis domesticis, nec Medici selectis etiam pharmacis depellere poterant. Acerbiores erant cruciatus earum, quæ jusculis consummatis, ut vocant, lapsas reponere vires gestiebant, præprimis si infantes essent debiliores, & in uberibus sollicitandis negligentiores. Nihil æquè his profuit, quàm victus tenuior, & evacuatio lactis ex mammis liberalior, evidenti certè argumento, dolorem hunc non aliunde pendere, quàm ex vasorum lacteorum, ipsiusque ductus thoracici chylosam materiam pro lactis generatione advehentium repletione, ac nimia distensione.

Præcipuè autem hoc tempore communes de vertigine, tinnitu aurium comitatâ, querelæ audiebantur. Occurrebant satis multi, quibus caput, & visus objecta circumagi videbantur. Non nulli erant, quorum oculis tenebræ, aut intra tenebras splendida quædam observabantur, & caput in turbinis modum circumduci videbatur. Hoc autem malo vexabantur, qui in otio viventes liberalius subinde se vino invitarunt, aut qui antea hæmorrhagiam narium,

vel fluxum hæmorrhoidalem experti his evacuationibus per tempus aliquod caruerant; aut qui alias catharsi fuerunt assueti eandemque omiserant. In cura V. S. imprimis, frictions etiam, ligaturæ & pediluvia fuerunt adhibita, post V. S. purgantia, rarò emetica in plethoricis data; inter sudorifera Tinctura bez. D. M. omnium minimè expectationi satisfecit, ut & spirituosa aromatica, aliaque plura. Aliquantò major virtus fuit in Succin. Spec. de hyacinth. maxima autem inter usitata in cinnabari nativa.

Præterea multorum infantum corpora hisce diebus motibus convulsivis concutiebantur, quorum non pauci à parentibus suis per mortem avellebantur; nec infrequens in illis erat Ranula.

Sub illud tempus, quo fraga & ribium baccæ passim apponebantur, & avidè, ut fit, ingerebantur, alii Diarrhœâ corripiebantur, alii autem Cholerâ, præprimis si vinum in glacie refrigeratum ingurgitarent. Cholericis non tantum sursum & deorsum magno cum impetu humores biliosos egerebant, sed & ingenti siti torquebantur, & assidua corporis jectigatione fatigabantur: mens eorum percellabatur, aderant vigiliæ & partium extremarum refrigerationes; quæ symptomata, nisi statim ab initio blanda data abstergentia aut levissima evacuantia, ac præcipitantia, cum diaphoreticis & discutientibus, ipsa mors excipiebat.

Varii oculorum affectus tunc etiam occurrebant. Nonnulli laborabant Epiphorâ, & tenuis humor calidus & mordax, lachrymarum spe-

cie in oculos irruebat. Ex his aliqui in febres intermittentes lapsi non modò molestiæ levamen ex febre superveniente non senserunt, sed & dolorem augeri, eo quòd fortè acerrimum remaneret, dissipatis humidis & aquosis particulis, crebro conquesti sunt. Alios acres & falsi humores cum rubore & palpebrarum exulceratione, gravi afficiebant tædio. Inflammationes quoque oculorum aliæ aliis erant pertinaciores. Interdum oculi erant satis squalidi, & vasa supra modum extumescebant, & tamen totum malum remediis debitis facilè tollebat. Nonnunquam verò inflammatio multò minor erat, & tamen quicquid etiam ageretur, frustra tentabatur. Erat autem hoc in casu cum ophthalmia dolor capitis diuturnus indissolubili nexu conjunctus, qui satis ostendit, in consortium mali meninges & intimas cerebri partes trahi, quòd etiam subinde in aliis fieri morbis patet ex Cl. Baglivi scripto de Fibra motr. Visus autem eorum, qui ita affecti erant, in dies magis obscurabantur, nec in minimo cœcitatæ secuturæ periculo versabantur. Id creberrima docuit experientia, alvi profluvium, sive sponte naturâ motum, sive pharmacis excitatum, ophthalmicis esse admodum utile.

Porrò sæviebant maximopere brachiorum dolores, qui omnem remedium applicationem eludebant.

Mulieres etiam sanguinæ constitutionis, quæ paulò liberaliùs vinum hibunt, dolebant hypochondrium dextrum. Spirandi aderat difficultas sine tussi, quæ in horas increbescebat; accedebat nonnunquam

febricula, quæ dolorem, modò is esset mediocris, ne ad claviculam aut ilia pertingeret, solvebat; de quo ipso dolore loqui videtur Hippocrates l. 6. aph. 40. Nihil æquè profuit, quàm primo quovis tempore sanguinem liberaliter ex venis in pede detrahere, id quòd argumento est, aut hepar phlogosi in hoc dolore corripere, aut sanguinem in trunco venæ portæ vicinisque ramis stagnare. Difficilior est cura, si dolor hic sit conjunctus cum tussicula inani, ex hoc enim non vanè colligi potest, etiam diaphragma in societatem doloris rapi, id quòd fit, cum gibba hepatis pars inflammatur, utpote quæ propius diaphragma attingit. Si paulò gravior sit inflammatio, ne digitorum quidem pulsus ægrotantes ferre possunt; jaçantur plurimum, lingua arida & scabra est ob ingens in sanguine incendium.

Mensis Julius erat amœnissimus, nam & gratum solis jubar exhilarabat, ac tepidis aliquando pluviis terra refocillabatur. Major æstus erat in principio Augusti, & crebra audiebantur tonitrua; eoque gratiores erant, quæ subsequiebantur pluvix. Etesix quoque gratè spirantes nimium temperabant fervorem. Nec minus blanda & grata erat aëris constitutio in Septembri, nisi quòd circa Novilunium rigidior aër corporibus esset molestus.

Præter morbos æstivales in præcedenti enumeratos, scenam hoc tempore ingrediebantur dejectiones dysentericæ, quas in corporibus cacochymis, tum etiam quando symptomatica remittunt, & scybala minus sunt cruenta, nec sedes adeò tormi-

nosæ, sed ad legem naturæ accedentes, nec non somnus recurrit, & de novo alimenta appetuntur, adeoque in portu ægri sunt, ex improvise sequitur diarrhœa, quæ corpus variis humoribus repletum deplens, nihil finis portendebat, sed, etiamsi vires aliquo modo dejiceret, firmiorem in posterum sanitatem pollicebatur; conf. Hipp. sect. 7. aph. 77.

Post propulsas ejus temporis febres, in diversis hinc inde corporis partibus, præsertim autem in volis manuum & plantis pedum, reconvalescentibus epidermis discedebat, & quasi per squamas abradebatur.

Alias iisdem diebus multi ex egenis cacochymi deformabantur. Porrigine, præter blandam catharsin, diaphoresin, & diuresin, juxta cum diæta laudabili, topicis abstergentibus circumpectè adhibitis curata.

In hac ipsa æstate passim etiam audiebantur querelæ de doloribus artuum & infimi ventris: crurum dolor potissimum multis infestus erat: hunc alii tensivum, alii obtusum, alii mordicantem, alii autem pungentem & erodentem, in profundo circa os experiebantur, qui in motu corporis graviter efferebatur. Alii dolorem hunc ita describebant, ut dicerent, malleolis sibi quasi crura contundi: Nec minus brachia gravissimis torquebantur doloribus, qui non secus ac à lue venerea oriundi nocturno tempore ingravescabant. Alii per intervalla luctabantur cum doloribus & lincinationibus intestinorum intolerabilibus, qui exhibitis carminantibus & anticolicis remediis magis intendebantur. His autem aliisque variarum partium cruciatibus obnoxii

illi erant, qui cibis crassis, salitis, pane non benè à furfuribus purgato, cerevisia crassa, turbida & feculenta, aut vino nondum satis benè defecato, vel nescio quibus mangoniis corrupto utebantur. Hic unicè antiscorbutica cum rad. chinæ, falsaparillæ, & lignis exoticis decocta aliquo modo ægris erant solatio; quibus ipsis etiam remediis sublevabantur ii, qui de languore, nullo etiam præfente morbo, lassitudine totius corporis cum aliqua oris siccitate conquesti fuerunt.

Multi in teneriori ætate constituti, circa dies caniculares, etiamsi nulla dysenteria aut diarrhœa essent correpti, assidua desidendi cupiditate, cum torminibus quibusdam conjuncta vexabantur. Post frustra adhibita enemata, lenia evacuantia, humorem acrem demulcentia, balnea, tandem cum ab ascaridibus malum foveri suspicio esset, majori cum successu anthelmintica enematibus addita atque per os data fuerunt.

Initia mensis Octobris blando calore grata, sed plerique sequentium dierum ventis, pluviiis & variis aëris mutationibus horrida erant. In Novembri modò pluvie decidebant, modò nives; & utut aura subinde esset satis temperata, nonnunquam corpora frigore rigeabant; hoc autem in Decembri erat intensius, præprimis circa Plenilunium; at paulò post & intercurrentes nebulæ & pluvie, Solisque jubar violentiam frigoris mitigabant.

Inter varios hujus temporis morbos, non rarò occurrebat Gonorrhœa virulenta, quæ ab omni tempore Veneris amassos mulctat, autumnio tamen, qui exulcerationibus omnibus

minùs favet, inclementiùs sævit.

Porrò inter communiore morbos erant febres, quæ nec statum tempus servabant, nec eodem modo semper invadebant, sed modò diebus singulis, diversis tamen horis, modo alternis homines opprimebant; jam diurno, jam nocturno tempore ingravescabant; hoc die cum horrore notabili aut rigore, alio autem sine sensu frigoris paroxysmus ingruebat; hodie immani cardialgia molesta erat, cras ventris tormina affligebant; jam hoc symptoma, jam aliud miseros magis fatigabat. In cura placuit Hippocratis consilium lib. de rat. vict. in acut. *inconstantes & erraticos morbos curare non expedit, priusquam constiterint*, seu certum typum & periodum observaverint, quod circa septimum diem hîc evenire solebat; nam tum vel in tertianas vel in continuas degenerabant, & methodo convenienti curabantur.

Quartanæ quoque autumnalium morborum numerum augebant, in quarum cura plebeiis quibusdam illa non malè cessit temeritas, qua febri-

citantes subito terrore graviter percellunt, si vel sedes, ut fit, vel deinceps sudores copiosi, aut alia quædam evacuatio largior succederet. Nec methodus illa, quæ has per anodyna, præmissis lenibus evacuantibus, febres tollit, inutilis deprehensa est.

Præterea urinæ stillicidia, vel ab humorum ad renes per arterias delatorum acrimonia, aut, quod verisimilius, à renum ulcere oriunda exasperabantur. Trichiasis in quibusdam notabatur, incidentibus & purgantibus lenioribus curata. Tabici pejus habebant. Grassabantur etiam iterum ischiatici dolores. Multi qui cælo pluvio sub dio laboraverant, aut etiam in aquis ac paludosis locis manuum opera exercuerunt, difficili respiratione & orthopnoea sine conchis vexabantur, quibus non tam expectorantia, quàm evacuantia, diuretica & sudorifera conducebant. Magnus etiam inter egenos epilepticorum numerus erat. Aliquos passio iliaca horrendo modo afflixit.

Constitutio Epidemica Berolinensis.

Anni 1702.

JAnuarius biduo gelido paucis nivibus, ventoque valido turbido, 3tium remiffiorem nivibus aspersis degelantem substitutis, 4tus gelu rigidum redintegavit, sed sequente 5to post gelicidium matutinum in deliquium ac pluvias frequentes nunc uberiores, nunc parciores, 19no tantum & 22do moderato gelu ut & 29no post pruina matutinam

sereno exceptis, solutus toto mensis reliquo degeneravit.

Februarius 1mus frigidus præcedentibus paulò serenior, circa vesperam in pluviam, 2do toto durante, & 3tio serenitate aliquali interpolatam desiit. 4tus serenus ac frigidus. 5tus totus paucâ intercedente serenitate pluviosus. 6tus & sequentes (11mo & 17mo manè pruinosi exceptis)

exceptis) ad 18vum usque Verna serenitate ferè & temperie amoenum quarto compares. Reliqui ad finem usque mensis varii, alii uti 19nus & 20mus aute meridiem sicci & frigidi, circa vesperam pluvii sereni uti 21mus, alii turbidi & frigidi, uti 22dus, alii uti 23. cum frigore manè sereni, post turbidi, alii uti 24tus manè udi, à meridie sereni, alii uti 25tus post pluviam rorans mane sicci & turbidi. Alii manè nebulosi post sereni, à meridie pluvii, ut 26tus, & 27mus succedente procellâ & 28vo adhuc continuante & admixtâ nive, grandine & gelu, redditâ tandem cum meridie serenitate mensem terminante.

Martius frigus cum nive continuatum primo biduo, interspersis de die serenitati nivibus interpolavit, 3tio, in pluviam matutinam descivit, recuperatâ tamen à meridie serenitate, 4to quoque continuante ad vesperinam usque pluviam, 5tus serenus quidem sed algidus, grandines nonnunquam Favonio stante sparsit, quatruidi sereni gelidi & pruinosi prodromus, 10. biduum successit, Africo tumultuante turbidum, procellosum grandinosum ac nimbosum. 12mus serenitatem restituit matutinam nivibus à meridie comitatam, atque biduum sequens gelidum & serenum induxit, moxque intercalato 15to remissiori, sereno tamen adhuc, gelu satis hactenus rigidum cœlo sereno Boreâ aspirante, ac succedente huic post Euro, ad 23tium usque serenitate vernâ cum sequente biduo commendabilem reduxit. 26tum mane turbidum algidum ac ventosum cum triduo succedente turbulento, secutus

pluviolis quidem sparsis à prioribus diversis 30mus 31mo socio manè quidem pruinoso, serenitate tamen commendabili biduo mensem hunc simul ac trimestre finiit.

Morbi hoc trimestri præter scorbutum endemium, febres intermittentes nonnullas ardentes quoque & cephalæâ ac hemicraniâ valde molestas continuas, malignas paucas, variolis ac purpurâ notatas, catarrhales & pleuriticæ sporadicæ, Epidemici ferè nulli fuere, nisi catarrhos & tusses, hæmoptoes quasdam & pleuritides, ut & arthritides, præsertim vagas scorbuticas, ob hybernas aëris varias turbas indeque nascentia sanitatis incommoda, satis frequentes iis annumerare velis.

Aprilis primum biduum frigidulum, cætera serenum leni gelu cœpit ad tertii meridiem usque nubilum in pluviolas circa vesperam solutum, cui 4tus compar, 5tus noctu pluvius, de die procellosus ac nimbosus. 6tus nivibus sereno cœlo mixtis varius & inconstans successit. Huic congener 7timus, Octavus nocte à nivibus foeta frigidulus & potissimam partem turbidus, post noctem gelidam, nonum frigidum & serenum, post quæ nocturnas denuo nives biduum degelascens ac pluviosum induxit. Sequentes, præter 12mum sic satis serenum, vesperi tamen adhuc specade rorantem, eique similem 23ium & 24tum totum serenum omnes ad finem usque mensis genio illius conformes, varii, turbidi, frigidi, nivosi, nimbofi, quandoque & procellofi fuerunt.

Maii primus vernâ serenitate commendabilis, frigidulus tamen adhuc

Euro noto flante, triduum sequens turbidum paucis asperis pluviolis udum ac horridum adduxit, succedente vernâ amœnitate integrum mensis reliquum, paucis 11mo nimirum mane turbido à meridie specade grato, 17mo vento, 23io procellâ 25. pluviâ vento mistâ, 27. grandine ac imbre, ut & 31mo seu postremo paululum ventoso exceptis durante.

Junii primus ultimo Maii compar, à biduo sereno ac temperato exceptus, 4tum obscurum in vesperam & noctem pluviâ deficientem, cum subsequente biduo sibi non absimili successorem habuit, quos biduum aliud serenum ac temperatum correxit; successit huic 9nus totus turbidus in pluviâ vespertinâ desinens, quem temperatus ac siccus 11mus, atque 12mus sudo æstivo insignis secutus. Huic biduum rursus obscurum ac frigidum in pluviâ tandem fatiscens successit, eique quatrimum sudum ac æstivo ardore ferè molestum, subsequente 19no tonitru temperatum, 20mum pluviâ nocturnâ quandoque & diurna fœcundum, triduum versus serenum ac temperatum secutum in pluviolâ vesperi 23tio solutum, quod 24to imber nocturnus, tandemque, 24mum manè obscurum à meridie serenum, & 29num frigidulum sed serenum, si exceperis, reliqui vario cœlo aliquando & nimbofo, rarius sereno inamœni, mensi tristem addidere colophonem.

Morbos hoc trimestre epidemios præter morbillos & paucas variolas nullos aluit: Sporadici fuerunt febres varii generis, intermittentes tertianæ nonnullæ, & continuæ ardentes Cephalalgia & Cardialgia in-

festæ, Catarrhales tussi & Asthmate molestæ, quandoque & anginâ, oculorum & gutturis ac tonsillarum inflammationibus; His hæmorrhagiæ narium, hæmoptoës, Arthritides universales, & vagæ quoque Scorbucæ, Cachexiæ & Cacochymia passionibus hypochondriacis & Hystericis, pleuritide, imò & paralyfi & apoplexiâ nonnunquam stipatæ, accessere.

Julii dies quinque priores æstivo calore insignis, 3tius præsertim fervore æstuoso molestus; Quibus biduum successit ventosum ac subinde pluviolum, huic 8vus obscurus ac frigidulus, ut & 9nus sudo & temperato calore amœnus. 10mus post pluvias nocturnas cum septem subsequentibus sudo ac æstu genium hujus mensis exprimentibus 16to sub vesperam, ac 18vo à meridie, 19no, manè pluvio à meridie tonitru addidit. Sequens triduum sudo pluvias miscuit, succedente quatrimum imbroso. Unde ad finem usque mensis sereni & æstivo sudo grati successere dies.

Augusti primus sudo æstuoso gravis, vesperi tonitru leve cum pluviâ moderatâ, sequenti verò triduo post pluviâ matutinâ modicâ temperiem amœnam substituit. Quæ triduo alio ob temperatum sudum commendabili succedente, ac octavo ante & post meridiem lene stillicidium intercalante à biduo pluviolo excepta. Cui aliud rursus biduum verè æstivum ac serenum successit atque huic 13tus mane specade rorans, 14tus præter tonitru breve imbre comitatum cætera serenus. 15tus manè serenus, circa vesperam tonitru horrendum procellosum ac nimbofum tulit.

16tus manè serenus post fufas à meridie pluvias frigidior. 17mus serenus ac temperatus, 18mus à pluvîâ matutinâ septem subfequentes dies serenos, ac non nunquam satis æstuosos, si 25tum excluseris manè pluvialis madentem, adduxit. 27. cæteroquin serenus pluviam vespertinam in noctem usque intempestam protraxit, 28vum frigidulum, licet sereno, 29num totum pluvium & imbrosium ac subfrigidum, 30num pluvialis quandoque rorantem, tandemque 21mum & postremum mensis siccum quidem & serenum, sed frigidum pariter successores habuit.

Septembris primordium 1. & 2dâ die serena & amœnâ temperie acceptum, circa vesperam in tonitru horrendum & imbrem degeneravit; à 3tio ad 24tum vario, quandoque subfrigido, quandoque æstivo calore, plerumque sudo pluviis ac specade interpolato, temperatoque æthere continuavit; 25to ventosiori paulo & pluvio biduum successit procellosum & nimbosum, atque huic aliud sedatius, sed ad vesperam usque pluviosum; inde serenitas gratâ comitata temperie, 31mum simulqueensem & trimestre tertium absolvit.

Morbos æstiva Ætheris cum temperie cambiens subinde intemperies, præcedentis æstatis frequens æstus præter endemios penè, scorbutum illicque affinem veneream luem, epidemios genuit varias febres tam intermittentes quàm continuas, causas aliasque ardentes paroxysmis interpolatas, quasdam planè inordinatas nullum typum servantes, catharales nonnullas malignas quoque ex-

anthematis variis; miliaribus præsertim semet prodentes, pleuriticis insuper, alias Cephalæâ, cardialgiâ, colicâ, hæmoptoë, defluxionibus in bucca gulam, dentes, ut & inflammationibus oculorum, indeque ophthalmiis, gutturis tussibus porro variis, quibusdam etiam ex illarum numero, quas convulsivas Willifus appellat; Præterea Epilepsias præsertim infantum, Arthritides tam universales quàm particulares, unius lateris, Ischiadicas, vagas scorbuticas satis frequentes, omnium tamen frequentissimas ob fructuum immaturorum ingluviem intemperantem, & immoderatum aliarum illecebrarum gulæ usum, Choleras, diarrhoeas, Lienterias & dysenterias copiosissimas, easque satis vehementes, pertinaces, periculosas, ac sæpenumero lethales.

October post pluviam 1mo matutinam, triduo sereno ac gratâ temperie amœno æstu, successit triduum nimbosum, subinde grandinosum, tandem & pluviis, nivibus pruina vacuum ac frigidum. Illi rursus quadriduum, autumnalis temporis ratione satis temperatum ac gratum. 14tus manè ad meridiem usque nebulosus, inde serenus fuit. 15mus serenus ac temperatus à meridie paucas sparsit pluvias; A 16to ad 20mum æstivo ferè calore serenum & amœnum quadriduum, à 20mo, 28vo sereno ac temperato excepto, obscuri ac frigiduli, interspersis 23io, 24. 26to, utut rarius pluviis ad 31. adeoque extremum usque mensis, dies secuti mensem terminarunt.

November à siccitate ac frigore aliquali auspiciatus, ad serenitatem

ac rigorem satis validum, sed ephemerum transiit triduum obscurum ac specade subinde udum inducens. Quod quatrimum à siccitate ac temperie ad aliqualem algorem, mox & gelu satis rigidum pergens, secutum. Cui gnus nivem copiosam asperfit, perseverante 10mo adhuc gelu atque post densam 11mo nebulam, & subsequenter serenitatem, ad 14mum usque paulò mitiorem in perspeadem à meridie fatiscentem continuante. 15tus præcedenti fere similis specade pariter udus, 16tus ad vesperam usque siccus, postea pluviosus, 17mum procellosum & nimbosum ascivit. 18vus à pluvia modica matutinâ in serenitatem, 19mo adhuc ad vesperam usque pluviam durantem transiit, succedente 20mo sereno ac temperato, in turbidum temperatum tamen adhuc nunc siccum ut 21mo & 23tio, nunc pluviis & nivibus quibusdam, ut 22do, 24to & 25to mutato coelo, succedente biduo paulò gelidiorè & nebuloso, aspersa tandem quoque nive, alioque rursus biduo pluvioso totâ ad vesperam usque 29ni à pluvia inclarescentem, sicque 30mo Æthere sic satis sereno & frigido menssem simul claudentem.

December subfrigido, vernâ tamen fere temperie præter morem accepto biduo orsus, 3tium manè pluvium, cætera turbidum sed siccum, posteaque triduum temperatum attulit, sub vesperâ 6ti nive parçâ aspersum. 7timus à gelu nocturno serenus triduum sibi quadantenus excepta serenitate nivibus & nubibus interpolatâ conforme adduxit. 11mo obscuro in pluvias deliquescenti, ac 12mo sereno post specades substitu-

ti, biduum turbidum ac algidum successit, mox post 15tum manè pluviosum, postea triduum, à nive ac gelu moderato & Æthere sereno, in horridum mutatum substituit; sed 19no ac 20mo rursus post gelicidium & nivem coelo sereno remittente, 21mo manè specade rorante à serenitate Aëris, 22do in gelu satis rigidum abiit, rursusque 23tio post gelicidium matutinum in pluvias, 24to à procellâ, aëre turbido sicco tamen ad vesperam in pluvias, 25tum totum durantes fatiscentem. 27mo nivem noctu diuque spargit, 28vum moderatum gelu, & circa vesperam nix pauca excepit. 29nus totâ die gelu rigidus fuit; 30mus à gelu in nivem, à nive in gelicidium, à gelicidio in pluviam, toto ferè 31mo durantem, sicque Æthere nimbofo, hunc menssem simulque trimestre ultimum adeoque annum hunc 1702. finientem desit.

Morbi hoc ultimo trimestri occurrerunt satis frequentes, Febres intermittentes variæ, continuæ, hæque sæpius intermittentibus sociatæ, simulque ardentes, malignæ quoque exanthematis varii generis conspicuæ; præterea Catarrhales, pleuritide nonnunquam comitatæ, Erysipelatodes, aliæque diversis & periculosis nonnunquam symptomatis, alia inter Paralyfi linguæ, aliarumque partium, inflammatione gutturis, Rheumatismo; Cardialgiâ, Cephalæâ periodicâ nonnunquam, Hemicraniâ, Hæmorrhagiâ narium vehementi & periculosa comitatæ. Præterque uteri quoque hæmorrhagiæ graves & pertinaces, solitariæ, aut aliis morbis sociatæ. Diarrhœæ & Dysenteriæ mali-

malignitatis nonnunquam participes
excessuum autumnalium reliquiæ,
Colicæ & hysteriæ passiones scor-
buto sæpius complicatæ, tandem &

Epilepsiæ cum primis Infantum, non-
nunquam & adutorum Hemiplegiæ
& Apoplexiæ vehementes & ut plu-
rimum lethales.

Constitutio Epidemica Augustana

Ann. 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705.

Dni D. LUCÆ SCHROECKII.

*Licet initium Anni 1701. frigidum comparuisset. &c. &c. &c.
In hisce quoque deprehensum fuisse animadverto.*

QUalem Anni præcedentis exi-
tus habuit aëris constitutio-
nem, talis per biduum etiam pri-
mum Anni 1703. continuavit; &
quamvis Zephyrus prædominium por-
rò obtineret, ac tolerabiliorem ut-
cunque temperiem redderet, sæpius
tamen ab iis diversis ventis excipie-
batur, Eurusque inprimis ante Solis
in Aquarium ingressum, à die 18.
Januarii usque ad d. 26. frigore in-
tenso molestus erat, multis subinde
interea nebulis, & nive, pauciori-
bus serenis diebus observatis; à quo
dein tempore inconstans admodum
aëris ventorumque, Austro tamen
prævalente, alternatio, usque dum
Sol in Piscium signo versaretur, ubi
post nivosum Boream, Zephyrus tem-
peratiorem ut plurimum & pluvio-
sam auram redderet; quæ post Æ-
quinoctium vernale variis mutatio-
nibus, præsertim frigidis humidif-
que obnoxia, vernali amœnitati mul-
tum obstetit, ac tardiozem plantarum
vegetationem effecit: Quæ eò feli-
cior postea successit, cum grata tem-
peries fertilitatem admodum promo-

veret. Interea morbi, præter Tusses
in hyeme non insolitas, & omnibus
ferè aliis morbis se complicantes,
multas inducias concedebant; Ar-
thriticis tamen doloribus obnoxii no-
vas invasions contumacioresque pa-
tiebantur, nec non Febres quotidia-
næ, non intermittente calore suo
continuas sæpe in principio æmulan-
tes, pauciores etiam tertianæ (post
sumtum vel purgans, vel vomitorium,
quod solum quandoque febrilem fo-
mitem expellebat) arcano duplicato
ubi biliosa impuritas, unicornu fossili
ubi acidæ particulæ, chinachina ve-
rò dum viscidior pituita prævalebant;
utræque facilè curabiles, in primis
mensibus deprehendebantur, in pue-
ris potissimum, vermium suspicio-
nem ob victum prægressum, calo-
rem faciei luridum, ventris morsica-
tiones, deliria nocturna &c. Sæpe
præbentibus, & præter medicamen-
ta recensita, cinnabaris nativæ, ter-
ræ signatæ, mithridatii &c. usum
salutarem ideo expertis. Subinde quo-
que continuæ catarrhales notatæ fue-
runt, majori vehementia, post hor-

rores, magno calore circa vesperam incremente, nec non cephalalgia & virium languore periodum suam decurrentes, sed continuato blandorum diaphoreticorum & alexipharmacorum usui cedentes. Intermittentes illæ præsertim tertianæ, in æstate se in plures utriusque sexus, omniumque ætatum diffundebant; imò in autumnum usque passim se exseriebant; nec deerant in diebus canicularibus, calore non admodum molestis, sed per primum decendium inprimis frigidiusculis & humidis, postea serenis & calidis, circa finem autem pluviosis, quos malignæ, pustulis crystallinis stipatæ, & nisi alexipharmacis mox atque sedulo obviam ipsis iretur, lethales invaderent.

Post caniculares varia æris temperies, Zephyrique & Euri alternatio, illo autem circa d. 8. Septembris prævalente, plurima pluvia & horridiuscula aura per aliquot dies infesta erant; cui fortasse Dysenteria tum ingruens non malè adscribenda fuerat; quanquam & metum ex turbis bellicis, quæ Urbem ubique cingebant, & ultimam incolis internecionem minitabantur, incessum, quin & cerevisiæ recenter coctæ nec satis defecatæ potum contulisse suum symbolum, sit credibile; quibus tonum ventriculi atque intestinorum labefactati, succosque naturales visciditatem & acorem contrahere, non est dubium. Quamvis illa rarò graviori insultu noceret, atque ex chyli acrioris vellicatione potiùs inducta videretur, cum sine prævio vel notabili calore aliisve symptomatibus, præter tormina tolerabiliora & stomachi gravitatem, mox in principio

cruentæ dejectiones contingerent; facile etiam, post rhabarbari tosti, (quod solum quandoque curæ sufficiebat) & moderatum stypticorum vel traumaticorum, catechu, tormentillæ &c. cum pauculo opii accessu, usum recederet: in nonnullis, ubi stomachus cruditatibus oneratus indicabatur unicum lene vomitorium, quale vel unicum tartari emetici granum suppeditabat, opem tulisse observatum fuit. Præter hunc cruentum fluxum, postea Diarrhœa quoque frequenter ingruerat, eadem fere methodo curata. In Autumno insuper Morbilli frequentissimi, & solitis symptomatibus febrili nempe, quandoque ad delirium usque intensa sanguinis effervescentia, uisus, oculorum inflammatione stipati, cæterum sine magno discrimine (ita ut non pauci etiam sine decubitu, & pharmacis easdem paterentur) suum decursum intra breve tempus, octiduum ut plurimum, sub pulveris Pannonici, antimonii diaphoretici &c. usu feliciter absolverant, adultiores etiam ac juvenilem ætatem frequenter, pari sed intensiori insultu tractaverant.

Æquinoctium autumnale cum Zephyro austrinam ut plurimum constitutionem adducebat, usque ad Novembris initium, ubi Eurus crebrior serenos ac nebulosos dies aliquandiu interponebat; quem post medium Novembrem excipiens Auster plures serenos dies quoque producebat. Tandem verò December multas nebulas & magnos Zephyri impetus, cum vario æris, nebuloso tamen potissimum ac nubiloso statu adferebat; post Solstitium autem hyemale Eurus horridio-

ridiorem auram ac frigus intensum pariebat, sicque cum anni fine præsentiam hyemis ostendebat. Interea febres malignæ superius indicatæ in plures se diffundebant, multosque trucidabant, præcipuè cum Urbs diuturna quasi è longinquo obsidione cincta, vario infortunio, quin & postea hostili insultu, (ubi cives insuetæ continua per aliquot dies sub Jove frigido & humido in excubiis statione plurimum defatigabantur) atque fatali, præcipuè igne gravissimo premeretur, ac subsequa infelici deditione multivaria torqueretur, ac enervaretur: quanta verò ab externa hac aëris & fati iniquitate sanguini labes fuerit impressa, vix opus erit pluribus exprimere: Omnes maligna febris decumbentes, atque ut pyrobolorum periculum evaderent, in tutiorem Urbis partem deportati, quantum scio, perierunt; infantes etiam morbillofi eandem ob causam ignis metui subducti, diuturniori postea tussi & hæcticæ discrimine salutem hanc suam redemerunt.

In Anno 1704. hyemali frigori continuando Eurus multum perrexit, usque dum post Solis in signum Aquarii ingressum Zephyrus, pluviis crebrioribus, cum nive tamen & serenitate alternantibus, gravidus, temperatiorem auram produceret; quæ equidem temperies ita continuavit, ut vernalis constitutio deinde citius, quàm plurimis aliis præcedentibus annis compareret, atque cum aëris ac ventorum non adeò ingrata mutatione diu, usque in mensem Junium perduraret: quamvis circa Solstitium æstivum pluvix frequentiores essent, major tamen serenitas,

silentibus ut plurimum ventis, cum ineunte Julio redibat; quæ ipsa continuans, caniculares dies admodum calidos, grato tamen pluviarum interventu subinde mitigatos efficeret; usque dum occidente Sirio, à d. 19. Augusti ad finem usque ejusdem mensis, Solis nunquam à nubibus interrupti radii fervorem intenderent; sed cum d. 2. Septembris acrior insurgens Zephyrus frigidiusculum ac pluviosum aërem per quintiduum produxisset, & succedens ipsi Eurus quadriduum serenitate ornasset, Zephyrus tamen mox iterum dominio potius, frigidos ac pluviosos dies (serenis tamen quandoque intercurrentibus) reproduxit. Interea Febrium puncticularium malignitas (horrore, virium lapsu, appetitu prostrato, capitisque ac dorsi dolore primò se prodegens, in nonnullis amaritie oris, anxietate præcordiorum, fluxu alvi seroso, bilioso, quandoque sanguinolento, tussi &c. concurrente) magnam circa anni principium incolarum stragem dare continuavit, ut quinque primis mensibus ultra mille ducentos homines, (quos inter equidem plures quàm centum & quinquaginta milites Galli fuerant) tum aliis morbis, tum hac febris potissimum demortuos numerare licuerit; cum alias per integrum annum tot Urbs non videbat. Ubi quidem tantæ cladis causam non tam morbi atrociam, quàm ægrotorum in prima morbi invasione ab ipsis parum æstimati negligentiam, atque ob prægressas ac indies renascentes, quin majores subinde ab infensissimo inquilino hoste pertimescenda calamitas, vitalium succorum enervationem ac depravationem accusare possim.

possum. Quæ ipsæ etiam miseræ aliis morbis, Ictero imprimis, verno tempore multos invadenti, ansam suppeditare, bilemque justo viscidiorē, atque ita ad obstructions excitandas proniorem reddere potuerunt; prout non minus eodem ex fonte Tertianas ac quotidianas febres frequenter tum, & reliquis etiam anni partibus se exerentes, profluxisse credibile est: Unde etiam haud differentibus remediis ut plurimum, & quidem facilè tolli potuerunt; quæ inter arcanum duplicatum, non saltem vi qua pollet incidendi & aperiendi, sed quoque correctas hac ratione biliosas impuritates in multis per alvum educendi, egregiè profuisse expertus sum. Cæterum mense Junio Dyfenteria in scenam prodire, & usque in Octobrem observari, in Augusto imprimis plures invadere cœperunt, ut non facile domus, quæ immunis ab ea foret, inveniretur; atque licet malignitate carere viderentur, plurimos tamen, minoris æquè ac perfectioris ætatis homines trucidarunt, ut defunctorum numerus, qui mense Junio & Julio nonnihil decrescere inceperat, in Augusto & Septembri admodum augetur; quod equidem non morbi truculentia, sed incauto in cura regimini adscribendum arbitror; cum variis domesticis, ut vocant, præter rationem propinatis remediis unicè confidens incauta plebecula, vel etiam multivariè diætam negligendo, aut justo tardius Medici opem implorando, vehementer peccaverit; neque tamen negari potest, aliquot ægrotantes brevi tempore, deglutito ex. gr. cochleari Spiritus vini cum pulvere nucis moscha-

tæ, morbi primordia eluisse; ubi nempe non tam Dyfenteria, quam simplicior Diarrhœa, à ventriculo cruditatibus labefactato, adesset; prout etiam non paucos sumpto mox rhabarbaro nonnihil tosto, vel sibi relicto, immunes esse factos scio. Quod etiam rhabarbarum in principio curæ, vel durante morbo, ubi stomachus gravari sentiretur, profuit. Radice Ipecacoanha non fui usus, neque ejusdem vi emetica opus habui; aliquibus verò, quibus vomendi conatus erat molestus, cum convulsivi quid adesse ostenderet, præter externa calefacientia spirituosa, idem rhabarbarum in pauca quantitate ad gr. xij. xx. cum coralliis rubris, vel terra sig. &c. mixtum, felici cum successu propinavi. Reliquum curæ per absorbentia, & acridinem humorum temperantia potissimum fuit peractum; ubi præter dictam terram sigillatam, corallia, flores ferri, crystallus imprimis montana egregiam opem attulit; quibus ubi nimia dejectiones molestæ erant, adstringentia ex catechu, radice tormentillæ &c. in pulvere, electuario, pilulis, tinctura, dosi non nimis larga, sed sæpius repetita, & quando dolores admodum urgebant, laudanum cydoniatum, extractum opii, vel theriacæ cœlestis moderatè addita, profuerunt; potum eadem radix tormentillæ, caro cydoniorum sicca, cum paucis cinnamomo & saccharo in aqua cocta, convenientem præbuit; neque vinum Neccarinum, aut Tyrolense antiquum rubrum noxam attulit, cum rarò febrilis calor jungeretur. Undenam verò origo hujus mali sit deducenda, anceps hæreo.

reo. Fructuum horæorum immoderatum esum multis nocuisse non dubito; cerevisiæ haud probè defecatæ potum plurimos in hunc morbum præcipitasse, eò magis est credibile, cum non paucos jam convalescentes, vel cum malo adhuc conflictantes, unico etiam haustu cerevisiæ in recidivam lethalem incidisse, aut doloribus auctis, gangrænâ intestinorum obiisse noverim; contagium insuper non rarò ægrorum numerum auxisse, successiva in una eademque domo invasio suadere posset; bellicæ vix tolerabiles adverstitates, cum foetoribus ex varia militis Galli spurcitie, & excrementis equinis stramini semiputrefacto immixtis, quorum copiam insignis equorum multitudo indies publicè in plateis, nec non in ædibus cumulaverat, quid efficere valuerint, neminem fugere potest; intensus ille aëris calor, spirituum & sanguinis vigorem minuendo, quantum obesse queat, in me ipso sum expertus, qui nullo in cibo potuve errore commisso, ob continuas tamen per integros dies Sirio urente, ægrotorum visitationes, & sudorum inde largiores effusiones, defatigatus, post biduanam levem diarrhœam, eundem cruentum fluxum pati coactus fui; qui licet magnopere me non adfligeret, vires tamen mox adeo debilitaverat, ut diuturniori earum recollectione opus habuerim, ad roscidas nempe & balsamicas lymphæ particulas restituendas, ac segnius per vasa circulantes vitales humores ad naturalem motum reducendos, cum lymphæ depauperationem & crassitiem ex variis signis colligere licuerit, unde sa-

linæ acriores in ea particulæ concentratæ per tubulos minimos intestinales segnius moveri, spiculisque suis pungendo nocere potuerunt. Erant quibus inconsuetæ muscarum multitudini causam adscribere placuit, quarum nempe excrementis cibus potusve contaminatus turbas hæc in corpore concitaverit, quod suis domesticis ut persuaderet curiosior aliquis pater familias, carnem spurcitiæ tali imbutam cani devorandam dederat, qui ipse mox foedo isto morbo correptus fuerat. Neque tamen alii etiam morbi per æstatem & autumnum aberant: Ut Variolas pueris æquè ac adolescentibus magis molestas quàm periculosas, adultiores etiam non paucos in exigua copia & ferè sine morbi sensu invadentes, Febres insuper petechiales, nec non puerorum verminosas, & cum uterinis malis sociatas M. Julio observatas taceam, M. Augusto Arthritis vaga masculinum præsertim sexum satis obstinata, multos etiam Angina notha, promptè remediis cedens, excruciaverant. In adulto autem Septembri, nec non Octobris initio Febres continuæ pustulosæ plurimos in adulta æquè ac puerili ætate constitutos cum præcordiorum angustia, inquietudine, deliriis, angina spuria, pustulis albicantibus, universam corporis peripheriam occupantibus, rarius inferiorem saltem abdominis partem occupantibus, invaserunt, in cuticulæ tandem desquamationem, prævio tædiofo pruritu, abeuntes. Quas (præter Icterum, martiatis remediis, acidulis præsertim & Essentiæ Martis D. Ludovici haud ægrè cedentem) Tertianæ & Quotidianæ irregularibus

bus paroxyfmis Medicorum exercen-tes patientiam, exceperant; ibi alexipharmacis temperatis, hîc pro diversa morbi natura, biliosam tamen intemperiem ut plurimum ostendente, arcano duplicato & cortice Peruviano officium suum egregiè præstantibus.

Reliquum anni, sub moderato aëris & ventorum alternantium statu, tranquillius fuit peractum, morbis epidemicis cessantibus, ac reliquis etiam, quos sporadicos vocamus, rariùs occurrentibus; cum cœli non tantum clementia, sed etiam ob hostes ex Urbe profugos, totaque vicinia expulsos, civium animi novo vigore animali, morbosas dispositiones feliciter averterent.

Cum Zephyrus, Anno 1705. illucescente, moderatis nivibus terram conspersisset, Eurus succedens, die duodecimo frigus hyemata induxit, aëremque per biduum serenavit, mox tamen iterum nubibus textit; quibus circa finem primi mensis denuò diffuffis, d. 8. Februarii, post nebulas, cum Zephyro crebriores nives deciderunt; & aliis quandoque ventis, Euro noto inprimis, Austro, & Zephyro borea interpolatus Zephyrus diversas aëri temperies impressit, donec circa finem mensis Eurus serenitati favens, nivium liquationem successivè promoveret; Quæ serenitas ad vernale usque Æquinoctium continuavit rariùs nebulis, & semel nive interrupta, frigore autem comitata.

Post Æquinoctium variæ subinde ventorum mutationes, & frequentiores pluvix vernalem gratiam retardarunt, atque Aprilem potissimum, (cujus dies decimus nonus vesperi, alta,

sed paulò post rursus liquata nive, sine Cereris & Pomonæ noxa, terram oneraverat,) nec non Majum valde inamœnum atque frigidiusculum reddiderant, sicque morbosas corporibus humanis dispositiones, & tertianas præcipuè febres procrearunt; quæ licet jam in Januario sparsim comparerent, in Martio tamen, Aprili & Majo plures invadere cœperunt, gravi cephalalgia & præcordiorum pressione, rariùs præcedaneo horrore, molestæ, sed post cholagogi aut emetici usum, chinchinatis medicamentis ut plurimum non difficulter superari potuerunt; quod observare etiam licuit, cum circa finem Maji vires sumendo, plurimos in Urbe, quin & vicino agro invaderent, post horrorem magno, atque sæpe ad deliria usque intenso calore ægros torquentes. In Martio quoque Pleuritides veræ, non admodum vehementes & exquisitæ, blandioribusque diaphoreticis & pectoralibus, sine venæ sectione, interdum etiam absque suppuratione, curabiles; circa Aprilis autem finem Apoplexiæ lethales passim observatæ fuerunt. Febris porrò scarlatina in Aprili, Majo & Junio in plurimos variæ ætatis, sexus & conditionis homines, quin totas etiam in familias sese diffudit, post exiguum, aut nullum horroris sensum, faciem primò inflans & rubore suffundens, postea universam cutem maculis vel tuberculis rubris, crebrioribus, latioribus, interdum magis, quandoque minus quàm in Morbillis rubentibus, interdum quoque totam cutem unica quasi macula tingens, ad duas tresve potissimum dies persi-

persistens, quin diutius quandoque & per octiduum durans, modò in squamulas abiens, modò insensibiliter discussa. Nullum equidem vidi qui periculosè ex ea ægrotaret, non nullis tamen, ob majorem sanguinis effervescentiam, diaphoreticis temperationibus, antimonio diaphor. terra sigillata, unicornu fossili &c. succurrere opus fuit; aliquibus libero se exposuisse aëri, & sine medicamento- rum usu, nunquam decubuisse haud nocuit. Quo in morbo licet Clariss. *Thom. Sydenham in observ. med. circa morb. acut. historiam sect. 6. cap. 2.* omnem medicamentorum usum intermittat, in libello tamen, qui ejus nomen præ se fert, & *Processus integros in morbis curandis* ab eo conscriptos exhibet, atque Londini typis prodiit, medicamenta supra memoratis similia non improbari deprehenditur; cujus eò lubentius mentionem facio, cum Libellus iste in *Ephemeridum nostrar. Dec. 2. Ann. 10. Appendice* recusum censuram acerbiorem cujusdam Anonymi subierit, qui Anno 1693. Londini eundem denuò impressum publicare voluit, nostrum *inepta mole inutilem*, nescio quo jure vocans, cum tamen idem omnino cum Anonymi specimine sit, atque juxta exemplar (cujus viginti circiter tantum Londini primo fuerunt impressa) ab Exc. *D. D. Mich. Fausto*, Argentoratensi, jam Medico Francòfurtensi ad Mœnum dextrimo, Acad. N. Curioso, cum ex Anglia redux Norimbergam transfiret, beato nostro Præsidi, incomparabili *D. Volckamero*, tunc temporis in edenda prædicta Appendice occupato, communicatum, ingenuè

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

recusum fuerat; ut ita quo pacto non irrepsisse, sed accessisse Ephemeridibus nostris dicendus sit, Lector benevolus inde cognoscere valeat.

Mensis Junius multam ventorum omnium vicissitudinem ostendere pergens, serenitate quidem ut plurimum gaudens, crebriori tamen frigore inamœnus comparuit; elapso autem primo octiduo, constantior Zephyrus, post pluviarum frequentiam, temperatiorem aëram reddidit; quam ante Solstitium æstivum, calores, circa finem mensis remissiores facti, insequabantur; cum interea serenos dies pluviosi sæpius interpolarent, ideòque tolerabili sæpius temperiei ac telluris fœcunditati faverent; usque dum una cum sirii ortu calores ingravescerent, & usque post ejus occasum continuarent, multamque terræ siccitatem adferrent; nisi quòd sextiduum ante occasum caniculæ deciduis cum tonitru & fulgure pluviis eadem refocillarent; quas eò uberiores postea per Septembrem Zephyrus adduxerat, post intensiores illos calores temperiem admodum humidam & frigore horridiusculam reddiderat, simulque catarrhis glandulosas in primis & musculosas colli exterioris partes obnoxias fecerat, temperationi tamen aëris regimini non difficulter cedentibus.

Post æstivum Æquinoctium continuante ventorum varietate, serenos dies plures usque ad Novembris initium vidimus, quos dein multa hyemis indicia sunt secuta, & juxta cum aura frigida, nubibus & nebulis aër turbidus, atque modò in pluvias, modò nives resolutus, humidam admodum constitutionem effecerat, us-

que

que dum tandem post hyemale solstitium, prævalente cæteris ventis Austro, quæ ab eo denominatur, austrina temperies succederet. Inter ea lymphæ viscidæ & salfæ (ab humida aëris post magnos æstivos calores intemperie probabiliter coacervatæ) stagnationes non deerant, Odontalgia præcipuè, sed tolerabilis, in pluribus ob conjunctam cepha-

lalgiam magis molestæ; quin & tuffis humidæ contumacioris, nec facile sine absorbentibus abigendæ feraces. A qua etiam Hæcticæ febris, quæ non nullis insidiabatur, & non minus medicamentis potissimum acridinem temperantibus haud difficulter cedebant, originem derivare licebat.



Constitutio Epidemica Berolinensis Anni 1697.

Dni D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

Von der Müllen.

Januaris Styli Gregoriani, gelu non nunquam satis rigido, Boreâ ut plurimum flante, paucâ nive quandoque interspersâ coepit, quod ad quintum usque duravit, tunc succedente Cauro paululum triduo continuo regelascens, 19no gelu redintegrait, & 21mum si exceperis, tolerabiliorem, ut & 28vum vulturno spirante remittentem, ad ipsum usque finem, ac subsequenti *Februarii* 9num continuavit. A quo tempore rigor ille remisit, atque blandiori æthere, non nunquam apprimè amœno, gelu interpolavit, ad 20mum usque, qui frigore rigidiore recrudescente, noctu præsertim, de die verò parum mitescente, ad finem ac porrò quintum usque *Martii* transit. A quo rigore paulatim desæviente, mitiora tempora veris prodromos, nebulas pluviis & sudo intercalatas tulère ad

14tum usque vernâ sed ephemerâ serenitate & amœnitate commendabilem, succedente cum vulturno nubilo & horrido triduo, sed pluribus ad 24tum usque suavioribus pensato. Hic 24tus, repedante vulturno, variam & ingratam, Aprili aliàs familiarem, aëris intemperiem tulit, frigore, pluviis, nive quandoque, & grandine, nocturno quoque gelu non nunquam distinctam, ad 30mum usque, adeoque ultimum durante, sparsâ noctu nive copiosâ, à succedente diurnâ serenitate ac aliquali amœnitate rursus colliquatâ notabilem, primum sic trimestre grato fine terminantem.

Morbi hoc trimestri non adeò frequentes aut populariter grassantes fuerunt, nisi fortè ob variabile gelidum initio & horridum, humidum postea plerumque & tempestuosum cœlum, catarrhos quis aut tusses febribus ut pluri-

plurimum comitatas huc trahere velit, defluxiones in uvulam & tonsillas, præteriti anni defluxionibus molestiâ & pertinaciâ analogas; Prætereaque pleuritides non nullas, variolas interpersas, paucos adultos, plures infantes adorientes, malignas quasdam ac periculosas, benignas plures, paucas lethales. Paralyfes item & Apoplexias quibusdam exitiosas, Arthritides vagas scorbuticas, ut & febres varias, quandoque & acutas & continuas, exanthematis etiam scorbuticam malignitatem testantes.

Aprilis temperato sed pluvioso facto exordio, unico interposito sereniori die, nimirum secundo ad 9num usque nocturno gelu, diurnisque nimbis ac imbribus horridum processit. Postea amœniore paululum cœlo, noctibus tamen adhuc gelidis, quandoque & nivibus, pluviis ac ventis quibusdam variato, ad 19num transit amœnitate Vernâ & serenitate ferè stabili, cum succedentibus, 23tio solùm frigido ac procelloso excepto, ad 30num usque adeoque ultimum Mensis, abblandientem.

Successit *Maius* frigore moderato, interdum tamen, initio præsertim Boreâ interspirante, rigidiusculo. Postea sereno cœlo admixtis licet sub finem, præcipuè non nullis pluviolis sic satis amœnus & ad fertilitatem, 31mum eumque postremum, grandine nimis asperum & nocivum si demseris, pronus.

Huic rursus *Junius* pari ferè amœnitate ac serenitate, paucis, secundo fortè & quinto blandè rorantibus, 7mo & 8vo, illo turbido, hoc Africo flante nimbofo, 12mo & 24to imbre fœcundo arva rigantibus, 26to

imbri tonitru jungente, 27mo, Africo rursus pluvias spargente, udo, variantibus diebus exceptis, conformis, totus propè ad finem usque temperatus.

Morbos trimestre perinde non multos genuit. Præter enim febres nonnullas, paucas intermittentes, pauciores continuas, & catarrhales paucissimas, variolas si dempseris & Epilepsias Infantibus quibusdam infestas, rarissimè tamen lethales, pleuritides quasdam & arthritides vagas scorbuticas, cardialgias, Cephalæas, Odontalgias & Asthmaticos affectus parcissimos, parum negotii Medicis fecerunt alii morbi. Id quod aëris clementiæ adeò stabili, Maio præsertim & Junio, humores in laudabili ac moderato statu conservanti, nec nimio æstu exagitantibus tribuendum esse reor.

Julius trimestris tertii initium pari cum præcedentibus amœnitate, clementiâ ac serenitate Cœli, secundum & tertium fœcundis imbribus temperans fecit; Verùm sequenti sexto sudum diurnum circa noctem horrendo tonitruum identidem reboante fragore, & fulgetris ferè continuis animos & oculos immensum perculit. Septimus quoque, octavus & decimus mitius tamen paulò, serenum diei cœlum vesperi tempestuoso tonitru fœdarent. Reliquum ad finem usque mensis vario, sed non adeo turbulento, udo tamen non nunquam & nimbofo aëre transit.

Talis quoque *Augusti*, 7mum, 8vum, 10mum, 12mum, 16tum, 17mum, 30mum, & 31mum adeoque postremum, serenos & amœnos

dies, si exceperis, status fuit.

Nec procul ab his ultimis diebus ablusit *Septembris* initium, primum nimirum biduum sic satis serenum & amoenum, cui quatrimum successit, autumnii præludium, imbridum ac frigidum. Quod septimus æstivum sudum æmulatus correxit, cui 8vus paulò frigidior, sed adhuc & 9nus, 10mus, 11mus, ad 18vum usque, qui imbris vespertinis aliquod interscenium inseruit, sereni successerunt; sequentes ad 22dum usque, ejusdem quo præcedentis tenoris, temperatè nimirum serenitate commendabiles, ut & reliqui ad 27mum usque, paulò, cum sequentibus tribus postremis, turbidior, frigidior, & aspersis subinde pluviis ac ventis asperior.

Rari admodum hoc trimestri fuere morbi, nec præter diarrhoeas atque dysenterias, utut pro proventu omnis generis fructuum valdè, DEO largiente, uberi, nec gula illecebris suis parcente, admodum paucas, tusses non nullas, parcissimas febres, pleuriticos quosdam, & Asthmaticos affectus, nec non unum alterumve Paralyseos & Arthritidis scorbuticæ casum, alii ferè nulli occurrerunt.

October mixtâ pluviis frequentibus serenitate paucâ accessit, ac quatrimum hæc ratione processit. Quintum serenum & amoenum totum, sextus totus undosus secutus; Sed septimus & sequentes ad usque mensis finem sexto serenitate penè pares, præter nonum & ejus sequaces cum subito Borea spirante frigidulos, 13um roridum, 17mum imbre madentem, 24tum, 27mum, & 28vum pluvias non nullas spargentes, 29num verò & 30mum sicque ultimum Cæciam, fri-

goris intensioris authorem ascendendo horridos, in procellam tandem valdè impetuofam primâ *Novembris* degenerantem; Verum secundo & tertio paululum desævientem. Quartus & quintus tranquilliores fuerunt ac sereniores, rigidi tamen adhuc, sextus manè nebulosus, postea præcedentibus similis, septimus frigidus ac nubilosus, octavus ad sequens usque manè nimbosus, ex quo serenior 9nus 10mus primam tulit glaciem, ad noctem usque 12mi durantem, pluviâ subsequenti 13tii & 14tii rursum liquatam. Quos 15to sudum admodum gratum, cum æstiva amoenitate quasi certans, sed ephemerum excepit. Ab illâ brevi serenitate matutinis & vespertinis pluviis, in procellam 17mo exæstuavit horrendam 18vo quidem desinentem, sed hujus & sequentium antemeridianum cum pomeridiano, pluvias inter & turbidum, siccum tamen cælum partiendo, ad 25. usque, si 21mum, serenum totum & amoenum excluseris, & 25tum sequentes duos boreali sudo commendabiles. Tandem 28vus Divo Simoni Judæ dicatus frigidus & turbidus, 29nus pluviis horridus mixtus, 30mus demum serenus denuò totus, sed Borea paulò acriùs spirante gelidus agmen dierum *Novembris* clausit. Successit *December* primo die rigorem præcedentis primâ nive sparsâ temperans, at secundo gelu redintegrans, sequentibus cum nive pluvias alternavit ad 11mum usque, qui Cauro aspirante raro gelicidio gelu satis intensum substituit, qui sequens nivem rursum submisit, atque huic, Boreâ Cauro succedente sequentes duo gelu prius moderatum, decimo sexto in-

rigidum valde degenerans, decimo septimo nive copiosâ paulò temperatius, decimo octavo verò & vigesimo magis, accedente copiosa nive, invalescens, vigesimo primo rursus, vento remittente ac nive repedante, mitescens. Triduum sequens mitius adhuc, vigesimo tertio pluvias immiscuit, ad vesperam usque vigesimi quarti sereniorum at gelidiorum, subsequente quatrigeno vehementi gelu, vigesimo nono demum remittente, ac post nebulam toto die trigesimo cœlum obscurantem; trigesimo primo verò discussâ nebulâ sudo redintegrato, simulque gelu reddente, ultimum hoc trimestre sicque totum annum 1697. terminante.

Morbi hoc ultimo trimestri paulò quàm præcedentibus frequentiores fuerunt, ob Ætheris & aëris nunc sereni, nunc turbidi, nunc sicci nunc humidi ac pluviosi, nunc tranquilli nunc turbulenti & procellosi, nunc temperati ac remissi, nunc gelidi ac horridi, variè invicem alternantis, sicque pro diversitate constitutionis suæ, humorum quoque diathesin & crasin, communicatis tum per inspirationem,

tum per ambientes, & poros corporis subeuntes variorum tam Ætheris, quàm aëris miasmatum particulas, diversis fortè ut formis, sic qualitatibus instructas diversimodè moventibus, alterantibus, ac ad varias ebullitiones, orgasmos, metastases, quandoque sed rarò in melius, sæpiùs in pejus disponentibus atomis, mutantis. Hinc exorti diverso tempore diversi morbi Medicorum animos & curas exercuerunt. Inter quos potiores fuerunt febres variæ tum intermittentes, tum continuæ, hæcque inter non nullæ etiam malignæ, exanthematis quoque variis, purpura, morbillis & variolis stipatæ, non tamen adeò frequentes ut Epidemicarum nomen iusto titulo mererentur, præterea Catarrhales, tussi, vertigine, odontalgis, inflammationibus gutturis & tonsillarum, uvulæ laxationibus, anginâ, suffocationibus, hypochondriacas imitantibus, præcordiorum oppressione scorbuto familiaribus, comitatæ, arthriticæ, pleuriticæ, nephriticæ, colicæ passiones, Epilepsiæ sed raræ, ut & paralyse tam particulares quàm universales, apoplexiæ & hæc inter quædam funestæ & lethales.

Constitutio Epidemica Berolinensis Ann. 1698.

Dni D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

Von der Müllen.

Primum mensis Januarii st. Greg. biduum serenum ac gelidum remissius, excepit degelascens ac pluviosum sex dierum intervallum. Nono temperato diei, decimus successit frigidus paucâ nive canescens dies, triduo turbido in Boream tandem, fatis vehementer exæstuantem, despu-

mante comitatus, ac altero triduo mitiori nivibus, nebula ac pluviis ex parte interpolato exceptus. Inde ingravescens paulatim gelu vulturno Boreæ succedente vigesimo mensis die, octiduum continuavit, postea mitius aliquanto factum, ac nives glaciæ deliquescenti interspersæ, donec

repedante unâ cum Aquilone, ultimis hujus primi mensis ac quatuor Februarii diebus graviori gelu serenius cœlum illuxit; mox verò rursus remittente, ac in pluvias nivi mixtas fatifcente obscurum æther ad decimum septimum usque penitus degelantem perdurans. Inde gelu, Euro flante paulatim denuo vires resumere cœpit, ac succedente Aquilone, & Aquiloni tandem Aparctiâ, huic verò rursus Euro, validè insurgente, paucis tantum intermixtis nivibus, ac paucioribus blandis remissionibus, ad finem usque Februarii & sequentis Martii nonum continuavit. Tunc verna de die amœnitas, sereno æthere ridens, Austro aspirante advecta, abblandiri quatrimum visa est, noctibus interea adhuc gelidis subsecutum, Boreâ pristinam recuperante sedem, gelu minantibus, Euroque Boreæ succedente æther, unico vigesimo septimo sereno ac temperato die excepto, ad trigessimum usque, Primum Paschatis Gregoriani die festum turbantibus, qui ipse à nocte gelidâ, reductâ aliquali temperie, sequentem medium festi ac ultimum mensis ut & trimestris hujus primi diem sudo ac sereno aëre beavit.

Morbos primum hoc trimestre, præter scorbutum indigenam, pro variâ aëris mutatione varios exhibuit, quos inter febres tam intermittentes, quàm continuæ, eæque ardentes satis frequentes, ac quasi epidemicæ, malignæ quoque non nullæ variolis, præsertim confluentibus, uti dicuntur, conspicuæ eminuere, valdè non nullis infestæ ac periculosæ, pleuritides hisque affines affectus, peripneumoniæ, hæmoptoë non nunquam comitatæ,

& catarrhales, variis defluxionibus molestæ: tusses contumaces, asthmaticæ quandoque & suffocativæ, Arthritides vagæ, hypochondriacæ, Colicæ, Nephriticæ passiones & Hystericæ, sed hæc posteriores prioribus rariores.

Aprilis primus secundi trimestris, festique prædicti Paschatis postremus dies, æstivum manè æmulatus sudum à meridie primo tonitru sat gravis fragore animos amœnitate ac festivitate diei in hortos & campos prolectorum, atque ludis & Genio indulgentium validè perculit, subsequens hunc primum pluribus ad 28. usque Aprilis continuavit serenis ac amœnis diebus, noctibus interea gelidis intercalatis, prima fronte abblandientibus, mutati verò vigesima octava sparsis tota die pluviolis facie, variam, ut plurimum turbidam, horridam ac inamœnam Aprili genuinam induit.

Quam etiam primus Maii retinuit, & paucis interfertis sudis, ut. 2. 5. 10. 17. 23. ad 27um usque continuavit, qui vigesimus septimus vernâ temperie ac serenitate acceptus, cum sequentibus nativam huic mensi gratiam redintegavit.

Eidem sequentem Junium, (octavo solum excepto, Cauro nimirum amœnitatem præcedentium pluviis intersparsis turbante, ac duodecima cum successore decimo quarto in turbidum & undosum degenerante) serenis ac amœnis, nec nisi paucissimis non nunquam ventis ac pluviolis paululum exasperatis, ad ipsum usque finem commendavit.

Secundum hoc trimestre cœli benignioris ac stabilioris favore morborum quoque ratione mitiùs aliquantò prio-

priori egit: præter enim scorbuticos quosdam affectus, febres, catarrhales quoque non nullas sparsim instantes, acutas & arduas paucas, malignas raras morbillis subinde sociatas, hypochondriacas non nullas passiones, pleuritides paucissimas, asthmata, cardialgias ac cephalæas, vix alios produxit.

Julius, præcedentis Junii sudum continuando, huic ad decimum tertium usque duranti, pluviosum & quandoque nimbosum ac subfrigidum triduum succenturiavit, cui triduum rursus serenum ac gratum successit, à biduo turbidiori paulò & inconstanti, vento ac pluviis subinde interpellato, exceptum, recuperatâ tamen pristinâ amœnitate, uno fortè alterove paululum degenerantibus, ac pluvias non nullas aspergentibus, ad trigessimum primum usque, adeoque ultimum mensis continuavit.

Augustus mox ab ingressu procellâ turbatus, severiorem paulò frontem induit, ac quinto solum sudo & temperato, ut & decimo inter serenum antemeridianum ac pluviosum & tonitru fragoso, horridum pomeridianum pensum suum partiente, nec non vigesimum octavum æstivum adhuc amœnitatem redolente, paucisque aliis paulò mitioribus exceptis, totus varius, turbidus, frigidus, pluviosus & nimbosus fuit, unico postremo trigesimo primo sereno & amœno, gratiæ pristinæ factam quasi jacturam quadrantenus reparante, ac

Subsequenti Septembri conservandam tradente, qui eam septimo, octavo & nono à tonitru nocturno frigidis & plurimum pluviosis, tanquam triduo degeneri decimo quinto, decimo sex-

to & decimo septimo turbido rursus & frigido triduo, ut & vigesimo primo & vigesimo secundo ejusdem farinæ, biduo exclusis, ad vigesimum quartum usque servavit intemeratam; donec autumnus tempestuosæ & inconstanti indoli cedens horridiorem ac tempestuosam assumpsit larvam.

Morbi hoc tertio trimestri vario & mutabili frequentiores paulò quàm secundo fuerunt, febres præsertim tam benignæ quàm malignæ, symptomatis varii generis stipatæ, rariùs intermittentes, sæpiùs continuæ & arduæ, Catarrhales quoque & pleuriticæ in hecticam & phthisin proclives, malignæ quoque, aphthis, quandoque purpurâ, non nunquam morbillis, frequentius variolis, rarò petechiis, sæpiùs infames, lethales quoque & epidemicæ grassantes, & has præter Cephalalgia, Cardialgia, asthmata, arthritides statæ & vagæ intercurrentes.

October ultimi trimestris primus detractâ antecessori suo horrida, quam sub exordio sumpserat, larvâ, gratiori vultu scenam ingressus, Sexto die æstivæ amœnitatis personam ad idem usque serenâ & exporrectâ fronte egit. Exinde paulò austerior, nubiloso ut plurimum ac ventoso cœlo varius, vigesimo sexto & vigesimo septimo, biduo sereno præmissis, vigesimo octavo, primam sparsit nivem, mox in pluviam postea fatiscentem, nocte succedente gelidâ, pruinam à sudo gelascente exceptam tulit, cui biduum successit amœnum ac temperatum, subsequente turbido manè cœlo trigesimo primo in pluvias, tonitru hoc tempore insolito comitatas, circa noctem deficiens.

November initio inconstans, mox Euro flante serenior gelu induxit, remiffius quidem primò nebulis subinde intermixtis, circa quam tamen Aquilone irruente satis rigidum; Nivem copiosam valdè præter expectationem, Cauro sufflante in horridum & intensum gelu quinque dies durans erupit: decimo sexto tamen desævians noctu remittere ac subsequente decimo septimo fudo penitus degelare cœpit. Inde rursus instabilis, nunc turbido cœlo asperior, nunc sereno temperatior, post nives vigesimo tertio denuo sparsas, vigesimo quarto gelu satis intensum redintegavit, ac ad finem prope mensis continuavit, postremo mensis die Libanoto aspirante, degelascens.

December à primo ad octavum paulo gelidiorem, varius pluviosus ac nimbosus, ab octavo ad decimum quartum gelu, sed interspersis, ut ut raris nivibus mite ac temperatum induxit, à decimo quarto præcedentibus algidiore varium asperum, ventis subinde ac nimbis horridum cœlum ad finem usque mensis continua-

vit, tandemque circa vesperam trigefimi primi, adeoque ultimi hujus mensis & anni diei, senis tonitru, hoc anni tempore planè insoliti ac portentosi, pluribusque funesti fragoribus Anno huic 1689. valedixit.

Morbi hoc trimestri præter febres quasdam continuas ardentis, ab omni malignitate haud vacuas, purpurâ & morbillis eam prodeutibus, catarrhales satis frequentes, tussi contumaci & ferina, catarrhis & defluxionibus scorbuticis debitâ, valdè infestæ & molestæ fuerunt, variæ, inconstanti horridæ ac immiti cœli constitutioni natales suos debentes. Præterea arthritides vagæ, præsertim scorbuticæ, pleuritides, diarrhœæ & lientericæ frequentes, dysentericæ tamen raræ, pro proventu prunorum hoc autumno valdè uberi, Cardialgiæ, & hæmoptoës nonnullæ. Sub fine tamen & soporosi ac comatosi nonnulli affectus, quibusdam lethales, eidem frigidæ ac humidæ aëris intemperiei hâc hyeme prædominanti, omni procul dubio imputandi.

*Constitutio Epidemica Sangallensis, finis Anni 1696.
& principii 1697.*

Dni Doct. SYLVESTRI SAMUELIS ANHORNII,
De Hartwils.

VIX Dysenteria æstiva grassari desiit, autumnus successit, ventis Austrinis die nocteque spirantibus, uvis fructibusque maturandis coaptatus, infantibus verò in hoc fatalis, dum insolito tepore diurno atque nocturno, ad turgescentiam motus sanguis puerorum tenerior, morbillos variolasque exclusit, quas perpaucis

effugisse datum fuit, fuerunt, qui febre continuâ cum inquietudine, deliriis, & multis deterioris notæ symptomatibus ad septimum diem dubiè agitati, exhibitis ex aq. ulmar. CC. Citrat. ac diaphoreticis temperatis ex Magist. antimon. diaph. CC. ph. ppt. & unicorn. fossili, per sudorem vel hæmorrhagiam subsequuta crisi con-

convaluerunt. Plures vix ac auræ liberiori commissi, insuper morbillis, hosque adhuc excipientibus variolis correpti fuerunt. Declinante autumno, & æstu remittente, mixtim grassari cœperunt febres & Variolæ, plurimum tamen morbilli. Mense Novembri & Decembri initio varia fuit cœli facies, tempestas aquilonia, nebulosa, pluviosa, frigidior, morbillos qui vix superârunt, jam cum variolis colluctavere, febricitantes visi non sunt, & morbilli perpauca, Variolæ solæ, candidâ veste terrâ tectâ, magis magisque propullulârunt. Fuerunt autem optimæ indolis, citò erumpentes, rubræ, molles, fastigiatae, distinctæ, citò maturæ, nec foveas relinquentes.

Deterior fors fuit illorum, qui serius, non quidem maturâ tempestate, in principio Anni 1697. iisdem decubère. In plurimis copiosiores ac confluentes visæ sunt. Multi cum febre intensa, convulsionibus, ventris meteorismo & dolore intenso, ac alvo constipatissima, pustulis tandem violaceis, lividis, nigris notati interiêrunt. Id verò est quod notari meretur, non alios præter lanionum infantes, & quidem trinos quandoque, & binos unâ in domo (ceu quòd fordibus & squalore ex pellibus ad exciccandum expositis, cruore & carne præ aliis fordescant illorum domus, vel quòd minus ac alii curam infantum habere possint) hoc ventris meteorismo, petechiisque lividis fuisse correptos, atque sublato. Si quando in aliis etiam domibus variolæ bonæ notæ, tres, quatuorve hujusmodi maculas interspersas habuerunt, mox illæ lanceola parumper scarifi-

catae, digestivo suppuratae, & ad separationem escharæ perductæ fuerunt, hâc tandem separatâ, fovea illa nunquam non instar fonticuli, nunc latior nunc profundior relictâ novâ carne expleta atque consolidata fuit.

Inter adultos hoc hyemis decursu, quamvis omnia frigore horruerint, nihil epidemii observatum est.

Ver vario ingruit cœlo, æstum subitaneum pluviae repentinæ cum ventis septentrionalibus exceperunt. Discordiæ accesserunt à Vicinis commotæ, quæ cruentum nonnullis excidium minitari visæ sunt: Inter sexum muliebrem hoc terrore perculsum crebri abortus conspiciebantur. Nonnullis tempestitiva Venæ sectio & instituti sudores cum Bezoardicis quæ Sanguinis coagulum tollunt, bono auxilio fuerunt. Nati abhinc infantes multi convulsionibus occubuerunt. Viri verò insuetas horrido imbribus cœlo excubias diu noctuque strenuè agentes, omnem tempestatem innoxie tolerarunt. Perpauca tussis prævia corripuit.

Æstas & autumnus ex frequentibus quamvis pluviis injucundi, insalubres non adeò fuerunt.

Mense Septembri Apoplexia nonnullos corripuit.

Fœmina provectioris ætatis ex paralyfi lateris dextri, præmissis vomitorio, sudoriferis atque specificis, in & externis apoplecticis usitatis, intra triduum convaluit.

In alia Nobilis Familiæ Matrona, Paralyfis manus dextræ cum interceptâ bihorium loquelâ, aquis antapoplecticis, frictionibus, sudoriferis &c. restituta fuit.

Vir Septuagenario major, Reip.

Senator, recidivam passus ex instituto vomitu loquelam statim temperavit, at paralyticus in latere sinistro permanet, dum per phlogoses & stragulas ferendi impotentiam, propter tumorem sensumque hepatis exquisitum, ad sudorem se componere hactenus non voluit: Qui tamen præterito anno, toto latere paralyticus, sudoribus quotidie institutis, integrè convaluit. Interim hepatis inflammationi convenientibus, in & externis prospicitur, inter quæ emplastrum Norimbergense impositum, ceu præsentissimum sibi Paregoricum, summè extollit. Fetus etiam particulares cum decocto herbarum, non sine levamine instituuntur.

Alius Saxagenarius inter pocula sensu motuque privatus concidit, cum stertore spiritum duxit, in manu nullus, pede verò aliqualis motus restabat, concitato syropo Emetico vomitu, & deinceps in usum vocatis frictionibus, lotionibus, aliisque usitatis ant-apoplecticis, paucas intra hebdomadas in pristinum rediit.

Neogamus dissolutè vivens, dum in templo Sacris interesset, subitò expalluit, concidit, & ἀφωρ domum deportatur, per hypocaustum tractus, varieque agitatus, ubique elanguidus movere ne digitum valuit, pulsus fuit tardus & debilis, externa frigeabant, jacuit stertens à nona ma-

tutina ad primam, sine sensu & motu, ingesta difficulter deglutiit, ego accersitus ex uno cochleari syrupi Emet. porrexi gr. iij. tart. Emet. Operatio demùm post bihorium successit. Phlegmata porracea frequenti vomitu reddidit; Sudore toto corpore diffuxit, Sanguis è naribus protrusus est, sicque corporis motus, linguæ ac rationis usus paulatim redierunt.

Infeliciores fors fuit Puellæ aliàs præcæteris venustæ, quæ novendecim annos nata menses nunquam vidit. Hinc sensim expalluit, macilentior, tristior, & difficilis ad motum evasit, scabie vexata, unguenta Tartarea cum Mercurio præcipitato adhibuit, tempestate frigidiorè pluviosâ, vestibibus malè munita, è domo exiens frigori pluviisque pro expediendis negotiis incautè se credidit, post horam domum deportatur ἀφωρ sensu motuque privata, stertens, & Apoplectica, crebroque vomendi tentata conatu. Vicinus vocatur Chirurgus, qui venam ipsi secat. Sanguis non nisi guttatim prodiit; Dantur spiritus Cerasorum, aqua Vitæ naribus Spirituosa admovetur: Capiti imponitur aq. Reginæ Hungariæ, interim ego advocatus Syrupum Emeticum propinari jubeo, quem vix medium deglutiit; dum expectatur operatio, accedunt convulsiones, quæ miseræ circa vesperam finem vitæ faciunt.

Constitutio Epidemica Posoniensis.

Annorum MDCXCV. MDCXCVI. MDCXCVII.

Dni D. Caroli Raygeri.

Quamvis inter sit Medico nosse & observare aëris constitutio-

nem ac inde resultantes morbos, jam suo tempore agnovit graviterque in-

cul-

culcavit Hippocrates, dum ita librum suum de Aër. Aqu. & Loc. auspica- tur. *Quicumque artem Medicam integrè assequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat. Non enim simile quicquam in illis existit, verum differunt invicem propter varias, quæ in illis sunt, mutationes.* Hinc qui morbi singulis anni temporibus proprii qualesque fiant in illis mutationes, tam prolixè tota describit *Sectione III. Aphorismorum.* Nec dubitavit Galenus τὸ Θείον in morbis ambientis nos aëris constitutionem appellare, quam quidem sententiam fusiùs examinat & pertractat *Celeberrimus D. D. Melchior Sebiz. in Dissertatione sua de eo quod Divinum est in morbis.* Sanè rem tam salutarem reique medicæ summoperè proficuum jam pridem mecum animo revolvens,

statim ac manum praxi admovi, constitui singulas aëris & temporum vices, indeque exortorum morborum generationes & mutationes diligenter observare, annuatim colligere, ac Endemiis & Epidemiis meis Hungariæ, cum tempore prodituris inferere. Id cum etiam à XXV. annis scilicet ad annum usque 1695. promeis usibus præstitissem, communicatur mihi à Perillustri ac Magnifico Domino Præside laudatissimum suum institutum, quo voluit, ut, qualis in diversis Regionibus & provinciis fuerit aëris constitutio Epidemica, observaretur, & quotannis Ephemeridibus curiosis infereretur. Quo intellecto substiti in privato studio, & quæ ab illo tempore hac in materia à me observata atque annotata in publicum contribuere decrevi, modò initium facturus ab

Anno M. DC. XCV.

Cujus constitutio hic Pofonii in Hungaria fuit talis.

HYems rigidissima, nix plurima, gelu in Martium usque durans. Frigus immediatè post solstitium incepit, & toto Januario sine remissione continuavit, nives cecidere supra nives, gelu supra gelu. Nec mitior Februarius ipseque Martius adhuc frigore & gelu horridus.

Mense Jan. plurimos observavi ex castris redeuntes colica laborasse convulsiva, absque dubio ex febribus autumnalibus, partim non bene curatis; partim malè circa solstitium hybernum judicatis. Rarò quartana scilicet febris ut ut tractetur, recedit, quin vel

hæmorrhagiam narium, vel laterum duritiem, vel pedum tumorem œdematosum, vel languorem & dolorem artuum, sæpissimè verò Colicam convulsivam post se relinquat. Mense Februario & Martio grassabatur quoddam genus febrium cum latente malignitate. Imponebat plurimis Catarhus cum dolore capitis gravativo, febricula lenta, tussi sicca, coryza vehementi invadens: mox nona, vel nonnunquam undecima demum post primam invasionem die exasperari coepit morbus, & graviora reddi symptomata; accessere enim vigiliæ, de-

liria, nonnunquam ipsæ petechiæ, subsequente morte. Servati autem omnes qui non tantum alexipharmaca ab initio adhibuere, sed & ea usque ad nonum vel decimum diem continuavere.

Ab æquinoctio Vernali usque ad solstitium æstivum tempus varium, mox frigidum, mox calidum, modo pluviosum, modo serenum. Initium Aprilis adhuc brumale, circa medium verò & finem calor prope æstivus. Successit Majus pluviis mixtus, cum frigore & calore alternante. Prima & secunda dies Junii ventis turbida, tertia serenari de nocte cœpit, cœlum cum pruina matutina valde noxia, id quod apud nos valdè rarum, & vix à seculo observatum. Segetibus nihil nocuit hoc gelu matutinum, nec destructæ vineæ, præterquam illæ quæ versus plagam occidentalem sitæ; quarta Jun. iterum pruina sed planè innocua. Septima ros mane cecidit purpurei coloris, observatus in foliis arborum & vitium, ut & hominum in vineis laborantium lintheaminibus, in quibus, (prout ego observavi) exactè referebat colorem macularum ex succo mororum aut cerasorum. Circa id tempus morbi fuere nulli, ut plerumque fieri solet mense Junio, febres quidem comparebant tertianæ, sed adeò mites, ut etiam inquam plurimis post tertium vel quartum paroxysmum sine medicamentis aut sola purgatione & venæ sectione adhibita cessaverint. Variolis quoque corripiebantur parvuli parvulæque, sed illæ cum nullis feris aut gravioribus symptomatibus, hinc omnes servati, qui non incuria neglecti aut minus rite, prout à plebe quando-

que fieri solet, tractati fuere.

Successit æstas plus frigida quam calida, magis humida quam sicca: Finis tamen Junii & initium Julii gaudebant aliqua serenitate, mox nubibus exasperatum cœlum & largissimam aliquot diebus effudit pluviam, unde intumescens Danubius littora supergressus longe lateque se per prata & agros diffudit cum maximo damno rucolarum, tam fœnifecum quam messorum. Rediit sub initium Augusti calor, isque intensissimus, sed ultra septem vel novem dies non perdurans, insequentibus pluviis usque ad Octobrem. Inter istas tam varias mutationes vix tamen aliquid morborum observatum; nisi quòd in Septembri plurimi infantes, adulti non item, correpti fuerunt Dysenteria, iique fermè omnes lactantes; credo ex lymphâ plus justo acriori ad intestina delata illaque lædente. Errorem quippe illi in esu fructuum horæorum non committere poterant, nec commiserunt nutrices sedulo examinatæ & observatæ, paucissimi tamen periire, sed omnes convenienter Clysteriis, imprimis ex lacte & decocto capitis vervecini tractati, convaluere.

Post æquinoctium, qui secutus Autumnus, fermè totus fuit pluviosus, October subinde serenus, November inæqualis, jam ad hyemem inclinans, & prout reliquum Decembris usque ad Solstitium, frigidus cum floccis nivium & creberrimis pluviis. Hinc vinum nec quantitate nec qualitate laudabile crevit. Circa initium Octobris frequenter hinc inde in civitate comparuere febres erraticæ nullum typum servantes, invadebant propè omnes cum frigore aliquando

trium horarum, insequente calore ultra horas 15. durante, post apyrexiam aliquot saltem interjectis horis nova febris affligebat. Memini me habuisse quendam in quo calor ultra 48. horas duravit, cum terribili capitis dolore, siti vehementi, squalore linguæ & faucium, summaque virium debilitate, ita ut febrim continuam fore metuerim, tamen post venæ sectionem remisit calor, morbusque in melius mutatus. In alia Illustrissima persona similem protractionem paroxysmi primi notavi, similiter post venæ sectionem remittentem & intermittentem, sed tertia die redeuntem, hinc propinatus cortex Peruvianus in aqua cichorii alvum movit, id quod nunquam in aliis, ausim dicere millenis, cui corticem hunc exhibui, fa-

ctum observavi: Credidi prima vice fortuito factum, turgente forte & ad exitum per se tendente materia vitiosa in corpore, sed & post secundam imò etiam post tertiam exhibitionem idem factum, movit autem alvum semper sexies, septies sine nausea. Alius pariter feбри corripiebatur levi ab initio & cito remittente. Tertia die media nocte in lecto suo dormientem horrible invasit frigus trium vel quatuor horarum spatio, subsequente calore in alteram noctem perdurante, cum pedis dextri ingenti dolore, accepit sudoriferum, unde optimè sudavit, moxque apparuit ingens rubedo & inflammatio in pede dolente, factumque Erysipelas, quod facile, convenientibus remediis tractatum, sublatum est.

Annus M. DC. XCVI.

Jurasset quispiam permutata fuisse tempora; Præteritam æstatem fuisse Brumam; nunc autem æstatis vicem obire hyemem, usque adeò in Bruma nihil brumale, & in frigidissimis aliis mensibus, nullum frigus, nullum gelu, nullæ nives, breviter hyems fuit clementissima. Januarius aliquo modo ventis turbidus, nebulosus, pluviosus. Februarius quasi totus serenus, siccus, sine notabili frigore, nisi matutino tempore, ubi aëra parum frigidiuscula, mox surgente sole temperata. Huic ad æquinoctium usque planè similis Martius, nisi quod parum ventosior, hinc etiam salubrior. Nam totis hisce mensibus vix præter catarrhos aliquid notabile occurrit in Medicina. Post æquinoctium verò & aër & morbi cœpere

mutari. In fine quippe Martii longè majora frigora, major coeli inclementia, de nocte gelu & nives, minus tamen durabiles, sed in pluvias ferme continuas de die abeuntes. Nec mitior Aprilis sua natura variabilis, sub finem tamen siccior. Meliora tempora sperabantur sub gemellis, sed & Majus ipse cum initio Junii usque ad solstitium valdè inæqualis. Nunc grata & vernalia serenatum pollicebatur coelum, tempora, mox atris iterum inhorruit nubibus, tempusque reddidit turbato aëre frigidisque pluviis minus vernale, minus majale. Hinc non mirum, cum Ver simile factum fuerit hyemi, non vernaes sed hyemales fuisse exortas ægri tudines.

Nam quas in hyemem relegavit pleuritides *Hippocrates III. Aphor.*

23. eas circa hæc tempora deprehendere licuit valde frequentes. Inter has imprimis notabilis fuit illa cujusdam Generalis quartiriorum Magistri (ut communiter vocatur) maligna ferisque comitata symptomatibus. Excesserat ille multum in vino & commestrationibus tempore Bacchanaliorum, hinc catharrum acquisivit cum tussi vehementi & lateris puncturis. Apertâ venâ, suasi purgationem, quam tamen vocatus Medicus dissuasit. Ille autem reluctans consuetum sibi sumpsit laxativum, unde sibi videbatur melius valere; sed mox sequenti nocte omnia in deterius, aucta in summo gradu febris, accessit furibundum delirium, sputum crassum, crudum, sanguineum, idque perpaucum, quæ omnia extrema minabantur; Vocatus ego, exhibui sudoriferum, jussi applicari vesicatoria, dedi oleum lini, sic remisere symptomata, illeque ex lethi faucibus ereptus ad castra perrexit. In Majo notavi in nonnullis febres malignas, cum exanthematibus, minimè tamen funestas, nisi in duabus personis, in servo quodam qui illa pro morbillis habuit, nec aliud nisi myrrham & semen napi accepit; hinc accedentibus gravioribus symptomatibus expiravit. Altera erat puerpera quæ febrim lacteam aut puerperalem esse credens, neglectis alexipharmacis solum potum aquæ chamæpythios cum saccharo adhibuit, nostris puerperis in hoc casu consuetum, tandem conspectu exanthematum hinc inde erumpentium perterrita, Medicum vocavit quidem, sed nimis tardè, accedente enim diarrhœa, delirio, & tandem convulsione, mortua.

Jam ad æstatem devenio, in qua mense Julio & Augusto subinde calor intensus, nonnunquam, sed raro durans, intermixtis subinde pluviis frigidis usque in medium Septembrem. Notabiles erant mense Augusto Dysenterix in infantibus lactantibus & ab lactatis, plenè ut ante annum, valde frequentes, sed ut plurimum funestæ, statim enim post unam vel alteram dejectionem comparuit sanguis, mox extrema debilitas & mors, paucissimi ad decimum diem servati, qui tamen mortui. Adultiores facilius curabantur. Valde insuper contagiosa fuit ista dysenteria, nam facile corripiebat adstantes & infantibus ministrantes, ex quibus tamen nulli obiit. Credo malignitatis hanc luem non fuisse expertem, quæ quidem tenellulis mortem intulit ob nimis teneram constitutionem, in adultis autem ita vim exerere nequivit, sed facile fuit suppressa.

Tandem in Autumno comparuit æstas. Scilicet ab æquinoctio usque ad Decembrem, per totum Octobrem & Nov. serenitas, cum frigidiuscula tamen aura matutina, hinc præter spem etiam melius crevit vinum quàm ante annum, non tamen in abundantia, aut illa bonitate prout alias apud nos fieri solet. In Decembri mutatus aër, tempusque redditum turbidum ventis, nebulis atque pluviis, duodecima cecidit nix alta, quam ita solidavit subsequens rigidissimum frigus, ut supercadentibus consequenter aliis nivibus, prima manserit usque in Aprilem sequentis Anni. Morbi circa hoc tempus nulli notabiles. Hinc progredior ad

Annum M. D. C. XCVII.

HUjus initium fuit sicut finis præteriti. Scilicet à solstitio hyemali usque ad æquinoctium vernale, frigus acerrimum sine remissione, congelatus Danubius statim in Januario, mansitque pons iste glacialis ultra octo septimanas firmus & constans, quod alias valdè rarum apud nos. Fuit insuper hoc memorabile, quod sub densissimis pariter ac profundissimis nivibus terra semper manserit aperta, ita ut, remotis illis, hæc non aliter ac in vere fodi potuerit. Periere & computruere sub hac mole nivium, fere omnes segetes & olera hortensia, frigus hyemale aliàs tolerantia, quæ, liquefactis nivibus, non aliter ac mucago quædam viridis terræ incubabant, ac in lutum resolvebantur; non levi insequente imprimis frumenti penuria. Cæterum quod *Hippocrates III. Aphor. 7.* dicit, Magnis siccitatibus fieri morbos acutos, hoc vice versa hisce temporibus meliori jure dici potuisset, de magnis frigoribus. Iisdemque durantibus circa finem Februarii, febres acutæ malignæ per totam grassabantur civitatem. Invadebant plerisque levissimo rigore, succedente calore non adeo forti, & quandoque iterum remittente primis diebus, mox circa quartum vel sextum diem augeri cœpit calor, & notæ hinc inde in superficie cutis apparuere malignitatis. Pulsus ab initio valde erat sanorum similis, ut & urinæ, sed ubi calor auctus rubicundæ instar sanguinis factæ; Deliria circa nonum vel decimum demum diem comparuere, in quibusdam ve-

hementia & ad decimum septimum usque durantia, in quibusdam remissiora & breviora; Maculæ erant parvæ instar morsus pulicum, obscurè purpurascens, circa decimum octavum aut etiam circa vigesimum primum disparentes. Non valde lethales erant hæc febres, sed supra modum contagiosæ, (quod aliàs non semper fieri solet) nam in aliquot ædibus ne unum omisit, quem non corripuisset, rarò in una aut altera persona cessavit. Duravit hæc lues in Majum usque, ubi incalescente aëre remisit.

Hyemem excepit Ver, sed & hujus initia adhuc satis ventis & nivibus turbida. Successit Aprilis totus serenus, siccus, absque pluviis, cum calore pro tempore insolito. Majus variabilis, nunc calidus, nunc frigidus, mox serenus, iterum pluviosus, talis etiam totus Junius. Circa hæc tempora vix ullus notabilis occurrit morbus, cessantibus etiam ut supra dictum febribus malignis.

Æstas fermè prioris anni æstati similis, mediocriter calida, & matutinis horis subinde frigida, vigesima nona Augusti, trigesima & trigesima prima mane pruina fuerunt, sed plane innocuæ, nostrates appellant *ein Wasser Reiff*, id quod tamen apud nos insolitum, ubi tales pruina rarò ante festum S. Michaëlis observantur. Hoc tempore frequentes erant Icteri, qui flavedine sua plurimos deformabant. Sentiebant, qui corripiebantur, aliquam cordis compressionem, nauseam, anorexiam, & non rarò vomitum, mox flavo colore toto corpore per-

fundebantur, sed qua velocitate venit, eadem iterum abiit. Post unum vel alterum laxativum disparuit flavedo, rediitque sanitas cum bono appetitu.

Qui subsecutus Autumnus semper erat variabilis & inconstans, usque in Decembrem, cum quo hyems ante hyemem, id est ante solstitium gelu

& nivibus suum sumpsit initium. Febres quæ circa hoc tempus grassabantur ut plurimum erant tertianæ duplices, rarò quartanæ & præter morem autumnalium nec longæ nec lethales, sed convenienter tractatæ, facile curabantur.

Constitutio Epidemica Augustana Anni 1701. & sequentium.

Dni D. LUCÆ SCHROECKII.

Licet initium anni 1701. frigidum comparuisset, triduo tamen post mitior aëris temperies, sub mutabili ventorum, Zephyri tamen prævalenti, crebrioresque nives, subinde verò etiam pluvias adducentis flatu, excepit, usque dum ante, & circa Æquinoctium vernale magis constantem serenitatem Eurus largiretur: paulò post ventis priorem inconstantiam resumentibus, hyememque protractiorem, quin & gravem terræ siccitatem circa Solis in Tauri signum ingressum, cum sensibili frigoris molestia, sereno quidem cœlo, producentibus, ut Cereris etiam, Pomonæ & Floræ sinus tardius panderetur, atque Maii principium vernalis amœnitatis parum ostenderet, quæ postea eo largior comparuit; atque, Gemellorum signum cum Sol occupasset, aërem multum delinivit, & in tantum calefecit, ut, ni Zephyrus, Euronotus, & Auster subinde pluvias interspersissent, nimia siccitate, præcipuè quia ventorum perpetuus quasi motus continuabat, terra plurimum laborasset. Interea prior morborum in Anno prægresso observatorum facies continuavit, quam ita-

que depingere superfluum foret, Variolarum puta, Febrium petechialium, Tussisque humidæ; in mense Februario insuper, duobusque eum excipientibus, Pleuritides veræ, in suppurationem abeuntes, sed diligenti pectoralium & diaphoreticorum temperatorum usu, sine etiam venæ sectione, curabiles accesserunt; quibus in non nullis M. Aprili, cum morbus jam in decrementum verge-ret, nova febrilis effervescencia supervenit, cum eruptione per totum corpus pustularum aquearum, majus periculum minitantium, ægrotis tamen per continuatam alexipharmacorum blandiorum adhibitionem intra primum, quandoque secundum octiduum reconvalescentibus. Mense Majo & Junio, præter dictas punctulares, (quæ jam sine magna præcordiorum oppressione, cum horrore, lassitudine, lumborum, nuchæ, & capitis dolore ut plurimum ingruebant) purpuratæ etiam febres teneriorem inprimis ætatem, non admodum periculose invaserunt; nec melancholici insultus maritatis foeminis, menstruis quidem rite se habentibus, infrequentes fuerunt, venæ sectione quidem mi-

mitigati, paulò post tamen recidivi facti, acidularum verò martialium potu curati.

Post Solis ingressum in Cancri signum crebriores primò pluvix, postea cum plurimarum tempestatum graviorum impetu, calores, circa caniculares inprimis dies intensi, & qui ad Æquinoctium autumnale usque, paucis frigidiusculis diebus intervenientibus, continuabant, fuere notati; quo tempore frequentia morborum defuit, nisi quod ibi ob transpirationem fortasse ab aere humidior & frigidiusculo non nihil cohibitam, Febres quotidianæ, post exiguum horrorem intensiori calore invadentes, & facile curabiles, hinc ob sanguinem aëris calore nimis rarefactum Febriculæ scarlatinæ, sine magno corporis æstu aut gravibus symptomatibus, sed levi saltem præcordiorum compressione præcedente, non minus brevi & sponte quasi cessantes observarentur. Alii autem, quibus probabiliter lymphæ viscidior in sanguine erat, non maculis istis pingebantur, sed pustulis albicantibus, majoribus minoribusve, cum interspersis quandoque vesiculis parvis limpidis, pruritu comite, tandem exsiccatis ac in squamulas secedentibus, per totum corpus, sine vitæ periculo, & prævio non admodum intenso calore, onerabantur. Nec infrequentes erant Diarrhœæ, quibus interdum, sed rariùs Dysenterix succedebant, ex negligentiori, ut mihi videbatur, corporis ab aere externo custodia, & liberaliori potus ingurgitatione, hincque stomachi tono labefactato subortæ, quæ etiam facile, vel folius rhabar-

bari cum terra signata, aut coralliis rubris mixti usu, vel insuper Essentia catechu, lenibusve aliis adstringentibus & stomachicis absorbentibus curabantur. Plurimos etiam Odontalgia correptos licuit conspicerè, quæ licet rarius Medicorum consilio exponeretur, quantum tamen dijudicare valui, ex eadem ventriculi imbecillitate, & chyli vel lymphæ crudioris circa dentes stagnatione citabatur. Erant insuper, foeminæ præsertim, quas sinistra axillæ intensus dolor, sine tumoris vel inflammationis indicio excruciebat, periodicè ut plurimum & circa vesperam recurrens, cujus radicem circa ventriculum pariter hære, tum notatæ ibidem, inprimis sinistro in hypochondrio molestiæ, tum salutaris curandi ratio conjecturari faciebant: credidissimè, chylum viscidiorè & crudiorè, per ductum Pecquetianum ad venam subclaviam sinistram delatum, & cum obvio ibi sanguine permixtum, agitationem præternaturalem ibi excitasse, partesque illas dolorificè hac ratione distendisse, nisi dextrum humerum in foemina quadam idem malum tunc occupasse notassem, cum insolitam ductus illius ad partem dextram declinationem sine urgentiori causa hinc fingere non audeam, quamvis in eadem rheumaticum potius affectum subfuisse credere malim, præsertim cum dolor ille dicto modo quidem intensior per intervalla redderetur, nunquam tamen planè intermiserit, ac tandem brachii tumor supervenerit, diaphoreticorum, emplastrum oxycrocei, & laconici coriarii usu omninò sublatus. In cæteris repetitus leniter evacuantium &

humores corrigentium, præsertim acidularum martialium usus proficuus existit; remedia autem externa nullum levamen dederunt.

Eandem chyli & lymphæ vitiosæ in stomacho nidulantis labem Febres quotidianæ epidemicæ, incerto quandoque paroxyfimi tempore invadentes testabantur; quæ nullo prævio horrore, magna præcordiorum ad oppositam in dorso regionem se extendente oppressione, & nullo sensibili, vel tolerabili saltem excipiente calore, infestæ erant, atque propinatis, pro exigente necessitate, emeticis, vel repetitis laxantibus & absorbentibus, amaricantibus, absinthio, chinchina &c. curabantur.

Post Æquinoctium autumnale primò aëris serenitas & siccitas continuabant, mox pruina, nebulæ, d. 17. & 18. Octobr. copiosæ nives, pluviae postea, & venti modò ex hac, modò ex alia mundi plaga, imprimis ex septentrione frequentius irruentes comparuerunt; Sol autem ubi ad Scorpionis signum pervenit, denuò per aliquot dies serenitatem, terræque siccitatem conciliavit; variè dein aëris temperie, ut plurimum tamen austrinâ subsequente; & cum aër parum à ventis jam agigaretur, vapores in eo hospitantes parcè dispellebantur; unde iidem corporibus humanis copiosiores communicati, variis ægritudinibus producendis patrocinabantur; hinc non tantùm Variolæ iterum se exserebant, Pleuritides veræ, atque Febres continuæ, catarrhales, magno cum æstu, cephalalgia & tussi, pueros æquè ac maturiorem ætatem invadentes, nec, ubi debite tractabantur, lethales sub-

ortæ, sed frequens etiam Catarrhorum cohors, Coryza, Odontalgia, Raucedine, Tussi infesta Urbi incubuit. Muliebris sexus non minus habuit, de quo speciatim conquereretur, uteri nimirum hæmorrhagia, cui non gravidæ saltem, ultimis præsertim duobus graviditatis mensibus, sed aliæ quoque plures obnoxia erant; quem sanguinis orgasmum non commodius quàm absorbentibus martialibus &c. uti hæmatite, croco Martis adstringente, item bolo armena, coralliis rubris &c. haud neglecto, ubi opus erat, paucò opii additamento, sedatum expertus sum. Memorari etiam merentur Apoplexiæ crebræ, ut plurimum exitiosæ: meminì egregium quendam virum mihi aliquando narrasse, quòd jam olim fuerit observatum, post crebriorem aquilonium flatum Apoplexias frequentes hinc contigisse; neque admodum in dubium id vocare vellem, cum ab illò ventò nescio quæ atomi impuræ nobis inferantur; id quod civem quendam nostratam industrium non latet, qui ceræ dealbandæ in horto suo Boreæ multum exposito operam navans, eandem infesta flavedine ab eo infici notavit; unde quamprimum spirare eundem observat, ceram studiosè tegere, mediâ etiam, si is tum ingruat, nocte properat, quem in finem machinulam artificiosam excogitavit, quæ à vento hoc commota somnum excutiat. Ubi in memoriam mihi revoco, quæ noster quondam Æsculapius, Phil. Hœchstetterus, in Scholio ad Dec. 4. obs. med. cas. I. protulit, ubi urbis nostræ descriptionem exhibens, Zephyrum ex depressis & alibi paludosis Marchionatus Burgavien-

viensis locis inquinamenta secum rapere & huc advehere scribit; quæ sanè de Borea quoque nobis, & non minori jure pronunciare licet, qui ex locis humidis Danubio proximis putridas particulas abripere, atque in capita nostra effundere valet.

Tandem cum circa mensis Decembris principium Zephyri impetus major denuo insurrexisset, d. 10. eundem Euris compescuit, frigore, creberrimisque nebulis, quibus præsertim à d. 17. usque ad d. 23. Decembris continuis Civitas obtecta fuit, stipatus, usque dum circa finem anni Zephyro Boreas succedens auram tolerabiliorem redderet, niviumque crebritate colophonem imponeret. Quo tempore, præter memoratas Pleuritides, Variolas, & Febres continuas, in pueris etiam quotidianæ Febres, tussi humida & cephalalgia graves, nec non Icteri, in adultis autem malignæ petechiales, ut plurimum pustulis limpidis miliaribus post macularum eruptionem comitantibus, comitatæ observabantur: hæ in principio post horrorem lassitudinemque, tolerabili calore, intenso capitis dolore (quem paulo post recedentem tussis, non quidem diu durans, & sicca magis quam humida, atque calor auctior cum deliriis nocturnis insequiebantur) se prodebant, contagia quandoque in alios se diffundebant, rari usque, ubi temperatioribus alexipharmacis tempestivè obviam itum est, occidebant: in Pleuritide verò continuatus diaphoreticorum, præcipitantium dictorum, usus coagulum sanguinis feliciter resolvebat; qualia medicamenta etiam contra quotidianas Febres, ut & juxta cum martia-

lium usu adversus Icterum, promptum auxilium ferebant.

Eurus in Anni 1702. introitu serenitatem cum frigore molesto induxerat, quarto tamen mox die Zephyrus pluviosam primò constitutionem, postea ventorum frequens mutatio tempestatis etiam varietatem multam subinde attulit, semper tamen humida ex pluviis; & temperatiore paululum, sub dominio Zephyri, post Solis in Pisces ingressum diu impetuosi, prævalente, ut hyems non admodum rigorosa quidem, protractior tamen fieret; præsertim cum post Æquinoctium vernale Eurus non solum magis spiraret, & post serenos plures dies circa initium Aprilis rediens Zephyri ferocia crebriores nives spargeret, qua sub eodem sæviente, licet ab aliis ventis sæpe interrumpetur, frequentes pluviae, cum Sol ad Tauri signum adpropinquaret, exeperunt, usque dum post Maii principium Eurus serenior & vernæ temperiei magis conformem aërem redderet, siccitate tamen terræ exinde non parva inducta, ut Flora suas amœnitates non nisi serius exprimere valeret. Hoc toto tempore eadem morborum facies, imprimis verò Pleuritides, ut plurimum sine suppuratione curabiles, usque in Aprilem continuabant. In quo & Majori mense Febres continuæ, in paucis cum miliari efflorescentia, semper autem prævio horrore, (sine intenso calore) magno virium debilitate, & cephalalgia gravi, rarò deliriis, aliisque gravioribus symptomatibus comitatæ, atque alexipharmacorum & diaphoreticorum usui cedentes, hæc ibi propullulabant. Majori verò numero

Febres quotidianæ & pauciores tertianæ ingruebant; illæ tantum non in omnibus, qui se curæ meæ commiserant, insignem capitis dolorem in paroxysmo inducebant, viresque prosternebant; in multis prima sub invasione, & sæpe aliquot per dies continuarum typum, vix perceptibili caloris & cephalalgæ remissione, referebant; chinchinatis autem medicamentis, vel arcano duplicato facile curabantur; quibus non minus tertianæ, post emetici, vel scammonii sulphurati, ubi opus erat, adhibitionem brevissimè abigebantur.

Circa Æquinoctium dictum arthriticis adfectibus obnoxii fere omnes, quotquot mihi noti, insultus ut plurimum non admodum feroces patiebantur, atque ubi post exantlatam periodum justo citius aëri se exposuerunt vel artus delassarunt, recidivas experiebantur. Plurimos etiam infantes Epilepsia è medio sustulit, quæ ex lymphæ acido-viscidæ in cerebro stagnatione, præsertim dentitione difficili accedente, ortum traxisse visa est. Istæ autem lymphæ crassioris collectiones non minus in aliis frequentes admodum fuerunt, ut non tantum crebriores Tusses, Coryzæ, Odontalgæ exinde obortæ fuerint, sed frequentissimè aliis etiam morbis epidemicè & sporadicè grassantibus, Tussis se adsociaverit.

Cum Junio Zephyrus Euro successit, pluviarum multarum ferax, paucis diebus serenis intermixtis; qui in Julio quidem per primum triduum cum calore non mediocri continuabant, ast mox aëre in fulgura & tonitrua despumante, in pluviosos juxta & frigidiusculos, ac postea tempe-

ratos mutabantur, usque dum post Canis exortum Eurus, sæpe ad meridionalem plagam inclinans serenitatem non sine calore reduceret. Magna dehinc ventorum varietas fuit notata, (nisi quod post autumnale Æquinoctium à d. 24. Septembr. usque ad d. 5. Octobr. Zephyrus impetuosè admodum dominaretur, à frigido & non minus per triduum vehementi Euro tandem quasi in fugam coniectus) quæ diversam quoque aëris temperiem, potissimùm tamen calidam & serenam in Augusto effecit. Ast in Novembri multa hyemis præludia, imo præmaturus adventus ejusdem, crebro, & quandoque intenso frigore, niveque repetita, quam benignior aura & interpolatæ pluvix denuò liquabant, molestus exstitit. Quæ ipsa mutabilis constitutio, tum ningendo, tum præsertim pluendo, frigore modò aucto, modò remisso, Zephyro reliquis ventis prævalente, & circa, nec non post Solstitium hyemale, usque ad finem anni, multum sæviente, nubibus autem continuo ferè Solem obducentibus, integrum præsertim Decembrem fastidiosum admodum reddidit. Morbi interea longiores inducias dederunt, tales tamen, quibus aliqualis epidemicæ luis præsentia non prorsus excluderetur; uti præsertim in Febribus quotidianis supra memoratis, passim per Junium & subsequentes menses usque in Novembrem observari poterat; quæ tandem in non paucis, cum autumnus adventaret, hæcticæ metum injecerunt, quibus tamen juxta cum aliis coagulum lymphæ acidum destruentibus, specificum inprimis anti-hæticum Poterii, lapilli gammarorum

rum &c. salutarem opem præstiterunt. Circa Solstitium hyemale Variolæ benignæ in pueris se exseruerunt, cum magno quidem calore ingruentes, à pulvere tamen rubeo Pannonico, antimonio diaphoretico, unicornu marino &c. quin imo quandoque etiam sine medicamentis celeriter periodum suam absolventes, & cum fine anni jam iterum omnino disparentes. Quod tandem de ægrotudinibus aliis, quibus semper fere tussis se sociaverat, dictum, in hisce quoque deprehensum fuit.

Quæ Annorum sequentium, videl. 1703. 1704. & 1705. constitutio fuerit, legi potest; cui nempe typhothetæ negligentia antecedentem præfigere intermisit.

Anno 1706. hyemale frigus, ob austrinam aëris temperiem, qualis Anni prægressi in fine observata fuerat, & usque dum Sol Aquarii signum attingeret, continuaverat, hactenus ut plurimum tolerabile, nunc magis se exseruit, præsertim cum orientalis ventus in Februario constanter, interdum ad meridionalem plagam inclinans, spiraret, ac continuæ fere nebulæ usque ad Solis in Pisces ingressum, ubi serenus aër frigus augebat, nos cingerent. Cum interea Hæcticæ febris insultui [Coryzas & Tusses humidas, tanquam indivulsos quasi hyemis comites, nec non Odontalgias ut taceam] denuo plures deponerentur, sed facile etiam medicamentis acridinem temperantibus abigerentur.

Circa vernale Æquinoctium Zephyrus potissimum dominio potitus, atque, à reliquis tamen ventis non nunquam interruptus, multum inva-

lescens, diversam etiam temperiem, austrinam præcipuè excitavit, ac vernali amœnitati subinde obstitit. Sub qua constitutione Febres quotidianæ, & plures tertianæ ingruerunt, magno cum impetu, in quibusdam etiam cum deliriis, sine tamen cephalalgia ut plurimum, & quæ post sumptum cholagogum, vel emeticum, absorbentibus non difficulter, promptè etiam chinchinatis cesserunt. Plures insuper circa Solis in Gemellos transitum nephriticis doloribus, non admodum refractariis, obnoxii fuerunt.

Postea sub mutabili valde ventorum vicissitudine, ante & post Solstitium æstivum, plures serenos calidosque dies experti fuimus, qui etiam diu continuarunt, multamque ideò terræ siccitatem, præsertim à ventis adjuti, attulerunt; cui interea Febres prædictas, sensim declinantes, neque tamen per reliquum postea annum prorsus silentes, crebræ Odontalgia, (quæ etiam per totum hunc annum fuerunt observatæ) tusses, interdum convulsivum quid habentes, & Coryzæ, adultos æquè ac juniores adfligerent, & cum negligentior diæta accederet, diu durarent. Quas molestias magnæ illi & totali solari eclipsi, quæ d. 12. Maii contigit, adscribere multis placuit. Et quamvis subita illa aëris calidi, interceptos ob Solis radios, in frigidum, hisque non minus celeriter reditis, in calidum rursus mutatio, juxta cum animorum, ex insperata illa & nulli unquam visa caligine, consternatione, aliquid contribuuisse videri posset, cum tamen jam ante eclipsin istæ lymphæ stases contigerint, vix

locum illa opinio inveniet; negari tamen nequit, frequentiores post illam Solis obscurationem, & circa Solstitium æstivum illas occurrisse; ideoque non prorsus improbabile est, spiritus à phænomeno isto terrifico labefactos, (qui sanè terror in nonnullis tantus fuit, ut lipothymiam ipsis induxerit) lymphamque simul crassiorem redditam, quin & à frigore illo insolito magis condensatam, ad catarrhales has stagnationes disposuisse.

Mensis Julius quamvis pariter multa serenitate gauderet, nonnunquam tamen pluviis sitientem terram resicillavit; post Caniculæ verò exortum calores admodum invaluerunt, & usque ad occasum perseverarunt; quin licet temperatior ob pluvias, parciore equidem, aura per paucos dies succederet; ad pristinam tamen genium mox reversa est, usque dum d. 7. Septembr. cum Luna inchoante, Zephyrus pluvias sæpius adduceret. Quo tempore Dysenterix grassari cœperunt, & infantibus non levem stragem intulerunt, adultis verò nec tam frequenter, nec etiam lethaliter eâ decumbentibus. Ubi quidem hisce fructuum horariorum intemperantiori ab esu, vel liberaliori ob caniculares æstus potu, præsertim cerevisiæ, nobis albæ dictæ, propter tenuitatem suam & imperfectam à parca fermentatione depurationem, in acorem pronæ, illam obtigisse verisimile est; illis autem, quorum major pars ob tenellam ætatem nihil horum degustaverat, cur adeò fatalis fuerit difficulter determinari potest. Utrum in lacte vaccino aliquod adversi deliquerit, quo cum nempe pulmenta in eorum cibum coqui solent, adfirmare

nequeo; cum tamen alia causa non suppetat, in vaccarum sanguine, ob aëris fervorem, pratorum siccitatem, & pabuli inde ortam penuriam, temperatas balsamicas particulas multum fuisse immutatas, acrioresque redditas, haud incredibile videtur, quæ lacti communicatæ vim suam in tenerimis infantum corpusculis exserere, eorumque destructioni, quin & epilepsiæ aliis quibusdam tum temporis funestæ, ansam dare valuerunt; & cum muliebris imperita industria pusionum curæ se sufficere ut plurimum persuasa sit, aut saltem Medicum desperato jam morbo advocet, funerum multiplicatio facile contingere potuit; præsertim ubi difficilior fortasse progressus partus foetui debilitatem aliquam antea impresserat, cum, incertum quâ de causâ, hoc anno de Dystokia & præmaturo partu non levibus querelis Urbs perstreperit.

Reliquum anni, unâ cum ventorum continua mutabilitate, nebulas inter & pluvias frequentiores, aërem temperatiorem quoad activam ejus qualitatem, (nisi quod paulo ante Solstitium hybernum Eurus eundem nivibus asperiores per triduum reddiderit) expertum fuit, multasque nobis inducias concessit, si rheumaticas post Solstitium dictum, musculis caput attollentibus fastidiosas, lymphæ stases exceperis, quæ solo tamen tum hypocausti calore, tum suffituum mastichinorum &c. ope, haud difficulter resolvi potuerunt.

Plurimas inter nebulas temperatioremque auram non saltem Annum 1707. inchoavimus, sed porrò etiam clementem, & Sole in Aquario versante, humidam aëris temperiem experti

perti fuimus, rarò, nec diu durabili frigore, ac multo rarius nive comparente; neque etiam multi, humiditas nempe & nocivas alias in aëre particulas frequenti ventorum variorum agitatione dispellente, morbi populares aderant, nisi quod Rheumatismi præfati, nec non Febres intermittentes, quamvis pauciores, atque post sumptum lene laxans, essentia corticis Peruviani facile abigendæ, continuarent; quosdam verò Pleuritides veræ, in suppurationem ut plurimum terminatæ, nec tamen admodum acutæ, & antimonio diaphoretico, pulveri pleuritico Aug. promptè cedentes, puerilem autem ætatem sparsim Variolæ, nulla malignitate suspectæ, ac per totum postea anni decursum observatæ; alios denique Icteri non adeò contumaces, præsertim sub crebriori essentia Mart. D. Lud. usu, invaderent.

Licet autem circa Martii initium frigus intensum ingruerit, mox tamen post quadrimum temperatiorem in statum denuò fuit mutatum, ut Veris præludia multa comparerent; cujus verò amœnitatem ventorum diversorum, Euri imprimis austeritas, cui nebulæ crebræ jungebantur, multum retardavit, aëremque frigore horridiusculum reddidit; quo ipso insensibilis transpiratio admodum sufflaminata, serum in corpore auxisse, atque creberrimas ad stagnationes disposuisse visa est, ut major incolarum pars catarrhosis ægritudinibus, pectus, vel nares, aures, faucesve occupantibus affligeretur; in quibusdam fluxu celerrimè, vehementerque gravium cum cephalalgia & febrili incalescentia inyadente. Quo tempore etiam Febres, tum quotidianæ, tum ter-

tianæ, ex eadem dubio procul causa, multiplicabantur, atque non rarò graviores in principio, magna utpote cum cephalalgia, virium debilitate, & calore, ut continuæ quasi typum referrent, oriebantur, postea verò medicamentis oppugnata, promptè etiam recedebant; facile tamen ab aëris frigidi admiffione, vel cerevisiæ potu recidivam passæ; quæ etiam Febres in autumnum usque continuaverunt; qui humidus admodum & graviori Zephyri vehementia fastidiosus exstitit. Postquam æstas, Sole Cancræ signum occupante, magno æstu, rarius à ventis pluviisque temperato, primò sat gravis, ab ingressu autem Solis in Leonem, crebriores propter pluvias, Zephyrique impetus, frigidulus ut plurimum fuerat; & sic (ut crebriores Catarrhos dentibus præcipuè infestos taceam) non saltem in nonnullis quartanæ, longiori horrore & calore multum molestæ, eoque contumaciores, quo minus ii, qui eadem afflicti ex plebe meam opem implorarunt, in diæta convenienti, medicamentorumque usu morigerose præbuerunt, sed etiam Arrhritidis vagæ, pulveribus ex coralliis, spodio foss. lap. gammar. cinnabari, aliisque antimoniatibus fixis, opii tantillo addito, præter interpolatum laxantium usum, haud difficulter cedentis, generationi ansam dederunt. Hyemis præsentiam in Decembris initio præmaturum frigus & nives copiosæ ab Aquilone adductæ, indicarunt; quæ tamen post decendium à pluviis eliquatæ, quas Zephyrus ante Solstitium hyemale vehementissimus concitaverat; cui cum Caurus, & postea Euronotus successissent, aëre nubilo-

biloso & nebuloso, ac moderatè frigidò, morbis silentibus, reddito, anni exordium fecerunt.

Anno 1708. dissipatis nubibus, benignior Euronotus per duas primas hebdomadas serenitatem, aliqua tamen nebulosa caligine ut plurimum se immiscente, produxit; quam postea humida ac pluviosa constitutio excepit, præsertim cum quatríduana circa Solis in signum Aquarii ingressum Zephyri vehementia ingruisset; cui sub ventorum mutabilitate prior serenitas circa finem hujus mensis primi, & principium secundi successit; atque temperatam adè brumam, uti passim alibi locorum, experti fuimus, ut multa Veris indicia ostenderet, donec Euronotus d. 10. Febr. cum nivibus frigus adduceret, humida verò paucos post dies, cum intermixto quandoque frigore, intemperies à Zephyro reduceretur. Quamvis autem hac sub insolita aëris clementia multi graves esse oborituros morbos vererentur, nihil tamen epidemici, (ut Febres quotidianas & tertianas sparsim & rarius adhuc occurrentes taceam) præter Variolas, usque dum Sol Tauri signum accederet, continuantes, & consueta hoc tempore catarrhalia incommoda, Tussis præsertim humidas, & ab eadem seri stagnatione capitis Erysipelas in sexu muliebri, produxit, quod ex negligentiori fortasse partis istius custodia, præviis in collo tensivis doloribus, cum febrili incalescentia invasit, & moderato lecti calore, præsertim diaphoreticorum terreorum usu accedente, non difficulter discussum fuit.

Humidus autem hic aëris status ante & post Æquinoctium vernale

continuabat, ut pauci sereni dies nobis obtingerent, & licet Solis quandoque radii refocillarent, nebulosæ tamen exhalationes ejusdem sæpissimè deturparunt; usque dum austerior Eurus d. 27. April. aërem serenaret, atque ab eo, & alternante Cauro molestum frigus terræque siccitas producerentur, quæ in adultum usque Majum, in quo diversæ ventorum ex omni plaga mutationes notatæ, continuabant, donec d. 15. post fulmina & tonitrua in crebras pluvias mutarentur; quæ dein humida facies Zephyro & Borea alternantibus, usque ad principium Augusti perdurabat, ubi Zephyro potissimum dominante, calores magni & multa serenitas, sæpe tamen matutinis nebulosis evaporationibus gravata, usque ad Caniculæ occasum ingruebant, pluvioso ac frigidiusculo aëre succedente; qui etiam, rara intercurrente serenitate, usque ad Æquinoctium autumnale continuabat. Interea frequentes Febres hæcticis similes, tussi præsertim & caloribus lentis inordinatis stipatæ, atque continuato absorbentium fixorum usui obtemperantes, notabantur. Variolas autem circa Maii finem cessantes, Morbilli excipiebant, non tantum in infantibus, qui prius sani fuerant, sed etiam, qui paulo ante Variolis laboraverant, nec non in adultioribus, ut & non paucis morbum hunc jam olim expertis, absque tamen malignitatis nota, & sub blandorum diaphoreticorum usu paucos intra dies periodum suam absolventes; qui tamen in mense Julio iterum cessaverant; quo tempore postea Odontalgia, Ophthalmia, nec non dolores spasmatici uterini in foemi-

foeminis, Ischiadicique præcipuè in viris frequenter occurrebant, ex lymphæ, uti mihi videbatur, ab aëris inclementia viscidioris, atque ideò ad stagnationem proclivioris redditæ vitio generati, præsertim cum cerevisiæ acescentis, quâ de plurimæ passim querelæ fiebant, potus accederet, & nervis ad coxas ac uterum tendentibus spicula sua infingeret, ubi præter lenia eccoprotica, hysteris medicamenta castorina, cinnabarina &c. & ischiadicis blandam per vices diaphoresin promoventia, non neglecta ut plurimum opiatorum succisa miscella, profuisse expertus sum.

Circa Æquinoctium autumnale per 16. dies serenitas adfuit, rarò nubibus aut pluviae exposita, nebulis tamen crebris matutinis stipata, quibus post multam ventorum varietatem, subsequ. etiam diebus observatam, Boreas per 14. dies nubes adduxit, à Zephyro postea in pluvias resolutas; quin & post Solis in signum Scorpionis ingressum, Euro flante, nix decidua præmaturum quasi hyemale frigus efficiebat. Ineunte Novembri multa quidem usque ad Solis in Sagittarium ingressum serenitas, crebro tamen nebulosa, præsertim matutina, caligine inquinata; succedente usque ad d. 15. Decembris fastidiosa, frigida, ob nives, nebula, nebulas, intemperie; ubi quidem Sol nubibus discussis, serenitatem non sine multo frigore, crebris etiam nebulis interruptam, reddidit. Interim, præter frequentes Odontalgias, Catarrhi in primis, capitis & pectori infesti, plurimos in M. Novembri infestarunt, tantumque incrementum sumserunt, ut in M. Decem-

bris paucissimi in Urbe essent, quos molestia illa non tentaverat; multos etiam gravius tractaret, qui nempe prægresso acri horrore, febriles effervescentias, intensas cephalalgias, aut capitis stupores, virium prostrationes, quandoque faucium spasticas strangulationes, vel dolores pleuræ spurios experti fuerunt. Causam continuæ quasi nebulosæ aëris tempestatis potissimum adscripserim, quæ non solum particulas suas humidas, impuras, per inspirationem corpori communicare, sicque serosam colluviem augere, & sanguinem inquinare potuit, sed etiam frigore & gravitate sua poros constringendo, ac transpirationem excrementitiorum humorum impediendo, eosdem cumulare, incrassare, atque in subtilissimis cerebri, narium, tracheæ glandulis, ac tubulis stagnare fecit. Cui itaque præter moderatum aëris regimen, medicamentis resolventibus, attenuantibus, absorbentibus, demulcentibus &c. pro subjectorum & symptomatum diversitate, ubi morbi gravitas id deposcebat, succurrendum fuit, eo cum successu, ut nullus, qui Libitinæ censum subiisset, mihi innotuerit.

Principium Anni 1709. spirante Euronoto, nebulosum fuerat, altero autem & subsequentibus diebus Zephyrus vehemens, pluvias, & noctu, inter d. 5. & 6. Januarii plurimam nivem Eurus, versus Aquilonem inclinans, cum intenso frigore adduxerat; quod indies fere, inter matutinas præcipuè nebulas, diesque & noctes serenas, crescendo eâ vehementiâ nos afflixit, quâ de longe lateque querelas multiplicare Eu-

ropæ contigit, donec d. 24. prægressa nivosa, vesperi Auster temperatiorem & pluviosam auram induceret. Licet autem ineunte Februario frigus iterum, tolerabilius quidem, intenderetur, ac variis sub ventis aërisque mutationibus, nive quandoque rarior decedente, ad diem usque decimum continuaret, Zephyrus tamen temperatiorem tunc aërem reddidit, usque dum d. 16. orientalis ventus, ad Septentrionem nonnihil denuo deflectens, & præsertim biduo post acriter spirans, novo gelu affligeret; quod incrementa subinde sumens, eo rigore inhorruit, ut d. 27. Febr. intensissimo frigori, d. 21. Januarii observato, (testante id spiritu vini in meo thermometro, utrobique matutino tempore ante Solis ortum, ad gradum usque septimum, vespertino autem post Solis occasum ad nonum gradum depresso) parum cesserit: quod dein multas inter ventorum mutationes, variasque aëris, humidam imprimis, constitutiones, tolerabilius redditum, sed d. 12. Martii, & insequente triduo iterum auctum fuerat, spiritumque vini in thermometro ad gradum nonum cum dimidio, vesperi autem ad undecimum atque dimidium depresserat: tandem autem remittens, d. 16. dicti mensis spiritum ad gradum undecimum, & sic sensim magis sursum extolli permiserat, ut d. 17. Aprilis gradum decimum quintum mane attingeret. Interea non tantum ventorum mutabilitas, sed aëris etiam, ob crebriores pluvias, humida ac frigidiuscula, interveniente tamen subinde serenitate atque calore, ante & circa Solis in Tauri signum ingressum intensiori, continuarunt,

ut fecunditati terræ non modicè faverent, matutinæ quoque nebulæ tenuiores, ubi pluvix aberant cœlumque serenum erat, tunc & per totum reliquum annum, semper observabantur. Et quamvis post referatos terræ ab insolito frigore profundè constrictos meatus, indeque diu repressas exhalationes, vapores isti liberiores facti multis gravium subsequendarum ægritudinum metum excitarent, contrarium tamen per DEI gratiam evenit, conglaciata ista terræ crusta sensim resoluta, sicque vaporibus non confertim erumpentibus, sed paulatim exhalantibus, atque ventorum perpetua agitatione particulas istas humidas impuras dissipante. Tot tamen aquæ in atmosphæra oberantes particulæ non poterant non ferri proventum nimium in corpore accumulare; præsertim cum per totum reliquum anni decursum mutabilis subinde, præsertim humida & frigidiuscula temperies (nisi quod Syrius ante & circa sui exortum finemque Zephyro, uti hîc, ita etiam reliquo tempore, potissimum prævalente, quandoque per pauculos dies acrius ureret) & hinc catarrhosarum molestiarum, cum hectici caloris in quibusdam metu, in naribus, bronchiis, dentibus, artubus, per totum anni decursum, & quæ omnibus fere aliis morbis sese jungebant, frequentiam excitaret; præter quas etiam, in vere & æstate, Febres quotidianæ & tertianæ, interdum gravibus symptomatibus, præsertim in morbi principio, uti deliriis, cephalalgis, spastico nuchæ dolore, narium hæmorrhagia, vomitu &c. stipatæ, ex transpiratione insensibili, ob temperiem aëris

aëris sæpius variantem, impedita obortæ, minus tamen refractariæ, non paucæ notabantur. Inter remedia, juxta cum eccoproticis, blanda diaphoretica & absorbentia potissimam curæ partem absolverant.

Constitutio Anni 1710. cum humida & moderatè frigida, sub ventorum, Zephyro tamen prævalente, alternatione, primo continuaret, adfectus etiam catarrhosi, imprimis Arthritides nondum desierunt, & mense Martio Febres tertianæ, cephalalgia, deliriis, vomituque in prima invasione sæpius molestæ, non paucos invaserunt; quibus tamen, post pulveris Cornachini, & ubi ventriculus viscido mucro obrutus videbatur, lenioris emetici usum, cortex Peruvianus ad ℥ss. ℥ij. &c. semel vel bis in die sumtus, præsentaneam opem ferebat, ut post secundum, aut quartum paroxysmum, sine recidivæ incommodo, ut plurimum cessarent.

Postquam in Arietis signum Sol pervenit, cum serenitate, (ita tamen, ut hic quoque Annus, cælo sereno, Soleque oriente, nebulosum nonnihil aërem semper experiretur) triduanum quidem intensum calorem, Africo flante, excitaverat, quem tamen Zephyrus pluviosus

creber iterum dissipaverat, qualein etiam sextiduanum calorem, antequam Sol in Tauri signum progressus esset, Euro spirante, sensimus, ab occidentali tamen pluvioso vento iterum temperatum. Et hæc aëris, modo humidi, modo sicci, calidi, frigidiusculi, sæpius nebulosi, ventorum etiam crebra permutatio in posterum usque ad finem Anni perseveravit, prævalente tamen semper humida constitutione; unde hæc vicissitudo primò terræ fœcunditati multum, postea etiam hyems ut longius abesset, simul tamen variæ catarrhosæ & rheumaticæ invasiones ut frequenter orirentur, effecit. Febres etiam tertianæ, quamvis non frequentes, nec non quotidianæ, hecticæque per totum annum observabantur; mense autem Majo & Junio Morbillis plures infantes, cum vehementi tussi, oculorum gravedine, hæmorrhagia sæpe prævia, decumbebant; Variolæ quoque in multis, non quidem malignitate, sed copia, & symptomatum consuetorum vehementia, & pustularum, rariori tamen, confluxu infestæ notabantur. In cura omnium horum morborum remediis, in præcedentibus historiis memoratis, non infeliciter uti datum fuit.

Constitutio Epidemica Basileensis Anni 1700. & 1701.

Dni D. JOHANNIS JACOBI HARDERI.

Æstivus calor diebus Canicularibus Anno 1700. temperiem suam non excessit, quin ventis quandoque placidis perflaretur, neque corporis incommodū facefferet: Imò

Augusto mense, pluviis præter votum quandoque infrangebatur; September insequens siccus & calidus illò magis fuit, nec tamen sufficiens, qui uvas ad optatam maturitatem undique

perduceret; neque etiam morborum ferax ista anni constitutio fuit: October nebulosa, ut solet, & sæpiuscule pluviosa tempestate, hyemalem brumam antevertit; hæc ipsa autem per Novembrem & Decembrem mitior extitit, & quamvis multâ nive montes & juga altiora integerentur, ingruente tamen pluvioso, & hoc quandoque udoso aëre, ab eadem promptè liberata fuerunt; ista autem aëris *Siâðeiois*, non-modo catarrhalibus febribus, sed Pleuritidi ac Pleuropneumonix, etiam sparsim ansam præbuit.

Anno 1701. Januarii initium Boreali vento magis perflabatur, aërisque serenitate animum refecit; imprimis verò sub meridiem propius accedentes solares radii Brumæ matutinæ spicula ex voto pepulerunt, & continuatâ in Februarium usque sua activitate fere inconcussâ, nives Boreamque in arvis campisque tantum non intempestivè fugârunt, siquidem subsequente Martio ac Aprili, quibus blandiorem Solis Calorem, & hinc pluvias amicabili austro mitigatas sperabamus, Brumæ rigorem majorem, nivalisque tempestatis, ac nivis copiosè delabentis spicula, frequenter experti sumus.

Maii delitias, si quas matutinæ auræ fulgor interdum promisit, mox

nebularum crassiorum cohors, nunc calor subsequens intensior, mox irruentes grandinosæ tempestates, omni modo amarulentas reddiderunt. Ante Caniculæ autem exortum, & hac durante, Solis æstus longè intensior & tantum non exurens calor, animantibus brutis non minus, quàm homini, valde molestus fuit, febrium intermittentium ferax mater, & quem neque tempestates horrendæ, crebrius ingruentes, usque attemperare valuerunt.

Post Caniculam increbescens tantisper pluviosa & hinc temperatior aëris constitutio, placidiorem motum videbatur promittere; verum alcyonia hæc non diu durarunt, quin redeunte intensiore aëris siccitate, sereno cœlo, si nebulas Septembri mense, minus tamen frequentes, manè excipias, in Octobris usque principium, calor infuetus & immoderatiores perstitit, exarescentiæ æquè, si non magis, quàm majoris fructuum maturentiæ parens, & dysenterix satis atrocis apud nos, aliisque in locis fœcundus genitor, cui, num pluvix à diebus aliquot, arva præ siccitate hiscentia blandè irrigantes, atque hominibus gratissimæ, obicem sint posituræ, horæ subsecuturæ docebunt.

Constitutio Epidemica Berolinensis Anni 1701.

Dni D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP

Von der Müllen.

ANnum Seculi septimi primum prima Januarii, turbido, sed sicco cœlo inchoavit, & in vesperam pluviosam desit. Sequens secun-

da pluviiis nivem ad meridiem usque miscuit, post discussis nubibus serenior gelu moderatum adduxit. Quod sequenti tertiâ continuans ac per quadridu-

triduum ingravescens, rursusque in nives & pluvias procellæ junctas per triduum delicit. Cui denuò undecimâ cum nive copiosâ leve successit gelu, atque octiduum pauciori quandoque, quandoque copiosiori nive adpersum duravit. Vigesima nebulâ densâ mutationis prænuntiâ, sequentibus tribus, interspersis quandoque pluviis, tandemque gelicidio degelavit. Vigesima quarta Iris matutina turbidi atque pluvii ætheris nuntia apparuit, sequente per triduum, gelu moderato ac parcis nonnunquam nivibus stipato, quod quatrimum rursus nocturno ac matutino gelu, à meridie ut plurimum degelante variū ad finem usque mensis excepit. Februarius nebula densa cum gelu moderato, sed mox in pluvias fatiscente cœpit, cui nubilum successit cœlum, remittente gelu, & in imbrem circa vesperam deliquescente. Mox, tertiâ procellosâ, siccâ & clarâ, à nivosa nocte, die verò, licet Boreâ flante remisso, ac egelido, nocte tamen rigidâ succedente, ac die nivosa, sed temperata sequente, à triduo gelido iterum exceptâ. Nonna tempestuosa cum successore decimo gelu in nives deliquescentes resolvit. Quas sequentes duæ noctes in glaciem rursus densarunt, de die parumper degelantem. Decima tertia nimbosa rursus nives parcas sparsit, mox aëre temperato solutas. Decimam quartam cœlo sereno gratam, gelidum excepit biduum, quod gelu nocturno & matutino temperato, pomeridianum adhuc mitius substituit. Huic aliud successit biduum ventosum, ab octiduo gelido & ut plurimum sereno comitatum, 25tâ qui-

dem turbidâ & uvidâ interruptum, sed triduo rursus gelido, & ex parte obscuro redintegratum, & pluviis nonnullis interpolatum, 28. unâ cum mense desinens.

Martius vernâ temperie initiatus, vario cœlo, nunc placido, nunc turbulento, ventoso, frigido, diversimodè alterato, ad nonum usque & decimum gelidus transiit. Tum remittens, octiduo temperato, ac vernâ amœnitate grato, ad vigesimum pluvium initio, tandem rursus clarescentem duravit, à quatrimum perinde variato exceptum, in noctes gelidas, sexque dies serenos desit.

Morbos trimestre hoc, præter scorbutum endemium & illius affeclas & affines aluit febres diversarum specierum, malignas quasdam variolis notatas, alias ardentes, continuas ac intermittentes, catarrhales, pleuriticæ nonnullas, aliâs tussibus vehementibus ac diuturnis, Cephalæa, asthmate affligentes, in phthises quandoque degenerantes; præterea Cardialgias, hypochondriacas & colicas passiones.

Aprilis, quo Martius tramite desit, rursus incepit, nisi quod serenitatem præcedentem cum turbido ac ventoso cœlo commutavit, & à sexto per quatrimum, nives quandoque utut raras pluviolis nonnullis interferuerit, tum gelu nocturno dies serenos, & haud inamœnos ad 14tum usque substituerit. Cui cum 15to pluviâ nivibus mixtâ nimbosis, quatrimum successit serenū ac frigidum, huic verò biduum turbidū pluviis subinde & nonnunquam grandine interpolatum. 24to & 25. serenis ac vernâ gratiâ temperatis, reliqui ad tri-

gesimum usque successerunt inconstantes, pluviosi & nimbori.

Majus turbido, sed mox sereniori inchoavit biduo, subsequente triduo nubilo ac frigido, sparsis quoque nonnunquam pluviis ex parte uvido, ad septimum totum pluviosum & octavum varium, tandemque nonnum serenum ac æstivo calore gratum perrexit. Cui triduo quatrimum, intercalato decimo tertio pauca pluvia irrigato, addidit. Tum 6. dierum sudo planè æstivo ad 20. usque continuavit. Cui alii sex non æquè sereni, sed varietate pluviolis nonnunquam temperata, adeoque non inamœnâ distincti successerunt, tandemque reliqui ad finem usque mensis verno temperamento commendabiles.

Junius à principio ad 12mum usque in eâ temperie, pluviolis tamen quandoque interpolata perseveravit. A 13tia verna temperies, in æstum sæpius satis grandem mutata, & præter nocturnas 16ti & 20mi pluvias ferè torridum, ad 22dum usque pluviâ nocturnâ ac tonitru matutino fractum, cui ad 26tum pluviâ moderatâ mudentem, quatrimum temperatum, huic verò 27mus paulo calidior, 28vus cum 29no pluviis modicis irrigui successerunt, tandem 30mus sereno & temperato coelo amœnus, mensem simulque trimestre finiit.

Morbi hujus trimestris præter prædictos endemios, maligni & epidemici, quantum mihi quidem innouit, pauci fuerunt, sporadici plures, febres pleuriticæ, ardentes, continuæ, asthmate, nausea, vomitu, cephalæis molestæ, intermittentes quædam, hemicraniâ, cardiogmo,

cœliaca passione, diarrhœa, dysenteria aliisque symptomatis exacerbata, lipyria quoque, sed unica, sola.

Julius sudo ac calore æstivo, quo præcedens recessit, denuò accessit, ac ad 13tium usque serenitate jugi ac æstu indies ingravescente, si 5tum excipias temperatiorem reliquis, ac 6tum pauca pluviâ irriguum, continuavit. Sequentes etefis nonnunquam & pluviolis alterati, unico 27mo à meridie spargente exempto, ad finem usque mensis serenitate ac temperie laudabili excelluerunt.

Augustus eodem ferè cœli, utut quandoque rorantis inchoans, mox variabilis fuit: Secundus enim fervidior & siccior. Tertius tonitru imbrem, totâ nocte durantem, addidit. Quartus mane frigidus, sudum diurnum cum æstu substituit. Quintus manè pluviosus, reliquo diei priorè temperatior. Septimus sudum nubibus interpolavit, cui cætera similis octavus, in tonitru horrendum vesperti & imbrem desit. Nono sudo antemeridiano pluvias, à meridie copiosas; Decimus antemeridiano sudo vespertinas submisit. Undecimus paucis pluviis matutinis, sudum pomeridianum, huic verò vespertinum tonitru fragosum cum fulgetris fere perpetuis, nimboque densissimo. Duodecimus præcedenti, tonitru si demferis & fulgura, compar. His hætenus variis ad vigesimum usque octiduum æquabile, sudo ac æstu paucissimis pluviis temperato gratum, huicque aliud octiduum nebulosum magis, ventis pluviisque subinde madens, illic biduum serenum quidem & siccum, sed vento frigido flante, haud
adeò

adeò gratum successit, tandemque
31mus sudo ac temperato æthere men-
sem terminavit.

September triduo sereno ac mode-
rato sex dies, pluviis serenitati variè
interpolatæ mixtos inseruit. Quibus
post noctem procellosam, quatri-
duum serenum & temperatum, quan-
doque tamen ventosum & pluviis
parcè sparsis roscidum successit, sex
diebus serenis aliis æstu æstivo fere
compari amœnis exceptum. Vigesi-
mus biduum reduxit paucarum plu-
viarum aspergine, ut & nebulâ rori-
dum, cui triduum serenum quidem,
sed algidum & ventosum, illique
rursum aliud temperatius successit, &
mensem simul ac trimestre absolvit.

Morbos præter scorbutum & ejus
appendices, ut & ejus affinem ante
hîc raram, nunc ab adventu Gallo-
rum exulum, inter Germanos etiam,
infantes præsertim, ferè endemiam
Rachitidem, hoc trimestre tam spo-
radicos, quàm Epidemicos plures
tulit. Et hos inter febres malignas
& contagiosas, haud paucis exitio-
sas, variis ut symptomatis, sic exan-
thematis miliaribus, purpurâ, mor-
billis, variolis, petechiis quoque in-
signitas & distinctas. Præterea arden-
tes etiam continuas & intermitten-
tes, catarrhales, erysipelatodes, pleu-
riticas, erraticas etiam. Diarrhœas
item ac Dysenterias, Lienterias, Co-
licas, Cardialgias, Tusses ferinas
ab æstu præsertim humores colliquan-
te oriundas, Hæmoptoes, Cepha-
læas, Hemicranias, Colicas & Hy-
pochondriacas passiones cum obstru-
ctionibus nonnunquam valde con-
tumacibus, Icteros, Scabies & Pso-
ras.

October serenitatem Septembris,
præter pluvias secundi vespertinas,
quatrinduo satis grato orfus, sexto &
septimo frigidulis & pluvia matutina
madentibus, interpositis, quatri-
duum rursus vernâ temperie gratum
dedit. Cui 12mus matutina, 13tius
vespertinâ, 14tus nocturnâ pluvia
madidi successerunt, illisque 15tus to-
tus pluvius ac nimbosus. Quem rursus
16tus cum quatrinduo perinde procel-
loso & subinde nimbofo secutus. Vi-
gesimus primus sparsa circa decimam
pluviolâ rorans, quatrinduo ficciori
& amœniori locum fecit. Subsequens
quatrinduum, vario, nebuloso ac quan-
doque rorante cœlo frigidulum, 31mo
turbido æthere, geluque moderato
mense finem imposuit.

Decembris primus totus pluvius,
secundus à meridie tantum pluvias
sparsit. His successit triduum siccum,
sed nubilum & frigidum. Sextus ma-
ne nebulosus parcè pluit, à meridie
siccus. Septimus udosus, octavus
serenior, procellosus simul & frigi-
dus. Nonus absque procellâ præce-
denti similis. Decimus nives addidit
ac gelu, sed hætenus moderatum,
ab 11mo ad 23um rigidum, sereno
ut plurimum cœlo, præter 12. mane
ac vesperi, & 17mum vesperi tan-
tum nebulosum. 24to remittens at-
que circa vesperam pluviolas spargens,
noctu gelicidium, 26to subsequente
nebulâ liquefens, à meridie cum se-
renitate frigus, sed temperatum per
biduum stabile reddens, 28vo nives
superaddens, 29no ingravescens,
30mo nivofum, 31 absque nive per-
durans, sicque cum mense trime-
stri ipsique anno colophonem impo-
nens.

Morbi hoc ultimo trimestri occurrentes, præter endemios scorbuticos, arthritides præsertim & asthmata scorbuto originem debentia, & venereos, Epidemici fuerunt catarrhales præcipuè febres, gravedine molestâ, & tussi gravi & diurnâ infestantes, ardentis præterea tam continuæ, quàm inter-

mittentes variæ, malignæ quoque variolis, sæpius confluentibus ac petechiis infames, pleuritides graves & quandoque funestæ, Cephalalgia, Diarrhœæ, & Dysenteria pertinales, Nephriticæ, Colicæ & hystericae passiones.

Constitutio Epidemica aëris Berolinensis Anni 1703.

JAnuarius primo mane cœpit gelu, cœlo succedente sereno, post obscuro, tandemque pluvioso. Secundus siccus, ventosus & frigidus cum gelu moderato, successores habuit tertium circa vesperam pluviolam spargentem, reliquos ad octavum usque siccus; hunc verò totum nivofum æthere temperato. Nonus miti cœlo pluviolis subinde uvidus. Decimus imbrofus. Undecimus parum gelascens, cætera siccus. Duodecimus cum decimo tertio cœlo turbido gelidiores. Decimus quartus vernâ serenitate ac tempore gratus, vesperi nebulosus. Decimus quintus & Decimus sextus Vernæ ferè amœnitatis æmuli. Decimus septimus nebulosus; tandemque imbrofus. Decimus octavus vicissim siccus & serenus. Decimus nonus cum sequentibus ad vigesimum sextum usque satis rigidè gelidi. Vigessimus sextus parum nivis addidit. Vigessimus septimus noctu plusculum ejus sparsit æthere temperato. Vigessimus octavus sereno cœlo validè gelidus, ut & vigessimus nonus. Trigessimus nubilus pauloque mitior. Tandem trigessimus primus mitiori, sicco tamen cœlo, mensem hunc primum clausit.

Februarius temperato gelu, sed tur-

bido siccoque cœlo orsus. Secundus gelu satis rigido sereno cœlo, nonnunquam tamen parum remittente ad septimum usque cum gelicidio grandinem submittentem, postque degelantem continuavit. Octavus regelascens cum nono ac decimo parum sereno & amœno cœlo gelidis. Undecimus gelu paulo intensius cœlo obscuro induxit; ac ad decimum quartum cum sequentibus ad vigesimum usque, paulò cum sequenti biduo mitiorem porrexit. Vigessimus tertius densâ nebulâ antemeridianâ remissior. Vigessimus quartus mane turbidus, postea serenus. Vigessimus quintus nebulosus ac ventosus, parum nivis sparsit. Vigessimus sextus intensè gelidus, ut & vigessimus septimus, simulque cum vento nivosi. Vigessimus octavus nive copiosa mensi coronidem imposuit.

Martius biduano gelu intenso cœpit. Tertius noctu gelidus, è meridie remissior, circa vesperam pluviolus ac ventosus. Quartus eodem tempore totâ die continuavit. Quintus gelidus ac nivofus, tandem pluviolus. Sextus totus pluviolus ac ventosus. Septimus manè sparsâ copiosâ nive, mox postea in pluviam delicuit. Octavus perinde continuavit. Nonus satis intensè gelavit, parumque nivis spar-

sparsit. Decimus copiosè noctu nixit, postea remissè cum parcâ nive gelavit. Sic & undecimus, decimo quarto nebula matutina diverso, ad decimum quintum usque sereno cœlo continuavit. Hinc manè nivis pauxillum sparsit, post leniter degelavit. Decimus sextus totus fere pluviosus. Decimus septimus noctu gelidus, post sparsâ nive mitior, ut & Decimus octavus cum paucâ nive gelascens. Decimus nonus post pluviam gelidus ac nivofus, post serenior. Vigessimus quoque gelu cum parcâ nive miscuit, in pluviam tandem deliquescens. Viceprimus primus totâ die udosus. Viceprimus secundus manè & circa vesperam pluvius. Vigessimus tertius manè parum pluvix, post vernam temperiem submisit. Vicequarto quarto manè parum nebuloso, æther serenus successit ac ficcus. Vigessimus quintus ventosus, æthere sereno nivium aspergine subinde variato. Vicequinto sextus perinde ventosus nivem cum pluviam ac sereno sæpius cambiit. Vicequinto septimus matutino tempore serenus, post turbidus ac ventosus. Vicequinto octavus mane nivofus, à meridie pluviosus. Vigessimus nonus nubilosus, temperatus tamen. Triduo sequente sereno, temperato ac verna amœnitate & tepore grato, mensem simul ac trimestre primum finiit.

Morbi præter scorbutum, Proteum illum plurimorum symptomatum syndrome variatum, ac hinc loci endemicum, frequentiores fuerunt febres variæ, continuæ & intermittentes, benignæ & malignæ, catarrhales & causodes, purpureæ, pleuritide ac arthritide quandoque comitata, ce-

phalalgix, vertigines, passiones hysteriæ, asthmata, cachexiæ, & cacochymiæ.

Aprilis primus dies vernæ serenitatis ac temperiei particeps, circa vesperam pluviosa madidus fuit. Secundus manè obscurus, à meridie serenus ac frigidulus. Tertius, quartus & quintus primo ex asse similes, nisi quod postremus paulò frigidior. Sextus manè turbidus cum aspergine pluviosæ, postea serenus. Septimus serenus, sed frigidulus. Octavus ad decimum tertium usque sudo ac temperie, præter decimum paulo calidior, amœni. Decimus tertius turbidus ac ventosus manè, post serenitatem pluviosis miscuit. Decimus quartus frigidulus ac ventosus cum aspergine pluviarum. Decimus quintus totus pluviosus, ut & decimus sextus, subinde tamen paulò serenior. Decimus septimus manè pluvias sparsit paucis grandine mixtas, à meridie serenus. Decimus octavus serenus, temperatus & amœnus, nec non decimus nonus exceptâ pruina nocturnâ talis. Vigessimus cum vicequinto primo & secundo vernâ amœnitate grati, nisi quod postremus unâ cum biduo sequenti pluviosarum aspergine sub vesperam roridi. Vicequinto quintus obscurus ac nubilosus, raroque intercedente sudo ficcus. Vicequinto sextus vernâ temperie ac pluviosæ subinde aspergine, cum sequenti biduo ficcus. Vicequinto nonus variato identidem æthere pluvias sudo miscuit. Vicequinto post pluviam matutinam ficcus mensem hunc absolvit.

Maii primus temperato cœlo ad secundum mane pluviosæ aspergine uvidum post serenum processit. Se-

cutus tertius manè frigidulus, post serenus & amœnus, cui compar ferè quartus aspergine pluviolæ roridus, cui biduum serenum, ficcum & calidum successit, à meridie tamen sexti pluviolam aspergens. Septimus manè serenus, à meridie nubilus. Octavus ad decimum tertium usque sereni ac vernâ varietate accepti, rarâ pluviarum aspergine temperati, præter duodecimum cum vento tonitru adducentem. Decimus quartus à meridie modicè, decimus quintus validè tonuit; quos biduum decimo & septimo excepit fudo ac calore verno gratum. Decimus octavus manè nubilus ac vento, pluviolis quoque subinde sparsis turbidus. Decimus nonus similis, absque tamen pluvia ficcus, ac tandem serenus, à vigesimo sereno ac amœno exceptus temperatus ad vigesimum secundum & sequentes calidiores, vigesimum sextum æstu gravem, & vigesimum nonum vernâ temperie & amœnitate gratum transiit. Reliquum triduum manè serenum, vesperi pluviolis uvidum, trigesimo primo modico fulgurum additamento mensem hunc circumscripsit.

Junii primus nocturno imbre, diurno fudo & æstu orfus, secundum serenum & vesperi pluviolæ asperginè uvidum comitem habuit. Tertius manè ad meridiem usque pluvius, post temperatus ac ficcus, quartum manè subinde pluentem aliàs amœnum ac temperatum præcessit, sequente biduo sereno ac temperato. Septimus pluvius, post ventis flantibus ficcus. Octavus serenâ temperie amœnus. Nonus pluviolis serenitatem subinde variavit. Decimus manè ad meri-

diem usque imbrofus. Decimus semel à meridie imbre molestus, aliàs serenus. Duodecimus pluviolarum aspergine quandoque varius. Decimus tertius serenus ac ficcus, ventosus tamen simul ac frigidus, compares habuit decimum quartum, quintum & sextum, hunc æstuosum simul valde ac procellosum. Decimus septimus nubilus ac ventosus cum aspergine pluviolarum nonnunquam mixtus. Decimus octavus amœnâ temperie gratus. Decimus nonus nubilus ac frigidulus pluviolis subinde rorans, cui vigesimus post noctem pluviolosam æqualis, temperatâ amœnitate ventis placidis velut Etesis interpolatus. Vigesimus primus denuò serenus ac calidus. Vigesimus secundus æstu paulò gravior. Vicesimus tertius fudo simul & æstu molestus. Vicesimus quartus æstu, ventis paulò temperationi. Vigesimus quintus pluviola moderatus. Vicesimus sextus totus ferè cum tonitru pluviolosus. Vigesimus septimus manè & vesperi parum pluvius. Vigesimus octavus manè nubilus, postea clarescens. Vigesimus nonus manè serenus, à meridie pluviolosus. Tricesimus manè ad meridiem usque serenus, à meridie quandoque pluvius, mensem simul & trimestre secundum finiit.

Morbi hoc secundo trimestri inferiores fuere Cacochymia & Cachexia scorbuticæ varique alii affectus ejusdem farinae, febres variæ continuæ & intermittentes, tertianæ, catarrhales, ardentes benignæ ac malignæ, variolis quandoque comitatæ & morbillis, pleuritides veræ ut plurimum, nonnunquam spuria, hypochondriacæ affectiones & passiones hyste-

hystericæ, tusses inveteratæ & graves, phthysos & hæcticæ comites. Icteri, colicæ passiones, cholera, diarrhœæ.

Augusti primus nubilus ac pluviosus. Secundus obscurus & ventosus subinde pluviolas spargens. Tertius manè nubilus ac parè pluvius à meridie serenus, triduo fudo ac calido acceptus. Septimus post manè aspergine varium, à meridie tonitru terruit. Octavus manè serenus, à meridie modicè pluvius. Nonus sudum, Decimus idem etesius temperatum, Undecimus sudū æstuosum, æstivum, ut & duodecimus etesius mixtū induxerunt, reliqui, excepti decimo tertio his destituto, decimo octavo manè semel pluvio, vigesimo quarto vesperi cum imbre tonitru inducente, vigesimo quinto manè nubilo, ac ventis turbido, omnes ad finem usque mensis æstivo æstu perseverarunt, præter trigessimum primum, mensem hunc cœlo turbido vesperi cludentem.

Septembris primum biduum fudo & etesius gratum. Tertius nubilus & procellosus. Quartus mane frigidus & serenus, à meridie nubilus ac turbidus, triduo pluvioso, frigidus, ac ventoso exceptus. Octavus cum nono paulo temperatiores ac calidiores. Decimus serenus ac temperie amœnus. Undecimus sæpius pluviosus ac tandem imbrofus. Duodecimus, decimus tertius & quartus cum sequentibus ad vigessimum primum usque præter morem æstivo calore & amœnitate grati serenitate pluvias vicerunt. Vigessimus secundus ad meridiem usque manè pluviosus, post serenus, ut & vigessimus tertius & quartus æstivo calore commendabiles. Biduo intercedente pluvioso rursus ad vige-

simum octavum usque nubilum, sereno tepore laudabiles. Vigessimus nonus aspergine vespertina pluviolarum, trigessimus nubilo cœlo à prioribus diversi, tandem serenitate reduce mensem hunc ac simul trimestre coronide ornarunt.

Morbi hujus trimestris fuere præter scorbuticas ac hypochondriacas affectiones, colicæ, diarrhœæ, ac dysenteria, Febres variæ intermittentes & continuæ ardentes, etiam malignæ, variolis, morbillis ac purpurâ nonnunquam suspectæ, pleuritides utriusque generis, arthritides vagæ scorbuticæ, paralytes & apoplexiæ, asthmata, dyspnœæ, tusses graves ac diurnæ, cachexiæ.

Octobris primus nubilus ac ventosus, fudo tamen subinde mixtus. Secundus manè serenus à meridie nubilus. Tertius manè serenus, à meridie turbidus ac pluviosus. Quartus & quintus manè nubili, cum aspergine pluviarum. Sextus vice versa manè serenus, à meridie pluvius. Septimus post nebulam serenus & amœnus. Octavus manè pluvia parum roridus, alias amœnus, nono quoque ac decimo sicque ad undecimum nubilum ac subinde pluvium transit. Duodecimus nubilus & subsequenter imbrofus. Decimus tertius procellosus ac sæpius nimbofus. Decimus quartus frigidulus ac ventosus manè, à meridie serenus, semel tamen imbre madens. Decimus quintus serenus manè ac frigidus, à meridie parum pluviae spargens. Decimus sextus manè nebulosus, post nubilus ac frigidus. Decimus septimus frigidus & pluviis mixtus. Decimus octavus frigidus cœlo serenus. Decimus

nonus primam nivem sparsit serenante postea cœlo. Vicefimo & vicefimo primo totâ die cum nive pluvix. Vigefimo secundo cum sudo frigus ac gelu moderatum. Vigefimus tertius post manè gelidum pluvias dedit degelascentes. Vigefimus quartus manè turbidus, postea clarescens. Vigefimus quintus manè pluvius, à meridie nubilus cum pluviolarum aspergine. Vigefimus sextus manè pluviolosus, postea serenitatis parum subinde miscens. Vigefimus septimus ficcus, sed nubilus, solis splendore pauco interdum interlucente. Vigefimus octavus ad meridiem usque pluviolarum aspergine madens, à meridie nubilus ac ficcus. Vigefimus nonus manè nubilus, postea serenus, sed frigidulus. Trigefimus frigidus & pruinosus. Trigefimus primus temperie autumnali gratâ mensẽm finiit.

Novembris primus ac secundus frigidi sparsa parumper nive, postque pluviolâ. Tertius & quartus temperati & amœni, ut & quintus, nisi sparsâ sub finem pluviolâ turbidus. Sextus manè nebulosus, post vento frigidus molestus. Septimus nubilo mitior. Octavus nubilus ac frigidus. Nono successit simile biduum cum sudo frigidulum. Duodecimus nubilus ac subfrigidus. Decimus tertius satis temperatus. Decimus quartus manè ad meridiem usque nubilus, à meridie pluviolosus. Decimus quintus manè pluvius, post turbidus ac humidus. Decimus sextus nubilus, frigidus ac ficcus. Decimus septimus idem, paucis interspersis nivium micis. Decimus octavus perinde sed sine nive gelidus. Decimo nono ut & vigefimo sudum subsequente noctu rigido

gelu. Vigefimus primus nubilus, ut & vigefimus secundus tandem pluviolæ aspergine mitescens. Vigefimus tertius manè nubilus, aspergine pluviolarum modicâ sub vesperâ rorans. Vigefimus quartus totus nubilus ac frigidus, ut & vigefimus quintus vesperi pluvius. Vigefimus sextus cum septimo temperati & amœni. Vigefimus octavus nubilosus ac frigidus, ficcus tamen. Vigefimus nonus, manè nubilus, post serenus ac temperatus. Trigefimus post modicam pruina manè serenus ac temperatus, circa vesperam pluvia mensẽm terminavit.

Decembris primus post nebulam matutinam, ut & secundus sereni ac temperati, nec non tertius unica pluviolæ aspergine roridus. Quartus post nebulam matutinam serenus. Quintus sudo frigidus. Sextus quarto similis. Septimus totâ die serenus, circa vesperam maduit. Octavus sereno cœlo procellosus, nono quoque continuante procellâ, & pluviâ à meridie interspersa. Decimus manè ad meridiem pluvius, post serenus ac sedatâ procellâ placidus. Undecimus manè serenus, à meridie parum pluvius. Duodecimus totus pluviolosus. Decimus tertius manè serenus, à meridie pluviolæ aspergine udus. Decimus quartus totâ ferè die pluviolosus & imbrofus, ut & decimus quintus totus nimbofus, & sub vesperam procellosus. Decimus sextus manè gelidus, post totâ die serenus ac frigidus. Decimus septimus manè nubilus, ac mitis tandem in pluvix asperginem desinens. Decimus octavus manè nebulosus, post pluviolosus. Decimus nonus gelidus manè, ac serenus.

nus. Vicesimus aëre obscuro gelidus. Vigessimus primus cum fudo gelascens. Vigessimus secundus rigidè gelans. Vigessimus tertius noctu nivem sparfit, post degelascens pluvio-las. Vigessimus quartus nubilus ac humidus. Vigessimus quintus cœlo sereno gelascens. Vigessimus sextus noctu nivofus, post nubilus, mox tandem serenus ac gelidus, ut & vigessimus octavus à meridie serenus. Vigessimus nonus cœlo sereno rigidè gelans. Trigessimus ut & trigessimus primus ex parte, ningentes mensem

hunc simul & trimestre quartum ut & annum 1703. absolverunt. ❀

Morbi huic trimestri familiares, præter endemios sæpius indigitatos, fuerunt febres omnis generis ferè, ar-dentes, malignæ, variolis suspectæ, intermittentes tertianæ, quartanæ, ephemeræ, catarrhales, hæcticæ, phthi-ses, tusses ferinæ & inveteratæ, Co-licæ passiones; scorbuticæ etiam, di-arrhœæ, Arthritides scorbuticæ, va-gæ & fixæ, paralyses, Cephalææ contumaces, hemicranicæ, passiones hypochondriacæ & hysteriæ &c.

• *Constitutio Epidemica Berolinensis Anni 1704.*

JAnuarii primus paucis nimium flocculis gelu orfus, paululum mox rursus remisit. Successit huic triduum cœlo sereno gelidum. Quintus cum sexto noctu totoque sequenti die nives sparfit, quorum postremus ces-sante nive turbidus ac frigidus. Sep-timus cum biduo sequenti cœlo quan-doque sereno gelidus. Decimus pau-câ interspersa nive circa vesperam remissior. Undecimus cum sequenti duodecimo ventosi ac procellosi. De-cimus tertius rigido gelu horridus. Decimus quartus paululum remissior. Decimus quintus rigidum decimi ter-tii gelu redintegavit. Decimus sex-tus manè remissior, à meridie robur prioris resumfit, cum sequenti deci-mo septimo paucos nivium flocculos aspergente. Decimus octavus noctu nives parumper auxit. Decimus no-nus gelu pauculos denuo nivium flocculos miscuit, noctu auctiores cum gelu satis rigido. Vigesimo nox cum nive copiosa procellosa inter vigesi-mum & vigesimum secun-

dum sine nive gelidum successit, ut & sequens vigessimus tertius paucâ nive præmissâ serenus. Vigessimus quartus satis rigidè gelidus circa vesperam ni-vo-fus ac ventosus. Vigessimus sextus noctu cum pluviam regelans, tandem serenus, ac temperatus. Vigessimus septimus eâ temperie sine pluvia ac nive continuavit. Ut & vigessimus octavus circa vesperam cum sequenti vigesimo nono procellosus ac parum pluvius. Trigessimus post gelu mo-dicum à meridie serenus, tandem cum nive ventosus. Trigessimus pri-mus, mensis postremus, procellosus admodum ac subinde pluviosus.

Februarii primi nox tempestuosa, succedens dies pluviosus, grandino-sus ac procellosus. Secundus illi ex parte similis modicè gelascens, ma-nè parum ac vesperi ningens. Tertius vento cum pluvius & pluviolis mixto varius. Quartus noctu gelidus, postea serenus, ac vernâ quasi temperie amœnus. Quintus manè parum ge-lascens, cætera turbidus, siccus,

tandemque temperatus. Sextus absque omni gelu priori similis. Septimus turbidus ac ventosus, à meridie cum nive nimbosus. Cui triduum successit temperatum, siccum ac tranquillum. Undecimus remissior, sparsis quandoque pluviis udus ac ventosus. Duodecimus demtâ pluviâ priori æqualis. Decimus tertius turbidus, sparsis quandoque pluviis ac pluviolis cum sequenti decimo quarto à priori diversus. Decimus quintus cum decimo sexto noctu gelidi, de die cum serenitate procellosi. Triduum sequens noctu gelidum manè nivofum, tandemque pluviolis aspersis uvidum. Vigessimus noctu gelidus ac nivofus, post paulò serenior. Vigessimus primus cœlo sereno gelidus, paulo grandine niveo interferto. Vigessimus secundus & vigessimus tertius manè cœlo sereno satis gelidi, à meridie remissiores. Triduum subsequens rigidè gelans. Biduum sequens nive admistâ paulo remissius. Vigessimus nonus nive vacuus mensem absolvit hunc intercalarem.

Martii primus manè gelidus, cætera serenus ac remissior, unâ cum sequenti quadratio vernâ temperie ac amœnitate commendabilis. Sextus satis gelidus, turbidus ac procellosus, ut & septimus, tandem serenior. Octavus paucâ nive turbidus ac aliquantò remissior, ut & nonus ac decimus totâ die tales, prætereaque turbidi ac ventosi. Undecimus serenus vernaque temperie gratus, cum biduo sequenti, cujus tamen postremus decimus tertius paulò obscurior ac noctu gelidior. Decimus quartus cum undecimo vernâ serenitate certans. Decimus quintus manè pluviâ cum tepore fœcundâ

vernâ amœnitate commendabilis. Decimus sextus turbidus ac ventosus, pluviola quandoque riguus. Decimus septimus manè sparsis subinde pluviolis turbidior; serenitate postmodum gratâ amœnus. Decimus octavus toto manè turbidus à meridie pluviolosus. Decimus nonus cum sequenti triduo manè pluvius, post frigidulus, ast siccus. Vigessimus tertius manè gelidus, paulo post serenus, frigidulus ac parum ventosus. Sequens quadratum temperatè frigidum, ventosum ac obscurum. 28vus manè paulo obscurior, postea ludo ac serenâ temperie acceptus, ut & sequens 29vus, vento frigidiorè solum diversus. 30vus nubilosus, frigidulus subindeque pluvius. Postremus 31vus vento austrino frigido serenitati aspirante temperatus, trimestre primum terminavit.

Morbi hac anni quadrâ præter scorbutum endemium, & luem fere epidemicam, febres fuère variæ, cum tertianâ, duplicatâ, continuâ, & ardentibus, benignâ, & malignâ, catarrhales, & acutæ variis symptomatis stipatæ, cum & sine tussi, hæcticæ, in phthisin declives, pleuritides, asthinata, dispnoæ, arthritides statæ, & vagæ scorbuticæ, icteri, cardialgiæ, hæmorrhagiæ uteri.

Aprilis 1vus nubilosus, pluviolis subinde aspersis frigidus. 2vus manè pluvius post aliquantò serenior, 3tius serenus ac temperatus vesperi pluviolosus. Cui congener 4tus subinde pluviolas spargens. 5tus noctu tonuit, à meridie pluit, cætera serenus ac calidus, 6tus vernâ serenitate ac tepore gratus cum biduo sequenti, 7mus tamen paulò frigidior ac ven-

tosus. 9nus manè turbidus ac frigidulus, tandem post pluviam fœcundam serenus. 10mus æthere fœcundâ serenitate, pluviolis interdum interpolatâ, laudabilis. 11mus cum sequentibus duobus verna temperie ac serenitate commendabiles, ut & 13mus circa vesperam paulum pluvix aspergens. 14tus sudum cum nubilo ac pluviis quibusdam miscuit. 15tus cum sequente fœcundo cœlo frigidulo parumper temperati. 17mus exiguum matutinum gelu sudo temperans, sequentibus ad 23tium usque, 19no ac 20mo præsertim æstivo fere calore amœnis, 23io paululum pluvix addidit. Sequens triduum temperatâ serenitate ad vesperam usque postremi paulò obscuriorem continuavit. 17mus manè pluvius, post frigidulus & nubilosus, perinde ut & 28vus absque tamen pluvix. 29us temperatus cum 30. mensis postremo, paulò tamen frigidiore & ventoso.

Majus eodem tenore cœpit pluvio- las interdum miscens. 2dus serenor paulo & ficcior. 3tius ut & sequentes ad 7timum usque sparsis quandoque pluviolis udi & subfrigidi, postremus 7mus noctu cum pruina grandinosus, manè serenus. 8vus manè frigidus ac ventosus à meridie serenus ac calidus. 9nus vernâ temperie amœnus, ut & 10mus circa vesperam parumper pluvius, 11mus serenus ac calidus. 12mus adhuc calidior subsequente sero pluvio. 13ius absque pluvix similis. 14tus manè ad meridiem usque nubilus ac subfrigidus, postea serenus. 15tus & sequentes vernâ serenitate ac spirantibus quandoque etesiis quasi æstiva temperie commendabiles, ad 20mum usque obscurum, pluvix moderatâ

subinde interpolatum, 21mus cum sequente triduo serenus, calidus & amœnus, parum ventosus ad 24tum usque post tonitru moderatum à vento impetuoso frigidior. Quatriduum sequens obscurum quandoque, cum, alias sine pluvix, ad 29num usque perinde turbidum sæpiusque pluvium. 30mus cum 31mo, mensis hujus postremo, sine pluvix nubilosus.

Junii primus temperata serenitate ad vesperam usque parumper pluviam, amœnus. 2dus turbidior ac frigidior manè, à meridie serenitatem aliqualem subinde pluviis miscuit. Sequentes sudo temperati, calidi ac ficci ad 9num usque vesperi parum pluentem. 10mus cum 11mo frigidi ac ventosi. 12mus cum sequentibus sereni, calidi ac placidi, præter 13um paulò obscuriorem, ad 17mum tota die pluvium. 18vus frigidulus & obscurus, serenitate nonnunquam interpolatus, vesperi pluviosus. 19nus ventosus & à meridie imbrofus. 20mus temperatus; ut 21mus sero parum pluens. 22dus obscurior paulò, ficcus tamen, temperatus. 23ius serenor præcedenti. 24tus cum triduo sequenti serenitatem pluviis intercalavit, ad 28vum usque & 29num serenos, temperatos, ficos & amœnos, 30mus paucis pluviis quandoque intermixtis obscurus, mensem simul cum hoc anni quadrante clausit.

Morbi hœc trimestri priori ferè fuerunt analogi, præter nimirum geminos illos endemios, febres rursus varii generis, intermittentes, tertianæ simplices ac duplices, quartanæ, & continuæ ardentes, benignæ & malignæ, variis symptomatis comitatae,

tatæ, cum & sine exanthematis, cattarrhales, pleuriticæ, in hæcticam & phthisin pronæ, variolæ, morbilli, diarrhœæ, colicæ passiones, cholerae, Melancholiæ, hypochondriacæ passiones, Cephalææ, Hemicrania, Paralyfes, Epilepsiæ, Asthmata cum & sine hydrope, Rachitides.

Julii primus serenus atque ficcus. 2dus sudo pluvias miscuit. 3tius serenus ac temperatus, vesperi pluviolas sparsit. 4tus priori ferè similis, nisi quod procellæ semel pluviolam asperfit. 5tus sudo absque pluviis, ventum impetuosum intercalavit. 6tus nubilo cœlo serenum absque pluviâ induxit æther. 7mus serenus. 8vus sudo æstivus. 9no manè pluvio, serenitas calorem intensum addidit. 10mus pluvias cum sudo alternavit, perinde & 11mus cum nubilo cœlo sudum. 12mus temperatus ac ficcus. 13ius, serenus & æstuosus. 14tus cum biduo sequenti, manè ac vesperi pluvii, cætera fereni, 17mus toto ferè die pluvius. 18vus manè ad meridiem usq; pluviosus & ventosus. 19nus manè serenus à meridie bis pluit. 20mus pluviam cum sudo campfit, frigidulus & ventosus. 21mus manè obscurus pluviolas post quandoque sparsit. 22dus manè quidem serenus, subfrigidus tamen, à meridie pluviolas disperfit. 23tius temperatus, serenus partim, partim pluvius. 24tus amœnus, calidus ac ficcus, cum quadratio sequenti æstuosus. 29nus post pluviam matutinam nubilosus, frigidulus ac ventosus. 30mus temperatus & amœnus. 31mus post matutinam pluviam serenitate mensē finiit.

Augusti primus ad meridiem usque

serenus, à meridie parumper pluvius. 2dus manè nubilus, postea serenus & amœnus. 3tius manè parum pluens, postea ficcus & obscurus. 4tus totâ die sine pluviâ nubilus. 5tus manè turbidus, post serenus. 6tus serenus, calidus & amœnus. 7mus nubilus ac calidus, pluviolas subinde spargens. 8vus sine pluviâ serenus ac calidus. 9nus serenus & temperatus in æstium vergens. 10mus huic præcedenti analogus: vesperi tonuit. 11mus nubilum cum sudo alternans vento subinde pluviolas asperfit. Cui 12mus similis semel pluviolâ maduit. 13ius manè nubilus ac frigidulus absque pluviâ. 14tus pluvias nonnunquam addidit. 15tus procellam impetuosam, 16to parum remittentem. 17mus manè nubilus circa vesperam serenus ac calidus. 18vus serenus & ob calorem temperatum amœnus. 19nus æstuosior paulò. 20mus remissior manè ac modicâ pluvia fœcundus: 21mus serenus, calidus ac ficcus, præter 23um valde æstuosum, ad 26tum nubilum manè ac subfrigidum. 27mus cum 28vo pluviolarum quandoque aspergine ventosi. Biduum sequens serenum ac calidum. 31mus mensis postremus etefiis æstium præcedentem temperavit.

Septembris primus nubilus manè, post ob ventum frigidulus. 2dus paulo temperatior, 3tius primo ferè similis, subinde pluvius. Triduum sequens manè pluviosum, à meridie serenum. 7mus nubilus, frigidus & ficcus, ad usque vesperam pluviolam spargentem. 8vus perinde frigidus, sed sæpius pluviolis madens. 9nus manè ad meridiem usque 7mo compar, à meridie pluit, tandem ferenior

nior. 10mus temperatus ac serenus totus, ut & triduum sequens ad meridiem usque 13ii, à meridie quandoque pluentis. Pariter & 14tus circa meridiem semel pluens. 15tus ventosus subinde ac pluviosus. 16tus cum 17mo ficci, temperati & amœni. 18vo sudum ut plurimum pluviis sparsim mixtum. 19nus temperatus, serenus & amœnus. 20mus manè & à meridie quandoque pluvius, cætera temperatus, serenus & amœnus. 21mus circa primam pomeridianam parum pluit, reliquo temperatus & serenus. Biduum sequens turbidum, frigidum & ventosum, subinde pluens. 24tus nimbosus ac procellosus. 25tus ut & 26tus nonnunquam pluvias fundens. 27mus toto ferè die pluviosus. 28vus post pluviam matutinam subfrigidus & serenus. 29nus temperatus, serenus & amœnus, 30mus æstiva serenitate & calore mensem hunc simulque trimestre anni tertium absolvit.

Morbi hujus trimestris haud multum abludunt à prioribus; gemini nempe illorum Choragi cum affeclis suis in hâc quoque tragœdiâ personas suas egerunt, præterque illos Febres omnis ferè generis Ephemeræ, hemitritæ, tertianæ simplices & duplices, erraticæ & exquisitæ, quotidianæ, intermittentes & continuæ, putridæ, ut olim audierunt, & caustodes, quartanæ quoque, benignæ pariter & malignæ exanthematis se prodentes, variolæ & morbilli, pleuriticæ, Erysipelatodes, hecticæ & phthisicæ, Catarrhales tandem, Cephalææ pertinaces & enormes, paralyses, Epilepsiæ, tusses contumaces, asthmata subinde convulsiva, inflammationes gutturis, anginæ, hæmop-

toës, stranguriæ, hydropes, Hypochondriaci affectus, Hystericæ passionés, Cholera, diarrhœæ & dysenteria, Rheumatismi, Chloroses, Hæmorrhoides cœcæ & cruentæ.

Octobris primus serenus ac temperatus. 2dus manè obscurus, post serenior. 3tius manè nebulosus, mox serenus. 4tus manè pluvius, vesperi serenus & frigidulus. 5tus procella pluviis mixta tempestuosus. 6tus de die frigidus & ficcus, vesperi pluviosus. 7tius cum pluviâ modicâ procellosus. 8vus serenior, quandoque tamen pluvius. 9nus cum 10mo temperate sereni. 11mus tempestuosus, frigidus ac pluviosus. 12mus serenus & subfrigidus. 13tius manè serenus, postea impetuofus ac frigidus. 14tus ad 23tium manè pluviosum usque sereni, ficci ac temperati, præter 16tum, 19num & 22dum manè paulò obscuriores. 24tus manè turbidus ac frigidus, postea serenus. 25tus pruinosus & glacialis, cætera serenus. 26tus valide gelans. 27mus paulò remissior. 28vus cum 29no rigidè gelidi. 30mus cum 31mo postremo hujus mensis manè pluvii, sereni.

Novembris primus & secundus mane nubili, post subinde pluvii. 3tius serenus & temperatus. 4tus mane gelidus, postea serenus. 5tus cum modicâ nebulâ gelidus. 6tus & 7mus manè gelidi, vesperi remissiores. 8vus cœlo sereno remissus. 9nus noctu remisse gelascens, alias cum serenitate amœnè temperatus, cui compar fere 10mus, obscurior tamen paulò, sparsis nonnunquam modicè pluviolis. 11mus huic similis vesperi pluvius, 12mus satis alias serenus, semel parum pluviolæ sparsit. 13tius tota fere

die pluviosus. 14tus siccus ac frigidus. 15tus manè pluviosus cum siccitate postea alternavit. 16tus cum 17mo pluviosus. 18vus vento fatis forti aspirante ferentior, pluviolam raram serò spargens. 19nus frigidus sæpiusque pluviosus. 20mus procellosus insuper. 21mus cum 22do grandinosus quoque, 23tius cum 24to perinde, quandoque tamen ferenti. 25tus sudum cum nubilo, sicco sufflante vento campsit. 26tus toto fere die imbrofus. 27mus serenus ac subgelidus. 28vus manè gelidus, post nebulosus. 29nus nebulosus ac frigidus. 30mus mensis postremus spirante Aquilone turbidus, humidus ac frigidus.

Decembris primus postremo Novembris ex asse similis, turbidus, humidus ac frigidus, ut & secundus, sed siccior paulò. 3tius sereno cœlo gelidus. 4tus post matutinum gelicidium, cum 5to continuè pluens. 6tus quandoque tantum pluviolas sparsit. 7mus nubilus, siccus tamen. 8vus noctu gelavit, de die serenus. 9nus noctu ninxit, de die sereno cœlo gelavit. 10mus fatis rigidè gelans, 11mus regelavit, 12mus remisè gelidus manè absque pluviam, 13tius & 14tus,

ut & 15tus cum sequenti triduo cum pluviam remissiores. 18vus manè etiam imbre maduit, à meridie sole eluctante parum inclaruit. 15tus gelidus ac nivofus. 20mus ad 23ium usque sine nive gelidus cœlo sereno. 23tius remissior nubilus & nebulosus. 24tus cum 25to post nebulam inatutinam imbrofi, triduum sequens ventosum regelans ac pluviosum. 29nus parum gelascens atque ningens. 30mus & 31mus rigido gelu mensi huic & trimestri, simulque anno 1704. colophonem imposuit.

Morbi, si scorbutum ejusque comites, & sub illius larvâ sæpius latitantem infamem illam luem, cum appendicibus illorum exceperis, morbi hoc trimestri non adeò frequentes fuere ac præcedentibus. Febres nonnullæ ardentes & malignæ, quæ morbillis aut variolis ut plurimum stipatæ, catarrhales, pleuriticæ in tusses & Phthisin declinantes, vagæ quandoque, catarrhis suffocativis sociatæ, melancholicæ hypochondriacæ, & passiones hysteriæ, cephalææ & cachexiæ, tusses contumaces admodum &c.

Constitutio Epidemica Holsatica Anni 1706.

Dni D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

Hic jam morbi penitus silent, toto autem hoc anno variolæ confluentes sævissimè sunt grassatæ, multaque propemodum dixerim millia infantum, maximè tum & juvenum & adulatorum rapuere, per Holsatiam & Hamburgi. Prorsus autem tales se exhibuere, quales Sydenhamius de-

scribit. In principio mites, mox 2. vel 3. die erumpentes, optimè sibi constantes, neque gravioribus symptomatibus stipatæ; præterquam quòd deliria statim ab initio usque ad finem, levia tamen, adessent. Ubi verò ad statum perveniebant, & suppurabantur, nihil remittebat calor, pul-

pulsus semper frequens & celer, æqualis tamen nec admodum debilis erat, sed die 9. 10. vel 11. ubi ad summum ascendere oportebat, subito, & quasi in momento foveam ostendebant, confluebant, concidebant, pallebant, instar lepræ, in facie præsertim, & tum actum erat. Alexipharmacis & calidis exhibitis, iterum tuebant quidem, sed mox

redibant ad pristinum. V. S. ubi adhiberi poterat initio, optimè cedebat, etiam in infantibus. Non nunquam petechiæ conjungebantur in principio. Ubi verò evadebant ægri, fœditate maximè faciei pulchritudo evertebatur, oculi contorti, imo cœcitas etiam, ingentes furunculi, aut fistulæ ossa etiam exedentes, brevi sequebantur, & sphacelus.

Constitutio Anni 1709. Apud Labacenses in Carniola notata

à Dno D. M A R C O G E R B E Z I O.

POsteaquam præteriisset anni 1708. autumnus ferè in meris nivium cum pluviis, nebulisque vicissitudinibus, subingressus erat annus jamjam ad exitum properans 1709. cum eis nivibus, frigoribusque, quantorum ferè non recordamur unquam. Hippocrates 3. *Aph.* 17. quidem laudavit frigidas aëris constitutiones, dum dixit, *aquilonias constitutiones cogere corpora, firma, agilia, beneque colorata, ac auditu valentiora reddere.* Quantam tamen vim ex ferè universæ naturæ inferre valeant, si frigus suos limites transcendat, quemadmodum factum anno ad finem decurrente 1709. experta est cum maximâ calamitate universa Europa: & propterea quoque nos Labacenses ipsi, quibus planè terra ipsa fuerat à frigoris in Aprilem usque protensi, rarissimisque vicibus ab austris paulisper retusi inclementiâ adeò effœta, & infœcunda reddita, ut Colonis pro suis laboribus vix fatorum semen, & illud ipsum effœtum, & ærugine corrugatum reddiderit. Arborea frugifera, è quibus persicæ ferè cunctæ

sideratæ, aut nullum, aut parcissimum, & eum ferè verminosum, corrugatum, & certis nigris stigmatibus ab ærugine maculatum fructum portare: Vites similiter usque ad radices emortuæ, omni botrorum opimitate destitutæ, & sic de aliis. Quin faxa ipsa observabantur alicubi præ frigore in arenas comminuta. Et parvi demum æstimari poterat istud, si hujusmodi strages non etiam animata, & inter ea quoque hominem ipsum contigisset: verùm deploravimus, & deploramus etiamnum, quòd (ut reliqua animantia silentio præteream, quorum tamen plurima fuere frigore exanimata) ejus inclementia quoque ex incolis nostris plurimi, & nonnulli singularissimi viri propriæ vitæ internecone luerint. Tot siquidem vix unquam vidimus apoplexiis repentiè sublato, tot vertiginosos, arthriticos, catarrhicos, pleuriticos, phtisicos &c. quot hoc ipso anno. Cui alteri autem imputari poterat strages isthæc, quam rectâ enarratæ immensi frigoris immanitati? Cujus, cum juxta à nobis in

Chronologia nostra medica Anni I. §. XXII. & alibi dicta vis sit refrigerare, condensare, incrassare, coagulare, adstringere, & sanguinem cum reliquis corporum succis ob inhærentes sibi magnâ quantitate nitrosas, vitriolicas, & alias salinas atomos acrem reddere; qui aliter fieri potuit, quàm, quòd intolerabilitate illi frigoris, oclusi cutis pori ingentem alias per insensibilem perspirationem excludendam noxiorum humorum saburram in corporibus retinuerint: quæ intus coagulata facilè in cerebri meatibus substittit, desuperque aut repentinâ corporum in excalescentis hypocausti incalescentiâ, aut aliâ quâcunque occasione attenuata, & dissoluta eatenus diffuxit, ut universos, vel saltem potissimos cerebri meatus, & nervorum inde in reliquum corpus protensorum origines inundârit, obstruxeritque; eoque ipso spiritibus animalibus suam circulationem, & consuetum in subjectas partes influxum præpedierit. Unde repentinæ illæ, de quibus supra, apoplexiæ; vel si quâ obstructiones tantæ non fuere, tantæ tamen, ut præ iis spiritus animales cursum suum debito sibi tramite prosequi non potuerint, sed potiùs in gyrum acti fuerint; vertigines illæ, vel saltem certæ fluctuationes cerebri sæpe sæpius apoplexiarum, vel epilepsiarum prodromi; de quibus hoc anno plurimi non solum fuere lamentati, sed quipiam planè apoplectici successivè, vel epileptici facti. Quod si autem tales coagulationes, & subsistentiæ, seu stagnationes dictorum humorum simili modo in aliis corporis partibus quandoque accidere, aliæ ibidem evenere

indispositiones: veluti in pulmonibus vomicæ, ad quas postea consecutæ sunt primùm tussitationes inanes, successivè humidæ, & sæpe cruentæ; ultimatin planè purulentæ, cum totius corporis contabescencia phthiæsi nomine veniente, & interitu ipso: In collo scrophulæ, alibi alterius generis tumores. Quatenus tales humores autem copiosius ad nares destillabant, ad fauces, aut alias partes, evadebant gravedinum, raucedinum, tussium, & aliarum vulgò dictarum defluxionum causa, sicut arthriticorum, & rheumaticorum dolorum, si ii à frigore justò acriores redditi, inque perioostiis articulorum, vel etiam interjacentium partium depositi, ea suâ acredine rodebant, lancinabantque &c.

Sicut autem reliquis anni decursus erat quoad aëris temperiem ordinatior, ita erat sanitati humanæ conferentior: excepto, quòd vere Aprilis fuerit repentinè à præter morem vigorosis & constantibus Solis radiis adeò excalesfactus, ut auræ temperie ferè æstatem præ se ferret: Majus è contra ob prædominantem cum Euro Boream, pluviisque adeò rursus perfrigeratus, ut præ se ferret autumnum, quod ominosum Hippocrati 3. aph. I. quod tempus propterea etiam notabiliter plurimum erat ferax morborum. Æstate è contra & autumnò, utpote quoad auræ temperiem regulatioribus, tantò salubrius videbatur, neque observabantur in eis facilè aliæ indispositiones, (exceptis variolis totti anno communibus) præterquam sporadicæ, & quæ potius erroribus circa victus rationem commissis videbantur esse imputandæ, quàm aëris vitiis;

vitiis ; febres puta potissimum intermittentes, vomitiones, alvi fluxus, colici dolores &c. quamvis & ad hos poterat jam prius aliquod fundamentum jecisse prægressum adeò rigidum hyemale frigus saltem suū ac redine : sicut pariter ad vertigines illas, & apoplexias, quæ quibusdam etiam æstate ipsa, & autumno fuere perniciosæ. Probatum siquidem fuit à nobis in præcitata nostræ *Chronologia Med. Ann. I. §. XLIII.* morbos qui in temporibus accidunt, non tam ex præsentibus, quam ex præteritis aëris morbidis constitutionibus esse dimetiendos.

Nunc, qui præterit December jam in alteram hebdomadam constantibus zephyris perflatur cœlo nunc nubilo, nunc pluvioso, jugiter autem vaporeoso, existente. Metuo valde, ne cum tempore sinistri quid parturiat ! Curationes denique hæctenus enarratorum, & aliorum brevitatis gratiâ præteritorum morborum quod concernit, eæ quidem nihil singulare præ se tulere, utpote remediis nobis familiaribus, & in similibus casibus in *Chronologia nostra Medica* hinc & inde notatis communiter feliciter institutæ ; sicut tamen apoplexiæ communiter fuere fortes, adeoque ex sententia *Hipp. 2. aph. 42. incurabiles* : ita nullam recepere curationem, uti neque confirmatæ phthifes. Quæ apoplexiæ autem fuere leviores, eæ quidem demum rursus fuere superatæ, sed valde lentè : quemadmodum in certo arcium præfecto, quamvis ego eum non tam pro apoplectico habuerim, quam cui memoria adeò erat læsa, ut sui idiomatis omnimode per aliquot hebdomadas

oblitus fuerit. Reliqui siquidem Sensus utcunque sibi constabant, ille se etiam, quantum ex signis colligebatur, super omnia reflectebat : solum (quod quid est planè singulare) nullam prorsus rem significativa aliquâ voce nominare poterat ; verum quæcunque ad se explicandum loquebatur, vel etiam scribebat, erant articulata quidem, sed nihil significativa, qui nunc demum tamen ad tot usurpata eatenus se recollegit, ut ob defectum vocabulorum significativorum intrâ loquendum rarò tantisper subsistat.

Coxæ dolores fuere etiam plerumque adeò contumaces, ut etiamnum sint, qui eis jam à Vere hoc acerrimè detinentur. Certus Juris Consultus ex eis suppuratis planè interiit. In quo illud admirabar ego, quod priusquam moreretur ille, tussire, pectore dolere, & cruenta rejicere, purulentaque incœperit, ante nunquam pectore indispositus. Procul dubio à venis in ulcere absorptum, & circulando ad pulmones delatum, eos adeò corroserat, ut & illi suppurati successivè in tabem abierint ; Sed sic fit, dum Empiricis, sicut in hoc casu, confiditur : ubi prætermissa methodo curandi artificiali bonus patientis se totum Empiricis concediderat.

In Variolis denique, quarum curationes similiter feliciter succedebant remediis à nobis in *Chronologia nostra Medica* descriptis, (nisi eis accesserint vel petechiæ vel alvi fluxus) mirabar ego, quòd quantumvis illæ fuerint satis aliàs malignæ, & propterea multis perniciosæ ; nullas tamen post se relinquere solitæ sint

foveas. Uti &, quòd eas hæctenus nondum consecutæ sint febres petechiales; quòd tamen, quantum hæctenus observavi, communiter accidere solet. Nisi id forte primò fiat. Earum siquidem nondum est factus finis.

Quia, quibus accesserant alvi fluxus, communiter obierant, lubet curam pro Coronide adjungere, quam ego cum felici successu peregi in puellula novem annorum. Illa sub principium invasionis per superna aliquoties vermes rejecerat, per decursum autem dejiciebat frequentissimè cum torminibus cruenta, atque adeò verfabatur juxta dicta in manifesto vitæ periculo: postquam tamen sequentia ordine usurpasset, convaluit felicissimè. Omnium autem primò ipsi injiciebatur talis clyster abstergens: R. Decoct. hordei, cum rad. torment. ℥ij. flor. ros. rub. p. I. facti ℥ss. mell. ros. col. ℥β. m. f. clyster. Cui paulò post succedebat talis ad-

stringens: Rec. Lact. vaccin. chalyb. in quo decoctæ fuere rad. torment. ℥ij. herb. polygon. flor. hyperic. & verbasc. ana p. I. ℥v. Adde mell. ros. col. ℥β. ter. sigil. pulv. ℥iβ. m. f. Clyster, qui per decursum etiam sæpius repetebatur.

Secundò per os quotidie assumebatur talis bolus: R. Conserv. menth. Elect. diascord. Frac. troch. de ter. sigil. ana ℥ss. unicorn. foss. gr. v. lap. bezoard. or. gr. iij. M. cum Syr. coral. f. bolulus. Cui semper superbibebatur tantillum de vino cydoniorum.

Tertiò externè abdomini admovebantur calidè, à post & ante, sacculi herb. chamæm. absynth. menth. polygon. & ros. rub. referti, & in vino rubro decocti. Potus denique erat decoctum torment. gran. mastic. & crustæ panis. Cibus oryza, panatellæ ex bis cocto, &c.

Constitutio Anni 1710.

Quantum in conservanda, vel lædenda humanorum corporum valetudine valeant salubres, vel insalubres aëris constitutiones, dedimus pluribus in *Chronologia nostra Medica*, & docuit nos proximè validè dicturus annus 1710. utpote qui sicut hyeme fuit paucis nivibus perspersus, & propterea toleranter frigidus, ita fuit paucissimis morbis, & eis potius sporadicis, ac ab inordinata vitæ ratione, quam epidemicis, ac ab insalubri aëris temperie dependentibus obnoxius, planà aliter, ac postremo præterlapsus annus 1709. quem utpote nivofissimum, frigidis-

simumque ante annum recensueramus, fuisse apoplexiis, epilepsiis, vertiginibus, gravedinibus, cephalæis, pleuritidibus, raucedinibus, tussibus, hæmoptysibus & omnis generis aliis defluxionibus quàm plenissimum. Est verum quidem neque hanc hyemem eis ipsis affectibus omnino caruisse: certum tamen æquè est, eis longissimè minus fuisse obnoxiam. Meque sine ratione: quando enim tempora in sibi connata temperie citra singulares, repentinas, & multum sensibiles de calido in frigidum &c. mutationes (qualiter factum hanc hyemem toleranter boreali, & æquali-

qualiter frigida) decurrunt; sicut in corporibus non accedunt singulares alterationes, ita neque singulares morbi. *Mutationes* siquidem temporum teste Hipp. 3. aph. 1. potissimum pariunt morbos, & in ipsis temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris. Quales proinde cum non acciderint hâc hyeme, ea non potuit fuisse singulariter morbosa. Quod ea verò interea tamen morbis non caruerit, fecêre, uti dixi, potius subinde commissi in victûs ratione errores, quàm aëris morbosa constitutio.

Ver autem sicut erat nonnihil inordinarius, & à septima Aprilis usque ad undecimam ad prægressam mitiorem auram nivoso pluviosum, & ex Borea sensibilius frigidum. In Junio etiam sæpe sæpius tempestuoso grandinosum, consequenter pariter ultra modum asperum; ita memoratis defluxionibus tantò magis dives. Cæterum verò tamen ob prægressam, uti dictum, mitem, & nivibus ferè expertem hyemem adeò acceptum, ut jam sub dimidio Aprilis omnia essent in virore, & flore: 21. Aprilis etiam præter solitum siligo actu aristas protruderet.

Quod nunc dictum est de Vere, idem planè accipiendum venit de æstate, utpote similiter variâ sæpius pluvioso tonitruosa, & ex potissimum prædominante Boreâ sæpe etiam sub ipsis canicularibus potius frigidâ, quàm more sibi debito æstuosa, & præterea etiam præterquam satis, vineisque nocivâ, Catarrhorum, tussium, arthritidum, & morborum autumnalium, si quæ alia, ferace. *Per anni* siquidem *tempestates* teste

Hipp. 3. aph. 4. *quando eodem die, modo calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.* Teste Valeriolâ etiam de loc. com. lib. 2. cap. 4. *Si vicissitudine quâdam aquilonius flatus austrinum sequatur, fluxionum tum morbi sequentur.*

Autumnus denique non fuit quidem adeò varius, ac communiter esse solet, eò quòd excepto fine Octobris, quo ex diutiùs protractis pluviiis omnia aquis inundabantur, non fuerit admodum pluviosus, neque consueta ventorum alternatione multum inæqualis: in eo tamen erat præ aliis hujus anni temporibus insalubris, quòd ferè incessanter aut prædominarentur Austri, venti teste Hipp. 3. aph. 5. insaluberrimi, aut aura fuisset nebulosa, crassa, humida, vapida, & veluti stagnans diutissime Solis radiis orbata, ac propterea maximè tetrica, & præsertim melancholicis adversa, merarum obstructionum fabricatrix. Hinc etiam ferè nunquam tot Consilia medica circa affectiones hypochondriacas habita, quàm rectè hoc autumno. Quamvis præterea plurima passi fuerint etiam arthritici, quartanarii, & colicis doloribus torti cum non rarò desuper consecutis epilepticis convulsionibus, aut paresibus. Taceo catarrhos, & omnis generis defluxiones, quorum utinam majores effectus non primò in futurum experiremur, vel etiam pestiferæ luis, cum de ejus sævitia aliàs jam multum spargatur, ulteriorem progressum! Nulla siquidem aëris constitutio solet esse hujusmodi malignitatis adeò ferax, quàm rectè talis. Quamvis,

uti in *Vindiciis meis medicis auræ Labacensis* §. XXIX. memini, apud nos non eò usque; ob vicinitatem maris Adriatici, ex quo in transitu flatibus austrinis multùm particulæ salinarum volatiliùm admiscetur, quibus putridinosa illorum malignitas corrigitur. Plurimùm sunt passæ etiam in uteris gerentes, propterea sæpius vel ante destinatum tempus puerperæ factæ, vel morbosos foetus enixæ ob acetabula uterorum mucore ex tantis aëris humiditatibus contracto referta.

Curabantur autem colicis doloribus torti feliciter lenibus lavativis per intervalla propinatis, anodynis, quale fuit præprimis ol. amygd. dulc.

& carminativis, quale erat decoctum florum chamomil. rom. cum additione succi stercoreis equini avenâ pasti, & Syr. de althæâ Fern. quartanarii præmissis præmittendis tali specifico: Rec. Cort. peruv. alcohol. ℞ij. flor. Salis Armoniaci, Antimonii diaphor. ana ℞. M. f. pulv. detur mane & vesperi, sed methodo tali, ut febris non solùm emanat, quod plerumque intra hebdomadam fit, verùm etiam nunquam ampliùs revertatur, quod etiam facilè præcavetur.

Arthritici denique suis specificis, præsertim off. microcos. phil. pp. Antimonio diaph. cinnab. nativ. mixturâ simplici, lumbr. terr. &c.

DISSERTATIO EPISTOLICA

De Mulhusini Territorii finitimorumque locorum Constitutione Epidemica

Anno 1700. observata,

Ad DOMINUM LUC. SCHROECKIUM,

Cæsareo-Leopoldinæ Nat. Cur. Academiæ Præsidem &c.

Augustam Vindelicorum transmissa

à JOHANNNE GEORGIO HOYERO,

Philosopho, Med. Doctore & Cæsareo-Leopoldinæ Nat. Cur.

Academiæ Collega Apollodoro dicto.

§. I.

Licet in historia morborum epidemicorum primus vetustissimorum scriptorum Hippocrates defudaverit, & digito quasi filiis artis usus tanti laboris prorsus insignes monstraverit, nescio tamen, quo facto sequentium temporum scriptores negligentius ferme tractaverint Epi-

demica. Postquam autem postliminio exteri Medici, celeberrimus Sydenhamius de Constitutione Londinensi, atque splendidissimum Italiæ sidus excellentissimus Ramazzinus de Constitutione agri Mutinensis scripta divulgaverunt, genus horum scriptorum non solum ab omnibus solidè doctis

doctis semper fuit expectatum, sed & eorum vicit opinionem.

§. 2. Enim vero cum non minus Climata, sub quibus laudatissimi Viri suas observationes consignarunt, ut & vitæ genus seu rerum sex non naturalium usus aliaque à nostratibus diversissima sint, ipsique Germani, dum pati videntur idem quod Græci, Angli, vel Itali, idem profecto non sit, quis obsecro non commendet, quæ plures excellentissimi Viri de diversarum Germaniæ nostræ provinciarum Constitutionibus Epidemicis conscribere operæ pretium putarunt? Quibus eruditissimis, si parva magnis componere licet, Epidemicam Territoriæ patriæ Mulhusini Constitutionem superaddere, ac perillustri Tuo nomini inscribere non erubescō. Fateor enim, à singulari gratia Tua erga me, de quâ suavissimè in literis tuis ad me datis scripsisti, magis me affectum fuisse, quàm Herculem Xenophontium illum à Voluptate, ut ea adducar ad hoc suscipiendum amorique tuo plusculum etiam, quàm facultas & copia mea forsitan concedit, largiar.

§. 3. Laudatum itaque liberæ hujus, & Imperialis Civitatis territorium sub elevatione poli 51. grad. 20. minut. in Thuringiæ & Hassiæ confiniis situm ampla & amœna planitie conspicuum, soli polique singulari clementia beatum, quamvis præ finitimis locis saluberrimum quidem putatum, nihilominus tam ab aëris & tempestatum injuriis, quàm ab epidemicis & contagiosis morbis minimè fuit immune. Nam ut à fine lapsi præcedentis seculi potissimum exordiar, (pluribus aliis, quæ duo-

bus lustris, licet minus perfectè notaverim, data occasione intermiscendis) hyemale tempus nam finiti 1699. quàm auspicati 1700. anni nobis prorsus inconstans erat: nunc rigido Borea ab axe reunte, mox pluvioso nobis Libanoto (vento inter Austrum & Favonium medio) spirante; nunc maxima nivis copia defluente, mox nebulosa ac nubilosa, maximam verò partem pluviosa, rarius procellosa intempestate, varias subinde molestias creante.

§. 4. Durabat hæc tempestatum varietas ad æquinoctium usque vernum: & sicut his mensibus variis macrocosmi status, ita microcosmus etiam variis symptomatibus & ægritudinibus erat obnoxius. Tenellorum, qui nutritionis annos nondum excesserant, plures febribus catarrhalibus, non nulli catarrhis suffocativis decumbebant, qui tamen omnes ferme post adhibita pectoralia, balsamica diaphoreticis maritata, laxativis & emeticis pro re nata interpolatis ex voto convalescebant. Sub finem mensis Januarii, Morbillis affligi cœperunt, benignis quidem, adeò ut pluribus, modici caloris temperamento servato, sine medicamentorum usu morbilli copiosi erumperent, ac tempore solito rursus evanescerent. Paucis atrocius afflictis bezoardica fixiora, aquæ destillatæ & papaveracea proderant, quorum nonnullis, qui medicamenta neglexerant prorsus, post exantlatos morbillos tussis cum febre hæctica difficiliter curanda eveniebat.

§. 5. Adultorum quidam doloribus Arthriticis, tum vagabundis scorbuticis, tum fixioribus (quales morbi

nobis endemii quasi sunt) menses hyemales fere durantibus discruciantur, qui tandem per medicamenta specifica, sudorifera interna, nervina & spirituosa externa, Venæ sectiones & scarificationes iteratas &c. unguinosis & emplasticis [nodos & affectus chronicos imo prorsus incurabiles causantibus] vitatis, feliciter sopiebantur. Alii febribus ardentibus & malignis, periculosis phænomenis, pleuritide, deliriis, convulsionibus &c. stipatis corripiebantur, non tamen ut annis præcedentibus æquè lethiferis, nisi forsan unus & alter, vel ab empirica manu, vel negligentius tractatus ad plures abierit.

§. 6. Imminente tempore vernali anni 1700. humidiorum tempestatem status aëris temperatior & sicciore excipiebat, qui per hos menses Euro subinde spirante continuabatur: Adeo ut pluvie vernaes fertilitatem præfagientes rariores, ipsaque tellus pulverulenta quasi notaretur, & hinc frugum æstivarum spes agricolis dubia redderetur. Id quod eventus ipse pluribus in agris tardius satis comprobabat. Neque enim hordei, avenæ, leguminum, pluriumve æstivarum opimam æque quam hybernorum frumentorum, siliginis & tritici messem vidimus.

§. 7. Jam Morbillos excipiebant Variolæ apud alios interstinctæ, apud alios confluentes: quamvis tam vernalibus hisce, quàm mensibus æstivis, paucis exceptis, qui diætæ limites excefferant liberius, minus funestæ. Neque febres more malignarum decurrentes jam cessabant, nonnullis medicamenta prorsus insuper habenti-

bus in nostro territorio lethales. Vicinorum autem locorum, imprimis septentrionem versus sitorum, Liberræ Imperialis Northusæ & aliorum finitimorum oppidorum & pagorum incolis, & Hercyniæ Sylvæ accolis, tam præterito brumali, quàm hoc vernali tempore magis infensæ & pluribus exitiosæ.

§. 8. His ita contingentibus non potui non ruminari prognosticon, quod anno superiori 1699. grana illa nigricantia majora in siligine copiosissimè reperta, & per magnum Thuringiæ tractum ab Hercyniâ ad Semaenam usque sylvata observata (vernaculâ linguâ *Mutter korn* appellata) curiosis subministrabant: videlicet ab usu monstrosum ejusmodi granorum inevitabili, non sanè farina laudabili & altrice, sed inutili, depravata & insalubri protinus materia ipsis etiam brutis nauseam movente refertorum, variis morbis, febribus, variolis, morbillis, aliis, afflictum iri genus humanum.

§. 9. Cui præfagio cum jam responderet eventus, illorum sententiam confirmare videbatur, qui morbos epidemicos non præsentium, sed præcedentium effectus esse persuasum sibi habent. Quamvis à mente mea impetrare nondum potuerim, ut hoc assertum *κατὰ πάντας* affirmari posse credam. Certissimum quidem est, prava & depravata alimenta ab annis præcedentibus nobis suppeditata, multo usu continuata, epidemicos affectus sæpe producere: Qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus talis sanguis, qualis sanguis talis valetudinis nostræ status. Enim vero constitutiones præsentis non solum plures.

Epidemicos morbos, alimentis etiã sanis existentibus, parere, sed illos etiã, quos vitiosis cibis debemus, quasi modificare seu intendere & remittere cum magno Hippocrate, rerum magistra quotidiana experientia testatur. Ecquis enim dubitavit frigidum, humidum, & cœnosum atmosphæræ statum (qualis supra citata nostra hyemalis erat) ἀδιανυσταί (quæ illustri *Wedelio* teste *Theorem. Med. part. IV. Sect. 2. th. 3. infinitorum morborum & febrium mater est*) peperisse? De quo pluribus ingeniosissimus *Sanctorius* in *Medicina Statica Sect. 2. aphorism. VI. & VIII. &c.* videndus.

Ecquis negabit aëris nostri verni & mox dicendi æstivi statum sereniores nos affectus benigniores nobis reddidisse? Ut jam ea, quæ superioribus annis, de periculosis affectibus epidemicis à præsentī constitutione unicè quasi derivandis notavi, nunc mittam, neque de contagio, de nebulis, de roribus vitiosis & aliis mille malis, (queis atmosphæra nostra in dies & horas obnoxia) machinæ humanæ mediante respiratione, dictum factum exitiosis hîc quicquam memorem.

§. 10. Amplissimus hic aperiretur campus de nebulis, de roribus, imprimis autem de causa dictorum corruptorum filigineorum granorum, rore puta vitioso, mellei saporis & consistentiæ, [nostratibus *Honigthau* nuncupato] differendi: sed ne justo prolixior sim, ea, quæ hîc inferere potuissem, ad observationes anno futuro, DEO volente, Ephemeridibus Germanorum, communicandas reservo.

§. 11. Post Solstitium tempus æstivum calidius & siccius usque ad æquinoctium autumnale permanebat: Pluviis enim non, nisi expectatissimis evenientibus, cœli serenitas constantissima ridebat, lætamque messem & optatam, flantibus suaviter Etesis, nobis reddebat. Exoptatissimus omnibus erat hujus temporis status: Postquam enim caritas annonæ mortalium myriadas partim fame emaciaverat, partim ad incitas redegerat, jam jam sub auspiciū seculi, velut è cornu copiæ, omnium rerum pro vita sustentanda necessariorum Divina Munificentia largiebatur opimam messem. Horrea frumentorum ad laxiorem annonam redeuntium abundantiam vix capiebant: Conclavia, cellæ, pavimenta, larga rerum copia & opibus Cerealibus quasi scatebant: Neque vini ultra duo lustra desiderati, spes concepta autumno sequente decollabat. Tantæ felicitatis non ultimam sanè causam laudatissimum calorem æstivum putandum esse jam dudum præfagivit Virgilianum veriloquium *Georgic. I. Magnaque cum magno veniet tritura calore.* Cujus veritatem sicut præcedentium quorundam annorum sterilitas, ita sanè præsentis fertilitas per universam Europam satis confirmabat.

§. 12. Interea temporis non cessabant affectus epidemici, videlicet variolæ continuatæ benigniorum more sua tempora decurrebant, neque malignitas earum jam crescebat. Præter hæc quotidianæ, tertianæ tam continuæ quàm intermittentes & quartanæ febres, minus tamen rebelles & rariores observatæ & post

adhibita probata remedia brevi fugatæ. Febres ardentes autem suo contagio eo latius serpebant, quò intensior his diebus sentiebatur æstus. Mirum profecto febres hæcæ symptomatibus malignis horrendas, minimè tamen lethales, hoc potissimum tempore, quod saluberrimum videbatur, invaluisse. Nec inanem locabo operam si plenius paulo, tam phænomenorum, quàm curationis historiam brevissimis hæc tradam.

§. 13. Corripiebantur hac Febre non solum juvenes, sed mediæ ætatis utriusque sexus homines, quin etiam senes. In plurimis horrorem prævium calor totius summè efferatus subsequēbatur: Hinc sitis, vigiliæ & atroces dolores capitis & aliorum membrorum circa articulos præsertim se exerentes, notabantur. Arthriticis hæc doloribus vexati paralyticorum more decumbebant, adeo ut neque pedes, neque manus suis fungi possent muniis. Nonnullis alvus & urina vel invitis per aliquot dies effluebat. Deliria leviora paucis saltem aderant: Vires autem omnibus pene valde prostratæ. Aliis vomitus biliosi, aliis diarrhœæ satis molestæ. Quibusdam fluxus hæmorrhoidum nimius, ab imperitis pro fluxu dysenterico habitus: Plurimis hæmorrhagiæ narium largissimæ imo prorsus enormes eveniebant. Cumprimis verò quosdam Cardialgiæ summè dolorificæ tantopere discruciabant, ut de salute corporis desperantes sacram Eucharistiam moribundi, velut ultimam ad consequendam æternam salutem medicinam, unice expeterent, quin imo à Syncopticis & moribundis discerni vix possent.

§. 14. Neque contagii expers erat hoc malum, dum unico decumbente, plerumque reliqui, quotquot aderant, domestici vel unâ vel aliquandiu post eadem febre corripiebantur. Ut enim reliquos tam in civitate & suburbiis, quàm in pagis decumbentes silentio præteream, exempli loco adducam milites à Centurionibus sive Capitaneis quibusdam nutu potentissimi Daniæ atque Norwegiæ Monarchæ noviter hæc conscriptos, quorum unus & alter hoc febris genere cum forte vexatus fuisset, brevi post eodem malo plures afficiebantur, adeo ut intra duorum vel trium mensium spatium plures quinquaginta curationi meæ traderentur.

§. 15. Ex phænomenis citatis, velut ex ungue leonem, causam febris hujus proximam particulas alcalinas massæ sanguinæ crasin seu mixtionem nimis rarefaciendo turbantes, facile dijudicare poteram. Ex quo fundamento curationis methodum formare non adeò difficile erat. Scilicet calor æstivus intensior, ætatis vigor, potus cerevisiæ nostratis satis lupulatæ calidior & copiosior, enormes hæmorrhagiæ, omnia & singula phlebotomiam præprimis postulare videbantur, quam plerisque semel, quibusdam pro indicationis modulo bis administrare suadebam. Sanguine vix evacuato, singulari stratagemate sudorem quem quidem Celeberrimus *Baglivus*, *Medicus Romanus* Prax. med. lib. I. post sanguinis missionem cum levamine patientis statim apparere scribit, medicamentis procurabam. Quo fine pulveres ex bezoardicis fixioribus C. C. phil. præparat. oc. cancr. antimon. diaphoret.

phoret. rad. contrajerv. corall. rubr. terra figillata, nitr. anodyn. vel pulv. bez. *Wed.* addito camphoræ tantillo loco sudoriferi nonnullis eximio cum successu propinabam, atque febrem in prima quasi herba citius ac felicius quam Emeticis vel Purgantibus sine singulari successu quibusdam datis, suffocabam. Morbo nihilominus ingravescente, dolorum capitis mitigandorum, & delirii præcavendi causâ, Vesicatoria optato cum levamine nuchæ applicare suadebam. Morbo durante balsamica & bezoardica remedia ex Tinctur. prophylact. m. d. eff. myrrh. simpl. & balsam. Scordii, Mixtur. simpl. Elix. p. p. &c. præscribebam. Ad restinguendam sitim, loco potus ordinarii, vel infusum veronicæ, vel cerevisia secundaria tenuis valde, cui vel Tinct. rosar. vel papav. errat. vel violar. vel ipse spiritus vitrioli sedulo instillatus commendabatur.

§. 16. Interim verò symptomatibus reliquis, vel ex maligna morbi natura, vel errore diætæ individuo contingentibus, aptis remediis obviam ire non negligebam. Nam ut verum fatear, majorem curam talia *ἐπιχειρήματα* postulare videbantur, quam ipse febrilis affectus. Sic urgentissimum symptoma Cardialgia, quod nonnullos tantopere discruciaabat, ut ab agonizantibus discerni vix possent, spirituosis aromaticis carminativis, vel imprimis pulvere absorbente *Wedelii* plerumque curabatur. Dolores Arthritici contumaciores, spiritu volatili urinoso bezoardico, eff. anod. nec non pulveribus bezoardicis diaphoreticis cinnabarinis, tar-

dus quidem, feliciter tamen mitigabantur, additis præsertim anodynis. Opiata enim, quæ febre Arthritica epidemica anno 1699. grassante, instar salivæ viperinæ vitanda, jam velut anchora sacra nobis erant. Vomitus spontanei, vel biliosi, vel assumptorum, ut & alvi profluvia, quando diutius durabant, Mixturis ex eff. theriacal. tinct. terræ catechu, & tinct. opii, cum succo cydoniorum per fermentationem parata, nec non pilulis stypticis m. d. pulveribus ex terra figill. bol. armen. C. C. Ust. rad. bistort. pulv. bez. *Wed.* &c. compescebantur. Hæmorrhagiæ narium, aliis quarto, aliis septimo, aliis nono, vel undecimo die contingentes, quæ multum negotii facessere solebant, ultra euphoriam, & ad lipothymiam usque durantes, præter interna refrigerantia & incrassantia, externo probatissimo styptico Anglicano, sive in forma sicca, sive spissa cum aceto & gossypio, applicato: Hæmorrhoides nimis fluentes, præter pulveres è stypticis & bezoardicis conflatos, essent. theriac. traumat. *Wed.* à *Beato Hagendornio* in *tr. de terrâ Catechu* descripta, sistebantur. Faceo pleuritidem, tam veram, quam spuriam, anginam, alvum per multos dies adstrictam, alia remediis aptis aliis curata. Adeò singula phænomena, quamvis periculosa putata, facili negotio tollebantur, & quæ à Practicis infidæ crises passim notatæ, jam fidæ, perfectæ & salutares erant. Hoc apparatu perexiguo, tum laudatus gregarius miles, cum plures vilioris conditionis homines, DEO benedicente, ex voto curaban-

tur. Delicioribus nonnullis, præter dicta, potiones cordiales confortantes, & pulveres bezardici pretiosiores præderant.

§. 17. Quod verò admiratione maximè dignum, ne unicum satis periculose licet decumbentium, mensibus quidem æstivis vivere desuisse memini. Neque Lunæ phases notabilem his febribus alterationem attulisse vidi, qualem tamen, cum præcedentibus annis 1698. & 99. febris epidemica, quæ nonnullis petechialis erat, hîc loci grassaretur, multoties mecum plures curiosi, præsertim mensibus hyemalibus & autumnalibus observabant. Mensibus enim his singulis omnibus fere, Luna decrescente vel silente nonnulli febricitantes, tam illi, qui ab experientissimis Medicis summâ industriâ probatis medicamentis curabantur, quam qui naturæ, morborum medicatricis, ope freti, sine ullo remedii genere decumbebant, celerius opinione Libitinæ tradebantur: convalescentibus plerisque, qui post Novilunium ad crescentem usque Lunam manebant superstites.

§. 18. Vix attentius hæc mentis lance trutinasse, nisi laudatissimum *Ramazzinum*, febre petechiali in civitate & agro Mutinensi grassante, idem illud observasse, dissertationis ejus *decuriæ quartæ, Ephemeridum Germanorum anno quarto insertæ paragraphus XVI.* testaretur, aliosque, ut lunæ phases in morbis epidemicis animadverterent, hortaretur. Quam ob rem non desii causam rimari, cur febres continuæ malignæ, non tamen æquè omnes promutationibus lunæ, adeo subitaneis

alterationibus, mortem ipsam portentibus, sint obnoxia? Cujus phænomeni causa quo dilucidius explicetur, suppono

I. Juxta tritum:

Ad lunæ cursum variant animalia corpus, lunarem influxum (reliquis tam superstitiosis quam sanioribus astrologorum opinionibus juxta recentiorum quorundam hypotheses jam semotis) esse extra ullum dubium statuendum, imprimis in morbida animalium corpora, de quo cum laudatus *Wedelius in theorem. med. part. 3. sect. 6.* tum præprimis philosophorum recentiorum *Celeberrimus & accuratissimus Sturmius in Philosophia Eclectica disp. de siderum influxu p. m. 632. seqq.* legi merentur.

II. Influentialias hæc lunares, quas vel alia sublunaria, vel ipsa præprimis ægrotantium corpora sentiunt, vix aliunde quam à lumine lunæ dependere, & sicut tempore interlunii nullum lumen, ita neque influentialias habere lunam; videatur *Sturmio loco citato.*

III. Influentialias tales esse subtilissimas & quasi spirituales, ideoque subtilissimum succum nervosum, quem spirituum animalium nomine indignant, potissimum concernere, id quod exempla Epilepticorum &c. toto die manifestum faciunt.

IV. Dari febres, quæ succum nervosum subtilissimum, seu spiritus animales, magis afficiunt & quasi depauperant quam massam sanguineam. De quibus *Celeberrimi Würdigii Medicina spirituum* pluribus consulenda. Ut jam non laudem quotidianam experientiam, quando Me-

dici

dici clinicam praxin exercentes ingeminant : *Urina bona, pulsus bonus, æger moritur* : præfente puta malignitate non æquè vitales quàm spiritus animales peffundante. Ex his colligere licet, utique ab influxu, lunari tempore lunæ decrefcentis & interlunii debiliori existente, dependere lethiferas ejufmodi alterationes, in febribus præfertim nervofum genus feu spiritus animales potius quàm massam fanguineam afficientibus. Nimirum spiritus animales ab inimico miasmate febrili depauperati, tantisper refocillantur subinde per influentias lunares lunæ crefcentis & plenilunii tempore fortiores, hisce verò tanquam aliquali fomento luna decrefcente vel filente deficientibus, spiritus ipsi magis magisque deficient, deficientibus spiritibus vita deficit, & ægrotus vivere definit. Vix opus est difquirere prolixius, num febres petechiales agro Mutinensi, & malignæ territorio Mulhusino annis 1698. & 1699. citatis moleftæ, nervofum genus magis affecerint quàm massam fanguineam? cum ipfæ spirituum & fenfuum læfiones variæ, Syncope, lipothymia, convulfiones epilepticæ, deliria phrenitica & alia symptomata, quæ febribus illis frequentia fuerunt, id fatis evincant. E contrario, cujus occasione hæc dicta sunt, æftivam noftram in massa fanguinea radicatam, & hinc prophafibus lunæ tantis alterationibus minus obnoxiam fuiffe, per fuprà memorata clariffimum est.

§. 19. Sed ut è diverticulo redeam in viam, ex illis fanè, quæ de morbis æftivis fuperius allata, luce meridiana clarius elucefcit veritas eo-

rum, quæ divinus præceptor *Hippocrates de Constitutione temporum* passim in operibus fuis commentatur : quicquid alii in contrarium afferre fufinent. Ita fanè velut è tripode Apollinis dicta, quæ *libro de aère, aquis & locis §. III. p. m. 330.* rectè divinat : *Siquidem æftas ficca fuerit, citius fedantur morbi : Si verò pluviofa, diuturni fiunt. & 3. aphorism. 15. Inter anni status omnino ficcitates imbribus affiduis sunt falubriores, minusque funeftæ.*

§. 20. Quæ quàm confentanea vero fint, ipfe equidem, qui fequebatur Autumnus fatis pluviofus etiam contrario exemplo confirmabat. Quippe post Æquinoctium autumnale circa Michaëlis feftivitatem mira cœli clementia huc ufque continuata pluviis affiduis permutabatur, intercurrentibus nonnunquam ventorum injuriis ; Quibus ad finem mensis Octobris perdurantibus, Sole ad fcorpium accedente, circa vindemiam nebulæ pluribus diebus constantes cum frigore fatis acri in scenam prodibant. Mensis fequentis Novembris aufpicium austrinum erat cum pluviis copiofiffimis. Hisce post novilunium, aliquandiu ceffantibus frigora nocturna, Sole interdiu splendente, ventoque inter Zephyrum & aquilonium medio spirante vix diutius durantia notabantur.

Mox nivem primam vidimus, fed pluviis fubfequentibus ad finem mensis durantibus alternantem. Sole medios Sagittarii gradus perambulante furere cœpit Aquilonius nive & frigore comitatus, phœbo dies quofdam ferenante : Sed brevi post Car-

bas rediit pluviosissimus. Frigore tandem brumali leniori ad solstitium usque perdurante, tempus autumnale finiente.

§. 21. Tempestat itaque pluviosissima per maximam autumnii partem notata, non solum deteriore reddebat recensitum hæctenus affectum epidemicum Variolarum, sed novum insuper morbum, Tussim putata contumacissimam, tenellis itidem magis quam adultis exitiosam, chronicam ferme difficulter curandam, & hinc tam medentibus quam ægrotantibus molestissimam, præprimis circa vindemiæ tempus, post nebulam illam dies aliquot durantem, in scenam producebat. Ab hæc tussis afflicti, materiam quasi purulentam veluti phthifici consummati, copiosissimam nonnulli ob tussis vehementiam sanguinolentam (ruptis à motus vehementiâ & materiæ acrimonia venis pulmonaribus) exscreabant. His pectoralia, resolventia, balsamica, diaphoretica, nervina, anodyna, diluentia decocta levamen quidem afferebant, quibus verò laxativa subinde superaddita, non nisi post hebdomadam plurimum decursum curam tandem sigillabant.

§. 22. Delineata interim febris epidemica postquam depontanis quibusdam senibus finem vitæ fecerat, contagio suo plures haud afficiebat, sed cum calore æstivo ferme cessabat. Variolæ verò, quas per menses vernaes & æstivos benignas deprædicavimus, cum mutabili tempestate suum quoque mutasse genium videbantur, ex benignis & distinctis malignæ, confluentes & quasi ἐπιδημιαὶ factæ. Existimarem profecto

coeli & tempestat singulararem clementiam, qua tum verno, tum æstivo tempore gavisi eramus, variolas huc usque nobis conservasse benignas, nisi annus præteriti seculi 1689. contrarium me edocuisset. Licet enim annus citatus pari, si non majori, cœli clementia rideret, nihilominus Variolæ Brunsvigæ & Hafniæ eodem tempore æstivo grassantes, genii malignioris erant, ipsisque Hafniensibus imprimis adeo infensæ, ut plus mille hominibus, atque inter eos pluribus primariis, & ipsis juventutis Principibus, epicedia pararent: Autumnalibus verò mensibus anni citati, præsertim mense Octobri, brumali frigore ingruente, prorsus evanescerent: Ut hinc in aprico sit, neque à temporis & atmosfæræ statu Epidemicam constitutionem unicè derivandam, sed alias circumstantias, de quibus supra diximus, semper simul & quasi conjunctim, considerandas esse.

§. 23. Nostrarum itaque Variolarum genium, graphicè quasi delineatum, laudatissimus Dn. Sydenhamius in observ. Med. Sect. III. cap. I. exhibet, quando scribit. *Appetente æquinoctio verno, Variolæ caput ceperunt attollere, jamque indies latius grassantes sub autumno ἐπιδημιαὶ factæ sunt.* Cujus quidem phænomeni causam, quam silentii pèplo involvit, capite subsequente secundo paucis innuere voluisse videtur, quando, *Variolæ, inquit, quibus annis epidemicè grassantur, si regulares etiam sint atque mitiores, circa æquinoctium vernum ingrediuntur: Quibus verò annis non tantum grassantur epidemicè, sed*

sed & irregulares atque periculosis sunt generis, maturius nonnunquam, mense puta Januario invadunt. Quasi dicere voluisset: pro varietate causæ nunc maturius & maligniores, nunc tardius & benigniores contingunt variolæ. Videlicet Massa sanguinea particulis recrementitiis, ferosis, sulphureis, salinis volatilibus & fermentificis copiosioribus inquinata, Variolæ prognerantur maturius & malignæ: iisdem verò in minori quantitate præsentibus, tardius & benignæ fiunt. Peregrinas verò ac morbificas ejusmodi particulas massam sanguineam inquinantes, nostrarum Variolarum causas, partim ob vitiosæ filiginis usum, partim ob fructuum Cerealium esum in tenerioribus imprimis comite à *Asiatica* extitisse facile colligere licet. Quamvis interim non negem, esum carniæ ex laudatissimi *Wedelii* sententia, in *Doctrina manuscripta de febribus cap. 18.* videnda, in locis mediterraneis, sicuti piscium in maritimis, hunc morbum non parum vulgare.

§. 24. Inde verò manifestissimum fieri censeo, nodum in scirpo quære, qui Variolas à sanguine menstruo materno veluti causa accersere laborant. Vellem sanè ac possem falsam ejusmodi hypothesein ab Arabibus, imprimis maximo Arabicæ scholæ Magistro *Ebusina seu Avicenna lib. IV. Fen. I. tract. IV. c. II. pag. 434.* effictam, & adhuc hodie in scholis receptam, & ad ravim usque defensam, pluribus rationibus, phænomenis, observationibus, tam à priori, quàm à posteriori refellere, nisi Celeberrimus *D. Behrens*, Practi-
Th. Sydenham Oper. Tom. II.

cus Hildesiensis, in peculiari *Epistola de Variolis epidemicis ad Perilustrem Dn. Frankum de Frankenau, S. R. I. Equitem, Archiatrum Danicum &c. data, Ephemeridibus Germanorum Dec. III. ann. 3. insertâ,* idem satis abunde fecisset.

§. 25. Id saltim nostra ætate vestustæ illius sententiæ Patroni explicent mihi velim, cur ex eadem parente prognatorum unus variolis laboret, reliquis sine exanthematibus vel febricitantibus vel etiam beile valentibus? Cur vice versa plures decumbant Variolis, uno vel febricitante vel bene valente? aut quod magis mirandum foret, cur gemellorum unus variolis laboret, altero salvo permanente? Dicant mihi quæso ex fictitia hypothesei, cur unus, vel unâ, plus unâ, secunda scilicet, & tertia vice, quod multoties observavi, Variolis affligi possit. Dicant denique quomodo nonnulli, qui per totum vitæ decursum à Variolarum contagio liberi permanserunt, in extrema demum senectâ, quod nuper vidi, corripiantur iisdem? In quibus quæso ductibus, tubulis, meatibus, vel venarum & vasorum anfractibus, veluti latibulis delituisse putandum fermentum illud in utero susceptum, & per tantam annorum seriem à nullis febribus, vel aliò morbò, à nulla tempestate, à nullis cibis, à nullis medicamentis etiam fortissimis & volatilibus, per circulationis leges, angustissimos machinæ humanæ ductus & poros permeantibus, extricandum vel eliminandum?

§. 26. Ex causis itaque citatis permenses vernos & æstivos variolæ benignæ cum symptomatibus consuetis

& benignis eveniebant, nisi fortassis error individuus diætæ uni vel alteri maligniores redderet. Quo pacto puella quædam satis bella & sana, dum cerevisiam recentem non satis defecatam largius biberet, variolis malignis & confluentibus correpta & convulsa moriebatur, convalescentibus reliquis omnibus, quotquot eodem tempore decumbebant: adauctâ scilicet causâ morbificâ à fecibus cerevisiæ recenti permixtis.

§. 27. Autumnalibus verò mensibus intempestate tepidâ & humidâ diutius continuata, accedente frugum Cerealium (quarum equidem maximam abundantiam ex hortis suburbanis, queis hæc urbs veluti densâ & ampla quadam sylvâ cingitur, annis fertilioribus colligere solemus) usu abundantiori & iterato, plurimis periculosiores nec paucis lethales eveniebant.

§. 28. Jam præter symptomata ab aliis recensita Diarrhœam, Salivationem, phrenitidem & alia, frequenter notabantur pandiculationes, sternutationes, stridor dentium, angina, vellicationes labiorum & narium. Ex his stridor dentium motibus convulsivis accensendus, periculosus, non tamen omnibus æquè lethalis erat. Sed periculosior angina, ipsi etiam *Avicennæ* loco citato dudum suspecta, à variolis fauces & pectora obsidentibus, tam deglutiitionem, quàm respirationem ipsam inhibentibus, sæpe sæpius omnimodam quasi suffocationem inferentibus. Ut hinc rectè *Lomnius*, in *observationibus Medicalibus* pag. m. 295. *Quisquis huic malo succumbit ferè, tanquam ex anginâ*

præfocatus moritur. Ingenuè fateor me huic malo, postquam radices egerat, hæctenus nondum mederi potuisse, quanquam à phrenitide, diarrhœâ pluribusque phænomenis [à scriptoribus, pro perniciosis habitis] vexatos, feliciter cum DEO liberaverim. Id tamen silentio non prætereundum, me certè habere persuasum, posse tale symptoma potu calido præcaveri: Cum neminem decocta, vel alium potum calidum, nec non juscula avenacea &c. absorbentem, licet linguam & fauces copiosæ variolæ obsiderent, angina correptum vel mortuum fuisse meminero. Neque assiduæ vellicationes labiorum, & narium, ab ἀρρωστία διανόιας, perinde ut floccorum compilatio in adultis, febribus malignis lethaliter decumbentibus deducendæ, periculo vacabant.

§. 29. Revalescentibus præter moderatum caloris regimen & victum tenuem, pulveres bezoardicos Sennerti, Wedelii, epilepticum Marchionis, vel ex antimonio diaphoretico, Corn. Cerv. philosophicè calcinatò, unicornu vero philosophico, perlis, coralliis, conchiis præparatis, nitro anodyno pulv. anod. cordiali, camphorâ, lapide bezoar orientali, occidentali; conflatos, magis quam volatilia spirituosâ &c. proficua fuisse vidi. Præprimis à solo dicti lapidis Bezoar Orientalis usu plurimos sine præsentia Medici ex voto à Variolis liberatos fuisse multoties observavi. Incredibile profecto dictû, quàm cito & quàm bene ab usu lapidis hujus omnia symptomata, convulsiones, anxietates & alii eruptionis prodromi conquieverint,

rint, ipsis variolis egregio ægrotantium cum levamine erumpentibus. Hinc non possum non mirari eos, qui pretiosum hunc lapidem, quem factitium putant, infra dignitatem nativorum verbi gratia lapidum cancrorum, concharum, vel aliorum de-jicere frustra laborant. Refragantibus quotidianis experimentis, & Medicorum principum testimoniis. Quorum plures ut jam non laudem, ipsum equidem Perillustrem atque Magnificum Dominum *Illmerum de & in Wartemberg*, Consiliarium & Archiatrum Cæsareum & Regium &c. lapidem bezoar orientalem magni æstimare, atque agonizantibus & alterum pedem velut in tumulto habentibus, tanquam ultimum remedium non absque pereximio successu cum aliis exhibendum suadere *ex Decurriæ III. Ann. I. Observat. LXVIII. Ephemerid. German.* pluribus elucescit. Præterea decoctum euporiston ex Corn. Cerv. raspat. glycyrrhiza, scorzoner. passulis min. hordeo, lentibus, nec non Emulsiones & potiones bezoardicas cordiales, vel expellentibus, vel temperantibus pro re nata variatas, instillatis tenui potui Mixturis ex Tinc. papav. rhœad. non acidulata, clyffo antimon. sulphurat. spiritu nitri dulci &c. multum profuisse notavi. Neque balsamica & bezoardica media; verbi causa Tinctura prophylactica m. d. [quam præservandi fine, tam in Hafniensibus anno 1689. quam nostratibus utilem deprehendi] eff. myrrh. balsam. Mixt. Simpl. successu carebant.

§. 30. Nonnulli denique, postquam à malignitate Variolarum prorsus liberati quidem videbantur, vel à

materia morbificâ non penitus eliminata, vel ab aëriis injuriis, vel diætâ neglecta, vel alia causa procatartica nescio qua levissima, periculosiss, imo lethalibus affectibus aliis denuo corripiebantur. Quod licet nonnullis prædicebatur; tantum tamen aberat, ut haberetur fides, donec propriis exemplis confirmarent *Hippocratis lib. 2. aphorism. 12. Morborum reliquias, quæ à crisi supersunt, recidivos morbos parere.* Plurimos hoc pacto tussis contumacissima, vomitu quandoque comitata vexabat, febre lenta simul affictos, qui multis pectoralibus, diluentibus, humectantibus, nervinis, balsamicis & laxativis curari vix poterant. Aliis abdomen intumescebat, facie inflata, infra caput macie conspicua, quasi rachitide laborantibus. Taceo tumorem pedum, scabiem tam siccam quam humidam, tineam variaque ulcera, quibus affligebantur alii. Quorum quidem plurimis siquidem vires mediocres suppetebant, Laxativa iterata, ex resinâ gialappæ cum spiritu appropriato decenter solutâ, cinnabari nativâ, antimonio diaphoretico, confect. alkermes syrup. rosar. vel violar. &c. & Balnea ex herbis siderit. conyz. tabac. saponar. organ. serpill. flor. chamæm. ocul. popul. &c. instar anchoræ sacre subveniebant. Reliquos tabes sensim consumebat.

§. 31. Cæterum nec tempore hyemali imminente cessantem Variolarum luem, sed satis licenter vagantem, ne limites epistolaris Dissertationis digrediar, alia occasione plenius delineandam reservo.

§. 32. Has verò Observatio-
E e 2 nes

nes ad Te deferre persuasit, tam non obscura tua in me benevolentia, quam peracre tuum in his iudicium. Demonstrasti enim te tritas habere manus notandis ejusmodi observationibus & consuetudine legendi. Singularem verò tuam benevolentiam nisi exoscularer, ferreus essem, dum tot Illustribus atque Excellentissimis Viris in Cæsareo - Leopoldina Naturæ Curiosorum Academia me quoque Collegam forte indignum adscribere non dedignatus. Stabat quidem sententia Cydoniologiam ad normam & formam Academiæ nostræ tractatam publicæ luci nunc exponere; Enim vero postquam Excellentissimum *D. D. Georg. Sebast. Jungium,*

Aulæ Cæsareæ Medicum, Tractatum de Cydoniis Viennæ impressum [nuspian à me visum] conscripsisse, honoratissimæ Tuæ literæ d. 9. Decembris anni proximè finiti ad me datæ pluribus dixere, mentem mutavi, ipsasque schedulas, in quibus hujus pomi Virtutes & usus sanè insignes rudi quasi penicillo delineaveram, abjeci, ne fortassis Iliada post Homerum scribere putarer. Interim observantiæ ergo, quam Tuo nomini debeo, hoc quaecunque Praxeos clinicæ specimen gratique animi mei symbolum exhibere volui, debui, quod ut æqui bonique accipere velis est, quod summopere contendo.

Apollodorus.

*Scribebam Mulhusæ Imperialis d. 25.
Januarii, Anno Christi 1701.*

Constitutio Epidemica Tubingensis Anni 1701.

Dni D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

Quanquam de raris & epidemiis verum fortè sit illud Galeni, se observandi morbos occasionem præ Hippocrate habuisse commodiorem, cum unus Romæ vicus plures habuerit incolas, quam integra urbs Græciæ, atque adeò ex tantis urbibus, uti & è castris, historia hujus anni epidemia plurimum sibi promittat, non tamen parva negligenda putem, sed & ex talium particularium collectione formandum aliquid universale, imò juvat nosse, quibus satis diversa loca ex diversis causis in pace aut in bello fuerint exercita, ut pateat, quid universale anni vel particulare loci fuerit. Decimus per Dei gratiam completur

annus, à quo Tubingam liberam reliquit dysenteria, quæ cum per tres annos prioris seculi octuagesimum nonum, nonagesimum, nonagesimum primum, belli injuriis aliàs graves, ab æstate in autumnum epidemiè fuisset grassata, tum more etiam epidemio requievit, ut cum interim fama publicaret ipecacoannam novum antidysentericum, eo hætenus opus nobis non fuerit, nec experimentis ejus laudes comprobatae; quibus tamen multum derogat, si verum, quod in novellis legi, pro Gallorum exercitu aliud novum remedium antidysentericum in Italiam fuisse mittendum. Nostram pacem sive illas inducias

ducias rupit nupera æstas, & alvi fluxus noviter urbi intulit. Quam prior illa æstas, quæ ante decennium finem dysenterix tulit, sicco calore prævaluit duas præcedaneas, tam ultima hæc nupera omnes hæctenus intermedias; quanquam illa nonagesimi tertii æstas, dysenterix apud nos non ferax, æstuosæ siccitatis testimonium habuerit in bonitate sui vini & frumenti. Recordor quoque anni nonagesimi noni, quòd mense Junio satis etiam calido & sicco, diarrhœas quasdam concitarit, & metum mali gravius invaliduri jam tum incusserit, sed in herbâ velut suffocatum malum brevi evanuit, quanquam & illa æstas tulerit vinum & frumentum bonum, calidæ temperiei fructus. Quæ itaque & qualis fuerit labentis hujus anni æstas, notoria quidem, determinanda tamen: Primò enim frigida veris constitutio, diu nimis durans, & ad finem usque Aprilis se extendens, nec Majus sivit incallescere, sub inconstante adhuc aëre, nisi versus finem; abhinc autem invaluit æstiosa temperies, an potius intemperies, audiebantur passim tristes novellæ de calamitatibus gravissimarum tempestatum, quæ per DEI gratiam super capita nostra transierunt ferè innoxix; raræ parcæque pluvix siccitatem contemperare non valebant, usque dum finis Augusti aliquale frigus ferret, novam autem denuò subsequam æstatem terminaret pruinosus sub finem September, prævalente hæctenus siccitate. Astra qui volet, his applicabit & determinabit ex ephemeridibus. Respondit istis, post tardam utique germinationem, contra

spem bona & messis & vindemia, etenim uvæ ab immaturâ putredine, quam minabantur plurimum acinorum hospites vermiculi, quò minus latius serperet, cohibuit illa siccitas: Poma autem & pyra verminosa pleraque præcociter ceciderant, nec diu asservari potuerunt, in putredinem nimis proclivia, ne de fagorum foliis, gallarum extraordinariâ copiâ obsitis, de brassicâ ab erucis depastâ, &c. dicam. Prius verò & ex vicino quodam vaccarum grege (salvo nostro) hydrops pectoris multas abstulerat, & anserum juniorum strages aliquibus locis tanta fuerat, ut præ foetore sepeliri debuerint. Hæc igitur æstas iterum inter nos alvum fluere fecit; primi qui laborare cœperunt, erant infantes, mense statim Junio, plures sequenti Julio, quo etiam adultos (non tamen ex illis diætæ erroribus famosos) invasit diarrhœa quædam torminosa, acuta, imò cum vomitibus spasmoque furarum, cholera. Tandem rari in urbe dysenterix, non ita malignæ, casus, frequentiores ex pagis aliisque locis audiebantur, nec tamen ullus illorum fluxuum, uti quidem minitari videbantur, nimis apud nos invaluit, nec stragem edidit, non desideratis nisi paucis infantibus: Insuper autumnò in totum sat cito hic loci omnis lues requievit. Meæ tum curæ concreditis succurri, præter usum pulverum pannonicæ, antimonii diaphoretici, gelatinæ cornu cervi siccæ, seminis plantaginis, in congruis vehiculis, methodo imprimis Mortonianâ, successum secundante Deo, jungens corticem peruvianum cum electuario diascordio

per syrupos in bolos, vel ejus extractum cum nostro bezoardico aut theriacâ cœlesti in pilulas formando. Ultra illos alvi fluxus nil epidemii tulit æstas, nisi quòd eodem tempore puerorum genæ communiter intumuerint, auditi quoque fuerint catarri æstivi, sive tusses plerunque siccæ, quibus addi possunt tres studiosi unius collegii, quorum unus

hæmorrhagiâ narium enormi, alter hæmoptoe largâ, tertius vomitu cruento sub idem tempus laborarunt. Hæc est nostra æstivi fluxûs historia, quam propterea notare volui, ut conferri possit cum aliis, utpote spe fretus, fore vel tandem clariorem causam, cur non omnibus, sed certis annis fiant talium epidemiorum recursus?

Ejusdem Schediasma ad Historiam Epidemicam Anni 1702.

Quandoquidem adhuc super nos manet DEI benignitas, quam prioribus annis deprædicavi, quod pristinam epidemiorum morborum malitiam Tubingæ gravem represserit, nec sinat huc usque iterum invalescere, idcirco historiæ illorum pro hoc anno per modum appendicis tria solum breviter subjungam, quæ notari poterant.

Ante omnia inconstantia & anomaliam, quæ per ultimam hyemem, uti & per duas priores fuit, non satis videntur respondere morborum effectus; Major illa fuit, & omnino talis, ut sub eâ sanitatem mortaliū adeò benè sibi potuisse constare, sæpè admirationem moverit, dum pauci utique per urbem illo tempore ægrotarent, & malignorum epidemia planè exularet, eorum autem morborum, qui quadranti anni sunt congrui, nec magnus numerus, nec extraordinaria esset ferocia: Hoc est paradoxum, quod vexare possit & soleat practicos, sævire litem eandem sub diverso aère, & filere ipsam sub tali, quem morbiferum accusaveras.

Quia verò morborum effectus non

statim ipso mense vel quadrante erumpere, sed sequenti demùm succedere perhibentur, huc proin referri poterit, quod secundo notari meretur, scilicet utut interdum propriè epidemium in urbe nihil sit, sed sporadicè multi ægrotent, certo tamen tempore plures ægros abripi, quam alio, per morbos diversos & dispersos: Tale fuit tempus venum hujus anni sub finem Aprilis & principium Maii, quò personæ diu infirmæ, senes, viduæ, infantes, plures quam alias fuerunt abreptæ. Quomodo singulorum ita fata concurrant, vel in quantum debilitas eorum non ferendo conveniat, facilius est determinatu in thesi, quam hypothesi.

Tertiò, quæ de fluxibus alvi mediocritatem adhuc servantibus per æstatem ad annum præteritum notavi, huc repeti possunt pro hoc anno; nam pariter cum æstate redeunt non invaluerunt ultra gradum pristinum. Illud modò addam, aliundè ad nos advectum fuisse quid mali gravioris. Inter reduces ex castris ad Landavium, qui febre tertianâ & diarrhœâ laborarunt, unus ex civibus sub finem obsidionis, ibi & Philipsburgi non

non nisi per diem unum & alterum commoratus, vix domum attigerat post medium Septembris, cum dysenteriam deiceretur atroci. Hæc uti per contagium hausta fuisse videtur, quia non tam errores in diætâ commissos novit, quàm conceptum inter infectos horrorem ipse accusat, ita domi etiam se diffundit ad plures, observans quidem fatalem illum morem, quo certæ solùm personæ solent corripì, salvis aliis: Nam conjux omnium sordium injuriis exposita mansit intacta, conjugis autem soror ipso die septimo, à decubitu viri completo dejecta fuit, & die sequente filiulus trimulus sedes torminosè cruentas frequentare cœpit; evasit tamen illa triga feliciter, & perstitit hanc intra domum lues. Multo autem gravior fuit hujus viri dysenteria peregrè allata, quàm ulla per urbem spontè oborta, non solùm duratione in tertiam septimanam & dejectionum nimis citatâ frequentiam, sed & excreti diu sinceri cruoris, dein non mucii verum flavo-viridis liquaminis, copiâ perquam magnâ, stipata etiam symptomatum molestissimâ vehementiâ, præter oppressionem præcordialem, tormina, tenesmum, inprimis, dysuriam, & tantum non jugi singultu, de quibus ultra decem dies, & præ reliquis majores audiebantur ægri querelæ. Cùm die sextô, quô demùm, post tentata domi varia, consuli cœptum, ut & diebus sequentibus nullæ distingui possent remissionum & exacerbationum vicissitudines, & urina omnis rubedinis expers, flava & clara, sed turbata admodum facilis, offerretur, paucis, cùm non tam febris (nec aph-

thæ unquam nec deliria supervenerunt) quàm fluxus & vires urgere viderentur, æger item à meridie per vesperam sumtas ana duas corticis peruviani & electuarii diascordii drachmas, ut ingratam sibi formulam, porrò nausearet, inde purioris cruoris copiam citari prætendens: Itaque pro nocte primùm modicam narcotici dosim extractis corticis, tormentillæ & bezoardico addere consultum videbatur, & ob bonum effectum continuare alternatim tales pilulas & emulsiones ex semine papaveris albi, plantaginis, amygdalorum, in congruo vehiculo, edulcoratas cum absorbentibus & pulvere anodino, semper ita dosi nocturnæ reservando vim opiati: Per dies verò suis horis dabantur quater scrupuli pulveris ex unicornu fossili, coralliis, semine plantaginis, priapo cervi, dente hippopotami, pannonico, itidem in consimili vehiculo; Quibus tandem accesserunt datæ subin guttæ balsami peruviani, cum cochleari syrupsorum papaveris erratici, rosarum rubrarum, symphyti, & electuarium temperatum cordiale stomachicum. Dubia movit potus, cùm ab aquâ cieri alvum, à vino æstum prætenderet æger; Videbatur ergò medium tenendum, concesso modico vino vetere pro passu, etiam ob languorem & anorexiam perparco, extra id tempus præscripto decocto ex rasurâ cornu cervi, mastiche, & cinnamomo: Serum lactis commendatum nescio cur citò nauseavit æger, multum autem gelatinæ cornu cervi hausit solutæ in vario vehiculo calido. Externa scrobiculo cordis, fedi, membro, roboris

boris & linimenti ergò admota, & cætera, prolixius recensere opus non fuerit. Illud addendum, dysenteriam foeminæ cruore multo, magnis torminibus, ad usque deliquia, non impediisse tamen, quò minus die quarto, stato utique tempore, venirent menses, & durarent aliquandiu, citius tamen finiti, quibus etiam id dandum videbatur, ut interim parcius insisteretur usui ischæmorum.

Quam in Ephemeridibus Meteorologicis Tubingensibus olim exhibui Tabulam motuum mercurialium per triennium, eam ulterius ad præsens tempus continuatam, perque annos adeò plusquam octodecim extensam, quia brevis est, publicè hîc propono, dum ephemerides ipsæ tot annorum domi latent prolixiores. Observationes quidem circa Experimentum Torricellianum fuerunt inscriptæ alicubi difficiles Nugæ; habuerunt tamen suos vindices. Transeat, aut maneat liberum, quorumcunque iudicium: meam ego tabulam illis modò destinavi, qui nihil temerè prætermittentes etiam Perpetuo tali Mobili delectantur, utuntur. Horum non modò Curiositas cum propriis conferre alienas amabit observationes, verùm etiam sagacitas per earum sylvam venabitur prædam aut scrutabitur vias, quas in Meteorologiâ non minus ac in Epidemiâ occultit Natura. Ne asymbolos ipse sim, excerpam unum alterumque casum, cui applicari possint, quæ in tabulâ exhibentur stationes: Si prius monuero, sermonem adhuc esse de uno eodemque Barometro illo simplici, cui scalam admotam fuif-

se olim monui minorum decem, quallium palmo Romano dat P. Lana; Illam hâc vice subdivisi in gradus viginti, ut evitarem numerorum fractiones. Sic omnium suprema statio & altitudo mercurii designatur per semiminuta 20. medium scilicet scilicet habet 10. imum 0.

Horum sive decem palmi minorum sive viginti scilicet graduum varietate absolvantur motus mercurii intra tubum, quibus extrâ respondent motus aëris tanti & tales, ac per hos annos contigisse meminimus magnâ copiâ & differentiâ. Variant anni, interdum nec ad summum nec ad imum scilicet deducunt mercurium, variant menses, interdum diu quasi in eodem tenent ipsum, sub exiguâ motuum differentiâ; alias intra paucos dies fit lapsus à summo ad imum, aut ascensus ab hoc ad illud. Itaque si cui libuerit comparare annos annorumque partes inter se, habebit, in quo se exerceat: occurret autem ipsi communius hyeme gradus supremus, interdum quoque autumno, rarius primò vere, nunquam æstate. Quibus autem mensibus supremus, iisdem quoque infimus: sic æstivis neuter. Adeoque differentia illa motuum maximam decem, novem minorum est hyberna: autumnalis nunquam minor quinque minutis, sæpe fuit major: His æstiva nunquam major, sæpè minor. Dantur autem menses omnium anni partium, quibus non nisi trium min. est differentia: uti dantur interdum dies, quibus quasi suorum motuum dememinisse videtur mercurius, hærens diu in eodem.

Sed ad ea, quæ promisi, specialia.

lia. *Diluvium tempestuosum* anno 1702. d. 13. Jul. de quo in ENC. 3. 7. 137. non fuit cum illâ mensis statione humili, quam exhibet tabula, sed cum medio scalæ: Præcesserat descensus non nisi per gradum unum; planè non pro ratione talis ac tantæ exonerationis, tam venientis quàm fientis & factæ. Belli fluctus, quorum omen illud tunc metuebatur, irruerunt utique nimis heu graves, transfierunt tamen DEI gratiâ; quæ vel tandem plenè ipsos compescat! Nondum quippe cessant. Nam nupero demum Augusto hujus anni 1710. noviter fuit præceps vallium nostrarum inundatio; iterum non cum humilitate, quanta solet esse cum talibus exonerationibus aëris hybernis, sed cum gradu modò scalæ sexto.

Ominosum quoque inter alia nimis multa tristia signa videbatur *fulmen extraordinarium*, cum nocte præcisè mediâ inter ultimum Decembris An. 1702. & primum Januarii An. 1703. ad sonum ferè duodecimæ graviter detonaret vetus, aut intonaret novus annus: Utique tristis recordationis. Tulerat ferus & ultimus vesper lapsus ad imum illud scalæ, quod in tabulâ, sub austrino, laxo & humido aëre. Mansit diu tunc humilis mercurius, imò quod non aliàs factum, descendit adhuc infra illum scalæ imum: Ut non nisi illâ vice differentia motuum fieret major decem minutis. Citò enim, ejusdem quippe Januarii sub finem, conspicuus iterum fuit in altiore gradu illo, quem tabula exhibet. Nescio, num ad causas vel signa fatorum talium spectet, quod

singulare tunc videbatur spectaculum: Mars accedens ad vicinos Saturnum & Jovem; hoc subinnuisse modò sufficiat.

Anno 1705. ad gradum scalæ, quem tabula offert, sextum cecidit Majo mense *intempestiva nix*; nobis quidem pluvia, vicinis autem Alpibus utique nix copiosa. Scribatur tunc ex provinciis Germaniæ septentrionalioribus, gravem pati arbores calamitatem, præ nivis mole avulsos vel grandes tiliarum ramos: Ad Alpes nostras multâ nive tectæ & pressæ segetes & vinearum frondes, manserunt tamen in salvo, post paucos dies resurgebant & lætè virebant; retardata modò; non uti aliàs à pruinis, læsa fuit germinatio. Successit brevi, sc. nivi diei 25. aliud die 29. meteorum, cum jam supremam mensis stationem occupasset mercurius, sub aëre nondum quieto, dejiciebat enim granedulæ copiam, Apriliformis.

Ex An. 1706. *Eclipsis Solis* memorabilis fuit neque cum supremâ neque cum infima Maii mensis statione, sed cum mediâ: Et quod sub Eclipsi solari partiali, magnâ tamen, An. 1699. in ENC. 3. 7. 88. annotavi, de barometri nullâ profusus factâ mutatione, per omne illud obscuracionis tempus, idem sub Totali nobis & Annulari pariter omninò se habuit. Stetit mercurius obscuro illo tempore, quasi crepusculo, fixus, planè invariatus, ne pili latitudine vel demissus, vel elevatus, utut thermometri fide aër benè refrigeraretur. Vesperi autem comparuit per quartam minuti partem humilior: Tunc nubes pomeridianas

quidem diffilarat eurus, sequens mane tamen tulit pluviam; & serus vesper signum gratiæ, Iridem, cum altior jam ac ante eclipsin esset mercurius.

Annorum 1707. & 1708. *hyemes austrinæ* non tulerunt consuetam altitudinem. Januarius 1708. vernus potius, quam hybernus; quo in pratis colchicum, mezereon in silvis floruerunt. Et insolita tamen illius temporis lenitas & temperies docente thermometro fuisset nobis per æstatem summa rigiditas. Nunquam illo mense altus mercurius, vix semel, nec diu, venit ac stetit ultra scalæ medium, plerumque multum infra ipsum. Cum in imo hæreret per decimum & sequentes dies, mirum non fuit cum aëre turbulento, sed satis quieto, grato, apud nos, post nebulam aut flavedinem vel rubedinem matutinam, tunc frequentem, non pluviosus, sed vel serenus vel nubibus Solisque radiis alternans. Alibi forsitan se exoneravit. Die illius Januarii 20. & seqq. cum perturbaret aërem ventorum vis, & ferret fulgura, irides, pluvias, mercurius quidem descenderat, sed non eo usque. Interim passim quoque scribitur aliunde, visa meteora varia, facta diluvia, delapsos ignes, &c. Communiter autem, ex Septentrione, esse potius ver, quam hyemem. Prægressus December 1707. fuerat non minus & aëris & mercurii motu Apriliformis; differentiam suam quatuor minutorum absolvens, vel viginti quatuor horarum spatio, à nive ad ejus solutionem: Nec ad imum nec ad summum scalæ, ut alias hyeme solet, unquam pertigit.

Anno 1709. Januarii *hyems sine pari*, sive gelu extraordinariè longum & magnum, non obstitit, quò minus caderet mercurius, scilicet ad venturam opportunè nivem, tegmentum segeti. Certè per diem duodecimum & tres sequentes benè humilis, etiam post nivem adhuc, sub aëre sereno, constanter gelido: Atqui mediâ æstate communiter illa statio solet esse tempestuosa. Non nisi uno minuto humilior stetit die quinto, ante gelu illud, qui tamen fuerat toto cœlo diversus, scilicet austrinus, laxus, pluvius, quem rigor venti nocturnus strinxit & mutavit in planè alium; tunc enim nix & gelu hyemis illius acerrimæ principium. Hinc decimo sexto motus per scalam sursum, nondum tamen ad summum: quò pertingit demum die decimo nono serenato post nebulas constanter aëre. Tales tunc dies quatuor, inter quos unus ex frigidissimis totius mensis, & per quos tamen descensus duorum minutorum. Cum verò intra breve tempus per tria minuta fieret ulterior lapsus ad scalæ medium, tunc alia venit nix, & comparuit ad vesperam pruina murorum; Hinc molestissimi rigoris, vel tandem aliqua relaxatio. Fuit, siquidem Astrologos audire lubet, prævia laxitas austrina sub oppositione Martis & Solis. Superveniens oppositio Saturni & Mercurii dedit principium hyemis per stringentem euroboream. Finem fecit oppositio Saturni & Veneris cum PL, & aliis ad diem Pauli. Supremam interim mensis stationem & inclementiam fuisse non sub istis, sed sub quadrato Jovis & Solis, mirum fortè cuiquam videri posset.

Sic utique visum quondam fuit *M. Slutero*, occupato in dextrâ applicatione principiorum *W. Cokii* ad constitutionem meteorologicam anni 1695. ubi tractat inter benè multa notatu digna quæstionem : cur calefaciens alias quadratum Jovis & Solis die sexto Decembris forte gelu tulerit ? Transeat hîc examen rationum, hoc solum addam : Ante seculum *Helis. Roeslinum* in d. navig. Septentr. [laudato Belgis libello] de hoc paradoxo jam monuisse Astrologos. Scilicet hybernum gelu à Saturni configuratione cum aliquo planeta fuisse mitigatum. Contrâ, Solem, Jovem, Martem, Mercurium tunc configuratos frigus intendisse. Exemplis annorum 1608. 1609. Quo ipso simul innuitur alterum Sluteri dubium, quòd scilicet conjunctio Saturni & Solis uno anno liquationem, altero gelu tulerit. Ete-

nim d. 18. Dec. 94. sub illa intensum frigus : anno 95. d. 8. Jan. sub conjunctione Martis & Solis liquatio, ad imum scalæ : d. 13. Jan. post conjunctionem Saturni & Mercurii gelu fuit, ad supremam mensis stationem ; Et ad analogiam cum aspectibus & meteoris Jan. anno 1709. Cæterum, priores illæ hyemes austrinæ uti videbantur fovere Pestem Polonicam, ita succedens borealis eandem sperabatur extinctura : Et erat utique silentium aliquandiu : verum enim verò tristia porrò leguntur in novellis publicis. Opponam adhuc illi gelu, *æstium*, quem sustinuimus per dies Julii anno 1707. quatuor, scilicet d. 19. 20. 21. 22. insolitum ; non tamen cum humili mercurio, nec cum magna motuum differentia, sed à supremô hujus mensis, & communiter æstatis gradu, à nebula per serenitatem extremè calidam ad tempestatem

F f 2 noc-

T A B U L A
Motuum Mercurialium.

| | 1691 | 1692 | 1693 | 1694 | 1695 | 1696 | 1697 | 1698 | 1699 |
|------------|------|------|-------|-------|-------|------|------|------|------|
| Januarius | | 20 2 | 20 10 | 19 6 | 16 1 | 20 4 | 18 4 | 14 0 | 20 0 |
| Februarius | | 14 1 | 19 4 | 19 10 | 18 4 | 18 4 | 16 0 | 16 6 | 16 4 |
| Martius | | 15 2 | 14 2 | 15 5 | 14 4 | 14 0 | 18 0 | 16 8 | 17 0 |
| Aprilis | | 14 2 | 12 6 | 15 6 | 10 3 | 14 5 | 14 5 | 12 4 | 14 0 |
| Majus | | 13 4 | 12 4 | 12 5 | 13 4 | 16 7 | 14 8 | 14 6 | 14 5 |
| Junius | | 12 5 | 13 6 | 13 8 | 16 6 | 15 5 | 14 4 | 15 8 | 16 4 |
| Julius | 13 7 | 13 5 | 13 8 | 14 7 | 13 8 | 14 6 | 14 7 | 14 8 | 14 6 |
| Augustus | 14 9 | 13 6 | 13 6 | 12 7 | 16 6 | 16 8 | 16 5 | 14 6 | 15 8 |
| September | 16 8 | 16 6 | 15 4 | 15 4 | 12 4 | 17 1 | 14 4 | 14 6 | 16 6 |
| October | 16 9 | 15 6 | 17 4 | 16 0 | 19 6 | 14 4 | 18 5 | 10 0 | 16 5 |
| November | 15 0 | 14 4 | 15 4 | 14 0 | 16 11 | 10 0 | 16 0 | 15 3 | 20 0 |
| December | 18 7 | 20 2 | 18 0 | 19 5 | 14 2 | 18 4 | 14 8 | 18 2 | 20 0 |

nocturnam, sensim facto descensu non nisi per quatuor gradus, nec infra scalæ medium. Interim, qui primo die aspirarat adhuc aër lenis, dispellens nubeculas (quæ quidem solet esse gratia *Etesiarum*, sive euroboræ & euri, pomeridianum aërem temperantium) emanabat prorsus, ne auræ quidem appulsus sentiebatur, urgebat autem calor, quantum thermometri testimonio ab illo tempore nullus annorum sequentium tulit. Hæc, ut dixi ad tempestatem; qui cum succederent posteriores binis diebus sequentibus, & obtineret insignis temperati jam, imò refrigerati, aëris inconstantia, tunc quod siccus calor non potuit, procuravit laxa humiditas, scilicet descensum ulteriorem, ut differentia tamen stationum sub tam diverso aëre fieret octo tantum graduum. Si cui libeat recurrere ad *Ephemerides* illius temporis astro-

logicas, inveniet Jovem apud Martem, & aspectus forsitan pro etesiis quoque & subsequa inconstantia.

Cum reviderem Tabulam, offendi, quod æstate rarum, *scalæ imum* ipso *Julio* anni 1703. Itaque recurrens ad *Ephemerides*, deprehendo lapsum per quatuor minuta factum intra 24. horas, & mox reascensum intra horas non plures, per quinque minuta, die mensis sexto, sub aëre non calido, cum pluriæ copia ventique impetu: Flabat ille ex plaga à meridie ad occasum, versus quam nobis situs est *Lacus Podamicus*. Atqui hic ipse tum dicebatur intumuisse ultra modum; An perturbatus appulsu hostis vicinæ graviter minacis?

Video etiam, quod vix alias factum, *Decembri* non stetit *humilem mercurium*, sed tenuisse octavum scalæ gradum anno eodem 1703. Inspicienti autem *ephemerides* occur-

rit

five

Stationes Barometri supremæ & infimæ.

| 1700 | 1701 | 1702 | 1703 | 1704 | 1705 | 1706 | 1707 | 1708 | 1709 | 1710 |
|------|-------|------|------|------|------|-------|------|------|------|------|
| 20 0 | 14 2 | 18 0 | 18 0 | 16 0 | 18 6 | 16 10 | 16 8 | 12 0 | 18 2 | 16 0 |
| 14 2 | 16 2 | 20 0 | 10 2 | 18 2 | 19 0 | 16 4 | 14 8 | 16 2 | 16 2 | 16 8 |
| 18 6 | 12 0 | 16 4 | 16 6 | 12 2 | 18 0 | 16 6 | 16 6 | 12 2 | 14 4 | 14 0 |
| 16 2 | 14 4 | | 14 2 | 14 4 | 16 2 | 14 4 | 14 0 | 12 2 | 14 4 | 14 2 |
| 14 5 | 14 6 | | 14 4 | 12 5 | 14 6 | 14 6 | 12 6 | 14 4 | 12 4 | 16 6 |
| 14 4 | 16 8 | 11 6 | 14 6 | 14 4 | 14 4 | 14 6 | 14 6 | 12 4 | 14 6 | 14 8 |
| 16 8 | 14 4 | 12 6 | 14 0 | 14 6 | 14 7 | 14 8 | 14 6 | 14 6 | 14 6 | 14 6 |
| 14 8 | 16 6 | 14 4 | 12 6 | 14 8 | 14 6 | 14 8 | 12 2 | 14 6 | 14 8 | 14 6 |
| 14 8 | 16 12 | 14 4 | 14 2 | 13 2 | 16 2 | 16 4 | 14 4 | 14 4 | 16 6 | 16 6 |
| 14 5 | 18 6 | 16 0 | 14 2 | 18 6 | 14 4 | 14 6 | 14 0 | 14 4 | 16 2 | |
| 20 0 | 18 2 | 16 0 | 18 4 | 16 2 | 16 6 | 14 0 | 18 4 | 18 4 | 18 6 | |
| 19 6 | 16 6 | 16 0 | 19 8 | 18 2 | 14 0 | 18 0 | 12 4 | 14 2 | 18 0 | |

rit illa statio die Decembris octavo nubilo, inconstanti, ventoso, tempestas horrenda cum fulg. ton. vi venti insolitâ, vix sine terræ motu fuisse credita, quæ in Angliâ, Belgio, & ad mare Balticum valdè sæviit, & ruinam multis intentavit vel intulit, scribebatur tunc nocte inter 7. & 8. Dec. incepisse ex SVV. & durasse ad meridiem octavi; qui turbulentus, ut dictum, apud nos, non tamen tempestuosus, transit de cætero sine damnis. Cur sub tali aëre non humilior mercurius? An medius inter oppositiones & post conjunctiones trigonus id non permisit? [Illa verò videtis apud Astronomos] Certè à NL. tunc ecliptico properavit ad supremam, quæ in tabulâ ibi stationem intra triduum.

Denique finem his imposituro ad manus venit *la connoissance des temps*, quam Gallica scientiarum

Academia publicari facit, ubi de anno 1708. scribitur, supremam per ipsum elevationem mercurii fuisse observatam d. 17. Novembr. 28. poll. 1. lin. $\frac{1}{8}$: Infimam d. 10. Januarii 26. poll. 9. lin. $\frac{1}{2}$. Hæc planè conveniunt cum observationibus meis: Etenim scalæ meæ gradus decimus octavus, qui in tabulâ ad annum 1708. Novembri respondet, etiam non fuit per hunc annum, nisi mane istius diei 17. quo longam nebulam excepit serenitas: Frigidum utique fuit illud mane, minus tamen, quàm sequens, quod habuit mercurium tribus jam gradibus inferiorem. Alterum huic oppositum, ex Januario ejusdem anni, est illud ipsum scalæ imum, de quo supra, ad hyemem austrinam, quod mirabar fuisse sine aëris turbulentiâ. In quo itaque subsisto: Ad occasionem quamcunque aliam reservans plura.

De frigore hyemali Anni MDCCIX.

FRigoris vehementia, quæ Anni 1709. principium memorabile reddidit, digna est habita, quæ Curiosorum considerationem eruditam subeat, quos inter præcipuè Exc. D. Joh. Guilielmus Bajerus, in Ill. Noricorum Universitate Altdorfina Professor publicus, in dissertatione d. 15. Februarii edita causam ejus exposuit; & celeberrimus D. Bernardinus Ramazzinus in Antenoreo Lyceo pri-

marius practicæ Medicinæ Professor in Oratione die 13. Maii anni prædicti publicè habita, præter causas, in effectus etiam morbiferos algidissimæ hujus constitutionis inquirere voluit. Horum itaque propria verba Lectoris in gratiam, cum paucorum in manus Opuscula devenerint, Historiæ nostræ epidemicæ subjicere libuit.

Dnus Joannes Guilielmus Bajerus.

§. I. **F**Rigoris illius post hominum memoriam maximi, quod mense proximo per Europam sæviit,

rationes breviter evoluturi, meritò præmittimus. recensioem quorundam phænomenorum tam antecedentium

tium, quàm durante ejus vi in aëre terraque nostra observatorum, unde totius rei cognitio facile ducitur.

§. 2. Erant jam tum Decembris dies plurimi gelidi satis ac nivosi, terra frigore tam altè constricta, ut currus onustos superficie sua ferret; neque omnino solvebatur, tametsi per intervalla tepidi venti aërem agitant, & post Calendas Januarias ad Nonas usque pluvia tempestas impenderet.

§. 3. Ipso Nonarum die, cum aquis nivalibus pluviisque telluris facies undique maderet, (latente tamen adhuc subtus glacie) circa vesperam demum quam maximè humidam, ventus orientalis spirare primum leniter, sed provecta nocte vehementius, coepit; post quem sub auroram statim terra omnis nive & pruina visa est obriguisse.

§. 4. Ventum hunc, per sequens biduum & ultra cum assiduo frigoris incremento, sed diverso impetu continuatum, paulo antea Mercurii in Barometro per plures gradus ascensio subito prænunciavit, cum prius ad vesperam usque diei V. Jan. multum infra mediocritatem lapsus esset.

§. 5. Thermometrorum ex adverso liquores subinde majores frigoris gradus notabant ad medium usque Januarii; quo cum ad tantam vehementiam gelu processisset, quantam in nostris regionibus vix attingere posse credebatur, circa diem XVIII. observatum esse remisisse paululum, sed non diu neque constanter: quandoquidem & per brevissima intervalla rursus crevit decrevitque, & diei XXIII. tempore matutino majorem quàm antea unquam vim in nostris

Thermoscopiis ostendit, post meridiem autem notabiliter defecit.

§. 6. Mercurius interim in Barometro alterno ascensu descensuque ventorum potius, elaterem aëris variantium, vicissitudines indicabat, quàm frigoris incrementa & decrementa; nobis quidem haud mirantibus, qui pridem noveramus, & calorem & frigus, & serenitatem & perturbationem coeli cum diverso elateris aërii statu per accidens saltem conjungi: tametsi vulgo ista qualitas aëris temperatio, Barometrorum scalarum pro regula consueverit adscribi.

§. 7. Quemadmodum igitur istas Barometri mutationes, utpote parum ad hoc negotium conferentes, sigillatim exponere superfedemus; ita nec operæ præteritum fore arbitramur gradus thermometrorum hinc enumerare, qui diversi sine dubio sunt non solum in diversis machinarum generibus, (unde eodem tempore v. g. Hamburgi liquor à gr. 60. ad 86. ascendisse, Francofurti ad gr. 21. descendisse, in diariis publicis memoratur) sed diversi quoque in singulis speciebus, pro diversitate scalarum, liquorum, variaque altitudine & amplitudine vitrorum. Quare facile conjicimus, neminem ex hujusmodi recensione animo percepturum quid res sit, nisi qui vel thermometra nostra oculis usurparit, vel prolixam eorum legerit descriptionem.

§. 8. Cætera licet eandem ob rationem, ex observatis Berolinensium, Francofurtensium, Dantiscanorum, Hamburgensium, Rostochiensium, Stetinensium, aliisque, quorum copiam diaria publica fecerunt, colligi satis tutò non possit, ubi-

ubinam locorum maximè frigus dominatum fuerit, quique gradus diversis locis intercesserint; tamen hæc certa & notatu digna sunt, quod 1. [eadem nocte universam Germaniam invaserit gelu,] 2. eadem proportionem ubivis creverit decreveritque, 3. (ad supremum ubique culmen, pro climatis ratione, & ultra quam putabatur, pervenerit, 4.) calidiores Europæ in tractus, Galliam & Italiam, simili cum rigore penetravit, quin etiam, incredibile dictu, ipsas Thermas Aquisgranenses congelavit.

§. 9. Nec præterire possum, quin memorem, frigus decrescente Lunari lumine invaluisse, & biduo ante plenilunium maximè remisisse, secus ac vulgo creditur fieri. Quin & cæterorum aspectus Planetarum tanti non erant, ut exinde talem effectum ominarentur Astrologorum regulæ: nisi dicere velis, ♀ ♃ ♁, quæ die VII. Jan. contigit, biduo antequam fieret, istam mutationem aëri intulisse. Sed nec desunt Calendariorum artifices, qui Jovem beneficum hyemis istius præsidem declararent, & hinc Januario mensi insignem frigoris temperaturam promitterent.

§. 10. Jam verò ut ad causas eventus hujus inexpectati accedamus, è modo dictis patet facile, quàm debile, imo nullum subsidium ab Astrologia sit sperandum: Quare missis ambagibus originem memorati frigoris ducibus à vento orientali præcedente (vid. *Phæn.* III.) hujus autem occasionem ab impedito aëris nostri, per priorum dierum turbulentam tempestatem, elatere, de quo *Phæn.* II. & V. loquuntur. Etenim cum

venti tepidi humidique d. IV. V. Jan. leniter spirantes tenuiorem fecissent: aërem regionum planarum illo, qui silvosis montibus, nive & glacie rigentibus [Bohemicos intelligo Carpathiosque] imminebat, fieri non poterant, quin sublato sic aëris utriusque æquilibrio, hic in istum gravis irrueret, advectisque secum spiculis glacialibus totum impleret. Ita verò & illi vapores, qui prius atmosphæram nostram confertim occupant, excusso calore modico simul in pruinas abierunt, & aquam in superficie telluris fluentem pariter suo attactu congelarunt. Namque ipsum terræ solum jam tunc priore à frigore jacuisse constrictum, *Phænom.* I. observavimus.

§. 11. Quid verò sic coelo soloque juxta gravi ad consummatum frigus deerat? quidve poterat impedire, quominus ille ventus Orientalis, æqualem per Germaniam statum aëris offendens (quod relationes publicæ docebant) eadem nocte eam totam pervaserit, & per aliquot dies continuatus, contiguo nostris tractibus aëri similem rigorem longe lateque induceret? quo facto, etiam venti australes & occidentales, alias calorem humoremque nobis adspirantes, jam non nisi vapores pruinosos dabant, & si quando aër superior modico tempore tangeretur, ille tamen solvendis his inferioribus nimium algentibus haud sufficiebat; usque dum sol, quotidie nobis sublimior factus, primo australiorum terrarum infregit rigorem, & mox inde potentiores ventos calidos ad nos transmissit.

§. 12. Equidem facile prævidemus,

inus, adductas in medium rationes non statim omnibus satis facturas cogitantibus, quod intra seculum proximum haud dubiè sæpius venti orientales supervenerint hyemi liquefcenti, (quam nos hoc anno occasionem tali vento fuisse facti sumus) nec tamen frigoris tantam sævitiem asportarint. Sed hæc objecta dimovere nos de sententia non valèbunt, nisi constiterit, omnes, quæ nuper ad effectum conspirabant, causas & circumstantias, etiam alio tempore & crebriùs fuisse conjunctas: ut ventus flaverit è regione solido ac diuturno frigore horrente, ut inciderit in aërem tot vaporibus refertum terramque intus jam congelatam, ut contrariis ventis non impeditus per plusculos dies regnaverit; & quæ huc pertinent alia. Neque verò vel nostra memoria destituitur exemplo simili: quandoquidem anno 1697. circa II.

post Epiphan. Dominic. & Januarium medium, tam subito & acri frigore tellus humida corripiebatur, eodem vento Orientali intercedente, ut parum differret à statu nupero, præterquam diuturnitate, quæ tunc minor, etiam minorem sibi peperit famam.

§. 13. Quando ea inter portentoso huic frigori è natura causas assignamus, haudquaquam exclusam volumus singularem quandam Numinis providentiam, quæ forte naturalium corporum actiones solito firmitus in istum effectum direxit, eo quidem fini, ut homines, heu nimis cito Dei obliti suisque innixi viribus, novum impotentiae suæ caperent documentum, utque armis hostilibus, per hyemem quoque non quieturis necessarias faceret inducias. Huic ergo Numini supremo omnis sapientiae, potentiae, clementiae laus & gloria sempiterna tribuatur.

Dnus D. Bernardinus Ramazzinus.

Lubet in prægressæ hyemis algidam & nivofam tempestatem, quæ frigoris vehementia atque asperitate non solum Italiam, verum universam Europam tanta hominum, ut omnium cujusque generis viventium strage malè multavit, philosophica & medica indagine inquirere; quòd si tam portentosi frigoris veram & germanam causam in apricum eruere non dabitur, non abs re forsitan neque ad sanitatis custodiam infrugiferum erit exquirere, quid mali hac proxima æstate ex hac tam malè morata constitutione timeri possit.

Nolo autem hujus hyberni frigoris, quod annum hunc nefastum fecit, &

ad multa Secula memorandum faciet, inclementiam non dicam, sed insolentiam longo verborum ambitu describere; quotus enim quisque reperi- tus est tam denso corio, ac tam forti à natura temperie donatus, qui non in cute solum, sed intus quoque & intra ipsa præcordia, ubi vestalis ignis nativos lares, & focum habet, ab algidissimi aëris inspiratu noxam aliquam non persenserit? Magna sunt quæ vidimus, majora quæ audivimus; vidimus magna flumina tam arcto, tam alto gelu adstricta, ut armentis, plaustris onustis, & ipsis quoque exercitibus transvehendis sufficerent. Vidimus ad binos & ampliùs men-

mensis vim nivium immodicam è Coelo non tacitè, ut solet, ad instar velleris labentem, sed magno cum impetu in solum projectam, & quod magis mirere sub Æquinoctium ipsum, quod in hac Civitate prodigio par est. Vidimus in partibus ædium interioribus, & in ipsis hypogeis fluida quæque congelari solidioribus vasis ex opere figulari disruptis, ac dum cibum capturi mensæ accumberemus, non procul à luculento igne, vidimus fumantes epulas temporis momento gelaſcere. At vulgaria sunt isthæc, & fidem invenient. Urbem vidimus Adriæ Reginam, cui nullum unquam nisi navigiis cum terra fuit commercium, continenti junctam, marinis aquis in marmoream duritiem solidatis, ut ad septem passuum millia ultrò citroque longo agmine commearent Viatores, Veterinarii, & annonariæ gentes cum armentis, & gregibus, ut laboranti Civitati victuales suppetias ferrent. Quàm admiranda porrò, imò quàm miseranda sunt, quæ alibi facta accepimus, velut in Gallia, Anglia, Germania, ac tota Septentrionali plaga, non solum magnis fluminibus marinum æstus pati solitis, sed Oceano ipso congelato, ut sublatis commerciis centenæ hominum chiliades in civitatibus, in agris inter frigoris rabiem, & famis morsus miserè perierint, ac ex iis, qui militiæ sacramento erant auctorati longè plures in castris hyemando, quàm in acie pugnando in Orci familiam transierint. Profecto si cujusque Regionis, Civitatis, atque Oppidi Necrologiam haberemus, in quibus eorum, qui è vita decesserint nomen-

clatura continetur, ac ratio iniri posset, quot hominum myriades duorum vel trium mensium spatio in Libitinæ censum deduxerit intolerando suo frigore funesta hæc hys, nulla certè pestis ut ut truculenta & pernicialis, nec ea, quæ apud Historicos, & Poëtas adeò pervulgata, quæ universam Græciam depopulata est, algidissimæ hujus constitutionis pesti, si ita fas loqui, ullo pacto esset conferenda.

Ast undenam quæso tam violenti frigoris petenda est origo? Si ab Aquilone frigoris Promocondo malum hoc venit, cur hoc Anno tam violentum, tam diuturnum, ut quotquot in viventium numero adhuc extant provectioris ætatis homines, & filicernio jam proximi, tam enorme frigus nunquam se persensisse meminerint, nec scriptorum quisquam prodigium hujusmodi literis prodiderit. Scire optatis, quam proportionem habuerit hujus anni frigus ad præcedentium octo annorum, quos in hac Civitate observare mihi datum, summum frigus? Psicrometro teste proportionem habuit sesquialteram, hoc est ut ternarium ad binarium. Is fuit hyberni frigoris hoc anno supra cæteros excessus, qui in regnum quoque vegetabile desæviens, non solum plantas, quæ hortorum ornamenta sunt, sed quod dolendum, Oleas & Vites ad interuccionem usque absumpsit. Meherclè si in hujusmodi tempora incidisset Cardanus, eam, quam de frigoris natura opinionem mordicè tenuit, dubio procul abjecisset; non esse frigus quid re vera subsistens, sed simplicem caloris privationem, ventosque omnes plus mi-

nus calidos esse, inter suas subtilitates recensuit Vir ille, quem censoria virgula fugillans, severissimus ille Cardanomaſtyx hiſce verbis ſic eum interpellavit. *Abjice ſolcas, ac pileum, Cardane, ſuo tempore ex Alpibus Rheticis urit vos Boreas, frigidus enim, & ſiccus eſt.* Hic autem mihi haud quaquam mens eſt in frigoris naturam curioſius inquirere, neque quodnam primum ſit frigidorum, num Aqua, ut Ariſtoteles, an Terra, uti Parmenides, & num venti aërem comprimendo frigus efficiant, aut illius Vectores ſint, cujuſmodi quæſtiones Philoſophorum veteres, tum recentiores exercere, & adhuc exercent, ſed ſolum in votis mihi eſſet cauſam perſpectam habere, quæ hac hyeme tantum frigoris, ac tam ex improviſo exciverit. Jam præcedens brumale ſolſtitium exegiffe nos, & Annum cum ſatis placido aëris ſtatu clauſiſſe lætabamur, ut ſpes eſſet hyemis reliquum eodem tenore proceſſurum. Aſt tanto impetu naſcenti anno Janus fores aperuit, ut nobis ferale bellum indicare viſus fuerit; illicò enim, ex boreali plaga ventorum turbines bi-duo tanta vi efflarunt, ut omnibus horrore eſſent, illos acerrimo frigore comitante, & continuo nivium deſcenſu ſubſequenti. Grande igitur aliquid in hyperboreis contigiffe credendum eſt, quod tam ſubitam in aëreo mari magno tempeſtatem excitavit? Anne magnum aliquem terræ hiatus ex improviſo apertum fuiſſe putandum eſt, unde una cum ventis algidiſſimis tanta nitroſi ſpiritus copia eruperit, quæ totam atmophæram frigorificis particulis ad ſaturita-

tem uſque opplerit. Quanta vi polleat nitrum ad ſenſum frigoris inducendum, ſatis commonſtrat experientia, dum nivi & glaciei commixtum illarum activitatem exacuit, ac in earum defectu nitri portionem in aqua diſſolvendo modum habemus, quo media æſtate vino & frigidas portiones nobis comparemus, non aliunde autem quàm è terræ ſinu tam horrendi frigoris cauſam deducendam arbitror; ad tam ſubitam enim & adeo turbulentam ventorum irruptionem locum aliquem in aërea regione intra polarem circum fingere oporteret, in quo ſpiritus adeò furentes concluſi eſſent, & effraſto carcere ſubito erumperent, quod tamen Poëtæ, quibus quidlibet audenti data eſt poteſtas, auſi non ſunt, qui ventorum turbam in antris terræ obſcurioribus abditam eſſe voluerunt, ac inſuper Regem illis ſtatuerent, qui imperio premeret, & laxas ſciret dare juſſus habenas. Minus porrò rationi congruum videtur cœleſtia illa corpora culpæ velle, quæ ſuo lumine & afflatu in noſtram perniciem conſpirarint. Quid novi enim in Cœlo à ſyderalis ſcientiæ peritis antea fuerat obſervatum? Num ferale Cometa viſi ſunt aut alia hujusmodi portenta? Num planeta in choreis ſuis agendis à præſcriptis ſibi legibus exorbitarunt, ut novis ſyziigiis & inſolitis motionibus Cœleſtem illam harmoniam perturbarint, ut poſtea propter illorum aberrationes nos plectendi eſſemus.

Sit quidem, ut aiunt, multum pollere lunare Sydus ad perfrigerandum, ad illius lumen ad nos reflexum, licet à Sole prodeat actu frigidum

gidum esse, seu ut alii putant vi magnetica calorem terræ & aëris ad se elicere sicque frigefaciendi vim habere, at forsân Luna hoc anno propius ad nos accessit. Haud sum nescius ab Astronomis, à veteribus Agriculis, à Medicis quoque peritioribus, ut olim ab Hippocrate ad prænoscentiam futuræ hyemis indolem observari solitum plejadum occasum, & ortum Arcturi, atque ut monebat Virgilius *Georg. I.*

Frigida Saturni sese quò Stella receptet?

At isthæc singulis annis observantur & adventantis hyemis signa sunt potius quàm causæ. E magnæ Parentis utero itaque monstruosum hoc frigus prodiisse, à vero non prorsus alienum videtur; Terra enim tota intus cavernosa est, & non secus ac animalium corpora suos habet ventres distinctos & magnas cavitates, in quibus non hospitantur tantummodò silentes umbræ, & segnis aër; sed varia & admiranda intercurrente spiritu exercentur opificia. Nusquam certè operosior Natura est quàm in subterraneis officinis ad generationem intenta tot pretiosorum lapidum, fossilium, mineralium, & metallorum, quæ si hominum avaritia potius quam curiositas, & abditiora quæquæ investigandi cupido furripiat effossis terræ visceribus, non minùs natura sollicita est in illis suo tempore reponendis, & damno resarciendo. Hinc innumeri penè fontes è terræ scatebris erumpunt, non solum aquarum dulcium, sed medicatarum quoque, quales sunt ferratæ, æneæ, sulphuræ, aluminosæ, nitrosæ, aliæque omnigenæ. Cum autem bore-

alis plaga in sinu suo nitri multum recondat, quod satis norunt nitri Collectores pro tormentario pulvere confluendo, qui è parietibus & locis boream respicientibus longè plus nitri obtinent quàm ab iis qui Austrum, cur suspicari non liceat in regione illa inhospita, & Solis radius ad plures menses inaccessa, ex subito & præcipiti montis alicujus in magnas illas cavernas lapsu, ut in Apennino & Alpibus aliquando contigisse legimus, portam ingentem algidissimis ventis & nitrosæ exhalationi apertam fuisse, unde tam horrida tempestas hac hyeme ortum duxerit? In Islandia magnam cavernam esse referunt, ex qua venti frigidissimi expi- rent, qui glaciei fragmina identidem in altum protrudant. In Hetruria penes lacum Vulsinensium ad rad. cem cujusdam montis Boream versus antrum extat, in cujus latere rima visitur, ex qua, æstate præcipuè, ventus efflat adeò frigidus, ut sine noxa perferri nequeat, in quo specu si vina reponantur, ad pauca temporis minuta penè gelascunt, & fructus pruinosi educuntur, magnum utique blandimentum ad exhilaranda convivia, quæ ab Indigenis illis cum Procyon fuit, celebrari solent. In Peruvia duo Oppida Platam, & Potosam describit Acofta, quæ non multum inter se distent, ac utraque in montanis locis posita, quorum unum, Potosa scilicet, temperaturam hyemis habeat, Plata verò vernali similem, cujus prodigii in calidissima regione causam in argenti fodinas referunt, & terræ spiracula, unde aura algidissima expiret. Quanto igitur longè probabilius est frigus

ab imis terræ visceribus in aërem efferi, quàm ab ætherea regione in hæc inferiora descendere, tam grandis Phænomeni, quod hæc hyems præ se tulit, & cui aliud simile ulla ætas non vidit, nullam aliam causam comminisci possum, quàm magnam terræ scissuram recens factam, paratum tamen me protestans ad expuendum ex animo meum hoc commentum, sicubi aliqui feliciori sorte meliora proferant. Si ergo forte ita evenit uti conjeci, tam horrendi frigoris, ac tantarum nivium descensus causam tenere mihi viderer; Nitrosa enim emanatio illa unà cum ventis validissimis longè latèque diffusa, tam magnum algorem efficere, & vapores, aquei elementi sobolem, in aëre suspensos arripiens, iisque se confocians nivem conformare potuit, atque illi suis capillamentis sexangularem & stellatam figuram impertiri. Non adspernandam nitri portionem nivibus inesse chymica encheiresis ostendit, qua nitrum in sinu nivis delitescens educitur, & Medicus usus comprobat, dum ex aqua nivis ratione nitri in illa contenti parantur remedia in æstuosissimis febribus exhiberi solita.

Verùm dictum illud è sacris paginis mihi forsan obtrudet aliquis. *Numquid ingressus es thesauros nivis*, tu, qui adeò fidenter modum tradis, quo in aëre conflentur nives? Ultrò fateor, non esse apud me ipsum tanti ponderis, quas produxi de nivis conformatione, & credito terræ hiatus conjecturas, ut veram & germanam tam inusitati frigoris causam è Democriti puteo hausisse me persuasum habeam; Conjectoris tamen

non prorsus improbandi munus obisse me arbitrabor, si in negotio tam abstruso ita fieri potuisse naturæ legibus non repugnet, nil enim amplius à rerum naturalium scrutatore in re obscura exigebat Peripateticorum Princeps. Quid ergo in quæstione tam ardua & impervia dicendum? Num ad effugium illud histrioniam exercentibus adeò familiare recurrendum, qui ubi fabulæ negotium ita implexum & involutum est, ut nodo solvendo humani ingenii acies non sit satis, pro more habent, Deum aliquem è machina in Scenam inducere? ita sanè. Ut ergo aliquid proferam, quod pro vero accipi possit, de hac tam horrida Constitutione dicam, quod magnus Hippocrates de morbis populariter grassantibus, ubi Phænomena quædam apparerent, quorum ratio in abdito esset, dicere consueverat: *ἀμα δὲ καὶ εἴ τι θεῖον ἐν ἔσθῃ ἐν τῆσι νόσοισι*, *considerandum an sit quid divinum in morbis*, illud itaque θεῖον apud Medicos tam in morbis, quàm in remediis adeò celebre hinc quoque vim habuisse censendum est, ab ipso Deo nimirum tam rigidam tempestatem fuisse excitatam, ut corruptos Seculi mores & vitia novo & inusitato pœnæ genere expiaret. Neque enim in suis armamentariis justissimum illum criminum vindicem solum ignem & fulmina habere credendum est, quæ multorum metu & paucorum periculo jaculetur in terras; in iisdem enim habet, *Glaciem, & Nives, quæ faciunt verbum ejus.* Ille est qui, ut cecinit Regius Vates, de thesauris suis ventos educit, qui temporis momento aërem non minus

nus quàm maria, in magnas tempestates agant, & palam faciant, cui ferviant, cui militent. Illud fanè admirationi fuit, quod toto eo tempore, quo à sexta Januarii usque ad Æquinoctium ferè pertinacissimum perstitit frigus, nunquam hiscere ausi fuerunt australes venti, quod in hisce regionibus perrarum est, cum vel media hyeme rigidiori identidem caput efferre soleant ab ora meridionali calidiores flatus, adeò ut ex improviso liquecant nives & regelent flumina, si quæ priùs glacie erant adstricta, ut quandoque campos inundent, quasi Deus borealium ventorum ministerio plectere nos volens australes flatus intra suos lares, unde ortum habent conclusos voluerit, ne blando suo tepore inflictae pœnæ rigorem delinirent. Sic eleganter non minùs quàm ingeniosè Ovidius Jovem, qui totum mortale genus aquarum eluvione perdere statuerat, finxit reposuisse tela manibus fabricata Cyclopum, in antris autem æoliis Aquilonem aliosque ventos nebulas fugare solitos clausisse, emisisse autem Notos, Euronotos, atque Austrum pluviarum pincernam.

Utinam autem malorum hic finis fuerit, & hujusce anni felicior sit exitus, quàm fuit initium. Quàm infesta, quàm pernicialis humano generi fuerit hyemalis hæc constitutio, & quænam morborum genera invexerit, nemo est qui ignoret. Frequentissima fuere in hac Civitate, ut de aliis taceam, funera, ac nulla penè domus visa est, quæ pullam vestem non induerit. Primò quidem teneros infantes, decrepitos senes, &

valetudinarios fere omnes, mox juvenes, & robustiores viros, nec solum minutam plebem, sed non paucos quoque ex Procerum ordinibus hyberni frigoris violentia in Libitinæ censum deduxit. Tusses, destillationes, pleuritides, peripneumonix, dyspnœæ, & morbi id genus dominatum obtinuerunt. Rationi autem consonum fuit, ut hujusmodi affectus populariter grassarentur; sicuti enim austrina tempestas capiti infensa est, ita Aquilonaris spiritalibus organis est maximè infesta. Possumus equidem adscititiis comis, adversus aëris injurias calvariam munire, ac bene chlamydati, & palliolati corporis extima à frigoris rabie & morfu possumus tutari; at quomodo visceribus in pectoris cavea contentis ab aëre rigidiori prospici potest, si ab indefinente & reciprocante aëris inspiratu & expiratu vitam precariam habemus? Non est ergo quod miremur, si hæc hyems, glaciali aura per ostium patens thoracis penetralia subeunte, tam diram hominum & cujusque generis animantium cladem ediderit.

Verùm anne putandum hanc malè moratam constitutionem totam sævitiam suam explevisse, ut in nostris corporibus labem nullam reliquerit, quæ nova morborum genera hac æstate non possit arcessere? Si Coi Senis, cui futurorum mens divinatrix divini nomen ascivit, oraculum adeamus, responsa referemus, quæ non multum nobis arrideant. *De temporibus*, aiebat ille, *si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, verum autem pluviosum & austrinum, necesse est æstate acutas febres fieri,*

lippitudines, & intestinorum difficultates. Observatione profectò dignum est, quomodo Hippocrates, Vir in prædicendo alioquin cautissimus, tam fidenter & absolutè pronunciarit, quòd si hyemem aquilonarem, Ver austrinum & pluviosum exceperit, ex necessitate subsequi debeant æstate acutæ febres, & alvi profluvia. Ast ratio sic fieri oportere satis evincit; etenim si hyems plus æquo algida & nivosa sit, parum perspirant humana corpora, ac ea præsertim, quæ debiliora sunt, unde serosam colluviem cumulari necesse est, eamque augescere si ver pluviosum successerit, quâ postea per æstivum calorem diffusâ & in motum concitatâ, acutæ febres & alvi fluxus oriantur necesse est. Nec quis putet Hippocratem nisi experientia priùs edoctum tam grande effatum pronunciasse; in libris enim Epidemiorum Constitutionem habet, in qua pars hyemis posterior, ut in nostra evenit, aquilonaris fuit cum magno frigore & nivibus, cui ver successit pluviosum, unde postea memorati affectus Æstate & Autumno apparuerint.

Ver equidem, quod modò excurrit & cujus medium jam tenemus, atque hyemi algidissimæ successit, sub initium visum est ad pluviosum propendere velle, non paucos tamen Aprilis mense dies habuimus siccos, sine ullis omninò imbribus, sed ita calentes, ut à canicularium dierum æstu parum differrent, sub finem tamen mensis tam magna ac subita facta est à calore ad frigus conversio, ut unica ferè die rariores syntheses & holoserica deponere necesse fuerit,

ac è vestiario pannosas vestes resciscere, quam mutationem postea subsequutæ sunt ingentes pluvix. Quo tenore veris pars altera processura sit, solus novit, qui fecit tempora, dies, & annos. Id tamen certum est hujusmodi temporum anomalias, & à sua temperie aberrationes ominosas esse, & morborum mali moris, quod Superi avertant, prænuncias. Nam ex eodem Hippocrate, *in legitimis temporibus, & convenientem servantibus temperaturam morbi legitimi & boni judicii fiunt; in intempestivis autem non legitimi & mali judicii.*

Sed quid frugis ex hujusmodi apparatu datur colligere ad præcautionem & sanitatis custodiam? Paucis dicam quod sentio. Adversus temporum tam enormes intemperantias magnum erit præsidium Temperantia, neque solùm in victu, sed in omnibus, quæ res non naturales vocant Medici. Non inopportunum tamen erit purgationes instituere, & si opus fuerit sanguinem mittere. *Quibuscunque convenit venæ sectio vel purgatio, hos Vere purgare, vel venam secare oportet*, ajebat idem Hippocrates: Magna certè animadversione particula illa disjunctiva digna est; Practicorum enim non pauci magnum piaculum committere sibi videntur, si purgationem verno tempore instituentes venam simul non tunderent. Ast quàm longè à divini Præceptoris vestigiis aberrant, nemo non videt. Est ubi tantum sanguinem mittere oporteat, est ubi solùm purgare liceat, est ubi utrumque remedium conveniat. Si verò aliquis ex memoratis affectibus hac æstate

æstare populariter vagari incipiat, boni & periti Medici erit, non tam properè & inauspicatò communibus remediis, ut in morbis sporadicis, curationes aggredi, rectè propterea Celsus de pestilenti febre verba faciens agebat, *sanguinem non facile mittere, alvum non facile ducere.* Suspenso pede igitur producendum erit, atque attentè observandum, qua methodo Natura morborum medicatrix in iis utatur, qui spontè aut

paucis remediis evadant; illa enim sibi vias & egressiones invenit, quas prænoscere & divinare non possumus; fateamur enim necesse est, quando-cunque aliqua epidemica affectio ex improviso se prodit, esse nos juvenes ac tyrones, licet medendo ætatem triverimus, ideòque oportere, ut Naturæ quam *αὐτοδίδακτον* & doctam sine Magistro Hippocrates dixit; nos erudiendos tradamus.

Constitutio Epidemica inferioris Hungariæ Anni 1711.

Dni D. J O H. A D A M I G E N S E L I I.

HYems fat rigorosa, Euro dominante, nivibus copiosis, purpura rubra maligna multos, præsertim verò infantes corripuit, secunda & tertia die accedentibus convulsionibus, quinta & septima lethalis. Manus, pedes, dorsum post mortem atra summæ malignitatis signa conspiciantur, in duobus facta anatome pulmones & hepar lividis conspersa maculis inveni.

Ver nimis siccum, 25. Aprilis hora X. sol duobus stipatus pareliis observatus, quorum unus vividissimi erat coloris, subsequente Majo æstu fervente cum fulminibus & fragore tonitruum.

Junius frigidus in principio ac pluvius, ipidum, scarabæorum, erucarum, aliorumque insectorum ferax, circa finem æstuosus. Variolæ & morbilli invalescebant, aliquibus etiam funestæ, illis præprimis, quos vetulæ curabant, parotides crebræ erant, ast paucæ suppurabantur, vel enim à natura sponte resolvebantur, vel emol-

lientibus & resolventibus discutiebantur, sudoris guttulis in cute & emplastris instar roris conspicuis, in duobus pueris illas induratas vidi, quæ cum ab incauto barbitonsore contra nutum apertæ fuissent, in cacoëthica degenerabant ulcera.

Julii principium calidum, interspersa quandoque pluvia frigida. Augustus in initio serenus & temperatus, circa medium frigidiusculus & pluvius. Septembris major pars serena & calida.

Febres tertianæ absque ullo rigore grassabantur, per 24. horas & ultra durantes, quinque & sex ad summum septem terminabantur paroxysmis: petechiæ quoque sporadicè vagabantur, cum dysenteria septima & nona lethales. Fœmina 57. annorum gravida, pro hydropica à medicastro quodam reputata, cum stupore omnium puellam vegetam ac sanam enixa est. Octobris & Novembris Constitutio pluviosa & nimbosa, flante pluviarum pincerna austro, septem enim fere

fere continuos dies & noctes durabant. Decembris principium itidem pluvium, medium ventosum, at ob austrinam aëris temperiem temperatum. Febres intermittentes increbescabant, diarrhœæ item, rheumatismi ac asthmata ob ἀδιακρυσταύ ab humido cœnoso atmosphæræ statu causatam, apoplexiæ quoque. & para-

lyses frequentes erant, ut & variolæ & morbilli, in infante trium annorum, motibus convulsivis in dentitione difficili mortuo, dentes atros & ob gangrænâ carie infectos sua sponte excidentes observavi. Annus hic utcunque fertilis erat, vinum etiam generosum ac optimæ notæ.

Constitutio Epidemica inferioris Hungariæ Anni 1712.

Cum historicis, & meteorologicis Observationibus,

Dni D. J O H. A D A M I G E N S E L I I.

PRincipium Januarii rigido gelu fuit horridum & ventosum cum nivibus copiosissimis, adeo ut in quibusdam locis novem pedes superarent altitudine, circa medium mensis nix coepit liquefieri, flante Zephyro, nubibus in pluviam resolutis, circa finem intensum frigus gravidis imprimis valde perniciosum, abortus quippe epidemicus plurimis læthalis grassabatur, vid. Hipp. aph. 12. sect. 3. ob inæqualitatem & improportionem ætheris, quædam apoplexia tactæ ἀφωραι reddebantur, quædam pleuritide, multæ purpura alba correptæ exspirabant, febres etiam intermittentes invalescebant, vario typo anomalo revirescentes. *Februarius* in principio turbidus, circa medium & finem temperatus. *Martius* circa medium procellosus ac nivosus, cum tonitruis & pluviis circa finem, febres causavit acutas, summa cum vehementia prima & secunda die sævientes, quinta & septima subsequenter deliriis fatales. Ver pluviosum cum terræ motu trematorio sat notabili in nostris parti-

bus, imprimis Neostadii, ubi multæ fornices dirutæ ac domus ruinatæ à motu illo concussorio conspiciebantur. *Majus* itidem pluvius, ut planè diluvium quasi appareret in quibusdam Hungariæ locis, imprimis in Holing, ubi vites è terra evulsit, & domus aqua vix non cooperuit. Hoc mense miræ fuerunt metamorphoses febrium, in principio mentiebantur continuas, calor enim per tres continuas durabat dies, quarta remisit, quinta paroxysmus bis mane scilicet & circa noctem invasit ægros, die sexta etiam bis, tandem octava in tertianas veras degenerarunt, servato ternis vicibus typo ordinario, hinc rursus typo anomalo calor per triduum continuavit, remittente denuo per 24. horas calore, bis de die paroxysmus afflixit ægros, & porro cum in tertianas degenerassent, adhibitis temperantibus, mineram biliosam præcipitantibus, leniterque evacuantibus, cessaverunt, & cum natura eò quò vergit ducenda sit, hic ad sudorem criticè vergebat, ideo diaphoreticis

ticis illam cum εὐφορέα juvimus: qui verò incio medico denuo naturam turbarunt, venæ sectione nimirum vel purgantibus, omnes recidivam passi sunt, quæ enim judicantur & judicata sunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed finire oportet: Hipp. Sect. I. aph. 20. Notandum quòd hoc mense temperies quoque aëris proteo mutabilior fuerit, v. g. circa matutinam sextam frigus, circa decimam calor ingens, tertia pomeridiana iterum frigus, & appetente vespera observabatur calor, quæ vicissitudines aëris subitanæ non parum ad hæc generandas contribuerunt febres, juxta Hipp. aph. 1. & 4. sect. 3. quo major est aëris inæqualitas, imprimis citiori vicissitudine, eo magis corpus alterat & afficit, motus enim contrarios minus sufferre potest natura, si quidem valde à se differant. Vid. Wedelii Commentar. in h. l. *Mense Junio & Julio* æstus magnus, & copia insectorum, imprimis reptilium, & in specie serpentum, qui ruricolos sæpius infestarunt, morfuque communicatum miasma venenosum, fermento bilioso volatili sulphureo-salino inquinatum, totum peragravit corpus, cujus omnes illico intumuerunt partes, imprimis lingua, ut nec verbum articulatum proferre potuerint, cum ingenti cephalalgia; pecora etiam mirum in modum ab illis affligebantur magna subsequente strage, ex hominibus multi, non adhibitis prima statim die remediis, veneno illo extincti sunt. Notatu dignum, quod ex quodam fonte certis horis foetidus ac rubicundus promanaverit liquor, quem superstitiosum

& fatidico-credulum vulgus sanguinem esse dicebat, inductum argumentis ab odore & consistentia illius ad coagulum accedente desumptis, post aliquot dies limpidum iterum acquisivit colorem; per chymiam deprehendi, in illa aqua terram rubram martialem instar boli vel cinnabaris, particulis nitrosis & vitriolicis mixtam, ab æstivo solis calore percoctam, quam in cavernis subterraneis alluebat, illaque tingebatur, foetorem verò attribui materiæ viscidæ bituminosæ asphaltum redolenti, ut adeo non necesse sit ad supernaturalia confugere & mysteria, si naturales prostent causæ & principia, in quæ iterum resolvi possunt mechanice. Vid. Ephemerid. N. C. A. 1712. appendic. p. 193. & 209. Item Nova litteraria German. A. 1705. mens. Mart. p. 103. *Augusto* nimis pluvioso increbuerunt febres erraticæ his de die ægros invadentes cum deliriis continuis, suspiriis ac ejulationibus, multi attoniti & quasi cataleptici sine usu rationis neminem agnoscentes jacebant, calore per duas durante dies, tertia demum intermittente, in aliquibus quinta & sexta. Eodem mense strages pecorum invalescebat; corripiebantur scilicet certis pustulis albicantibus cum anhelitu difficili, quibus dissectis materia purulenta mephitim spirans effluxit, ex faucibus quoque foetor morticinus intolerabilis, ad aliquot sensibilis passus prodiit, cumque maximis boatibus crepuerunt, in ventriculo reperti fuerunt certi globi magnitudinis nucis majoris, repleti pilis tunica membranosa dura aciem cultri vix non eludente instructi; seræ quoque omnis generis

ad Somogy in copia periere, & in nemoribus passim à rusticis repertæ fuere, canes ex voratione tam illarum ferarum, quam pecorum prædictorum rabidi facti, à quorum morfu homines in phrenitidem inciderunt ac hydrophobiam, latratum etiam & rabiem imitati canum, moribus in adstantes sævire tristi cum spectaculo cœperunt, imo aliqui remedium laturi, aceto & sale ora rabidorum pecorum lavando, rabiem contraxerunt ab illo venenato miasmate, id quod & Matthiolus Comment. ad L. 6. C. 36. Diosc. observavit: multæ nihilo minus bestię rabidæ servatæ fuere, data statim in principio fuligine cum cupro vel orichalco raso pulverisato.

Principio autumnii exundationes fuere maximæ, in unico pago quadraginta & ultra periere personæ, medium autumnii itidem pluviosum cum tonitruis, assiduisque imbribus, qui febres, dysenterias, catarrhos, & in multis apoplexias causerunt, juxta Hipp. aph. 16. lect. 3. à frequentibus quippe imbribus, ob insensibilem prohibitam transpirationem succi cor-

poris redduntur frigidiores, fuligines coacervantur, spirituumque & feri inferuntur morbi. In vineis maxima sterilitas, generositate vini quadantenus eadem compensante, nec agri adeo erant fertiles. Circa ingressum solis in signum Capricorni, variolæ regulares & idcirco mitiores quoque observabantur, tardius tamen (quàm ordinariè fieri solet) suam absolverunt periodum, licet absque ulla fuerint malignitate, nec foveas solitas post se reliquerunt. Notatu dignum senem 65. annorum variolis correptum, feliciter restitutum fuisse, pulsus in eo observabatur oppido curiosus, intra momenti spatium ex celeri & inæquali tardus & æqualis, mox ex parvo magnus & vice versa. Cum jam videam institutum hoc anxie hucusque desideratum, multis probatum fuisse, imprimis Schelhamero Kiloniensi Machaoni in sua medendi methodo, animus est imposterum quoque constitutiones epidemicas inferioris Hungariæ, summo adspirante Numine continuare, dummodo Academia nostra Meccenatum suffulciatur munificentia.

Constitutio Epidemica inferioris Hungariæ Anni 1713.

Undè cum historicis & meteorologicis observationibus

Dni D. J O H. A D A M I G E N S E L I I.

P*incipium Januarii* temperatum, humidum ac nebulosum, circa medium furente Euro - noto fortiter gelare cœpit, in omnium dierum operosa enumeratione non ero multus & molestus, cum inutile sit & tædiosum verborum inanitate aures de-

fatigare. Vigesima pluvia, sequentibus nimbi cum ventis vehementioribus. Hoc mense febres quartanæ grassabantur, quæ dato cathartico in veras degenerarunt tertianas, quatuor & quinque accessionibus suam absolventes periodum. Variolæ continu-

runt,

runt, aut malignæ & confluentes, illisque funestæ, qui non statim in principio remedia adhibuerunt congrua, temperata nimirum diaphoretica & bezoardica, omiſſis volatilibus generoſioribus. Vigevano fama ad nos deferebatur, intra montes cecidiſſe nivem rubram ad ſpithamæ altitudinem, quæ ab exhalationibus terræ rubræ procul dubio ſuam traxit originem.

Menſe Februario creſcente luna ingreſcebat etiam frigus, quod ſexta remiſit, decima pluviæ calidæ, duodecima caligo cum pruina ſubſequenti pluvia per tres dies, circa finem cœlum ſerenum abſque ullis nivibus. Hoc menſe obſervavi digitorum apices duarum puellarum ſine dolore ſua ſponte abſque ulla vulneratione, aut cicatriculæ ſigno ſanguine floridum curioſo ſpectaculo guttatim ſtillaſſe: in alia puella idem obſervavi in facie. vide *Ephem. N. C. An. 1712. p. 72. Act. Erud. Lipſ. An. 1686. Menſ. Auguſt. p. 387.* febres malignæ petechiales inceperunt graſſari, quinta lethales cum ferocibus deliriis: verum pulſu (quod notatu dignum) tardo & æquali, ſanorum pulſui ſimillimo. In adoleſcente 13. annorum loco tibiæ carioſæ, per manus chirurgi fere ad patellam uſque genu forſice excerptæ, cartilago quædam uſque ad oſſa tarſi vices tibiæ obiens ſuccevit, qua etiamnum oſſeſcente nititur, & pedetentim ambulat, provida certo natura defectum oſſis à vicinia ſuperioris proceſſus oſſis tibiæ ſupplevit.

Principium Martii ſerenum & temperatum, octava primæ cecidere nives copioſæ, ſequenti die liquefactæ

pluvia per ſex dies continuos, hinc exundationes damnosæ fluviorum ac rivorum cum magna hominum, animaliumque ſtrage. Continuarunt febres malignæ multis funeſtæ.

Aprilis uſque ad 15. contra morem ſuum ſerenus, aut frigidulus, decima octava pluviæ frigidæ furente aquilone in nives hoc anno ſecundas verſæ quatuor geometricorum pedum altitudinis cum turbulentiffimis procellis, maximas campanas ad ſonum impellentibus, ſubſequenti exceſſivo frigore in regnum animale & vegetabile deſæviente cum interneſione, gemmarum in arboribus & proh dolor vitibus, alitum quoque ovis incubantium imprimis ciconiarum & cornicum. Vigefima ſeptima grando cum turbine, ne prior calamitas ſola eſſet, admiratione autem dignum, quòd in diverſis grandinis granis vermes ac ſcarabæi inventi fuerint, quos in præſentia multorum oculis meis uſurpavi: utrum è ſeminibus in nubes elevatis, ibidemque excluſis & nutritis oriantur, an aliunde accedant, curioſioribus relinquo; ex atmophæra ſaltem noſtra ob penuriam moræ vix abripi poſſunt. Confer de hac materia *Jonſton. taumatograph. claſſ. 3. C. 1. Fromond. libr. 5. meteorolog. C. 6. Scotus phyſic. curioſ. libr. 2. Ephem. Germ. D. I. An. IV. & D. II. An. II. III.* Ruſticus quidam calcem vivam clam furripens, cum domum properaret, nimis feſtinans currum evertit, ita ut in aquam caderet, hinc ſubito calcis vivæ ebullitione & impetuoſa efferveſcentia orta, ſtramen adjunctum flammam concepit, quæ aſſeres contiguos accendit curioſo ſpectaculo,

totusque conflagrasset currus, nisi ei succurrissent.

Principium Maii cum fulgure, tonitru ac imbris frigidum, usque ad 17. ventosum ac nubilosum, vigesima pluviae copiosae, vigesima quarta calor ingens subsequente fulgure & tonitru horribili, cum imbre frigidus ac turbine boreali, vigesima sexta imber, reliquum nubilum. Bruchi & volucrae numerosae, (de quibus plura hoc loco addere libet) teneros pampinos & uvas praeroderunt immenso damno: infausta haec & damnifica animalcula, vites consumere nata in lingua sancta appellantur $\rho\lambda\iota$ à radice $\rho\rho\lambda$ lingere, lambere, (vid. Joël. c. 1. v. 4.) quod lambendo quasi virulentia sua uvas inficiant, easque absumant, graecè vocantur $\iota\pi\epsilon\varsigma$ & epides ab $\iota\pi\tau\epsilon\iota\nu$ laedere, nocere, quod vites summo opere ab iis laedantur. Plinio L. 18. c. 18. dicuntur convolvuli, & volvoces, Columellae volucrae, Tullio butyri, Plauto involvuli (in Cistell. Act. 4. sc. 2. v. 63.) quod in pampini foliis, ovula ponentes se involvant & implicent, illaque proboscide sua virulenta quasi conglutinent. Ipso corpore ceruleo, pedibus obscure lutescentibus, nascitur ex ovis, bombycum ovis similibus magnitudine, colore rubicundis, hic cum parere vult, multa cumulat, volvitque folia & in his sua ova reponit; germani antiphraستice vocant *Weinzedel* vel *Weinzierl*, quod minimè vineas ornet & excolant, sed potius deturpent, & ad incitas redigant summitates palmitum, uvarumque gemmas depascendo. Oriuntur ut plurimum spirante austro, flante verò borea pereunt. Confer Samuel. Bo-

charti hierozōic. p. II. L. IV. C. IV. Ulysses Aldrovand. L. IV. de insect. c. 1. iconisimum tamen ipidis minùs accuratum exhibet. C. V. Italis rusticis est *tagliadizzo*, Ringavis *Rebstichel*, Hungaris *Vinzellir*, proprium illarum est in vitibus versari, easque ut & cornua arrodere. Qui serpentis genus esse putant, ab Hermolao redarguuntur, vide Jonston. L. 3. H. N. p. 86. seq. quid quod ex vitis pampinis enascantur vermiculi, qui pubescentes uvas praerodunt. vid. Columella de arboribus c. 15. Theoph. Eresio L. 3. de caus. plant. C. 27. ipsa vitarius bestia nominatur damnifica, quae in pampini folio intorta implicet se. Tremellius cum nonnullis vocat melolontham, est autem melolontha scarabaei genus, quod alio nomine teste Hesychio $\chi\rho\upsilon\sigma\omicron\kappa\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\rho$ h. e. aureus vocatur, de quo Gesnerus ait: $\mu\kappa\lambda\omicron\lambda\acute{\omicron}\nu\theta\eta$ est galleruca infectum pennatum, scarabaeo simile $\chi\rho\upsilon\sigma\omicron\kappa\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\rho$ dictum; à quibusdam verò ea animalcula hac voce designari existimantur, quae Galli *Hanetons* nominant, (de quo vide Dictionar. Richelet) ea autem ab Anglis appellantur *Dors*. videatur Liveleus T. III. Critic. Sacr. p. 946. Quomodo differant ipes, ikes, thripes, vide apud Aldrovand. l. c. & Bochartum c. 17. ubi bene monet in Galeni verbis perperam legi $\sigma\kappa\acute{\iota}\pi\epsilon\varsigma$ pro $\iota\pi\epsilon\varsigma$ cum dicit: $\acute{\alpha}\mu\pi\epsilon\lambda\acute{\iota}\tau\iota\delta\alpha\ \gamma\eta\nu\ \pi\epsilon\rho\delta\epsilon\rho\ \tau\acute{\alpha}\varsigma\ \gamma\epsilon\nu\nu\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\varsigma\ \epsilon\pi\prime\ \acute{\alpha}\nu\tau\acute{\alpha}\nu\ \sigma\kappa\acute{\alpha}\lambda\eta\kappa\alpha\varsigma,\ \acute{\omicron}\upsilon\varsigma\ \sigma\kappa\acute{\iota}\pi\alpha\varsigma\ \acute{\omicron}\iota\omicron\mu\acute{\alpha}\zeta\eta\sigma\omega\nu$, ubi etiam notandum, quod ipes certam speciem locustarum in viribus generari idem asserat, cui adstipulatur Theophrastus l. c. de Caus. plant. c. 27. causam hanc subnectit, utpote cum vites humescant, atque aër foetificet, tum ipes.

ipes quoque materiem sibi congenere-
 rem statim erodunt, addens: vitibus
 hoc potissimum evenit, quia natura
 præhumidæ sunt, & humor narum
 insipidus sit atque aquosus, humor
 enim qui talis est, facillime affici
 potest, nonnunquam ipes omnino
 nequeunt generari, scilicet loco pla-
 cidi spiritus, neque humido, neque
 succoso. Non solum autem illo an-
 no, quo vites infestat & veneno quasi
 inficit, colluvies hæc exitiosa exi-
 stit, sed etiam futuris, hinc inter se-
 culi incommoda & res orbi noxias
 numerantur ab Arnobio L. I. adver-
 sus gentes, quibus negotia incurfan-
 tur humana, aspectu quidem sunt
 pulchra, coloribus rutilantia diversis,
 ast summè damnifica & maligna. vid.
 Salmasius in exercit. Plinianis ad So-
 lin. p. 272. Joh. Frischmuth dissert. I.
 de hirco emissario. c. I. §. 5. D. Dan.
 Henrici dissert. V. de relig. Zwingl.
 p. ult. Dan. Guil. Mollerus in medi-
 tatione de quibusdam insectis Hunga-
 ricis. Francof. 1673. in 12. Bern. Sac-
 cus in hist. Ticin. L. 4. inquit: dirum
 hoc animal frequentissimum esse pro-
 pe Alagniam in Lomellino agro ur-
 bem, ubi vitis folia depascunt, qui-
 bus ablatis arescunt exiles & imma-
 turi racemi sine umbra relictæ, ab
 uvarum verò cupidis sturnis postmo-
 dum castigari. vide Eph. Nat. Cur.
 Decad. II. A. VI. p. 202. seq. Cornar.
 in Theolog. Vit. L. I. c. 17. p. 205.
 D. Phil. Jac. Sachs. in ampelograph.
 L. I. c. 6. p. 47. Mouseti theat. insect.
 L. I. c. 19. p. 142. seq. imprimis D.
 Joh. Theod. Moeren Observ. in Decad.
 II. Ephem. N. C. A. V. p. 220. passim
 per vineta volitat animalculum ma-
 gnitudine pisi, scarabæi parvi figuram

corporis referens, variegati plurimū co-
 loris &c. Græci duas res æqualiter ma-
 las exprimere volentes, dicere solebant:
κατὰ μὲν θεοῦ, κατὰ δὲ ἰπῆς, mala qui-
 dem thripes, mala rursum ipes: thripes
 culicibus similes, sūt teredines sive coffi
 arborū fructus, ipes vurò uvarum ger-
 mina prærodentes, de quibus *Pruden-
 tius in Hamartigen. v. 266. seq. canit:*

*Quamvis maceries florentes ambiat
 hortos*

*Sepibus, & densis vallentur vitea
 rura,*

*Aut populator edet gemmantia ger-
 mina bruchus,*

*Aut avibus discerpta feris lacera-
 bitur uva.*

Majores nostri vix observarunt,
 quòd horrenda istorum depopulantium
 animalculorum rabies tot annos in
 tanta copia duraverit, subque nive
 & glacie illæsa tam in limosis quàm
 saxosis locis, imprimis intra cortices
 arborum permanserit. De hujus in-
 secti extirpatione video sollicitos an-
 tiquos pariter & recentiores, operosa
 subministrantes remedia, quidam vi-
 neta sulphure herbisque graveolenti-
 bus suffiebant, alii vites illinebant
 terra ampelotide, ut docet Galenus
 L. 9. simpl. Medic. quam pharmacitin
 vocat Dioscorides L. 5. eò quòd vi-
 tium morbo meadeatur. Laboriosius
 extirpant perniciem hanc Ringavi &
 Sempronienfes, assignatis enim tem-
 poribus quisque patrum familias mittit
 suos homines, qui è vitibus colligant
 ipsum animal, & convoluta folia
 ovis foeta, urceoque aqua semipleno
 injiciant, ut vesperi in unum cumulum
 ante Prætoris vel heri ædes, aut in
 foro coacerventur, & superstructo
 igne comburantur. Vide D. Moeren

I. c. Petr. And. Matthiol. L. 3. Epist. Medic. p. 141. Hohbergii Georgica Curios. P. I. p. 341. & 481. D. Samuel Ledelii relationem in Ephem. Dec. III. A. Ult. p. 368. In libris Geoponicon (qui Imperatori Constantino Porphyrogenetæ adscribuntur) tria grana sinapis juxta vitem implantanda commendantur, verba L. 13. sic sonant: *περὶ τὸ σέλεχος τῆς ἀμπέλης παρὰ τὴν εἶζαν τρεῖς κόκκους συνήπειως χάσσει φυτευόμενα: γὰρ ταῦτα τῇ ὁσμῇ τὸν βρέχον ἀναρεῖ: cum verò in nostris regionibus semen sinapis nimis tardè procreseat, vix finem suum paterfamilias obtinebit exoptatum. Alii vites aqua, in qua ipides enecati sunt, vel cultros, quibus palmites amputantur illiniunt, ita Plinius Hist. Nat. L. 17. C. ult. ne convolvulus fiat in vinea, amurcæ congios duos decoctos in crassitudinem mellis, rursusque cum bituminis tertia parte, & sulphuris quarta sub dio coqui, usque quo exardescat sub tecto, hoc vites circa capita & sub brachiis ungi, ita non fore convolvulum: quidam contenti sunt fumo hujus mixturæ suffire vineas secundo flatu continuo triduo, plerisque non minus auxilii & alimenti arbitrantur in urina, quàm Cato de re Rustica c. 95. in amurca, addita modo aquæ pari portione, quoniam per se noceat: alii falces cum sint exacutæ, fibrina pelle detergunt, atque ita putant, aut sanguine ursino liniri volunt post putationem easdem; ex aliis autoribus Aldrovandus l. c. p. 191. sequentia contra cantharides (forsan & ipides) remedia tradit: Baptista pius in suis ad Plauti comœdias contra animalcula, quæ vitibus nocent, accipit cantharides, quas in*

rosis invenire consuevimus, si oleo immergantur, ne in tabem resolvantur, alii non observantes, quo loco, aut qua in herba nascantur, ipsas qualescunque sunt, cantharides in oleo coquunt, ex eoque cotem, in qua falx exacui debet, obducunt; idem præsidium præstabit falx illita cum hircino adipe, aut ranarum sanguine, aut coticulæ cinere, vel oleo illita, quâ falcem exacues: Gaudentius Merula, cantharides vitibus noxias, stercoreis bubuli, cui aliquantulum galbani commixtum sit, suffitu procul abigit, cum spirant auræ. Fabulosum remedium narrat Claudius Ælianus, mulierem scilicet mensibus laborantem erucis & scarabæis perniciem afferre. Ethnici pro pœna à Diis immissa, insecta agnoscentes, idolis suis sacrificabant, certa que instituebant festa, de quibus videatur Coelius Rhodiginus Lect. antiqu. L. 4. c. 15. hinc & idolum Ekronis vocatur *בגל ונב* Deus muscarum, vid. Bochart. l. c. P. II. L. 4. c. 9. & p. 1. L. 1. c. 5. & Hercules appellatur *ἑποκτόνος* ipidum occisor. confer. Alex. ab Alexandr. Genial. Dier. L. 2. c. 14. Coel. Rhodig. lect. antiqu. L. 6. c. 7. Bochart. P. II. c. 17. 27. Aldrovand. l. c. Optimum, quamvis laboriosum remedium est, illos maturè & indefessè à vitibus colligere, ac unà cum ovulis comburere.

Hoc mense in Austria, imprimis Viennæ, febres malignæ cum atris exanthematibus & bubonibus, (quos benignos appellabant) magna cum hominum mortalitate grassabantur, quidam exsectum bubonem cum carne bubula cani ad devorandum absque ejus noxa dabant, & ex hoc pestem

pestem negabant, cum tamen longè alia sit ratio carbunculi & bubonis in corpore vivo, quàm ex cadavere secti, & juxta Celsum nihil sit ineptius, quàm quale quidque in homine vivo est, tale existimare esse moriente vel mortuo, & vice versa: accidit quod ex bubonibus pestilentialibus & carbunculis nonnulli per chymiam spiritum antipestilentialem & \ominus volatile elicere conentur, quade re plura dabo in schediasmate de differentia pestis humanæ & brutorum; licet itaque morbum tantum contagiosum vocaverint, pestemque nomine contagii velaverint, vera tamen febris erat pestilentialis, quod & internecio tot hominum, præcipuè verò decem Medicorum comprobatur, vide Francisci Xaverii Bensæ historicam relationem pestis Austriæ & conterminas partes infestantis, Viennæ A. 1717. 8.

Junii principium pluviosum, ventosum atque frigidum cum exundationibus torrentum & fluviorum damnosis, octava æstus usque ad duodecimam, 13a pluvix subsequente frigore, medium serenum & calidum cum intermixtis imbribus ac procellis: circa finem pluvix furente Euro, pestis in Austria incrementum sumpsit ut & Pofonii in Hungaria.

Julius usque ad 5tum serenus, ventosus & frigidus, sexta calor mediocris, septima pluvix copiosæ cum frigore extraordinario, usque ad finem mensis (paucis exceptis diebus) flante aquilone durantes. Pestis in Austria, & aliquibus partibus inferioris Hungariæ, ut & Pofonii valde sæviit; meteora quædam lucida sub forma draconis apparebant, ab ex-

halationibus sulphureo \oplus in sublimis evectis, per continuum attritum incalescentibus, tandem accensis, ac in tonitrua & fulmina fatiscen- tibus, subsequen- tibus inundationibus & fragminibus nubium.

Principium Augusti pluviosum & frigidum, à quarta usque ad 9nam calor ingens, undecima tonitrua horrenda cum fulminibus ac pluvia frigida, 16a nubilum insequentibus pluviis ingentibus, rubigine & uredine vitibus & frugibus summè perniciosis, circa finem nebulæ densissimæ quasi hybernæ in altum evectæ, & in pluvias frigidas resolutæ cum tonitru & fulmine: incus fabrilis ab ictu fulminis urentis & concutientis, partim fusus, partim fissus observabatur, globum quoque igneum seu glomerum flammeum in terram delapsum conspexerunt maximo cum fragore diffilientem, tetrumque odorem & fumum spargentem, in- crudescente magis magisque tempestate, iteratis- que ictibus fulminum horrendis. Pestis tam in Austria quàm Hungaria continuavit sævire, grassabantur etiam variolæ malignæ confluentes cum petechiis intermixtis, illisque qui non statim in principio remedia adhibuerunt, fatales, jamjam suppuratæ, rursus materia ichorosa repletæ conspiciebantur, & secunda vice ad sup- purationem pervenere, inque interstitiis suppuratarum novæ subinde oriebantur variolæ, in defunctis per nares, aures, & oculos sanguis prorupit copiosus, nonnulli à barbiton- foribus imperitis malè tractati, tubercula circa artuum juncturas, & his retropulsis per topica, totalem re- portarunt contracturam, alii cœcita- tem,

tem, strumofosque colli tumores quibus evanescentibus corripiebantur vomitu cruento lethali.

Septembris initium pluvium & caliginosum, octava Euris effluvia humida dissipando serenitatem conciliavit, medium itidem pluvium, circa finem serenum & frigidum. Sempronii quoque morbi contagiosi cœperunt grassari cum vomitu, & ardore in abdomine tertia & quinta lethales, petechiæ item atræ cum dysenteria, pustulis in scapulis, ac bubonibus sub axillis & in inguine, septima & nona funestæ, nec vomitoria, nec purgantia, nec venæ sectio in principio conducebant, nec Osa aut acida, sed bezoardica balsamica cum volatilibus refracta dosi mixta, imprimis tinctura nostra antipestilentialis cum spiritu CC. maritata, quæ & in peste Ratisponæ salutari effectu se probavit. Lanio quidam nomine Lidel dysenteria extinctus, herniam habuit raram, non quippe in scroto, sed intra cutem & musculos ad femur usque intestinum ileon prolapsum observabatur, hanc herniam à casu cum equo ante decennium reportabat: in visitatione medicus pestilentiarius tumorem hunc herniosum, (qualem antea nunquam viderat) pro bubone pestilentiali sat crasse reputabat, domumque ejus ceu infectam, qualis tamen minimè erat, obsignabat. Similem herniam extraordinariam ex prolapsu intestino ad femur observavit Barbette c. 7. chirurg. & B. D. Petermannus in viro septuagenario, ultra triginta annos eadem laborante, & ego in Italia bis talem conspexi: Stalpar van der Wiel quoque in Observat. medico-chirurg. ra-

rior. Observ. 54. Cent. I. similem errorem medici cujusdam & chirurgi rudis detegit, bubonocelen in juvene quodam pro bubone pestilentiali cum læsione ipsius intestini aperientium. vide Rhod. Observ. M. Cent. 2. c. 72. Hœchstetter. Dec. 10. Variolæ confluentes etiam increbuerunt multis fatales, apoplexiæ quoque frequentes erant, qui morbi omnes pluviosæ hujus anni Constitutioni adscribendi, juxta Hipp. Aph. XI. sect. III. si ver pluviosum & australe fuerit, necesse est febres acutas, & dysenterias fieri. & aph. 16. morbi in pluviosis constitutionibus plerumque fiunt febres, putredines, siderationes &c.

Principium Octobris serenum & temperatum, quarta æther nimbis cinctus usque ad septimum cum frigore, 14a pluvix cum insolitis nivibus flante vulturno, cæteris fermè omnibus, vel caliginosis, vel pluviosis existentibus diebus. Febres increbuerunt tertianæ duplices gravidis exitiosæ cum vomitu, cardialgia & diarrhœa, febres continuas mentientes, in quibusdam cum deliriis, invitaque fecum excretionem, octo & novem accessionibus periodum suam absolventes, febris quoque pestilentialis continuabat, sed sporadicè tantum cum pulsu tardo & inæquali, frequenter bubonibus, raro carbunculis erumpentibus, chirurgus expositus egregio bubone (ita enim Pestilentiarius ille Medicus appellabat) correptus, quinta obiit, adhibita damnosa & inconsiderata venæ sectione, vix non omnibus illo tempore funesta, prouti & in peste comitatus Castri ferrei agrum depopulante, Anno MDCCX. observavi, de qua peculiarem dissertationem

nem editurus sum. Cæterum erysipelas, atheromata, steatomata, alii- que affectus cutanei etiam minimi in quibusdam subjectis pro signis pesti- lentialibus ex ignorantia invincibili & crassa reputabantur.

Prima Novembris imber atrox sed calidus, tonitrua insolita & terribilia cum fulminibus, aliquibus in locis urentibus, & grandine, à tertia usque ad decimam pluvix, undecima ni- ves secundæ cum frigore extraordi- nario, furente aquilone, quatuor pe- des altæ, circa finem frigus intensum cum sævis turbinibus. Febres acutæ cum petechiis & bubonibus subrepti- tiè quasi hinc inde homines invade- bant, in autumno enim morbi acutissi- mi & omnino mortiferi, juxta effatum Hippocratis aph. IX. sect. III.

Circa Neostadium terra dehiscente

agri portio viginti aliquot orgyiarum unà cum arboribus (absque sensibili terræ motu) hiatu vasto aperto sive chasmate periit, relicto post se lacu. *Hoc anno annonæ ubertas erat & vi- litas, vini autem & fructuum maxima sterilitas & caritas, etiam racematione (ob vindemiam imprudenter à non- nullis ante nives neglectam) in maxi- mis nivibus instituta, vinum erat te- nue, insipidum ac vappescens.*

Decembris principium horridum cum procellis, nivibus & gelu immani us- que ad duodecimam, reliquum tem- peratum, variabile & pluvium. Bu- bones adhuc vagabantur, sed beni- gniores, rigore fortè temporis malo hoc mitigato: febres verò quartanæ mirum quantum invaluerunt, rebelles admodum & contumaces.

Constitutio Epidemica Augustana Anni 1711. & sequentium.

Dni D. L U C Æ S C H R O E C K I I.

Aeris status, quo Annus prægref- sus fuit finitus, in principio quoque Anni 1711. perstitit, humi- dus nempe ac multo frigore molestus, variorumque ventorum agitationi ex- positus, usque dum d. 7. Euris feren- titatem, & post octiduum Zephyrus pluvias, tandemque nives frequen- tiores adduceret; circa finem autem mensis hujus primi Euris denuo præ- valens, cum serenitate frigus diu- turnum & intensum excitaret, ut mei Thermometri liquor ad gradum 8. (quod etiam d. 3. & 13. Februa- rii contigit) descenderet, præci- puè postquam Zephyrus d. 4. Febr. & Cauros post quatrimum, nec non

Eurus quintiduo abhinc nivem ad- modum copiosam sparserant; quæ sub Africo, comite pluvia & frigo- ris remissione, d. 18. Febr. liquari coepit; & quamvis nova subinde nix, occidentali vento (sæpe ad me- ridionalem, quandoque etiam septen- trionalem plagam inclinante, rarius verò ab aliis ventis interpolato) spi- rante, usque ad d. 10. Martii cade- ret, eadem tamen pluviis superven- tientibus brevi denuo resolvebatur. Interea, præter Febres quotidie vel alternis diebus recurrentes, licet ra- riores, in vere tamen crebriores, & in principio sæpe continuarum spe- ciem præ se ferentes, primum teneriori

ætati, in progressu autem adultis magis infestas, ut & catarrhorum ægritudinum multitudinem, Variolæ benignæ imprimis, usque in Aprilem frequentes, ast circa Solis in signum Cancri ingressum, una cum Febribus evanescentes, continuarunt, nec non Pleuritis notha, atque Coxendicum dolor (diaphoreticis, Tinctura præsertim Bezoardica, juxta cum eccoproticis, utriusque malo operentibus) multos lecto adfixerunt.

Ver cum ventorum varietate, Zephyro tamen prævalente, aura nebulosa, humida & temperata (catarrhosis ideo morbis, præsertim Odontalgis, Apoplexiis etiam letalibus opportuna) primo erat prædictum, quæ circa Aprilis medium in serenitatem mutabatur. Majus frigidiusculus potissimum Euro spirante comparuit, in medio tamen caloris sat acris per decendium participes, paucosque dies serenos per totum reliquum suum decursum numerans, crebrioribus autem tempestatibus grandinosis, è longinquo tamen nobis tantum se ostendentibus, viciniam autem admodum damnosus. Cum Junio Eurus, interdum ab aliis diversis ventis interceptus, serenitatem caloresque magnos proferebat, usque dum post solstitium æstivum Zephyrus dominium obtinebat, & mutabilem aëris statum, sæpius verò pluviosum producebat; quæ humida aëris intemperies postea etiam continuabat, diesque caniculares magis temperatos quam fervidos efficiebat. Et licet postmodum cum Sol in Libra versaretur, Eurus serenitatem quandoque redderet, an-

tequam tamen signo hoc excedebat Zephyrus, aliquoties valde impetuosus, pluviis frigidis denuo molestus existit, quin & pluviosa illa intemperies usque ad finem Anni perstitit, nisi quòd in Decembri crebræ nebulæ, & Serenitates quandoque, Euro præcipuè, Austro & Africo intervenientibus, comparerent. Cæterum præter Catarrhos nihil epidemicorum malorum prioribus istis temporibus observabatur; post Canis tamen occasum Variolæ denuò multos infantes invaserunt, confluentium jam specie gravius aliquos affligentes & negligentius habitæ non paucis letiferæ; paulo post tamen, usque ad Anni exitum, & in Januarium usque Anni sequentis, ulteriusque, sed rariores discretæ mitioresque comparentes. Diarrhœæ circa finem Novembris, & per Decembrem in multis, prævio ut plurimum vomitu, torminibusque stipatæ, promptè tamen stomachum roborantibus cedentes, notatæ fuerunt.

Circa finem æstatis, & per autumnum Lues illa, quæ bubulo generi per Germaniam Italiamque tam infesta fuit, postquam ex Hungaria versus Danubium sensim progressa, ubique luctuosa sui vestigia reliquit, nostra quoque confinia attigit, ac insignem stragem, integra etiam numerosa bovia evacuantem, apud nos, ac plurimis vicinis in locis edidit; quam non aëris ex vitio, sed contagio per boves ex regno illo adductos exortam fuisse, vel inde factis nobis notuit, quòd illa primum loca, ubi pascuis frui illis advenis contigit, invaserit, armentis verò omnino

omnino pepercerit, ad quæ illi, vel alii ab his infecti haud pervenerunt, atque ubi consortium illorum, ad quos contagium jam penetraverat, evitatum fuerat. Miasma verò hoc per salivam animalium infectorum, quo gramina inter pascendum conspurcarunt, se primo, postea etiam per exhalantes vitiosas à corruptis humoribus visceribusque particulas ulterius, his in terris, propagasse, atque caustica acredine infestum, fauces, ventriculos ac intestina hostiliter invasisse, inque spasmodicos motus non tantum nervosas partes irritasse, sicque ob constrictos exin vasorum sanguiferorum tubulos inflammationem excitasse, sed ipsam etiam eorum substantiam ad putrilaginem disposuisse, credibile videtur: Id quod lingua in quibusdam inflammata, & vesiculis rubris referta, ventriculi, præsertim omasus, & intestina non minus inflammata, & non tantum sanguineæ, sed foetidæ etiam & purulentæ excretiones, ut Dysentericæ malignæ speciem ut plurimum præ se tulerint, nec non intestina hepatis contigua bile suffusa testabantur. Unde etiam, quæ in prima invasione notata fuerunt symptomata potiora, adpetitus nempe dejectus, difficilis respiratio, calorque præternaturalis ortum habuisse videntur. Cæterum caro lue hac demortuorum boum quamvis pluribus, egenis præcipuè in cibum primo venerit, nec sinistri quid ipsis inde accidisse rescitum fuerit, tutius tamen esse iisdem abstinere, tum ratio suadet, qua ex viscerum observata labe promptè etiam eandem carnibus communicari, quia & nauseam, facile exin oriun-

dam, multum nocere posse evincitur, tum exempla confirmant, quibus noxium quandoque existisse carniū contagiosa labe infectorum animalium esum constat: Vid. præter alios Nob. D. Rosini Lentilii Miscell. méd. pract. part. 2. pag. 519. Liceat etiam memorare exemplum, ab Exc. Dn. D. Johanne Meyero, Arch. Elect. Palat. & Physico Neoburgensi, Anno 1712. d. 16. Julii ad me perscriptum, duobus nempe rusticis, cum bovem ægrotantem mactassent, &, quia lienem pulmonesque malè constitutos invenerunt, sepeliissent, carbunculos in brachiis fuisse exortos, cum febre acuta, vomitu & diarrhœa, duos autem canes, qui carnes istas degustaverant, eodem die mortuos fuisse. Ex Hungaria quidem Venetias advektorū boum dysenteria laborantium carnes innoxias quondam Medici aliqui Patavini insignes pronunciarunt, ast tutius esse talibus abstinere, celeberrimi olim Jenenses Medici, Guern. Rolfinckius in Ord. & meth. spec. comm. lib. 2. sect. 3. cap. 60. & Joh. Theodor. Schenckius hist. gener. humor. cap. 2. judicaverunt. Prout etiam Collegium Medicum Augustanum circa Casum hunc ab Illustr. Senatu requisitum, hujusmodi carniū ulteriorem venditionem, ad noxas inde emergendas præcavendas, dissuadere tutius duxit, atque per Senatus Decretum impetravit.

Circa principium Anni 1712. Zephyrus, interdum ad unum alterumve latus declinans, cum frigore nivem, sed rariorem sparserat; & licet sæpius aër serenus postea redderetur, semper tamen nebulosus unà fu-

erat : frigus quidem in Progressu remissius, ast brevi post, flante Euro vel Austro, denuo intensius factum est : usque dum d. 3. Febr. Zephyro redeunte, pluviis, quæ per decendium durarunt, obortis cessarunt. Varius abhinc aëris status, quoad temperiem tolerabile frigus, crebriores autem nives attulit, usque dum circa Æquinoctium vernum Eurus temperatiorem aërem redderet, mox verò diversis sub ventis humida & pluviosa constitutio usque ad Solis in signum Tauri ingressum valde molesta exstitit, quam Euro prædominante, calida & sicca excepit, sæpius tamen postea variando: Sole verò Leonis signum occupante, occidentales venti pluvias multiplicarunt, & d. 6. Augusti cum serenitate calores magni oborti fuerunt; qui etiam, licet circa finem mensis hujus, delapsis pluviis, remiserint, mox tamen denuo comparuerunt. Cæterum huc usque præter consuetos hyemales catarrhosos insultus, in mensibus vernalibus Tusses ferinæ puerilem ætatem admodum afflixerunt, ecco-proctis repetitis, absorbentibusque, nervinis, ac demulcentibus ægrè profligatæ; Febres etiam quotidianæ non valde contumaces, purgantibusque præmissis, per antimoniatas calces, arcanum duplicatum, & corticem Peruvianum &c. devictæ, per æstatem plures occurrerunt; in Augusto autem non paucæ Diarrhœæ, in nonnullis quoque Dysentericæ, ut & Cholæræ, sed benignæ, omnes facile, post rhabarbari nonnihil tosti usum, in primis pulveribus dictis præcipitantibus, coralliis, unicornu fossili, quandoque etiam tor-

mentilla, succo catechu &c. curatæ. Hasce ægritudines in progressu mensis Febris catarrhalis exceperat, sine sexus ætatifve discrimine, magis tamen adultos quàm pueros, cum febrili inhorrescentia, subsequente calore, cum cephalalgia, & hinc productis pervigiliis, quas interdum deliria nocturna comitabantur, oculorum item, dorfi & artuum dolore, ac tussi ut plurimum invadens, & instar ephemeræ, altero, vel tertio, quartove die, sponte; aut impetus ubi vehementior erat, post moderatum sudorem, modo per volatilia, modo fixa medicamenta, pro subjectorum diversitate, excitatum, recedens: nisi quòd tussis quandoque pertinacius insisteret. Qui morbus uti multis, remotis etiam in locis, ita nostra quoque in Urbe plurimos invaserat, ut vix domus esset, ubi eo laborantes non deprehendebantur; atque nobis ex prægressa humida aëris intemperie, similes in corpore nostro particulas augente, ac magnis dein ejusdem caloribus, lympham in corpore fundentibus & agitantibus, subito tamen tempestatis frigidæ aliquoties obortæ interventu, quæ transpirationem ob poros inde occlusos sufflaminabat, condensatam generata mihi videbatur. Nec aliam causam Pleuritides hanc in mense Octobri excipientes, non admodum refractariæ habebant, atque ideo sudoriferis moderatis præcipuè, ac satis promptè cedebant. Aliorum morborum minimè ferax erat Autumnus, qui satis temperatus & serenus in principio, in progressu autem, præsertim Zephyro ut plurimum, & quidem nonnunquam multa

ta cum vehementia spirante, humidus ac pariter temperatus se habuit; sicque continuavit hæc temperies: ante solstitium tamen quatruiduanum frigus, & tale etiam in fine Anni, Euro flante, experti fuimus.

Non prætereunda hic est Lues admodum gravis & funesta, quæ in Vere equos potissimum extra Urbem & in Vicinia, rarissimos in Urbe invasit, multosque trucidavit, postea etiam bobus, feris, quin & porcis, anseribus atque gallopavonibus, quibusdam in locis, non pepercit, & adultum usque in Julium tragœdiam suam ludere perrexit. Oriebantur fere semper in pectore, aut etiam in inguine, aliisque locis tumores duri, qui paulo post in amplius spatium se diffundebant, & intra breve temporis spatium interimebant. Hos ab ictu crabronum, qui copia & magnitudine insolita præditi observabantur, ortum habuisse mihi credibile videbatur. Uti verò cadavera boum elapso anno demortuorum, nec ubique altè satis in terram defossorum & putrescentium, Insectis hisce pabulum gratum exhibuisse, (in cavernis enim & sub terra nidos ab eis fieri, carnibusque vesci, Aristoteles lib. 5. hist. animal. cap. 23. Plinius lib. II. hist. nat. cap. 21. aliique testantur) sicque multiplicationi & augmento eorum, humorisque venenati, quem glandula in imo abdominis, cui aculeus nigricans & cavus, juxta nobil. D. Johannis Muralti relationem in Eph. nostr. Dec. 2. Ann. 1. obs. 56. implantatus est, majori ac credini velificasse, non improbabile est: ita venenatæ etiam hæc atomi in humoribus animalium

ab eis ictorum sese multiplicare, atque dein! alia quoque animalia sic inficere potuerunt: quale exemplum in prædio vicino Illustr. cujusdam Baronis equum hac lue defunctum, & in fovea non alte satis effossa, terra obrutum exhibuisse scio, cujus ideo pes unus extra terram prominens à servo cum securi amputaretur, profiliens exin humor in ejus oculum, mox tumorem & inflammationem excitaverat, alterum etiam oculum, & successive totum caput occupantem, atque cum ope medica, destitueretur, mortem brevi accelerantem. Salis ex aceto potum adversus crabronum virus præfatus Plinius lib. 32. cap. 9. & Casp. Schwenckfeldius Theriotr. Siles. pag. 526. remedio esse tradunt, eque vestigio fuisse vehementius, fuctuque infixos aculeos, vel potius humorem virulentum revulsisse: Inter alia sanè remedia, theriacam, allium, bolum vulgarem, nitrum &c. cum aceto propinata, quibusdam (uti etiam in superius memorata boum lue) profuisse, ab aliis non infeliciter tumores scarificatos, aut etiam ex incisa cute fuisse extractos, relatam fuit.

Anni 1713. principium, sub variis ventis, potissimum occidentalibus, frigore, quod cum primis in medio Mensis Januarii intensum valde fuerat, & serenitate, usque dum Sol Piscium signo adproximaret, gaudebat: Ubi post plurimas pluvias cœlum nebulosum, versus finem autem Februarii serenum, cæterum valde temperatum reddebatur; quæ temperies, sub mutabili cœli facie etiam usque ad Æquinoctium vernum & ulterius continuabat. Reliquus verna-

lis & æstivus decursus quandoque temperatus, ut plurimum autem pluviosus, & sæpe unà frigidiusculus exstitit. Mensem verò Septembrem, in quo Eurus spirabat, serenitas commendabat; in reliquis autem tribus mensibus crebræ nebulæ pluvixque (quibus in Octobri nives sæpe intermisciebantur) aderant. Humida hæc præpollens aëris constitutio, Zephyro majori ex parte comite, multorum superveniendorum morborum timorem nonnullis pariebat, nihil tamen singulare apud nos inde evenit. Attamen præter varias catarrho-

fas molestias, Variolæ discretæ, rariùs confluentes, nec mali moris, per totum Annum, frequentiores tamen post solstitium æstivum, & per reliquum Anni; præterea etiam Febres tertianæ ac quotidianæ, ut & quandoque Icteri, facilè omnes sanationem admittentes, sparsim, in Majo plures infantes Morbillis benignis laborarunt; in Decembri non pauci Febre petechiali, cujus in pagis vicinis multum grassantis contagium in Urbem delatum fuerat, interierunt, brevi tamen iterum per DEI gratiam malum cessare contigit.

Constitutio Epidemica Augustana Anni 1715.

Dni D. L U C Æ S C H R O E C K I I.

HYemale frigus uti in fine Anni præteriti, ita jam quoque tolerabile exstitit, & raro, nec diu intensius redditum fuit; interea mutabilem aëris, imprimis autem nebulosam & humidam intemperiem experti fuimus; & quamvis ventorum esset varia mutatio, Zephyrus tamen ut plurimum prævaluit; qui noctu d. 8. Februarii vehemens redditus, postea d. 11. & 12. invaluit; imo d. 2. & 4. Martii, omnium maximè verò d. 3. ejusdem, in magnum furorem erupit, & non ea quidem damnorum multitudine, qua in Anglia, Hollandia &c. infamis, non tamen planè infons desæviit, cœlo interim nebuloso, cum intervenientibus, parrioribus quidem, nivibus, comparante; temperie autem paulo prius nominata continuante; usque dum d. 5. Aprilis Eurus aërem serenaret & excalesceret, redeunte tamen circa

Solis in signum Tauri ingressum, sub diversa ventorum facie, humida ob pluvias frequentiores intemperie. M. Majo vernalis amœnitas usque in adultum Junium comparuit; & licet Sol quandoque acrius ureret, pluvix tamen intervenientes, & tempestates, attamen nobis non admodum graves aut damnosæ, calores temperabant. Sol postquam Cancri in signum pervenit, Euro flante, æstivos calores experti fuimus; quos verò, Zephyro succedente, M. Julio temperatior aura excepit, pluviis subinde æstivi temperantibus; talique fratu usque ad d. 15. Decembris ut plurimum permanente; ubi hyemale frigus, aëre sereno per sextiduum, postea fere semper nebuloso usque ad finem anni durante, admodum penetrans Eurus excitavit. Cæterum humida hæc aëris constitutio catarrhofas infirmitates, leviores tamen, oculis, dentibus, fau-

faucibus & pectori creavit, atque in autumno & hyemis principio, multis infantibus tussi & catarrho suffocativo, præsertim post Morbillos, exitialis fuit: postquam enim Variolæ præteritis duobus annis frequentes fuerunt, hoc anno quoque, & quidem mensibus æstivis vehementiores, confluentium naturam in multis induentes, in pueris continuarunt, & præter eas morbilli benigniores in vere supervenerunt, atque post inducias æstivas, in mense Novembri atque Decembri gravius adfligentes recurrerunt, pluribusque, qui aut gravius, corpore imprimis vitioso ferro laborante, iis infestabantur, aut cura negligentiore tractabantur, mortem accelerarunt; quod aliis etiam infantibus multis ex catarrho suffocativo, aut insultibus epilepticis contigit.

Anni 1716.

FRigus anno superiore abortum, Anno 1716. quoque continuavit, & imprimis d. 17. 18. & 19. Januarii adeo invaluit, ut frigori Anni 1709. ubi in Thermometro meo spiritus vini ad septimum usque gradum descenderat, æquale comparuerit, imo d. 18. illud dimidio gradu superaverit. Quæ austerior aura etiam usque in adultum Majum, rarius temperatori interveniente, perseveravit; & licet alibi, etiam in vicinia nostra, nives crebriores & copiosæ admodum delapsæ fuerint, in urbe tamen nostra altitudinem alibi observatam non attigerunt. Cæterum multa ventorum mutatio & rarior serenitas semper occurrit, præterquam quod

in Aprili Eurus plures dies serenos efficeret. Unde vernalis amœnitas & rarior, & sera admodum obtigit, ut incrementum Floræ, Cereris & Pomonæ multum retardaverit.

Nec Æstas multo melius se habuit, crebris ventorum alternationibus, pluviisque obnoxia, exceptis diebus canicularibus, qui plures sereni, non tamen calore nimio infensi exstiterunt.

Autumnus non minus, sub Zephyri, præsertim post Æquinoctium, & primis Decembris diebus admodum vehementis, prædominio, frigidus humidusque, & in Novembri crebris nebulis infestus, atque circa finem denudò pluviosus exstitit.

Post Solstitium quoque hyemale crebræ rursus nebulæ comparuerunt.

Ex humida autem hac aëris constitutione catarrhosæ infirmitates fere nunquam non per totum annum fuerunt abortæ; & imprimis circa Anni principium Apoplexiæ adultis, ac Tusses convulsivæ pariter ac humidæ puerili ætati, non sine multorum internectione infestæ: nec deerant Pleuritides veræ, diaphoreticis tamen & pectoralibus non difficulter curabiles; in quinque primis mensibus Febres insuper intermittentes, tertianæ & quartanæ, non paucis molestæ, sed facilè, chinchinæ, observatis observandis, cedentes.

Nec Variolæ prorsus cessarunt, sparsim subinde comparentes, in Autumno tamen plures invaserunt, & confluentium naturam in quibusdam inducendo, malignitatis etiam notas exhibuerunt, ac ita aliquibus funestæ evaserunt.

Anni 1717.

Cum post Anni principium nix crebrior decidisset, cælumque serenum redditum esset, frigus sub Euronoto obortum est, quod usque ad principium Februarii continuavit; ubi à zephiro, interdum & Africo, nivis liquatio sensim successit; die autem 9. novum obortum frigus, eуро præpollente, per undecim dies duravit; & diebus 18. 19. ac 20. adeo intensum fuit redditum, ut fere frigus Anni 1709. æquaverit, sed zephyro tum oborto mitius cælum evasit. Ubi etiam variolæ sensim disparuerunt, postquam in Anni principio, in pluribus confluentes, non sine malignitatis nota, infantibus, rarius adultis infestæ esse perrexerunt. Erant, in quibus pustulæ nigræ interspersæ notabantur, morte subsequente. Puerulo sexenni, sub temperato regimine, variolæ discretæ rite prodierunt, die verò morbi sexto passim pustulæ sanguine turgidæ sunt redditæ, cum mictu sanguinis, deliriis, magna inquietudine, & letali die 8. morbi eventu: Erant, qui per totum morbi decursum de alterutrius pedis vel genu dolore, sine tumore & inflammatione, conquerebantur, cum variolarum exsiccatione iterum sponte cessante.

Martius, Aprilis & Majus varia constitutione, præsertim autem humida ac frigidiuscula præditi, adventum veris valde retardarunt; sed post solis in Gemellorum signum ingressum temperatius cælum, & sæpius valde calidum, intermissis tamen crebrioribus pluviis, ventis ut plurimum ab

occidente vel septentrione spirantibus, factum est, & imprimis siriis, sub Euri prædominio, magnum æstum excitavit. Ubi, cum hætenus rariores ægrotassent, jam dysenteria multis potissimum ex plebeia gente, & adulta ætate, cum majori malignitatis, quam caloris sensu, ex magna virium prostratione, contagii labe, breviorique morbi decursu, (infantibus nonnunquam intra triduum succumbentibus) colligenda, usque ad Æquinoctium autumnale infesta esse cepit; quæ postea ulterius progressa, puerili imprimis ætati multam stragem, non tantum ob teneram corporis dispositionem, sed medicamentorum etiam difficiliorem, tardiolem & incongruum usum, intulit. Causa potissima ab aëris varia intemperie, primo frigida & humida, postmodum calida, ibi transpirationem sufflaminate, & collectioni serosarum salfarum particularum favente, hic easdem in orgasmum concitante, imputari potuit; præcipuè cum cerevisiæ minus defæcatæ & acescentis frequentior potus accessisset. Ex medicamentis, quæ non tantum malignitati resistere, sed acres etiam humores edulcare, fibras leniter stringere, & dolores mitigare valent, sub varia forma, provide administrata conduxerunt: qualia erant Unicornu fossile, Corallia rubra, Bolus Armena, Terra sigillata, Smaragdus, Hæmatites, Tormentilla, succus Catechu &c. cum & sine opiatorum moderato accessu; Balsamum etiam Peruvianum cum vitellis ovorum subactum, in clysteribus aliquoties injectum, egregiam opem in non paucis tulisse observavi.

Autumnus, zephyro, cum aquilone,

lone, denuo prævalente, (& illo quidem, sæpe vehementer, præcipuè autem à die 24. Decembris, ubi vesperi impetuosissimus, sine tamen aliquo, per Dei gratiam, damno, secus ac alibi, in Hollandia, Hamburgo &c. tum temporis contigerat, per quatri-
dum furente (humidus admodum

ob nebulas & pluvias, exstitit; talisque aëris conditio ad finem usque anni, cujus ultima nox fulguribus illustrabatur, perduravit, nullis aliis morbis epidemicè, paucissimis etiam sporadicè se offerentibus, præter odontalgias & consuetas hoc tempore tusses & coryzas.

Constitutio Anni 1712. Apud Labacenses in Carnioliâ,

à Dno D. MARCO GERBEZIO,

Apud eosdem Physico, & Medico ord. medicè considerata, & Augustam Vindelicorum d. 28. Decembris 1712. communicata.

FRigori aliàs Hippocrates non videtur imputare singularem insalubritatem, dum 3. Aph. 17. ab eo *corpora firma, agilia, & bene colorata* reddi asserit: quàm id tamen insalubre esse soleat, saltem dum modum excedit, docuit nos præterquam hyems Anni 1709. si quæ alia nivosa, & frigida, quoque currentis Anni 1712. hyems ob non multo demissiores nives, & frequentes aquilonares ventos similiter ultra modum frigida. Sub ejus siquidem decursu plurimi à febribus catarrhalibus, tussibus, raucedinibus, pleuritis, phthisibus, cephalalgis, gravedinibus, hemiplegiis, cachexiis, hydropibus, & aliis à variis modis peccante lymphâ dependentibus indispositionibus, fuere apprehensi. Quamvis tamen forte per se non tam frigus fuerit causa tantarum indispositionum, quam prægressa elapsi Anni 1711. austrina, & pluviosa autumnii constitutio, quæ à præsentis anni perrigida hyeme excepta humiditates, elapso autumno

in corporibus aggregatas, oclusis cutis poris, & per id impedita insensibili transpiratione, in corporibus retinuit, coagulavit, stagnare, & extravasari fecit, præsertim dum subinde tamen etiam intercurrebant austrini flatus, qui eas rursus solverunt, & exundare fecerunt. Si vicissitudine quadam, dicit Valeriola lib. 2. cap. 4. locor. com. *aquilonius flatus austrinum sequatur, fluxionum tum morbi fiunt.* Quemadmodum & nos in *Chronologiæ nostræ Med. An. I. XX. & XXI.*

Sic Ego ipse mox sub anni ingressu cum pluribus aliis à febre catarrhali apprehensus eram, sed brevi liberatus introsumptione mannæ granatæ in jure dissolutæ quantitate uncturium, & sudatione ad tales pulveres específicos mane cum decocto herbæ theæ assumptos, ℞. Spec. diarmarg. frig. diatrag. frig. ꝯ ij. diaphor. ana. ℞. succin. alb. præp. flor. ♀. ana gr. iij. M. f. pulv. in triplo. Aliis præterea subinde venæ sectione sanguinem imminuebam, & alia pectoralia

ralia propinabam, puta decoctum pectorale cum syr. de alth. Fern. de farfara, aut similibus specificis dulcificatum. Item Trochisc. bechicos, ol. amygd. dulc. cum sacch. cando, vel Julapio violato &c.

Certus puellus quinquennis non pridem pro capitis, & reliqui corporis scabie abigenda, nescio quo, perunctus, & præterea ab extra perfrigeratus in eam dyspnoeam incidit, ut suffocandus videretur. In subsidium vocatus suaseram, ut eum syr. Mannati unc. i. & jalap. pulv. ℞. expurgarent. Hinc in jure dissolutam spermat. Ceti ℥j. propinarent. Nec non ad sudorem cogent his pulvisculis: ℞. Spec. diamarg. frig. ℥. diaphor. ana ℥ss. pulv. March. succin. alb. præp. ana. gr. iij. flor. ¶. gr. j. sacch. perl. gr. iij. M. F. pulv. in triplo. Et sæpius cochlearum propinarent de tali mixtura appropriata: ℞. Extract. helen. fumar. ana ℥j. croci gr. v. subigantur in Aq. asthmat. chærefol. ana ℥iſs. syr. de hyssopo ℥ss. M. f. potio. Atque, nisi malum remitteret, utrique brachio vesicatoria applicarent. Dictum factum, & puellus præter parentum expectationem convaluit.

Hyemem quidem cum majore amoenitate excipere velle videbatur. Ver, utpote sub cujus ingressu ex amoenis Solis radiis adhuc residuæ nives successive optatissime dissolvebantur. Postquam autem in Aprilis progressu sæpius intercurrere incæpissent pluviae austrinæ, à 20. Aprilis usque ad 25. autem ex Euro pristina hyemalis auræ asperitas, adeo desolati evadere incæperamus, ut adhuc vel tunc nobis non melio-

ra de corporum valetudine, quam de futura satorum ubertate ominari tristes occæpissimus. Quando enim in nostris oris nives, & hyemale frigus eo usque, & ultra æquinoctium vernum protrahuntur, experientia annua edocti nunquam messem optimam, fructus arborum copiosos, & vindemias lætas nobis adpromittere audemus. Emori siquidem accidit vel in ipsa radice hyemalia fata, flores arborum fructiferarum emarcescere, & primos vitium pampinos à pruinis, & nocturnis auræ asperitatibus exitialiter aduri: quemadmodum id etiam, ut postea dicitur, hoc ipso anno evenit. Nec minorem stragem valetudo humana perpeffa est. Corpora siquidem hyemali asperitate enervata, & per tot intercurrentes auræ vicissitudines alterata, nec non per tot vernas pluvias nova humorum illuvie repleta, non poterant non solum ab adhuc hyemalibus indispositionibus opprimi, verum & vernis subjacere, potissimum eis, quæ à peccante lympha, quales sunt omnis generis vulgo defluxionibus imputari soliti affectus, produci solent. Non minus autem Majus erat inconstans, & inamoenus, quam Aprilis, utpote fere quotidie versus vesperam pluviosus, quin imo subinde & tempestuosus, quemadmodum secunda Maji, qua excussum ex nubibus fulmen arcis horologio adjacentis turris tectum magna parte disjecerat. Junius erat quidem nonnihil ordinatior, & versus exitum utcunque æstivus, aliquoties tamen æque tempestuosus: quin imo ad festum S. Medardi ex aquilone plane frigidus. Ut adeo neque ipse pla-

ne inculpate transire potuerit.

Certus archi-hypochondriacus, jam tribus annis consequenter semper circa dimidium Aprilis deterius affectus, & præsertim de capitis gravitate & obfuscatione quadam lamentatus, 13. Aprilis inexpectatè factus epilepticus intra bihorium obiit. Obiisse quoque observati sunt alii repente eodem tempore facti epileptici. Memorabile est à jam dicto hypochondriaco notatum discrimen inter auram civicam, seu Urbis arci subjacentis, & inter auram sublimem arcis ipsius Labacensis. Aferebat is enim, quod quoties adiisset (solebat autem diebus amœnis facere frequentissimè) arcem, concedissetque aliquamdiu sub tilia, supremiorem montis amœne coronante, vel obambulasset; se semper notabiliter melius sensisse, caputque habuisse serenius; quam primum verò redux domum versus subjacenti urbi appropinquasset, se illico rursus deterius sensisse. Ut adeo planè dubitare non liceat de veritate eorum, quæ nos in *vindiciis nostris Medicis de aura Labacensi* §. 37. de discrimine inter salubritatem urbium, & locorum liberæ auræ expositorum, campestriumve docuimus.

Ad repentinam Junii circa festum S. Medardi perfrigerationem, pleuriticus factus Jacobus Ubez, expertus Chirurgus, corpore ultra modum obesus, & plethoricus, elusis quibuscunque adhibitis remediis quoque intra triduum obiit, cæterum homo apparenter sanissimus. *Obesi videlicet facilius moriuntur, quàm graciles ex Hippocrate.*

Æstas habuit quidem sua interval-

la utcunque connaturalia; quod toties tamen intercurrissent tempestuosæ pluviae cum tonitruis, fulgurationibus, & fulminationibus, subinde etiam cum grandine, cum communitè subsecuta notabili auræ perfrigeratione, quemadmodum 21. Augusti, qua mane hora media septima fulmen in suburbio Tyrnau dicto octo nautarum casas, non obstante densissima pluvia, in cineres redegerat; pro vix temperata, & vernam temperiem affecuta haberi poterat. Ob quam causam fata tardius maturata messem tristissimam colonis præbuerant.

Adhuc parum siquidem illud, quod hyemalem rigiditatem, & ultra æquinoctium protractas nives subterfugerat, perque vernas pluvias in lolium conversum non erat, per toties iteratas coruscationes adeo exustum fuit, ut aristæ vel steriles planè evaserint, vel grana macra effœtave, & potiore farina orbata progesserant.

Neque humana valetudo interea minimum passa. Vidimus siquidem, quod, quæ per Junii, Juliique decursum ob imminutas successivè per hyemem, & Ver in corporibus aggregatas humiditates, utcunque sublidere inceperat, mox sub Augusto labascere visa sit à febribus tertianis intermittentibus, subinde & quartanis, & tertianis nothis, continuis, diarrhœis, disenteriiis, vomitionibus &c. impetita. Quæ febres vel in eo fuere singulares, quod non solum rarò consuetum typum in paroxysmis observaverint; verum etiam, quod communiter post aliquot paroxysmos in continuas mutari solitæ fuerint,

similiter adeo inordinatas, ut etsi typum tertianarum duplicium præ se ferre viderentur, tamen subinde 24. & plures horæ intercurrerint, quibus in pulsu nulla fere alteratio animadvertebatur, urinis fere crassis, & lateritio sedimento refertis existentibus, desuper verò tamen rursus insistente continua alteratione, sæpe cum maculis petechialibus scarlatinis, saltem per brachia dispersis, sæpe etiam cum diarrhœis & vomitionibus, vel copiosissimis sudoribus: vix tamen aliquando cum ægrorum interitu, etsi semper cum tardissima integræ valetudinis recuperatione. Quod Medici communiter febriliter cum succo pancreatico justo acidiore effervescenti bili, sed multæ pituitæ admixtæ imputabant; & vel propterea non tam ardentibus, acutisve febres producenti, quam potius nothas, minus acutas, & diuturnas. *Quando æstas fit similis veri, sudores in febribus multos expectare oportet. Hipp. 3. Aph. 6.*

Curabantur autem febres illæ, si quandoque persistere intermittentes, pulvere Cornach. diebus à febre liberis iusta dosi assumpto, & sale febrili Myns. una alterave hora ante paroxysmos in aqua card. ben. vel cent. minoris propinato. Si qua verò eas in continuas degenerare accideret, præterea venæsectio celebrabatur in petechialium macularum absentia, aliàs verò scarificatio dorsi cum subjunctis cucurbitulis. Quamvis viderim apud unum alterumve opificem, cui etiam actu prostantibus petechiis, sed pro pulicum moribus habitis, erat sanguis venæsectione emissus, & qui tamen æquè convaluit, ac alii, quibus san-

guis emissus non erat. Unde conji- cere licebat eas solita sibi malignitate non fuisse præditas. Per reliquum morbi decursum autem insitebatur usui pulverum pan. rub. de gem. frig. CC. phil. præp. ♀ diaph. arcan. dupl. bezoardico min. additis, si diarrhœa symptomatica urgebat, troch. de terr. sigill. unicorn. foss. &c.

Certa filiola, quæ simili febre continua cum maculis petechialibus, & dysenteria detinebatur, convaluit ad subinde pro necessitate injectos clysteres, primum abstergentes, postea adstringentes, & ad quotidianam introsumptionem pulv. pan. rub. troch. de terr. sigil. CC. phil. præp. unicorn. foss. & smaragd. præp. cum sacch. rosato dulcificatorum. Quodque præterea linguam haberet aridam, eam humectabat mucilagine sem. cydon. aqua prunell. extr. addito Rob. diamor. & lap. prunell. eluebatque frequenter os aqua & aceto invicem commixtis, absterfa lingua dentiscalpio, non intermissis externis astrin- gentibus.

Certus nobilis denique planè adhuc pluribus habebat opus. Laborabat is verò hemitritæo, febre ex æstu febrili continuo, & febre intermittente cum rigore & duplicato æstu alternis diebus intercurrente constante, & quod deterius erat, semper cum quadam veluti Cholera seu excretionibus numerosissimis per superna, & inferna materiæ variæ veluti æruginosæ. Hic erat primum purgatus decocto fen. sic. rhab. Myns. Hinc ipsi vena secabatur, & pro at- temperatione æstus febrilis præter mixturam cordialem ad intro porri- gebantur pulv. de gem. frig. CC. phil. præp.

præp. Sium diaphor. arcan. dupl. Ast intercurrerat tertius paroxysmus cum ea violentia, vomitibus, & alvi dejectionibus, ut æger, si sæpius taliter invaderetur, malo succubiturus metueretur. Hinc postridie illius paroxysmi loco arcani duplicati memorato, pulveri Cort. peruviani & troch. de terr. sigill. ana ℥ss. erat additus. Vesperi autem ante somnum pridie quarti paroxysmi febris intermittens talis bolus: ℥. Conserv. menth. rosar. Elect. diascord. frac. ana ℥ss. cort. peruv. subtil. pulv. ℥ij. troch. de terr. sig. gr. vij. M. cum sacch. F. bolus. Et non solum quieverat ea nocte utcunque æger, verum & à vomitionibus illis, aliisque dejectionibus fere liber erat, præterquam totus debilis, & à continuante æstu febris continuæ totus anxiosus. Qui propterea pro possibili cordialibus & caponis jure cum gela-ina permisto reficiebatur. Quodque expectaretur accessus quarti paroxysmi mox à meridie, quatuor horis ante eum fuit ægro talis mixtura specifica propinata: ℥. Aq. cord. laxon. secundæ, card. ben. ana ℥ss. syr. coral. ℥ij. cort. peruv. subtil. pulv. ℥ss. ⊖ absint. gr. V. M. f. pot. Et desideratissimè emanferat, quem adeo non minus nos, quam æger ipse metuerat, paroxysmus. Ut adeo nobis nihil superfuerit expugnandum, quàm adhuc febris illa continua, viriumque prostratio: quibus proinde diligenti continuatione pulv. de gem. frig. CC. phil. præp. ℥ij. diaphor. & ⊖ perlat. nec non mixturis cordialibus opem fere eo usque conabamur, usque dum successivè & ista feliciter sopita fuere. Certè si in quo

alio, in hoc manifestè periculoso casu se Herculem exhibuit cortex peruvianus, rite ob conjunctam Choleram stomachicis associatus.

Autumnus denique usque ad extremum Octobris erat satis commodus, ut adeo Vindemiæ quidem in optata aëris temperie potuerint peragi, sed vel ex eo tristes, quod magna botrorum pars, uti in constitutione verna dictum, aut in primis adhuc pampinis vere emarcuisset, aut æstate à tantis corruscationibus, & rubiginosis pluviis, ipsis etiam arborum foliis, & arboreis fructibus propterea copiosissimis maculis notatis, & ad putredinem pronissimis notanter infensis, adusta penitus arida è vitibus decidissent, postea autem, & toto Novembri, Decembrique Mensibus usque ad 13. Decembris adeo pluviosus, ut fere non intercesserit dies, qua non pluisset, aut saltem nubilum, & ad pluvias proclive non fuisset, & ex Austro jugiter (excepta 20. & 21. Novembris, qua primæ nives ex Euro ceciderant, & 8. Decembr. quâ per quinque continuos dies Aphricus vehementissime furebat) flante veluti tepidum. Hinc non mirandum, quòd interruptis dictis tum continuis, tum intermittentibus febribus, è contra turmatim irruissent febres Catarrhales, hemicranix, vertigines, hemiplegix, arthritides, & post 20. Novembris repente perfrigeratam, raucedines, grayedines, tusses, pleuritides, obauditiones &c.

A 13. Decembris ex Aphricum excipiente leni Aquilone, demùm saltem à prandis serenum cum successiva aëris perfrigeratione usque ferè ad

anni exitum, nisi quòd postremis diebus constanter obnubilatum cœlum nos Solis radiis privaverit. Atque adeo apparet totum hunc annum, excepta hyeme, quæ saltem frigoris acerbitate excefferat, fuisse valde infalubrem, & ob tot pluvias, coruscationes, & potissimum prævalentes ventos Meridionales, non minus terræ fructibus, quàm hominibus magnopere infensum. Num verò & animalibus, quæ etiamnum crepare continuant? sub iudice lis est. Interea certum est, tot æruginosas pluvias eorum pascua non reddidisse salubria, quin potius infalubria. Quamvis probabilius videatur, istam interitus animalium continuationem potius contagii semel eis impressi propagationi esse imputandam, quàm pascuorum vitio: eò, quòd & alibi terrarum grassetur tale malum, ubi forte tamen tot corrosivæ pluvix non cecidere, quot apud nos.

Duo hemiplectici fere planè æqualiter affecti, id est uterque cum immobilitate brachii dextri, & loquendi impotentia, fuere fere æqualiter percurati, ita ut etiamnum fere pro lubitu moveant brachia, & loquantur libere. Purgabantur videlicet hac potione: ℞. Mass. pil. cochiar. ʒj. dissolvatur in tantillo aq. apopl. adde syr. de stœchad. ʒij. spir. lil. convall. gutt. VII. M. f. potio. Hinc uni eorum, qui plethoricus erat, emittebantur ex dorso, mediante scarificatione, circiter quatuor uncix sanguinis. Utrique verò erat injunctum, ut pro corroboratione spirituum bis de die assumerent, castaneæ quantitate, de hac opiata: ℞.

conserv. flor. beton. salviæ, anthos, majoran. ana ʒß. spec. contra apoplex. ʒiß. specific. cephal. Michaël. ʒj. spir. ceras. nigr. lilii convall. ana. parum M. cum syr. flor. tunicæ F. opiata. Cui superbibatur unum vel alterum Cochlear aquæ apoplecticæ.

Item, ut spinam dorsi cum nucha ungerent unguento nervino, & ol. lumbr. terr. utque os frequenter eluerent spiritu lil. convall. cui theriaca esset admista.

Quinta morbi die fuit repetita portio purgans, atque subsequenter septem diebus sudor procuratus decocto lignorum cum ligno rorismar. & visco querc. Et, uti dixi, successivè convalevit uterque.

Non multo absimilius tractatus fuit etiam certus mercator ex hemiplegia saltem oris torturam, & palpebræ dextri oculi, ita, ut eam citra manus subsidium occludere non posset, resolutionem passus. Purgabatur is nempe his pilulis: ℞. Extr. cephal. ʒß. castor. gr. j. Resin. jalap. pin. sub. gr. VII. spir. mac. gutt. j. M. cum spiritu ceras. nigr. f. pil. No. IX. Nucham calidè unxerat ungu. nervino & ol. succini; pro corroboratione utebatur eadem opiata, qua duo illi hemiplectici, & post triduum repetitis pillulis sudabat ad potum decocti sudoriferi per octiduum, prætereaque partem affectam fovebat sacculis speciebus nervinis refertis, & in vino albo decoctis. Et eatenus restitutus fuit successivè, ut vix animadvertatur, quòd aliquando fuisset læsus.

Armamentarii Cæsarei præfectus tamen, postquam jam antehac ter fuisset

fuiſſet à ſimillima hemiplexia ſimilimis remediis feliciter reſtitutus, circa dimidium Novembris brachio ſiniſtro, quod alias prioribus vicibus erat intactum, reſolutus cum omnimoda loquendi impotentia, fruſtra adhibitis quibuſcunque, ad initium Decembris interiit.

Ex quartanariis certus ſexagenarius ad ſolas has pilulas: Ꝟ. pil. tart. Schroëd. ʒʒ. extr. gentian. cent. min. ana gr. IV. Reſin. jalap. pin. ſubr. gr. V. M. cum tinct. tart. f. pil. No. IX. Et ad ſectionem ſalvatellæ manus ſiniſtræ, atque ad gr. iij. tart. emet. Nec non ad continuatum uſum hujus tincturæ convaluit: Ꝟ. Eſſent. abſynth. Elix. propr. parac. tinct. tart. ſpir. ☉. *ci ana ʒj. M. Doſis gutt. XXX. ex aqua abſynthii. Alii tres quartanarii verò priuſquam fuere liberati, præterea uſi ſunt ſuis temporibus hiſ pulveribus ſpecificis: Ꝟ. cort. peruv. ſubtiliſſimè pulv. ʒij. ☉*ci, ☿ diaphor. ana gr. x. M. f. pulv. Aliorum affectuum curationes, utpote

magis obvias, ſtudio prætermitto, excepto ſolo adhuc Materialiſta illo, qui 20. currentis Decembris in ædibus Carpentarii ad eccleſiam S. Floriani, ex diuturnis Coli inteſtini doloribus, & offis pubis; illique apoſtemate obiit. In eo ſiquidem illud erat ſingulare, quòd ex aperto apoſtemate in femore aliquot digitis infra os pubis, ob commodiorem puris evacuationem, cum pure genuinæ alvi fæces profluere animadverſæ fuerint. Propterea demortuo poſt octiduum circiter ægro, jam pridem penitus exhausto, erat inquitum in dictarum fæcum tranſitum; & deprehenſum, quod colon inteſtinum, ea, quæ coxam ſpectat, parte fuerit ad imperialis nummi amplitudinem exeuſum, perforatumque, & inde factò ſucceſſivè cuniculo per pure excavatos muſculos, partes illas contegentes, penetratſe ex læſo inteſtino fæces illas alvinas uſque ad inciſum locum. *Induta eſt ſcilicet caro hominis putredine, & ſordibus.* Job. cap. 7.

Conſtitutio Anni 1713.

à Dno D. M A R C O G E R B E Z I O,

Medico Labaceniſi, communicata d. 15. Januarii An. 1714.

A Deo varius erat apud nos Labaceniſes, quoad auræ temperiem hujus anni 1713. decurſus, ut fere vix præterierit octiduum, quo ob jugem omnis generis intercurrentium ventorum viciffitudinem, alia non fuiſſet introducta aëriſ conſtitutio. Solus Januarius ſibi hyeme aliquantulum conſtabat, æſtate Auguſtus, & autumno poſterior Novembris, &

anterior Decembris pars cœlo ex ſolito maturius partis nivibus, eaſque ſecuto flatu aquilonio ſerenato. Cæterum verò toto reliquo tempore varietas, potiffimum cum pluviis; & auræ aſperitate conjuncta: proindeque ſicut terræ frugibus maximè incommoda, (quæ propterea exceptis montanis locis, ubi ſolum natura ſua aridius eſt, non ſolum creve-

re per pauci, verum & impuri, & vitii, zizaniisque plenissimi, arboreis fructibus quidem itidem saltem in montanis existentibus utcunque copiosis, verum & ipsis ob nimias pluvias veluti eviratis, & solita sapiditate destitutis; consequenter minus sanis, plurimisque hominum eis indiscretè vescentium febrium diarrhœarum, dysenteriarum, vomitionum, & ventris corrosionum causa) ita sanitati humanæ maximè importuna. *Mutationes* siquidem temporum, teste Hipp. 3. aph. 1. *pariunt morbos*. Quod ea tamen non tulerit singulares aliquas, præter copiosas defluxiones, epidemias, quælium aliàs feraces esse solent similes annorum constitutiones, existimo in singulare nostrum commodum fecisse, quòd dictæ illæ varietates nunquam repente irruerint, sed successivè, & veluti inadvertibiliter, neque diu tales perseverarint, neque magnæ fuerint: quod tamen requiritur ad inducendos in corpora ex aëre morbos populares. *Magnas* siquidem, dicit Hipp. citato loco, *mutationes facere morbos*, 3. aph. 7. autem dicit: *si annus magna ex parte talis fuerit*. Quod ipsum sentit & Galenus *Comment. 1. in lib. 1. Hipp. de morbis vulgaribus*. Quandoquidem igitur hic annus, juxta dicta, maxima ex parte fuerit varius, & frequentissimè pluviosus: tales constitutiones vero solent esse defluxionum, seu morborum à peccante lymphâ dependentium feraces, mirum non est, quòd potissimo tempore præ quibuscunque aliis affectibus viguerint defluxionum morbi.

Curationes eorum non adduco, sed

relego benevolum Lectorem ad *Chronologiam meam Med.* elapso Vere Francofurti unà cum Intricato Extricato meo Medico recusam. Ne vacuæ tamen omnino sint hæc pagina, aliorum morborum hoc tempore observatorum, & solùm breviter meminisse hîc lubet certæ nobilis Matronæ, elapsa quadragesima à me hydrope ascite feliciter percuratæ, elapso autumno verò ex eodem malo tamen, sed per errorem defunctæ. Hæc tota elapsa æstate citrà querelam vixerat: quòd ea verò horariis fructibus nimium indulgisset, & aliàs licentiosius pro ordinario muliercularum more victitasset, sub initium autumnii de novo cruribus intumescere occæperat, successivè & abdomine; sed quod cum nescio quo in ventre motu, se concepisse suspicari inceperat, & propterea omnia remedia, ne inde forte abortus periculo sese exponeret, negligere, usque dum exacto, sua opinione, gestationis tempore, dum parituram sese existimaret, vitam cum morte commutarit. Apertum propterea Cadaver, ut foetus eximeretur: ast ejus loco aliud non repertum, quam ingens in abdomine aquarum colluvies. Ut adeo manifestè con-jicere licuerit, motum illum, quem foetui illa imputabat, aliunde non fuisse, quàm à flatibus, aut colluviei illius aquosæ in abdomine contentæ, & sub corporis motu, aut ventris contrectatione perceptæ fluctuatione. Si infelix mulier, aliàs tempestivè ad rem fecisset, (quamvis gravidas à similibus generosis remediis indigentibus malis citrà abortum liberare, sit ex nostra in Intricato

Extricato nostro medico tradita doctrina, perarduum) forte non minus juvari potuisset, quam adjuta à me fuit Sutorissa illa, cujus ut talis curatio proposita fuit in *Chronologia meæ Med. Anno I. §. CXXI.* In simili siquidem peccantium humorum aggregatione remedia etiam valentiora, qualium hydrops præ aliis affectibus indiget, non tam foetum, utpote rem domesticam, & naturæ congenerem, quam humorem peccantem, utpote quid à natura alienum, citra abortus consecutionem, aggrediuntur. Prouti id pluribus deductum à me fuit in jam allegata *Chronol. mea Med. Anno II. §. CXXVII.* & alibi. Ut taceam, quod in tali casu præstare videatur saltem matrem etiam cum aliquo abortus periculo salvare, quam Matrem & foetum evidenti periculo expositum, relinquare. De imaginariis conceptibus alias si quis plura legere cupit, inspicere potest Sachsum in *Scholio ad observ. I. Anno I. Decuriæ I. Ephem. Nat. Curios.*

Meminisse item lubet duorum febricitantium, quorum uterque in sextum usque mensem intermitenter febricitabat, non obstantibus variis à suis Medicis sibi ordinatis remediis, quos Ego tamen solis sequentibus mox ad anni principium celerrimè liberaveram. ℞. *Pil. tartarear. Schræd. ʒʒ. extr. gentian. cent. min. ana gr. iv. Resin. jalap. pin. sub. gr. vii. ol. mac. gutt. ij. M. cum tinctura tartari. F. pil. N. IX.* Sumantur die à paroxysmo libera. Hinc pro ventriculi corroboracione, & cruditatum correctione fumantur quotidie mane ex jusculo de sequenti

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

tinctura in diuturnis febribus specifica guttæ XXX. ʒ. *Essent. absinth. agrimon. Elix. propriet. parac. §. acido, tinct. tart. spir. sal. * ci ana. ʒj. M.* Atque ab extra lienis regioni applicetur Emplastrum de *Cicuta cum ammon.*

Sique videretur, memoratæ pilulæ adhuc semel iterentur. Et exactè observata interea victus regula uterque constanter convaluit.

Ad certum quinquagenarium hypochondriacum sæpe sæpius ventris corrosionibus, & nocturnis vigiliis tortum pro dando consilio vocatus, dum vidissem, quod ei à Medico suo Ord. frequentissimè ad vesperum pilulæ de cynoglossa aliquot granis laud. op. acuatæ concederentur; eandem tam frequentem usum absolute dissuaseram veritus, ne eæ forte successivè caput ad apoplexiam disponderent. Quod in eo verò mihi non obsequeretur patiens, utpote ab earum usu semper, uti ipse assererat, alleviari solitus; ei ultimatim cum suo interitu obtigerat, quod Ego ipsi pridem prædixeram. Sæpe siquidem etiam ea, quæ prodesse videntur, obsunt.

Prosperiore forte sibi è contra procuratum fuisse per sex hebdomadas frustra desideratum in arthritide vaga somnum, mihi eodem tempore fide dignissimus narraverat certus Soc. JESU pater, charta, in qua multo tempore involutus in officina aromataria asservabatur crocus, capiti obvoluta. Ut adeo non vanè suaserit Wedelius apud Friccium in singulari suo tractatu de *virtute Venenorum Medica cap. XXIII. de croco, crocum* sacco inclusum, & infantum, si qua dormi-

dormire non possunt, capitibus suppositum, cum admonitione tamen, ut, ne is eis forte nimium soporem inducat, postquam obdormivere, is iterum subtrahatur.

Adjicio rarioris illius affectus, quem ob involuntariam, & justo copiosiore crudæ & factæ haustu analogæ urinæ profusionem, Diabetem vocant Medici, succinctam, sed felicissimè peractam curationem. Certus in honorifica dignitate constitutus 52. annorum Sacerdos, temperamento atrabilarius, & ob plurima negotia, vitamque sedentariam factus, uti dicitur, hypochondriacus, inter reliqua hypochondriacis familiaria accidentia successivè demum etiam de urinæ ardore, & multo in urina sabulo lamentari cœperat. Hinc præter referendis obstructionibus dicata plurima remedia etiam abstergentibus, leniter diureticis, & urinæ acrimoniam obtundentibus usus est, quale præ aliis erat decoctum Foresti, & syr. de althæa Fernel. Taceo stomachica, & alia, quæ subinde ab urgentibus circumstantiis exigi videbantur. Inde sublatus quidem fuit molestissimus ille urinæ ardor, sublatum etiam cum urina excerni solitum sabulum; verum ejus loco inducta memorata illa involuntaria, & nimia crudæ, & potui colore planè analogæ urinæ profusio cum ea marasmodica corporis contabescencia, ut venerabilis æger omni prorsus appetentia, & somno destitutus, sine fine sitibundus, proximè interiturus videbatur.

Hinc itum in consilium, & conclusum, ut posthac cura tota eò dirigeretur, quo urinæ nimix illi pro-

fusioni corporis substantiam eatenus depascenti idoneis remediis occurreretur.

Statutum propterea, ut æger ab omni difficulter digestibili abstineret, vitaret vinum, & ejus loco pro siti, quamvis pulsam vix alteratam haberet, biberet jus carnis bubulæ perfriperatum, & ab omni pinguedine præviam per pannum lineum colaturam liberatum, subinde autem emulsionem amygdalarum dulcium, exhilarato quandoque sitiente ore cochleari vini cydoniorum, vel granatorum acidorum, quandoque etiam granis ipsis pomorum granatorum. Pro cibo vesceretur juribus caponis, in quibus concussus sit vitellus ovi rec. contusus, amygdalatis, avenatis, hordeatis, & pultibus ex ovis, & pulpa panis triticeï paratis, malis cotoneis &c. si que posset, carne vitulina, caponum, pullorum, avicularumque montanarum. Mane etiam & vesperi assumeret bonæ castaneæ magnitudinem de hoc specifico.

℞. *Conserv. ros. rub.* ℥iij.
rad. symphyt. maj. ℥ij.
spec. diatrag. frig. ℥β.
coral. rub. præp.
terræ sigil. ana ℥j. *M.*
cum syr. cydon. F. electuarium.

Regionem renum ungeret ungu. rosato, refriger. Gal. & Comitissæ. Spinam dorsi autem & pectus ungu. resumptivo. Quibus constanter continuatis rediit successivè tantus appetitus, ut sibi à cibis vix temperare valuerit. Item somnus, vires, & carniarum consumptarum recuperatio ad admirationem.

Anni 1714.

Siquam aliquis annus fuit irregulariter constitutus, fuit apud nos Labacenses annus 1714. cujus constitutionem quoad aëris temperiem in præfenti communicamus: excepta siquidem sola hyeme, quæ fuit cum paucis nivibus aquilonia, & per totum toleranter frigida, & sicca, totum reliquum ejus residuum, Ver videlicet, æstas & autumnus, excepto Novembri mense & dimidio Decembris, quorum dies in accepta aëris amœnitate decurrerant, erat meris varietatibus, & veluti quotidianis pluviis subiectum. Unde tot, tantæque aquarum exundationes, ut nec fata maturefcere, nec gramina defalcari, siccarique, nec semina opportunis temporibus terræ mandari potuerint; quæque terræ mandata fuere, aut prorsus non adoleverant, in semine suffocata, aut adulta à meris viciis, zizaniis, & loliis adeo conspurcabantur, ut usui esse vix potuerint, aut ab uredine adusta grana effœta, & farina fere destituta tulerint. Unde infueta annonæ penuria, & propterea præsertim Croatiam versus, fere communis inter plebejos fames.

Qua stante aëris constitutione qualiter humana valetudo substiterit? nemini credo difficile fore conjicere, qui ex Hippocratis *lib. tertio aphor.* & aliàs novit, qualium tales annorum constitutiones soleant esse feraces corporum indispositionum; præsertim, si is præterea perpenderit, qualem victus rationem in simili rerum penuria, & caritate fuerit ob-

fervare necesse, & quali, quamve insalubri qualitate debuere fuisse præditi non solum terræ, verum & arborum, vitiumque fructus, utpote dicta uredine adeo exesi, adustique, ut vix fuerit reperire pyrum, pomum, vel etiam botrum, qui integer, immaculatus, & connaturali suo sapore præditus fuisset: quamvis & talium parcissimus fuerit quæstus. Substitit videlicet, si unquam aliquis, lamentabiliter. Eo, quod similes temporum constitutiones, soleant esse ex Hipp. citato loco, & nostra *in Chronologia Medica* tradita doctrina, morborum feracissimæ.

De hyeme quidem nobis non erat, quod adeo quereremur, utpote quæ utcunque tolerabili suo frigore siccitateque corpora potius reddebat *firma, agilia, & bene colorata*, adeoque bene valentia, quosque tulerat morbos, eorum saltem solum accidentalis extitit causa; quatenus videlicet humiditates à prægresso pluvioso anno in corporibus nostris aggregatas altius impresserat, eoagularat, & à discussione per insensibilem perspirationem impediverat.

Quod ipsum puta & de Novembri mense, Decembrisque anteriore dimidio, utpote similiter leni aquilone perflatis, & potissimum amœna serenitate illustratis. Ast tanto majores querelæ nobis fuere contra Veris, æstatis, & reliqui autumnii (utpote adeo pluviosorum, ut vix intercurrerit duorum triumve dierum serenitas, Solisve illustratio, quæ à pluviis, aut saltem nubilo cœlo cum planè infueta aëris asperitate non fuisset interrupta) decursum: Qui propterea tantis cum ægrotis nego-

tiis nos oneraverat, ut iis expediendis vix suffecerimus. Quin imo, postquam affinem nobis Styriam ad Juedenburgum peste infectam perceperamus, nobis planè de adhuc deterioribus metuere inceperamus. A quibus tamen præservavit nos hæctenus gratiosum Numen.

Morbi autem, à quibus adeo impetebamur, erant præter omnis generis defluxiones similibus temporum constitutionibus semper familiares, arthritides, colici dolores, pleuritides, hydropes, febres tam intermittentes, quàm continuæ, & ex eis multæ planè malignæ, diarrhœæ, dysentericæ, vomitiones, lumbrici, variolæ, morbilli, & rubeolæ: nulli tamen funestiores, quàm febres petechiales, & præsertim Decembri Mense variolæ. Quibus propterea etiam multi præsertim Augusto mense, & Septembri planè succubuerunt. Quamvis, qui victus rationem observarant, riteque curabantur, potissimum reconvalescerent.

Singulare quid duobus fratribus acciderat: Utrumque prævio totius corporis rigore febrilis incalescentia apprehenderat. Hinc planè intolerabiles lumborum Functuræ. Desuper unum petechiæ scarlatinæ seu purpureæ, alterum petechiæ nigræ, & variolæ purissimo sanguine soliti puris loco suffusæ. Et ille tertia morbi die, hic septima inopinatè succubuit.

Certa etiam 10. annorum herula cortice peruviano vix à febre quartana liberata in variolas confluentes densissimas incidit, quæ successivè etiam eo perductæ fuere, ut contractis crustis instantaneè ab-

cessuræ crederentur, herulamque pristinæ valetudini more solito restitutura. Ast ecce quàm inexpectatum fatum! præterquam enim, quod crustæ etiam sæpius oleo amygd. dulcium perunctæ nullatenus recessissent, (persistente interea semper febre acuta continua, & tussicula) ultimatim eæ eo deductæ fuere, ut si quàm casu tamen abscedere accideret, ea post se ardentissimum ulcus absque omni pure relinqueret, usque dum miserabili herulæ ultimatim, 21. scilicet morbi die, è vita excedere fuerit necesse. Usque adeo de variolis, nisi cum eis & febris, & reliqua accidentia recedant, nunquam venit triumphandum.

Certus Mercator Goritia Labacum cum intensissima & ea continua febre in maximo frigore delatus, de intensissimis & faucium, & artuum doloribus lamentabatur: à quibus demum etiam idoneis remediis liberatus erat. Sed desuper (persistente adhuc febre) toto corpore minutis, & densissimis hydatidibus, seu vesiculis aqua refertis, adeo fuit perspersus, ut quis eum undique fervidissima aqua fuisse perfusum, perustumve citra dubitationem jurasset. Et non obstantibus quibuscunque remediis quoque ipse 18. morbi die obiit.

Certus Lib. Baro è contra usque ad desperationem asciticus, dum proximè expiraturus crederetur, superveniente tumidissimo scroto, inflammatione, & abscessu, sponteque evacuatis inde aquis, præter omnem expectationem convaluit. Usque adeo desperandum nunquam: sed

sed dum spiramus, speremus.

Carbonum suffocatorum illorum, quibus fabri ferrarii uti consuevere, vapores esse nocentissimos, nemo facile est, qui nesciat: noxios verò æquè esse ordinarios illos ab aperto igne combustis lignis relictos, non facile credo fuisse observatum. Accidit tamen, quòd elapso Decembri ex intenso frigore domum reversus faber ferrarius septuagenarius, eò, quòd sese ad talium carbonum ignem excalescisset, in eum soporem, cum maximo stertore incidere, ut is ab adstantibus omnibus pro fortissimè apoplectico, adeoque ex sententia Hipp. 2. aph. 42. pro omnibus desperato haberetur, successivè quidem clystere acri, frictionibus, sternutatoriis, vesicantibus, & volatilibus antiapoplecticis rursus excitatus, ultimatim verò, decima tertia videlicet morbi die tamen è vivis sublatus.

Simillimum fatum accidisse recordeo ante annos Iggenfi rustico in noviter calefacto, & non pridem exstructo fornicato cubili, qui verò libero aëri expositus sese tamen rursus recollegerat. Sed septuagenario illo longè junior erat.

Singularis molis calculum in vesica gestare absque eò, quòd ab eò saltem subinde urinæ excretio interceptiatur, meo iudicio pro raro habendum est. Factum id tamen fuisse detexerat nobis nuperrimè dissectum corpus nostri Labacensis Ecclesiæ Decani. In ejus siquidem vesica ad digiti crassitiem corrugata deprehensus fuit trium unciarum calculus, qui tamen urinam nunquam interceptisse fuit observatus;

quin potius is, postremo præsertim anno, continui urinæ crudissimæ profluvii extitit causa. Sed sciendum venit, calculum hunc ab ægro semper fuisse pro hernia habitum, quem propterea à pluribus annis semper sursum cingulo herniosis consueto religatum gestabat, impediēbatque hoc medio, ne is unquam ad vesicæ orificium devolvi, & urinam omnino præcludere potuerit: quin potius, quatenus totum contractæ vesicæ spatium sua mole occupabat, causa erat, ne à renibus jugiter affluens urina ibidem subsistere potuerit, sed potius veluti guttatim jugiter excerni debuerit. Juvalet propterea quoque fortè aliàs (nisi lithotomiæ remedio periculoso & sæpe impossibili sese subicere mallent) tali medio uti, ut taliter saltem ab eis aliàs consueta urinæ præclusione liberi viverent.

Anni 1715.

Quem non piget revolvere constitutiones anni 1713. & 1714. à me notatas, & postremo Ephem. Nat. Cur. tomo insertas, is facile conjiciet, qualiter saltem per hyemem currentis anni 1715. subsisterit inter nostrates Labacenses humana valetudo. Ex temporum siquidem salubribus, vel insalubribus aëris constitutionibus potissimum dependere humanorum corporum bonam, vel malam valetudinem, demonstravi luculenter in Chronologia mea Med. Quandoquidem igitur ex dictorum annorum constitutionibus elucescit, eorum tempora potissimum fuisse varia, aspera, & pluviosa; talia autem solere esse flu-

xionum, & omnis generis à putredine, & humorum corruptione oriundarum indispositionum feracia; arguere pronissimum est, saltem hyemem memoratos annos immediatè consecutam debuisse fluxionibus, & omnis generis à putredine, & humorum corruptione oriundis indispositionibus fuisse obnoxiam, non obstante, quòd ea de se adeo insalubris non fuerit, utpote potiori ex parte aquilonia, toleranter frigida & sicca, adeoque ex sententia Hippocratis utcunque salubris. Corpora siquidem per antecedentem talem insalubrem aëris constitutionem vitiosis humoribus semel referta, præsertim hyemali tempore, quo cutis pori ab externo frigore occlusi, talium humorum debilitæ per insensibilem perspirationem depurationi obfistunt, per subsequenter, etsi etiam utcunque salubrem aëris constitutionem, sibi adeo restitui vix possunt tam celeriter, ut in affectus à tali putredine, & corruptione oriundos non incidant, eo saltem usque insistentes, donec à salubriori, & ea contraria, calida videlicet aëris temperie in contrarium non alterentur. Hinc etiam observatum fuit, non obstante juxta dicta de se aliàs utcunque salutari hyemis constitutione, plurimos Labacensium incidisse, præter omnis generis defluxionum morbos, quoque in febres malignas, morbillaceis & varii generis etiam aliis cutis efflorescentiis adeo periculosis, & contagiosis stipatas, ut potissimæ urbis domus eis fuerint coinquinatæ: magna etiam incolarum pars, præsertim pauperum, utpote & competente victu, & necessariis remediis destitutorum, planè è medio sub-

lata. Dicitum siquidem fuit præterlapsum annum 1714. fuisse adeo sterilem, & insuper fructibus, quos protulerat, vitiatum, ut inde in corporibus ab eis nutritis alii succi progenerari non potuerint, præterquam morbofi. Accesserat & mortalitas animalium, quorum, etsi nondum actu ægrotorum, re ipsa verò tamen actu infectorum comestis carnes probabile est, etiam quidpam ad humanorum corporum insalubritatem contulisse. Item inter plebem famem ipsam, quæ propterea tot mendicos ad urbem compulerat, ut non pauci eorum conquisito ibidem cibo saturati mox animo, & vita etiam in publicis plateis concidere visi fuerint, usque dum eis in publico Lazareto, aliàs pro impestatis destinato, ex collectitia eleemosyna necessaria sustentatio à Magistratu suppeditaretur.

Petechiales, seu scarlatinæ illæ maculæ, quas vulgo petechias nominamus, vix apud ullum ægrum observantur: morbillacæ verò, aliàs rubellæ dictæ, quales Ego Anno 1699. per æstatem hinc grassatos fuisse *Anno III. meæ Chronolog. Med. §. XL. & sequent.* descripsi, communiter apud omnes, præcipuè in dorso magis conspicuæ: quibus tamen non rarò elevatæ quæpiam pustulæ instar variolarum interspergebantur, sæpe etiam discuffis jam illis exanthematibus undecima morbi die, 14. vel etiam tardius superveniebant, miliares quædam pustulæ totum corpus densissimè cum pruritu obsidentes: subinde verò hydatides, seu limpidissimo sero repletæ vesiculæ, eis ex asse simillimæ, quæ perfusione cutis aqua fervidissima excitari solent. Et istæ potissimum post

post se traxere ægri, utpote aliunde jam prius enervati, inevitabilem interitum, sicut illæ non facile.

Variolæ quidem, & morbilli etiamnum quoque adhuc unâ grassabantur inter infantes, & adultos, minori tamen cum sævitie, quàm elapso Decembri, præter unicam Monialem, apud quam variolis densissimè perspersam usque ad duodecimam morbi diem omnia securissimè procedere videbantur; duodecima autem epidermis, seu extrema illa cuticula, quæ veram cutim contegit, adeo elevata conspiciebatur per faciem, & totum reliquum corpus, præcipuè brachia, latentibus subtus variolis, ut ad humerum digitis apprehensa, per totum brachium uno tractu detrahi potuerit, idem puta de facie. Et ista 13. morbi de obiit. Plura hîc mihi essent adhuc de epidemia hac valde multis fatali commemoranda; quod ea verò potissimum tetigerim in Chronol. mea Med. loco citato describendo febrem morbillarem apud nos Anno 1699. similiter, etsi non adeo ferociter, sævientem, Benevolum Lectorem eò ablego. Interea solum adhuc id hîc adjiciens, quòd Epidemia isthæc malignitate parum à peste ipsa recedens, tota hyeme, & Vere, præcipuè Majo mense, usque in Junium, qui erat amœnissimus, eatenus, in omnem ætatem, & sexum, præsertim in quoad faciem cæterum sanissimos sævierit, ut tale quid nostra memoria hîc Labaci adhuc nunquam fuerit observatum. Neque hoc solum hîc Labaci, sed successivè & per reliquam provinciam, præsertim circa Sitticium in parochia S. Viti, & circa Rudolphsbertum in parochia S. Ru-

perti, ubi maximam subditorum partem è medio sustulit.

Ex sexu Muliebri tamen utero gerentes præ aliis impegerant: utpote communiter abortum passæ, & retractis à lochiali fluxu ad interiora exanthematibus. Idem fere puta de eis mulieribus, quibus mox in mali principio, aut sub ipsa exanthematum eruptione menstrua proruperant.

A Junio usque ad exitum Augusti erant fere omnia benigna, de variolis autem, & Morbillis nec auditum quidem: è contra febres tertianæ, præsertim Octobri Mense (quamvis is fuerit unâ cum Septembri, imo & Novembri, prætor solitum amœnus) adeo contumaces, & inconstantes, ut post tertium, vel quartum paroxysmum communiter degenerarint in lentas continuas per plures hebdomadas, non obstantibus idoneis remediis, continuantes; ultimatim verò rursus in intermittentes terminatæ: quæ verò erraticè ægros apprehendebant, ferius, aut citius in quartanas mutabantur, quas tamen omnes sequenti methodo, & remediis, propterea bene annotandis, feliciter curabam. Primò purgabam corpus ter, quater, vel quinquies (pro exigentia videlicet cacochymix, vel cachexix) communiter pridie paroxysmi (quia ea die tolerantius se habere solent ægri) tali ptissana: ℞. fol. fen. f. ff. ʒiij. Salis Tartari ʒß. flor. viol. martial. passul. min. mund. ana p. I. f. per noctem infusio in loco calido in f. q. aq. agrimon. vel borrag. vel aq. com. vel etiam in jure pulli pro colaturæ ʒiv. Mane prævia levi ebullitione f. expressio, & potio. Vel talibus pilulis. ℞. Pil. Tartar. Schroed. ʒß. ext. gen-

tian. cent. min. ana gr. IV. resin. jalap. pin. sub. gr. V. vel vij. M. cum Tinct. Tart. f. pil. N. IX. Intermediis diebus fiat humorum digestio, & obstructio- num reseratio : ℞. Essent. absynt. agrimonix, Elixir propr. parac. tinct. tartar. martis aperit. spir. salis ammon. ana ℥j. M. Dosis mane, & vesperi gutt. XXX. ultimatin : ℞. Pulv. patrum ℥i℥. conf. Alkerm. ℥ij. Antimon. dia- ph. ℥i℥. arcan. dupl. Sal's absynt. cent. min. card. ben. ammon. ana ℥℥. M. cum conditura cort. citr. f. elect. molle. Do- sis diebus apyrexias mane & à prandis tribus horis ante pastum castaneæ ma- gnitudo, superbibendo. aliquid aq. card. bened. vel vini melioris : die fe- brili autem eadem quantitas in de- clinatione æstus febrilis, continuando id saltem semel de die per 4. circiter hebdomadas etiam post expugnatam febrim, cum exacta diætæ observantia.

Qua ratione autem feliciter cesserit febrium malignarum, & petechialium curatio eis rusticis, de quibus mihi ex Comitatu Cilliensi perscripserat certus Amicus, quòd illi sese in summo fe- brili æstu frigidæ immergere soliti sint? Ego non capio. Quod verò pedibus, & reliquo corpore tumefacti ad potum cent. min. & immersionem pedum in aquam fimi detumuerint, ejus demùm ratio reddi jam potest.

Anni 1716.

A Tricennio huc recordor, nos quidem varias hyemes ob non minus copiosas nives, quàm asperam auram perdifficuler superasse, imprimis hyemem anni 1709. à me in *Ephem. Nat. Cur. Centur. I. & 2. sub titulo: Constitutio anni 1709. descri-*

ptam; nullam tamen fere difficilior, quàm cujus Constitutionem nunc com- munico; hyemem videlicet currentis anni 1716. Ista siquidem vix aliquan- do, ab intercurrentibus brevissimis austris aliquantum refracta nivium co- pia, & frigoris asperitate per totum adeo sævierat, ut æquinoctium ver- num, quod aliàs apud nos hyemis fi- nis esse solet, longè excesserit, obque indefinenter furentes aquilonares ven- tos, indeque summa ariditate con- strictam terram arbores, non, nisi pri- mo circa dimidium Maji in folia, & flores, idem puta de satis in aristas, erumpere siverit: exemplo aliàs nostra memoria nunquam viso, præterquam ante annos circiter 50. quo recenset certus septuagenarius illius hyemis fri- gus usque ad Maji exitum adeo insti- tisse, ut passim necesse fuerit sese à frigoris intolerabilitate lignis excale- factis fornacibus tueri. Omnes tunc, addit dictus seniculus, desperaverant de satorum fere emortuorum, & fru- gum vel tolerabili ubertate; interea verò tamen consecutum fuisse annum adeo fertilem, ut is raros sibi habue- rit pares. Quemadmodum idem ipsum inexpectata Dei benedictione factum admiramur & nos currente hoc anno.

A dimidio Maji demum prægressis pluviis tempus vernum, & successivè terræ viror, efflorescentiaque; quam vernam amœnitatem continuarat & Junius, cum Julio, & Augusto Men- sibus, terræ frugibus vel propterea opportunis, quod fertilibus, eis que brevibus pluviis sæpius ad colonorum votum interspergerentur. Sique Sep- tember jam nominatorum mensium temperiem saltem proportionatè se- cundasset; uberiores annum optare non

non potuiffemus. Quod hic verò per totum fuerit pluviofus & frigidus, maturandoque fagotritico, noftrorum colonorum pani quotidiano, uvifque planè importunus; factum eft, quod fagotriticum vix maturatum, uvæ verò planè fere non. Unde vina non minus pauca, quàm ultra modum acerba: procul dubio in futurum Collicorum, & arthriticorum, nec non aliorum ab acido, & auctero oriundorum, affectuum caufa extitura. Arborei fructus è contra, præfertim poma, fuere copiofiffima.

Veluti exhaustis demùm per pluviofiffimum Septembrem nubibus autumnus fubfecutus fuit præter morem, & expectationem acceptus, terra nivibus non nifi II. Decembris, cum intenso tamen frigore, cooperta.

Hinc humana corpora ficut per hyemis decurfum multum fuere ab omnis generis defluxionibus perpeffa, ita verno tempore præfertim à pectoris affectibus; adeo ut de actu phthificis nemo mortem evaferit, plurimi alii verò eidem obnoxii prima fibi ejufdem injecta fuiſſe fundamenta etiamnum deplorent. Per reliquum anni decurfum verò demum fere meræ indispositiones fporadicæ.

Qualis erat, ut faltem unam vel alteram curationem pro ufu medico fubjungam, heruli illius, qui pridem cachecticus, & fcabiofus veluti repente fuit à fcabie per fe liberatus, inciderat è contra in vehementes hepatis puncturas, febrim acutam continuam, fitim, tuffim, vigilias &c. Huic præmiſſo clyſtere fuere fanguinis ex baſilica brachii dextri emiffæ uncia V. Hinc pro febris fuſſaminatione talis pulvis bis quotidie intro

ſumendus datus: ℞. Spec. de gem. frigidis, diatrag. frig. antim. diaph. ocul. 69. ana gr. V. nitr. perl. iij. M. f. pulv. Et ab extra præmiſſa unctiōne ungu. de althæ. anodyn. & ol. viol. iterato ſuperpoſitum tale cataplaſma. ℞. Herb. malv. althæ. melil. flor. roſ. rub. ana Mj. herb. hyoſc. M. β. farin. ſem. lini, fœnuigr. ana ꝑj. M. dentur minut. concifa pro ſacculo in lacte decoquendo. Et intra novem dies obortis interea sæpius ſudoribus habuimus levamen deſideratiſſimum, adeo, ut aliis ulterius non indiguerimus, quàm corporis expurgatione, & quibuſdam levibus becchicis.

Item certæ Comitiffæ dyſuria cum intolerabili regionis veſicæ ſive à ſimplici urinæ acrimonia, ſive à viſcoſitatibus (de arena ſiquidem nihil fuit animadverſum) oriundo dolore: quæ tamen intra 12. horas ceſſerat (frustra prius applicatis quatuor Clyſteribus, tot unctiōnibus, & cataplaſmatibus ex parietaria &c. combinatis) ad ab extra applicatam dolenti regioni theriacam ol. ſcorpion. Matth. perſperſam, & ab intro ſumptam ex vino ꝑj. radicis parreiræ bravæ ante biennium per Germaniam à D. Lochnero, Illuſt. noſtræ Academiæ Directore, divulgatam. Poſt trium circiter hebdomadarum intervallum in idem malum reciderat eadem Comitiffa cum urinæ cruentæ excretionem: & eadem ipſa remedia experta fuit ſibi fuiſſe ſicut prius, maximè proficua. Suaviſſimè ſiquidem urinam promovet laudata radix quomodocunque intro ſumpta, per ſe, vel cum aliquot granis falis geniſtæ, & ejus acrimoniam cum admiratione temperat. Quemadmodum id expertus fui quoque in memet ipſo,

& primò his diebus apud nephriticis doloribus detentum Jesuitam.

Et denique, ut alias præteream, Arthritis illa, quam vehementem patiebatur certa puella, intra paucos dies his solis liberata: primò purgabatur hoc bolo specifico, & propterea mihi in arthritide familiari: \mathcal{L} . Elect. Caryocost. \mathfrak{z} ij. spec. diatereb. Mynf. \mathfrak{z} j. M. cum sacch. f. bolus. Hinc ex Ischiatica pedis emiserat unc. V. sanguinis, & sudabat quotidie ad hunc pulverem itidem specificum: \mathcal{R} . Pulv. March. off. Microcos. phil. præpar. antimon. diaphoret. ana \mathfrak{z} ss. cinnab. nat. præpar. gr. iij. M. f. pulv. qui mane sumatur ex decocto Theæ cum decocto ligni sassafr. visc. querc. & rad. liquir. factò, vesperi verò ex aqua beton. Et convaluerat intra dies duodecim.

His ipsissimis remediis recordor me pluries curasse quoque dolorosissimas Ischiaticas, solis adhuc subinde in subsidium vocatis Cataplasmatibus, seu fomentis anodynis. Est cura compendiosa, commoda, & tamen, si continuantur, magis, quam quis sibi persuadere possit, efficax.

Anni 1717.

Quam ad annorum salubritatem, & humanorum corporum valetudinem conferat regulata suis temporibus proportionata aëris temperies, jam toties à nobis dictum est, præsertim in Chronol. nostra Med. Id quod equidem etiam manifestè comprobavit ad finem decurrens annus 1717. Is siquidem, quod hyeme fuerit competenter frigidus, præterquam circa Februarii dimidium, quo

frigore eatenus exhorrescebat, ut inde vel arbores ipsæ fuerint notabile damnum perpeffæ, præsertim molliores, quales sunt persicæ; Vere temperatus: æstate saltem Junio, & Julio mensibus æstuosus; quamvis, quantum publica nova peregre retulerant, alibi insolenter tempestuosus: autumno fere veris instar amoënis; humana corpora totum adeo bene valere, ut Medicis fere nullum negotium facesserint, nisi circa sporadicè patientes. Unicum occurrerat, quod videbatur quibuspiam quid ex aëre forte ab astris taliter infecto suam originem traxisse, epilepticæ nimirum convulsiones, quæ Septembri mense intra eclipsim lunarem, & solarem plures homines unis iisdemque diebus præter omnem expectationem adortæ fuerant. Duorum talium cura mihi obtigerat: tertii alteri meo collegæ. Duo mei ope divina fuere feliciter ad sanitatem perducti: tertius ille, qui puella septennis erat, è medio sublatus. Duo illi mei non nisi primo exacto integro triduo aliquantum ad se redire & titubanter ferre incipere fuerunt observati: tertiam illam autem, uti dixi, quarta morbi die succumbere oportuit; num tamen revera, uti multis credebatur, ad eorum interuersionem quid contulerint memoratæ eclipses? Astronomiæ cultores certius dijudicare noverint. Interea mihi remedia, quæ meos duos pristinæ valetudini restituisse videbantur, breviter specificare lubet, forte in simili casu quoque aliis servitura. Primum autem, à quo curam auspiciandam esse judicaveram, erat applicatio ex acrioribus, specificisque confecti clysteris. Secundum, & priusquam
Clyster

Clyster præpararetur, cochleatim propinandum mixtura hæc antiepileptica: ℞. Aq. hirund. comp. cum castor. epilepticæ Langii, ceras. nigr. flor. tiliæ aa. ℥℞. liquor. CC. succin. ℥j. Essent. anodyn. gr. IX. m. f. potio. Tertium & seqq. frictiones crurum deorsum versus, perunctio verticis ungu. alabastrino cum ol. rutæ, cran. hum. & succin. commisto. Quartum columbarum, & pullorum vivorum recens per dimidium discerptorum vertici raso iterata applicatio. Gum nariibus ⊖ volatil. succini admotio, nec non pulv. sternutatorii per penam in nares inflatio, successivè verò, & postquam ægri jam nonnihil sese recollegerant, faciliusque quid intro fumere poterant, pulvis March. spec. diacinnab. Myns. & ⊖ volat. succin. Ultimam etiam corporis expurgatio. Quæ singula quidem etiam sæpius iterare oportuerat, quin & alteri eorum, quæ puella 17. annorum erat, & menstruis deficiebat, venam in talo secare, priusquam plenè convaluerant.

Puellula illa septennis à 4. hebdomadis prius febricitans, erat post mortem cultro anatomico subjecta, & deprehensum, quod ejus cerebrum quoad piam matrem fuerit undique multa viscositate obductum, quoad ventriculos autem plurimo, eoque procul dubio acri sero, seu lymphâ repletum; unde vellicatum nervorum principium conjecturabatur convulsionum illarum immediata extitisse causa, meatuum cerebri à sero illo inundatio autem mortis ipsius. Prouti ea de re perspicaciter D. Anton. Pacchionus Regiensis Medicus Romanus in *epist. de glandulis conglobatis duræ Meningis ad*

Magnif. D. D. Lucam Schroëckium data in *Ephem. Nat. Curios. Dec. 4. An. I. & II. App.*

Hinc mihi, uti reor, non vanè persuadebam quoque meos duos ægros ex simillima causa idem ipsum malum primitus contraxisse. Primus siquidem, qui vir obesus erat valde, bibulus, & pridem quoad memoriam defectuosus ad fauces tantas à capite defluxiones patiebatur, ut nisi ei injectionibus per os (postquam is jam aliquantulum sese recollegerat, & os aperire poterat) tempestivè succursum fuisset, ei infallibiliter vel ex solo hoc accidente intereundum fuisset. Adhærebant siquidem frustatim utrinque circa uvulam & fauces ab aëre, qui ob obstructas nares inspirando saltem per os attrahebatur, indurata phlegmata nonnisi dictis injectionibus, & gargarismatis inde avellenda. Frequenter etiam simillima sputa eiciebat. In puella quidem ista causa sese non adeo clarè manifestabat, conquerebatur tamen, postquam ad se redierat, de gravitate quadam oculorum, obturatione aurium, & narium, ac si eo ipsi aliquid defluxisset, qui oculi etiam ipsi diu postea debiles, & vacillantes, præque fibrarum muscularium à sero relaxatione veluti confluentes permanserant. Communiter forte & apud alios similium convulsionum causa est similis cerebri à nimia, eaque acri lymphâ inundatio, & propterea ei revellendæ, & discutendæ nihil æquè prodesse solet, quàm tempestivè nuchæ, brachiis, cruribusque, vel ipsi etiam raso vertici adhibita vesicantia, quæ causa forte etiam Florentinis est, quòd infantibus suis vix natis, ut eos ab epilepticis insul-

tibus, quibus illi endemicè obnoxii esse solent, præservent, nucham actuali igne adurant.

Recordor etiam in aula Averspergica ante annos ex epilepsia defunctum infantem, & postea anatomico cultro in mea præsentia subiectum cerebrum simillimè habuisse constitutum.

Reliquos affectus, qui mihi aliàs per anni decursum occurrebant curandi, tractabam feliciter Methodo, & remediis in Chronolog. mea medica notatis: puta febres, arthritides, colicas, hæmoptyses &c. Rarius tamen quid observaveram in duobus subiectis circa pulsum: nimirum quod unus eorum melancholico-hypochochondriacus qui sanus communiter habuerit pulsum adeo tardum, ut priusquam subsequens pulsus consequeretur antecedentem, facilè apud alium sanum tres pulsationes præterierint: qui tamen postquam elapso Augusto in febrim malignam incidisset, pulsum habuit adeo frequentem, & per omnes vitiosas differentias varium, ut talem nunquam observaverim. Propterea mox adhuc in principio morbi malum morbi exitum prædixeram. Tam notabiles siquidem naturæ à connaturali

statu recessus non possunt, nisi pessima quæque ominari. Vir aliàs erat robustus, & in actionibus suis accuratus, sed tardissimus, sæpius vertiginosus, & subinde leviter insultibus epilepticis obnoxius.

Alter verò similiter robustus cum in febrim similem incidisset, in decimum usque diem pulsum, & urinam præ se tulerat adeo ordinatum, & naturalem, ut nisi contrarium fuissent pessima quæque, quibus una detinebatur, symptomata, virium nimirum ingens prostratio, linguæ ariditas, inquietus somnus, delirium, tendinum subfultationes &c. eum quis nullatenus febricitasse, ueque singulari periculo fuisse subiectum credidisset: qui 13. morbi die supervenientibus convulsionibus tamen succubuit.

Adeo parum subinde fidere licet etiam optimo pulsui, & urinæ, nisi reliqua ei bonitate respondeant, parum etiam de præsentia, vel absentia febris edicere: quantumcunque febrim præsentia vulgo communiter arguatur, vel ex sola pulsus frequentia, & inæqualitate; ubi verò hæc duo non animadvertuntur, ibi hoc ipso non censeatur adesse febris.

Constitutio Epidemica Ferrariensis Anni 1715.

Dni D. JOSEPHI LANZONI.

Postquam Annis proximè elapsis lues pessima boves miserabiliter invasit, atque copiosissimi imbres tellurem inquinaverunt nostram, totumque agrum Ferrariensem stagnantibus aquis pessimè vitiatum vidimus, ita ut semina futuræ messis pro majori parte deperdita fuerint, unde caritas,

ac inopia anni 1715. surrexit; facta est etiam sanitatis jactura.

Martio mense vix inchoato, magnus bufonum & ranarum numerus observatus est, & crescente vere innumerabilis culicum, vermium, serpentum, muscarum, papilionum, locustarum, erucarum, aliorumque

infectorum copia super terræ faciem apparuit, & liberum aëris campum occupavit, ex quo nonnulli multas ægri- tudines in humano genere prædixerunt; Verno etiam tempore adhuc currente maximi Solis æstus in Maji fine corpora nostra vexarunt, mox aura nebulosa & humida, dolorum dentium, capitis, & rheumatis parens surrexit, quæ tamen brevi in multam est mutata serenitatem. Accessit Junius, & summis caloribus corpora nostra affecit, hinc exordium habere febres quædam, quæ prima facie tertianæ simplicis notam præferebant, mox duplicatæ pertinaciter utrumque sexum omnesque ætates invadebant: primò enim rigor incipiebat, qui ad plures horas durabat, vomitus amari succi aderat, cardialgia, dolor capitis, & eximia succedebat sitis; in multis tormina, & ventris fluxus, in aliis summa alvi stypticitas, inappetentia in omnibus, ac vigiliæ aderant; in tali, ac tanto autem numero febres istæ invadebant, ut nulla Religiosorum tam marium, quàm foeminarum Monasteria, nullus denique in urbe locus fuerit ab hoc febrili incendio immunis; miserandum erat videre unum vix in domo ægrotare, dein paucos post dies totam febricitate familiam, sic Cœnobia, xenodochia videbantur, & rura repleta febricitantibus, in timidis nonnullis ac effeminatis contagionis timorem creaverunt, ægrotantes crescebant in dies, & sine salute primorum, numerum augebant secundi, ut vix sufficerent Medici ad tantas ægrotorum visitationes, dies enim licet æstivus ad tale ministerium brevis erat. In curatione talium febrium primo lenitiva pro-

ponebantur ad educendas pravas materias in primis viis hærentes, & hoc die pari, & vacua fiebat; elapsa autem impari, in qua febris redibat, Venæsectio celebrabatur; sed hinc notavi, die talis remedii, quo febris, quia tertiana, abesse debuerat, accessionem reduplicatam, & ex simplici, duplicem factam fuisse, & continuam, sicque majus minari periculum; qua experientia edoctus, impotenter nunquam in talibus curandis febribus venam secari jussi, sed ubi opus erat, cucurbitulas scarificatas tantummodo applicari mandavi; Alterantia, Cordialia, Clysteria, Narcotica, Diuretica, & Sudorifica incassum semper fuere administrata, imo summum illud remedium, nempe cortex Chinæ Chinæ, per plures dies exhibitum parum aut nihil præstabat auxilii; sive cum vino generoso, sive in bolo cum Syr. absint. confecto in decoctione, tinctura, Extracto, Syrupis, in Rotulis, aliisque modis exhiberetur: Medicorum aliqui istum pulverem cum Rhabarbaro, Zedoaria, Gentiana & centaurio mixtum dederunt, alique pulverem corticum Fraxini, & corticum Aurantiorum, baccarum Juniperi similiter experti sunt. Si in aliquibus cessabat febris, brevi redibat, ac ter & quater recidivam patiebantur ægrotantes. Ego & uxor mea dilectissima, sub Augusti finem ab hac febre correpti, usque ad Novembr. ea laboravimus. Sic inter alios sub festo Paschatis Clariss. Dn. Hieronymus Baruffaldos Philosophiæ Doctor Excellentiss. atque Amicus meus suavissimus, pertinacissimam hanc febrem, pravis stipatam symptomatis,

usque ad æquinoctium autumnale fuit passus; ego optima instituta victus ratione, & ad plures dies assumpto vino generoso, in quo china chinæ infusa fuerat, tandem convalui; uxor verò mea, quia purgata, & aliis pharmaceuticis remediis esa est, sanguine etiam è vena pedis emisso ad febrem cicurandam, semper in pejus ruebat, & majores patiebatur febriles insultus. Modo quartanæ duplices apparebant, modo simplices, hinc tertianæ redibant, inde duplices fiebant, iterum quartana, imo in aliquibus de septima in septimam diem revertebantur febres, pertinacem, & malignam semper servando naturam. Observatum est, non nullos aërem mutavisse, aliaque loca petiisse, ibique morantes sanitatem recuperasse: Reversi verò Ferrariam, illico à nova febre vexati sunt.

Pauca fuere funera, sed longissimæ convalescentiæ, hinc in multis obstructions abortæ, in aliis crurum, & pedum intumescencia; in aliquibus icteritia, surditas, tremor, ac scabies, signa erant infirmitatis elapsæ. Notatum fuit in pejus semper ruere ægrotos, atque recidivare faciliter, spirante Euro, qui ventus pertinaciter ad plures dies perseverabat. Causam inquirentes nonnulli, nimium sideribus tribuentes, putaverunt, stellarum influxum malignum, primò boves, inde homines affecisse; alii calorem æstatis nimis intensum, longum, atque molestum accusabant, quatenus extenuando corpora, & humores fundendo, nec non ipsos spiritus dissipando, hujusce naturæ febres excitaret; Multi in vino causam horum morborum latitare autumabant, eo quia anno elapso 1714.

ob cæli inclementiam ex uvis fere immaturis vinum aciditate abundans confectum fuerit, quod assumptum crasim humorum, ac fermentorum vitiando tales febres excitaret; Non pauci cadavera boum, lue pessima anno elapso denatorum, & hinc inde passim sepulta, causam istarum calamitatum agnovere: dicebant enim, particulas nobis infensas, ac mortiferas, à cadaverum corruptione elevatas, atque per porositates terræ ad aërem inquinandum sublevatas, infectionem in humoribus nostris peperisse: nec defuerunt, qui nimis creduli hanc pessimam constitutionem à fascino & maleficarum artibus diabolicè provenire crediderunt. Aliqui, cum quibus ego facio, cogitaverunt causam harum febrium internam fuisse humores viscidos atque tenaces, concoctu difficiles ac vix separabiles, nec sine longo tempore consumi aptos; externam autem causam in vitio terræ constitutam esse, cum enim annis elapsis, ex copiosis imbribus, & fluminum diluvie, tota facies nostræ telluris tecta apparuerit, & per consequens viscera ejus coinquinata à stagnantibus aquis fuissent, unde infectæ ex pravis humoribus herbæ pascua nociva exhibuerint; Ex hoc morbi animalium, arborum multarum obitus, rubigo segetum orta, particulæ enim nitro-sulphuræ assidue elevabantur, & fructus adhuc tenellos, & uvas nondum maturas adurendo, spem colligendi alimenta furabantur; quin puteorum nostrorum aquæ, quibus juscula, pultes &c. conficiuntur, particulis istis imbutæ, vitium cum alimento præstabant. Qui exactam vivendi normam observabant, sæpe pejus vexabantur, quàm illi, qui diætæ regulas aspernati, omnis generis cibaria pro libitu ac voluntate assumebant; Aliqui

Aliqui intemperantes, ante accessio-
nem largam vini generosi quantitatem
potabant, ac inde se ad somnum &
sudorem componebant, & non nulli
tali modo sanitati sunt restituti. Alii
omnimode se abdicarunt à vino, absque
ullo fructu: febres enim pari pertina-
cia procedebant, atque diætam, quan-
tumvis regulis propriis exercitam, elu-
debant. Ad effugiendam pessimam hanc
constitutionem ad rura ibant non pau-
ci, verum quia agri nobis vicini, ea-
dem valetudine afficiebantur, parum
utilitatis experti sunt; qui verò extra
nostra confinia proficiscebantur, atque
vel Bononiam, Mantuam, Patavium,
Veronam, Venetias, atque Romandio-
læ urbes pergebant, ii sanitatem facile
recuperabant. Non minus accidit
non nullis, qui tædio affecti ad exterarum
urbes se contulerunt adhuc febrici-
tantes, ut absque alio remedio pristinam
recuperaverint sanitatem, & bene-
valentes in Patriam redierint. In puel-
lis passim observabatur in præsentem
constitutionem magna lumbricorum co-
pia, per vomitum enim & per seces-
sum vermes in febrium exordio pro-
dibant, & multi pueri ex hac peste
denati sunt. Hystericas insuper affe-
ctiones in foeminis, talibus febribus
conjunctas præter modum notavi, ea-
rumque insultus fortiores, atque fre-
quentiores maximè in febris princi-
pio, & augmento. Fructus pene om-
nes verminosi, ac ingrati saporis, ita
ut bonæ substantiæ fuerint illi soli,
qui ab exteris ad nos mittebantur, &
præsertim illi optimi succi erant, qui
à Patavinis montibus veniebant. Pos-
tremò tandem observavi per publicas
nostras vias, per vicos, & plateas, si
quid aquæ, aut alterius humiditatis,

ad paucos dies permaneret, viridem
colorem, ac foetorem emittere, quod
non tam facile annis transactis eve-
niebat. Faxit Deus, ut hæc termi-
nante Anno 1715. finem habeant, at-
que meliorem anni venturi 1716. Con-
stitutionem possimus sani describere.

Annorum 1716. & 1717.

FRigus hyemale, quod 1715. men-
se Decembri incepit, anno etiam
1716. usque ad mensem Martii per-
duravit; multæ nives, cum ventis bo-
realibus super faciem terræ glaciem ad
multas hebdomadas conservarunt, &
licet remissum sub Martii finem vide-
retur frigus, attamen recrudit mense
Aprili, & usque ad Majum non cessa-
vit. Itaque hoc durante frigore, Gra-
vedines multæ, ac Pleuritides obser-
vatæ sunt; quin imo oculorum in-
flammationes passim obortæ & perti-
naces adeo extiterunt, ut non nullæ ad
mensem usque protractæ, patientes
vexarint. Ver accessit, & imbres fre-
quentes tellurem infestabant nostram,
flumina augebant, & segetes nimio
madore irrigabant, si verò mutatis ven-
tis serenitas apparebat, vix sol igne suo
terram fovebat, statim elevatis aqueis
vaporibus nebulæ densissimæ obortæ
sunt, hinc natæ in hominibus surdi-
tates, apoplexias, & vagi dolores
cum flatibus. Æstas calidissima ineunte
Junio derepente invaluit, unde multæ
tertianæ febres, tam simplices, quam
duplices obortæ sunt, cum nausea,
vomitu materiæ amaricantis, capitis
dolore, ac immodica siti, quin imo
non nullos tertiana perniciose vexavit,
quæ omnes ope chinæ sanatæ sunt,
prius tamen leviter alvo exonerata.

In autumnni primordiis pluvia multa, qua cessante, serenitas, usque ad kalendas Decembris continuavit, ita ut semina terræ bono omine tradita, & magna uvarum copia feliciter collecta, vinaque optima reposita fuerint. Hoc autem tempore, salubritas aëris, corporibus humanis bonam valetudinem impertita est, ita ut præter aliquas leves quartanas, & placidas erraticas febres, nil aliud mali quoad salutem Ferrariensibus acciderit; solummodo notatu dignum fuerit, autumnni tempore, multas gravidas abortum passas fuisse sine ulla causa manifesta. Decem-ber sanus extitit.

Terminato Decembri, mensis Januarii ingreditur anni 1717. & frigus primo remissum apparuit; ast die hujus mensis undecima, aura septentrionalis rigida advenit, & tam fortiter agitavit auras, ut quædam arbores, quidam muri ab ejus impetu, erutæ, ac collapsi ruerint, quatuor dierum spatium borealis hic ventus dominatus fuit, quo cessante illico magna nivis copia descendit, inde frigida serenitate favente, usque ad secundum anni mensem nives perduraverunt, mox aura dulciori reddita, dissolutisque nivibus, sub finem Februarii frigoris sævities evanuit. Hoc verò tempore, anginæ multæ, colici dolores, ac febres catarrhales ubique debaccharunt, imo epidemia in infantibus tali hyeme incepit variolarum, quæ postea toto anno 1717. miserrimè perseverans puerorum stragem multiplicavit, & quod notabile fuit, hujus anni hyems, quoad morbos, plus juvenes, quam senes affecit; horum enim vix unum aut alterum curandum habui. Ineunte vere multæ nebulæ densiores observa-

bantur, quæ tandem in pluvias terminabant, sequebatur, imo semper major fiebat epidemia variolarum in puellis, ac nonnullæ malignæ febres abortæ sunt, quæ in principio leves apparebant, progressu tamen temporis funestæ, ac mortales manifestabantur, ex quibus febribus quatuor nostri medicinæ Doctores, præter alios denati sunt, primus Dn. Andreas Zuffi, alter Dn. Joseph Vaccarius, juvenis optimæ spei, tertius Dn. Cæsar Lollius discipulus meus, & quartus tandem Dn. Franciscus Salmius, ætatis annor. 56. compater meus honoratissimus, & omni scientiarum genere instructus. Partus difficiles multi, & multæ pariter icteritiæ. Accessit æstas, cujus mensibus magna siccitas, & austrini venti calorem augebant; sequebantur malignæ febres, atque nonnullos vexabant tertianæ duplices melioris notæ, cum vomitibus in principio accessionis, ac dolore capitis sævo, qui non nisi declinante febre mitescebat. Mense Augusti nonnullæ occurrerunt dysentericiæ, quæ tamen Deo adjuvante sanatæ omnes fuere. Erat miserandum cernere quotidie infantū cadavera variolis enecata ad tumulum deferri. In principio septēbris cælum mutavit faciem, & calore remisso, aquas dedit salutares ad terram irrigandam, sic maligna febrium constitutio mitigata fuit, & tantummodo subortæ vertigines, tussis, ac gravedines. Increfcente autumno iterum serenitas rediit, atque aureis solis radiis toto Octobris mense gavisi sumus: Cereris, Bacchi, ac Pomonæ dona hoc anno non modica fuere collecta, & invaletudines paucæ homines malè habuerunt, non ita tamen in bobus, ac suis accidit, in illa quippe animalia mors falcem

falcem immisit: unde timor colonos invasit, ne epidemica lues in bovino genere anni 1713. resurgeret, & lacrymas iterum excitaret.

Cæterum præter dictas febres, & magnam variolarum copiam cum lumbricis in puellis, annus 1717. salubris dici potuit, nullæ enim Apoplexiæ, paucæ quartanæ, in minima copia scabies, ac articulorum dolores. Mense Decembri hyems apparuit, sed parû autumnio differebat, frigus enim tolerabile, ac mite observabatur. Quod verò notabile fuit hoc anno, extitit ventorû frequens copia, unde pericula multa, imo naufragia in mari Adriatico ad nostra ora, & Pado, aliisque nostris fluminibus acciderunt, subversis enim navigiis merces non tantum, sed homines etiam miserabiliter deperditi fuere. Æstivo tempore magis insectorum copia segetes infestabat, ac hominibus ruri præsertim degentibus molestiam inferebat. Arthriticos annus præsens modicè infestavit, & leviter tantum tacti, cito ad consueta exercenda munia redibant. Ardente firio multi canes in rabiè perciti fuere, quod aliis annis mitius evenire observatum fuit. Parturientibus, ac puerperis Lucina favit, ita ut vix una puerperii vel partus tempore obierit; hystericas affectiones, ut plurimum mites, & magis in juvenibus, quam senibus tusses, & gravedines in Autumni principio, hypochondriacis, ac melancholicis præsens annus, nec profuit, nec nocuit, eorum enim ordo, parum consilia Medicorum imploravit, unusquæ ex illis tantummodo gradum fecit ad maniam, non nullæ observatæ fuerunt icteritiæ flavæ, absque præviis morbis, vel doloribus ortæ, quæ tamen adeo leves fuerunt, ut absque læsione actionum

non solum apparuerint, verùm sine ullo prorsus remedio evanuerint sponte; istæ autè potius in juvenibus, quam in senibus observatæ sunt; Lue venerea affectos pessimè vexatos vidimus, & multos ex hac peste mortuos, licet multa tentaverint remedia, & ad usû ipsius mercurii desperati confugerint, sic postremò Andreas Pareschius Ferrariens. gallica lue affectus post decocta salsæparil. Ligni Guajac. & sudoribus tentatis, tandem ad mercurialem unctiõnem desperatus advenit, qua admissa gingivæ, linguæ, aliarumque oris partium gangræna suborta miserabile veneris sectatoribus exemplum, ultimam clausit diem; in Sanctimonialibus paucissimi morbi, & Regularium Religiosorum sacerdotum non nulla tantum funera; nosterque Antistes Cardinalis de Verme ætatis ann. 77. feбри maligna correptus sanctè obdormivit in Domino, in cujus cadavere reperta sunt pene omnia viscera sana. In aliquibus nostri suburbii locis non nullæ febres malignæ peticulares, & contagiosæ naturæ, uno enim ægrotante, brevi temporis intervallo tota simul ægrotavit familia; hæc tamen influenza trium tantummodo mensium spatio perduravit: accedente enim Autumno omnino evanuit; impetigines multæ in fine Novembris adultos affecerunt, quæ usque ad anni finem pertinaciter duraverunt. In principio Decembris ophthalmiæ multæ, pertinaces tam in maribus quam in foeminis. Observavi tandem in multis pauperibus sola diætã multas febres sanatas, sicque cum Joh. Damasceno in ultimo aphorismo concludendum, *Diæteticam medicinam præstantiorem esse pharmaceuticam, & chirurgicam.*

Dni D. Caroli Friderici Læw, de Febre Petechiali ann. 1683. Pofonii grassatâ, & cujus descriptionem in Adversariis Paternis repererat, Epistola ad Clariss. D. Francisc. Frideric. Possinger Archiatrum Cesareum.

Veniam dabit audaciæ meæ, qua *ardua negotia* turbare non sum veritus, par *fastigio Tuo humanitas*: tanto facilius, quo majori fide Tibi affirmare possum, non alia causa, quam *pietatis lege* impulsus me ad hoc scriptio- nis genus accessisse, ut extaret aliquando gratæ mentis documentum, pro illo insigni favore Tuo, quo Tibi me dudum tam in *publicis*, quam *privatis consiliis* reddidisti obstrictissimum. Non facile succurrebat, qua ratione Tibi grati animi pietatem probarem: nihil ex propria supellectile, quamvis plurima sese offerrent, ad dandam erga Te mei significationem, dignum esse censui: urgebat interim, quia relaturum me gratiam affirmare non audeo, habendæ saltem, & quavis ratione declarandæ gratiæ officium. Malui proinde ex re, non tamen prorsus aliena, nempe beati parentis, *Virtutum Tuarum* veneratoris, laboribus, aliquid depromere, quod *Magnifico Tuo Nomini* sacrum simul animi, referendæ gratiæ cupidissimi publicum esset documentum. Suscipe igitur serena fronte *historiam morbi petechialis*, qui anno 1683. *Pofonii epidemicè* grassatus est, à Parente meo pie defuncto, sollicitè conscriptam, *Illustri- que Nomini Tuo* inscriptam in lucem publicâ emittendam. Si quantû per oc-

cupationes Tuas gravissimas licuerit, hanc qualècunque publico bono destinatam opellam perlustrare volueris, invenies forte non planè contemnenda, & digna, quæ in publicum emittantur. Fiet autem hoc eo felicius, si, pace Tua, *Perillustri Nomine Tuo* sese hoc opusculum multis probaverit. Hujus summa, ut supra monui, est *expositio morbi petechialis*, qui *Pofonii epidemicè* grassatus est, ad fidem scripti, à beato parente relictî. Initium hujus historicæ expositionis ducitur ab anno 1683. quo per Dei gratiam soluta obsidione Viennensi, *regno Hungariæ*, misero fatalique bello miserri- mè afflictò, sigillatim *mensè Septembr.* pax restituta fuit. Tunc vero *copiis militaribus* hyberne dimissis, & *Pofonii* etiam per suburbia dispositis mali semina sparsa sunt. *Milites* enim, quod *gregatim* in contuberniis *arctius* collocati erant, omnia *squalore*, *tetra immunditie*, & foedis odoribus compleverunt, ipsumque quasi aerem inquinantes, *catervatim*, & veluti per manipulos in *febrem malignam petechialem* inciderunt. Morbus brevi invalescens, quam plurimos ex illis consumens, in malum tandem *epidemiùm* degeneravit, & in *incolas* plerosque, sine *ætatis* discrimine, maxime vero in *juvenes*, maturæ & robustæ ætatis homi-

homines, non modo plebejos, verum etiam nobiles & divites, vehementer grassari cepit, ita, ut ferme nullam domum intactam reliquerit. Incepit morbus hic epidemius mense Novemb. anni supra citati, qui statim horrore artus corripuit, interdum intensiore, interdum remissiore, non nunquam per intervalla recurrente, quem presso pede excepit calor in principio levis, qui ægrum primis adhuc diebus vix à negotiis solitis detinuit, interiora tamen occupans sensim auctus est. Ob sanguinis ergo rarefactionem majorem, & noxam visceribus impressam multa statim eriebantur periculo, a symptomata, nausea, anorexia, vomitus, cardialgia, sitis, non nunquam remittens, dolor capitis, vigiliæ, lassitudo spontanea, quæ symptomata ad IV. diem sensim aucta perdurabant, tanta interea nonnunquam lenitate, ut quamplurimi vim morbi laxatam crediderint, ejusque causam in errorem externum commissum rejecerint. Verum progressu temporis morbus malignitatem suam prodidit, intensissimi caloris sui effluvia per totum corpus diffundens, horrendaque producens symptomata. In unico saltem homine mitior vis morbi observata fuit: in blandissimo per totum morbi decursu in calore nulla sitis, nullum oriebatur delirium, de solo capitis dolore, & prostratis viribus querela fuit. Cæterorum fere omnium, hoc morbo laborantium corpora quasi incendio fumare, insolito calore gravari ac corripiri visa sunt. Hinc observabatur lassitudo & jactatio totius corporis, subita virium prostratio, in non nullis vigiliæ diuturnæ, quas statim excepit delirium, non nunquam in incremento, non nunquam in statu

morbi, aliquando mitius, & per unam saltem diem durans, aliquando ferocius, non nunquam missitando proditum, non nunquam nullum fuit observatum, ut in pistoris cujusdam uxore, nunquam delirio correpta, & tamen die VIII. prægressis convulsionibus mortua. Sed præstabat deliriū ante nonum accessisse diem, quam post nonum; quoscunque enim post hunc invasit, omnes ferè mortui sunt. Horum delirium non nunquam degeneravit in furorem, quo agitati surrexerunt, & robustissimum in alioqui hominum actiones ediderunt. In declinatione morbi non nunquam somnus obrepserat continuus, ita, ut ægroti & cibum & potum neglexerint. Sic & mentis emotiones taciturnæ in eo, qui alioqui facultate loquendi pollebat, ut plurimum erant periculosa, quale exemplum in saponario quodam habui. Porro somnum ægrotorum plerumque turbabat inquietudine nocturna: hinc delirare coeperunt, & absurda loqui. Tinnitus & susurrus aurium ut plurimum in incremento jam huic morbo accedebat, quibus sese auditus difficultas, modo salutaris, modo funesta, collatis nempe reliquis symptomatibus periculosis, adjunxit, ut & oculorum dolor & ardor. Sæpissime & illis coruscationes variique coloris figuræ observabantur. Vultus, in primis apud moribundos, ferox fuit. Tremor manuum frequens, sed labiorum continuus, & semper exitialis, & intra XXIV. horas imminentis mortis nunciatus, quod videre licuit in duobus Viris illustribus, ut aliorum exempla prætereamus. Tremorem autem statim vel sequebantur, vel præcedebant convulsiones, non tamen adeo funestæ, ut ut periculoso satis indicio floccos le-

gere cœperint decumbentes. Quorum aliqui *motibus* tandem *convulsivis* & ipsa *epilepsia* correpti, violentia morbi consumpti sunt, cujus exemplum præbuit quidam *juvenis* XXI. annorum, qui post *convulsiones* incidit in *motus convulsivos*, & ipsam *epilepsiam* LV. horas durantem. Curatæ tamen *epilepsie* huic morbo *die XII.* supervenientis, & *per integrum diem* observatæ exemplum habui in *juvene* quodam pannifice. Ad unum fere omnes *caput rotari*, seque *vertigine* laborare dixerunt. *Vertigines* inseparabilis comes erat *dolor capitis*, qui & in *artus* & *lumbos* non nunquam sese diffudit, ut ingentes *nephritides*, *uterique affectus* adesse crediderint, quod in *virgine* quadam observavi, *causam* tamen semper à *miasmate maligno* infestante sanguinem, quod in majoribus venis & arteriis ad illas partes devolvebatur, deducendam esse duxi. *Gustus* sæpissime planè fuit *depravatus* ac perversus in hoc morbo, ut ægroti non nunquam *aquam* pro *vino* biberint, *poma citrina* pro *uvis recentibus*, quod meo exemplo testari possum, comederint. *Aphonia* quoque, non semper tamen *lethalis*, observabatur, cujus *per integrum ferme diem* durantis, & tamen *curatæ* exemplum præbebat quidam *juvenis* viginti aliquot annorum. *Respiratio* sæpenumero *difficilis* fuit, & *frequens*, *expiratio* verò non nunquam quasi *flammea*, quæ semper *mala*, uti videre licuit in quodam *saponario*. *Pulsus* non nunquam, imprimis in *principio*, *sanorum* fuit quàm similimus, non nunquam *celer*, *frequens*, *intermittens*, *debilis*, *inequalis*, ut sæpissime *judicium de signis morbi prognosticis* fefellerit. Erat tamen quod-

dam genus *pulsuum*, quo præsentem *mortem* certo prælagire potuimus, si nempe decumbentes ad contrectationem *pulsus* aut *manus* retraxerint *tremulas*, easque *introrsum* duxerint, vitæ quasi suæ timentes, aut si *tremens*, *palpitans* & *caprizans* observatus fuerit *pulsus*. *Anxietates*, *liothymia*, *syncope*, in hoc morbo maximum cordi faceffivere negotium, ut non nunquam *per tres dies* iteratis vicibus continuaverint. *Tussis* non nunquam in *principio*, ut plurimum in *incremento* & *statu*, aliquando *humida*, aliquando *sicca*, sese exerebat, quarum *posterior* pejor, & semper *malignitatis* arguebat præsentiam. *Cardialgia* correpti, præ dolore ingenti, solum de *dolore* & *gravissima mole pectoris* conquesti sunt, existimantes, hoc sublato se pristinam recuperaturos sanitatem. *Morbi principium* semper erat cum *anorexia*, *nausea*, interdum *vomitibus*, qui *per aliquot dies* duravit, nullisque *medicamentis* mitigari potuit, neque *macularum* eruptione superveniente cessavit, *funesti* semper exitus erat signum: aliquando *die septimo* aut *octavo* demum oboriebatur. *Sitis* in his symptomatibus cum morbo *incrementum* sumebat; non nunquam tamen *ferme nulla*, præsentem licet *ingenti* & totum corpus quasi corripiente *calore*, observata fuit, quod *pestimum* erat signum. *Singultus*, huic morbo ut plurimum in *statu* superveniente, plerique, quos sub mea habui cura, sunt *mortui*, quidam tamen etiam *servati*, ut adeo *singultus* non semper signum imminenti *mortis* in *febris acutis* infallibile sit; ut refert *Epiphanius Ferdinandus*. *Hæmorrhagia* quoque sæpissime hunc morbum iecuta, *periculosa*

culosa primis diebus, & in ipso morbi statu, quod multis exemplis probare possemus, aliquando tamen critica, & sibi relicta, salutaris; sed imperitia chirurgorum die septimo suppressa, funesta. Sequiorem sexum morbus iste duplo gravius affligebat. Pleræque enim hoc tempore menses erant expectæ, aliæ primis statim diebus, aliæ nono demum die, qui semper exacerbabant symptomata, ut paucissimæ evaserint; benignior verò fuit morbi vis in mensium fluxu destitutis. Sed nec puerperæ, & gravidæ ab hoc morbo fuere immunes, licet non omnibus exitioso. Soror enim mea hac febre epidemiali correpta per Dei gratiam convaluit, & robustu suo tempore enixa est puerum. Alvus quamplurimis per aliquot dies fuit obstructa, ut eam tandem suppositorio referare debuerimus. Non nulli ægrotorū jam in principio diarrhæam perpeffi sunt, quæ si nullis medicamentis, ejusmodi affectibus aliqui maxime accommodatis, cedere voluit, res desperata fuit; sæpissime tamen & in principio, incremento, & statu, remediis rite adhibitis, optimo cum successu sedata fuit, imo diarrhæa critica, die VII. cum ægri levamine, quæ sequentibus diebus sua sponte cessavit, oborta est. Et fateri quoque debemus, fluxum alvi moderatum sæpissime non fuisse attendendum. Sic vermes tam in principio, quam statu ævo & natæ sat longos rejets in duabus personis, quæ tamen evasere, vidi. Sudores sæpenumero sua sponte apparebant, interdum critici, qui omnes boni, interdum verò resolutivi, imminente inprimis morte, qui pessimi; totum enim corpus tunc temporis in vaporem & madorem re-

solvi videbatur. Parotides permultis oboriebantur ut plurimum die XIV. & per XIV. ferme dies durabant, nunquam tamen lethales. Adhibitis enim mox sudoriferis per insensibilem transpirationem discussæ sunt, sine omni metu recidivæ. Lingua sæpissime erat fissa, non nunquam muco albicante indurato, inprimis adulto, jam morbo, quasi crusta quadam obducta, ut etiam potulentorum, ob membranearum oesophagi fibrarum à calore ingenti exsiccatarum difficilem constrictionem, laboriosa fuerit deglutitio; aliquando nigra, quæ & faucibus peregrinum huncce suum impressit characterem, ut tandem sphacelo correptæ & exesæ fuerint, quale exemplū in puero VII. annorum, hoc symptomate affecto, & propterea metu dolorum viginti ferme dies neque cibum, neque potum, neque medicamentum assumente, habuimus. Exanthemata tandē aliis jam II. quod meo exemplo testari possum, aliis & ut plurimum IV. aliis VII. erupere die, in aliis non una vice exiere, sed tractu quorundam dierum; alii secundam quoque eruptionem die XIV. experti sunt, cui aliquando superveniebat vesica in dorso, nucis magnitudinem æquans. & aquam limpidam continens, funesta, quam in Barone de Nobis conspeximus. Erant maculæ, quantum ad colorem attinet, versicolores, rubræ, purpureæ, fuscæ & quasi crocei coloris, albæ, ut in æthiopico quodam, nigræ, lividæ, quæ duæ posteriores pessimæ, inprimis in dorso, manibus, pectore, pedibus, natibus, non nunquam & facie, quæ non semper funestæ, interdum magnæ, interdum parvæ, pulicum morsibus similes, nullum tamen punctum in medio

habentes, non nunquam *sparsim*, non nunquam *confertim* milii solis & sudaminum instar, (*aspredines miliaceæ dictæ*,) quæ etiam *malæ*, per septem, octo, novem dies, conspiciendæ. Sed cum *morbus* hic tam *varius ac multiplex* fuerit, ut non tantum nullo *ætatis* discrimine sævierit; verum etiam in omnes *sporadicos morbos*, si qui ægrum vexabant, sese transformaverit, ut aliquando *tussim*, sæpissimè *catarrhum*, aliquando *colicam*, *podagram*, *pleuritidem*, *febrem tertianam*, servando exactissimè *periodicam exacerbationem*, tempore nempe *apyrexias* evanescentibus *maculis*, ingruente verò *paroxysmo* redeuntibus, mentita fuerit, quis quæso omnia *symptomata*, quibus hic morbus *auctus & exacerbatus* est, enarrare queat? Sufficiat ergo, hæc fideliter, prout in *praxi mea* observavi, annotasse. Morbus hic non nunquam *cito*, non nunquam *tardius* sua decurrebat *tempora*, ut etiam *XXIV. dies*; licet rarissimè, *funestus* fuerit; *die XII. ac XIII.* ut plurimum *graviora ac vehementiora* erant *symptomata*, proindeque accuratius attendenda. Etsi verò in *Hungaria* frequens est hic *morbus*, & *quotannis* observandus, grassari tamen *vehementius* more solito *hoc anno* cepit, ut ferme in solum *contagium*, corpora *metu* atque *timore* debilitata facilius corripuens, rejicere *causam* ausi fuerimus. *Principium* quidem huic *morbo* dedere *milités*, utpote qui *temperiem* hujus *regionis* nec observantes, nec ferentes, sed *vino* nimium indulgentes in *morbos* inciderunt *malignos*, *gregatim* deinceps in *contubernia* arctiora coniecti non modo *commilitones*, verum etiam *inquilinos* contagione infecerunt, quæ

latius serpendo & eundo tantas acquisivit vires, ut in *morbum epidemicalem* degeneraverit, & plures è medio sustulerit. *Anni tempestas* malum hoc insigniter fovebat, nempe ut plurimum *humidior*, cum *pluviis* copiosis & fere continuis, *nebulis* foetidissimis, creberrimis toto fere *Novembri & Decembri*, quo tempore *petechiæ* in homines gravius debacchati sunt. Etsi verò *vehementia frigoris* subsequuti mali hujus vim sublatam aut minutam arbitrati sumus, tantum tamen abfuit, ut cessaverit, ut potius ferme eandem noxam ac *vehementiam*, licet alter *mensis* præ altero fuerit *benignior*, exeruerit, in *mensē Junium* usque eam protraxerit, plures non modo *familiarius* cum ægris versantes, verum etiam *nullam planè consuetudinem* cum *infectis* habentes, & homines, qui ægros visitabant, fugientes, semperque domi quasi fixi hærentes, corripuerit, ut in ejusmodi homines ex sola *imaginatione contagium* manarit, correptosque sustulerit. *Remedium* præcipuum ac præsentissimum fuit *Venæ sectio*, à qua & *curam* semper *ordiri*, eamque *in primis diebus repetere* debuimus. Quam primum verò *maculæ* sese in conspectum dedere, quamvis plerique *auctorum*, & inter eos præcipuus *NEUKRANZ de purp.* id suadeant, penitus tamen *abstinendum* erat ab hoc alioquin præstantissimo remedio. *Purgantia*, quæ ad unum fere omnes admittunt scriptores, *Vomitòria*, etiam *in principio*, nullum hic invenere locum, imo omnes, quibus *Purgantia* exhibita sunt, *brevi post expirarunt*; eorum verò *exanthemata* semper apparebant *latiora*. Ex iis, qui *Vomitòria* assumsere, paucissimi, nempe

nempe ii solummodo, quorum *robur naturæ* adhuc erat inconcussum, evasere, in quibus & citius morbus sua decurrit tempora. *Expellentia, alexipharmaca, confortantia, cordialia, temperata, v. gr. spec. liberant. sal. volatil. C.C. fixat. unicor. mar. C.C. philos. præpar. item Emulsiones, mixtura ex mithridatio, confect. alkerm. & aqua fumar.* in primis tempore *continuarum vigiliarum* data, ac sequenti die vesperi iterata, quæ ad *somnum placidum* ægrotos disposuit, ac *deliria* mitigavit, *lap. bezoar. orient.* præcipuè ubi *cordis anxietates* vehementer urgebant, qui miraculosa fere ratione eas statim sustulit, omne hic tulere punctum. *Symptomatibus* ex proprio fonte erat succurrendum; è contrario *calida* omnia, quæ majorem excitarunt effervescentiam, vitanda. *Antimonium diaphoreticum* quoties fuit datum, fere semper excitavit *diarrhœam*; exhibitum verò *in febribus malignis sine exanthematibus* rarius, facile tamen *terr. sigillat. vel mithridat.* sedata fuit. *Fœminis, affectibus hystericis obnoxiiis, extract. castor.* præsentissimam tulit opem. *Vesicatoria* justo tempore applicata, non modo in *aphonia* sæpissimè ægrotis sermonè reddidere, verum etiam ferociam *deliriorum*, ac quasi *phrenitides* debellarunt. *Opiatorum* usum, utpote in his *regionibus* merito suspectum, experiri nolui, *Topicis* quidem frequenter in perpetuis *vigiliis & capitis doloribus*, cum successu admiscui. Quod si jam ad *crispum* pervenit morbus, *sudoribus* probè elicitis tandem *spec. de gemm. frigid. de hyacinth.* cum *nitro* ordinavi, quorum usum, quo usque penitus remisit calor, continuavimus. *Confortantia, cordialia*

balsama in frequenti usu habui. *Restaurantia juscula* interdium & noctu aliquoties ægris exhibenda suasi, *vini ac cerevisiæ* usu omnes abstinere jussi, *aquam coctam ex rad. scorzon. cum C. C. & ras. ebor. sem. fœnic. &c.* pro potu ordinario præscripsi. *Mutationem linteorum mundorum & indusiorum* crebram, etsi permittat NEUKRANZ de purp. p. 351. semper tamen ego, ob rationes certas & experientia stabilitas, dissuasi. Victo jam penitus morbo, & viribus aliquantum jam redeuntibus, tandem ad *Purgantia* descendi, quibus reliqui *excrementitii humores*, ne *recidiva* subsequeretur, cum emolumento ægroantium expellerentur. Hac ratione *quamplurimos* per Dei gratiam *pristinæ sanitati* restitui. Hæc, VIR, LECTIO ET EXPERIENTIA CELEBERRIME, sunt, quæ illis temporibus observavit, & bona fide de hoc morbi genere literis consignavit beatus Parens. Hujus paternæ industriæ monumenta plura possideo, *gravissimo Tuo judicio*, una cum *meis rarioribus observationibus*, subjicienda, & si Tibi ita visum fuerit, *publico bono* non invidenda. Nihil proinde avidius expecto, quam, quod sine Tua molestia fiat, *Tuum de hoc instituo consilium*. Si Tibi placuisse intellexero, affirmo Tibi, me existimaturum, mihi *gravitate judicii Tui, & conatus meos juvandi facilitate* id, quod maximè unquam cupierim, contigisse. Quod superest, Tibi CÆSARÆ NOSTRÆ ACADEMIÆ spes fortunæque commendo.

mendo, nihil dubitans, quin de his existimaturus. Dab. Viennæ die
hoc meo studio rectè & benignè VII. Febr. A. S. R. MDCCLXXX.

Dni D. Andreae Læw Historia Epidemica Hungariæ, annorum 1688. 1697. 1699. 1700. 1701. 1702. 1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709., ab ejusdem Filio Dno D. Carolô Fridericô Læw, Perillustri Luca Schræckio, Academia Nat. Curios. Præsidi, &c. ann. 1726. communicata.

A Ni tempora, prout variant, suos habere morbos certos jam pridem *lib. 3. Aphor. 21.* rectè annotasse Hippocratem præsentè anno abunde confirmavit experientia. Scilicet mense Julii & Augusti cum cœlum quasi flammasset caloribus, & pluviarum ferme toto illo tempore expers fuisset, quibus alias intemperies aëris sicca temperanda & corrigenda, Febres solito magis in hac urbe grassari ceperunt. Quarû principia cum horrore, vomitu, nausea ægrû occuparunt, subsequenter statim caloribus, siti, dolore capitis, virium prostratione summa, cardialgia, ut plurimum dies noctesque durantibus, aut biduo post, adhibitis sudoriferis, in *intermittentes* ut plurimum febres, modo *tertianas*, modo *quotidianas*, imo *quartanas*, per intervalla secundum suum typum repetentes, terminantibus. Tantam autem hæ febres benignitatē in se fovebant, ut rarò administratis legitimo modo remediis, h. e. *V. S. Anti-febrilibus ex ⊖ card. ben. absinth. centaur. min. lap. cancr. chinchin. arcan. dupl. flor. nitr.* aliisque, ultra octi-

duum sese extenderint, quin penitus remiserint. Non senserunt has febres tantum provectoris ætatis homines, verum etiam infantes lactentes & ab lactati, sine ullo ætatis discrimine. In non nullis deprehendebantur *continua*, dies noctesque ægrotos affligentes, & *V. S. sudoriferis ordinariis, nempe spec. de hyacinth. antim. diaph. spec. de gemm. frig. mixtura mea ordinaria &c. cum confortantibus junctis*, tractatæ, omnes terminû suum elapso 15. dierum spatio benignissimè absolventes. Hisce continuis annumeranda quoque fuit *Pemphinx*, vulgo *Nessel-Kranckheit* dicta, tunc temporis grassata, quæ ægrotos, (qui quasi urticæ urentis vim essent experti,) excruciat pruritu, tumore permagno variæ magnitudinis in toto corpore, modo imperialis, modo floreni, modo grossi, modo totius cubiti, superficiem cutis occupante, eamque in vesicas non adeo rubras, sed magis albas attollente, mox recedente, mox redeunte, aliisque symptomatibus febres continuas malignas alias concomitantibus. Quæ febris licet aliis temporibus *benignissima*

ma adhibito sudorifero intra biduum remittere soleat ; nunc tamen admodum *maligna* more continuarum sua decurrit tempora , propinatis autem *medicamentis diaphoreticis , expellentibus temperatis &c.* DEO benedicienti apud omnes felicissimè XV. die superata. Observavimus etiam , quod notatu dignum & perrarum , tunc temporis certam febrium speciem , quæ fuit *complicata ex febre quotidiana continua & tertiana*, ana die binas habens exacerbationes , altera unicam , quam *Hemitritæum* appellare placuit. Fuit absque horrore , cum continuo calore , ingenti præcordiorum compressione , ut de continuis constrictionibus pectoris conquesti fuerint , siti

inexplebili , intensioribus tamen hisce tempore exacerbationis , cum vigiliis , deliriis , diarrhœis , in primis virium prostratione summa , ut semper animi deliquia metuenda fuerint. Febris hæc admodum periculosa continua ingentem reconditam habuit malignitatem ; quapropter more aliarum febrium malignarum , v. gr. *V. S. sudoriferis , expellentibus , confortantibus mixtis , ordinariis* , ratione tamen habita symptomatum urgentium , tracta felicissimè intra XXI. dies fuit subacta atque ejecta , superflite quidem adhuc aliquali pectoris compressione , *Laxativo* tamen medicamento sub finem exhibito , penitus sublata.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anni 1697.

NON quivis annus quosvis fovet morbos , multo minus una eademque symptomata. Prouti anni variant tempora , aërisque tempestates , sic quoque morbi , qui nunc benigniores , nunc pejores , multorumque funerum non nunquam causæ existunt. Hoc jam dudum observavit , ac *toto libro III. Aphorismorum* nobis demonstravit maximus Græciæ Doctor , *Hippocrates*. Et quis non videt , diversum aëris statum humores modificare morbificos , eosque disponere , pro diversitate locorum aliarumque circumstantiarum , ad producenda symptomata , quandoque graviora , aliquando mitiora. Id videre licuit *anno 1697.* quo *hyemem rigidissimam* experti sumus. Produxit intensissimum illud frigus non solum *varios pectoris morbos , catarrhos , coryzas , gravedines , tussesque vehementes*

tiores , sed & transpiratione impedita , lympham disposuit in coagulum pronam ; adventante *vere* , liquatisque macrocosmi humoribus , lymphæ hactenus torpida apud plurimos varias subiit mutationes ; inde in quibusdam *febres tertianæ subortæ* , in plerisque *febres continuæ , pleuritides spuria , malignitatis expertes* ; in plurimis , imprimis *sub finem Aprilis , Maii , Junii , Julii* , quo tempore magis efferationes biliosæ ob excessivum calorem ambientem notabantur , *febres petechiales Epidemicæ*. Referam ex morbis , quos hoc anno perlustravi , solum præcipuos. Inceperunt *petechiales* more solito cum rigore , caloribus p. n. siti , anxietate præcordiorum , quandoque vomitu , doloribus capitis , infueto artuum languore , sine causa manifesta , cum insigni extremorum lassitudine , ut plurimum

quarta, aliquando septima demum die maculae effloruerunt petechiales, in quibusdam copiosiores majoresque, in quibusdam minores ac parciore. Deliria sexto jam, septimo, octavo morbi die supervenientia, boni fuere ominis. In illis enim decima quarta vehemens notabatur obsurdescencia, & decima quinta caloris, adeoque morbi solutio. Si serius, v. gr. 10. 11. 12. contigerunt deliria, atrociora symptomata, nec non malignitatem praenuntiarent summam, nullusque expectandus fuit motus criticus, sed paulatina solutio. Observavi hoc in quamplurimis, in primis in Cive hujus loci primario, ex itinere sexta morbi die reduce. Septima, adhibito uno vel altero medicamento expellente, bezoardico, vidi corpus petechiis copiosissimis rubris conspersum; eodem die notavi summam in somnum propensionem, vix non dispositionem lethargicam. Vesicatoria quippe aliquot applicata aegrum a somno abstrahere non valuerunt, & excitatus licet quandoque comederit, medicamenta expellentia, sudorifera, epileptica, confortantia sedulo assumserit, subito nihilo minus in somnum recidit, salva manente respiratione; accesserunt 10. die deliria: excitatus enim ex suo profundo somno, & interrogatus minus appositè, minus ordinatè respondit, de subito in somnum relabens. Die undecima & sequentibus supervenerunt motus convulsivi, diarrhoeae, involuntarius urinæ fluxus, summam, symptomata exitiosa. Decima quinta calores p. n. observavi longè remissiores, pulsum naturali similem, somnum autem adhuc profundum. Si

excitatus fuit patiens, neminem agnovit, torvis oculis vidit, ad interrogata mullitando, minus intelligenter respondit, floccos frequenter legere continuavit. Morbum igitur hunc in pessimis signis constitutum ex Hippocr. Coac. nec non 2. Aphor. 27. difficillimum ac periculi plenissimum pronunciaui. Decima septima demum die, suborta obauditione, ad se rediit, stupidus quidem & obliviosus, praeteritorum immemor, vires tamen brevi resumfit. Vidi in alio subjecto, eundem morbum in optimis signis constitutum, duodecima, rarioribus tunc temporis existentibus jam maculis petechialibus, produxisse pustulas miliares, parvas, albas, acuminatas, innumeras, excessivam sanguinis ebullitionem, nec non malignitatem latentem prodentes, & 15. die, praegressis vix momentaneis convulsionibus, funestas. Observavi, malum hoc fuisse epidemium, nullumque ætatis habuisse discrimen, juvenes verò puerosque frequentius invasisse, ac contagium in domo delituisse, aut substituisse, donec in reliquos fere omnes sæviit. Qui valetudinis salutisque suæ solliciti fuerunt, ac in tempore, spretis praeposteris medicationibus, meam postularunt curam, ad unum omnes convaluerunt. Incepi, praevio unico sudorifero, pro ætatis diversitate, prima & secunda jam die a V. S. in brachio, quam sequenti die pro rei exigentia in pede, ante exanthematū eruptionē, repetii Alexipharmaca, (malignitatis enim hinc summa est habenda ratio,) sudorifera ex spec. de hyacinth. Liberant. & diaphor. C. C. philos. praepar. lap. bez. orient. mithridat. &c. mutatis

tis mutandis, singulo octihorio exhibui cum sudoris imperio. Quamprimum mentem adverti vacillantem, imminentis delirii prodromum, *Vesicatoria* nuchæ pedibusque imponi jussi, addidique *pulveribus sudoriferis confortantia*, nec non *epileptica*, v. gr. *pulv. epilept. March. unicorn. mar. specif. cephal. Mich. mag. ungu. alc. perl. &c.* Nimiis vigiliis ac deliriis summis *mistura mea ex mithridatio cum conf. alkerm. pulv. epilept. de gemm. frig. aut analept. &c.* *Syr. papav. in aqu. solut.* ut plurimum vesperi, & quidem cum fructu obviam veni. *Alvi fluxum stypticis* quandoque singulo trihorio aut quatrihorio exhibitis compescui: obstructionem *enematibus* sustuli. Cum calores p. n. decrescere inceperunt, quod sæpissime sub initium decimi quinti diei contingit, contentus fui solis *pulveribus præcipitantibus*, v. gr. *spec. de gemm. frig. & analept. C. C. philos. fl. nitr.* quotidie semel aut bis in usum vocatis. Vinum ac cerevisiam prohibui, concessique solum *aquam ex ras. C. C. ebor. sem. fœnicul. rad. scorzon. coc-tam.* Reliquis symptomatibus ex suis fontibus prospexi. Sub initium quartæ septimanæ, appetitu jam redeunte, ne in priorem morbum reciderent, dedi *Laxativum*. Et hac methodo, DEO sint laudes, omnes petechiis etiam pessimè decumbentes, excepta unica persona, servati sunt. *Morbilli* mente *Junio, Julio*, omnes fere pervaserunt domos, & observavi illos *epidemiciter* grassatos, primis quatuor diebus ut plurimum gravissimos, apparente efflorescentia, quæ elapso quatruiduo evanuit, levissimos. Quibus legitima adhibita fuere reme-

dia, *expellentia* nempe, *sudorifera*, v. gr. *pulv. alexit. lap. bez. C. C. philos. unicorn. mar.* omnes stando quasi ac deambulando morbum evaserunt. Qui in cura sunt neglecti, aut malè tractati, etiamsi convaluerunt, elapsis aliquot septimanis, aut in *febrem* inciderunt *exanthematicam*, (quam *Rossaliam* nominare solemus, & consistit in maculis rubris, latissimis, in toto corpore densissimis, erysipelas quasi universale referentibus, post quartum diem evanescentibus, & squammularum instar deciditibus, cum ægri alleviatione,) cum caloribus continuis, siti magna, aliquando deliriis, nemini exitiosam; aut reportarunt *tumorem flatulentum totius corporis*, permultis funestum. Notavi simul, quando unus aut duo in domo morbillos superarunt, decimo demum quarto aut quinto alios ejusdem domus in ægrotantium locum successisse, adeoque morbillosum contagium serpiens à 14. in 14. delituisse ac substituisse. *Mense Junio, Julio*, frequens fuit *Icterus*, cum aliquali alteratione, appetitu dejecto, nausea, siti, oris amaritudine, deturpato cutis, imprimis oculorum, colore, pruritu, urinis croceis, cerevisiæ brunaceæ similibus, turbidis, excrementis quandoque flavis, copiosis, sæpissime albis, cinericis. Obstructionem ductus choledochi referavi, bilemque in massam sanguineam, ac in habitum corporis jam derivatam reduxi, ejusque acrimoniam salino-sulphuream excessivam correxi *aperientibus salibus ex pulv. hepat. Tartar. Vitriolato, sale cichor. acetosell.* additis *granis aliquot diagrydii*. Instar omnium fuerunt *acidula Croaticæ*, quibus bilem sufficienter dilui, atque felicissi-

me spatio 2. aut 3. hebdomadarum ictericos restitui. Præter *hydropes, calculos, podagram, arthritides &c.* tempore autumnali more solito, *Quartana* prodiit *contumacissima*, quam, si *Venæ sectione, purgatione*, diebus paroxysmorum instituta, nec non *medicamentis Antifebrilibus chinatis* ter aut quater exhibitis infringere nequivi,

reliqui intactam, optimè gnarus, multitudine atque frequentia medicamentorum facile ad *Cachexiam ac hydropem* disponi, adeoque magis destrui. *Naturæ* igitur opus hoc commisi, atque expectavi *æquinoctium vernale*, quo tempore natura, uno vel altero medicamento adjuncta, quandoque per se febrem hanc felicissimè subigere solet.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anni 1699.

DE Japonibus scribit *Wilhelmus ten Rhyne, Dissert. de Arthrit. in suis notis, p. m. 92.* quod quidem pestem ignorent, *variolas* tamen timeant, cum ipsis maximè sint contagiosæ, atque sæva & multiplici hominum strage illorum terras depopulentur, ut major etiam mortalium pars his in Japonia aliquando succumbat, quam peste alibi, atque idcirco prælabis istius metu, parentes liberos, mariti uxores, & quæcunque dulcia sunt vel sanguinis vel thori pignora, relinquant. Unde Japones & Sinæ liberis dotati, ubi interrogantur, quot soboles alant? regerunt, totidem, quot variolis jam laborarunt; reliquorum enim vitam in ancipiti locant, adeoque inter permanentes proles non numerant. Idem responsum fere à nobis hoc *anno nonagesimo nono* tulissent Curiosi, si ex uno alterove quæsisissent, quot filios aut filias habeat? Tot nempe, quot jam *variolarum* virulentiam superarunt. Etsi enim apud nos *Variolæ* non adeo aliquando observantur funestæ, hac tamen *hyeme australi, tepidiori ac humidiori* plus minus existente, illæ, pestis instar, in infantes & adultiores furere cœperunt, eosque pro diversitate tempestatum,

magisve vel minus maligni ætheris, nec non humorum in corpore existentium, variè affecerunt. Inceperunt modico cum horrore, quem excepit calor intensus, pulsus fortis, oculi turbidi, sitis intensa, aliquando jactatio inquieta, sternutatio frequens; non nunquam jam primo aut secundo ebullitionis die apparuit una vel altera pustula in facie, dorso, ut plurimum verò sub finem tertii aut initium quarti diei eruperunt *variolæ*, primū rubræ, exiles, rotundæ, figura nempe, colore & magnitudine regulari, cum febris symptomatumque, etiamsi hætenus fuerint gravissima, atque nervoso generi periculosissima, remissione, aut notabili diminutione. Hæ turgidæ maturuerunt brevi, justoque tempore exaruerunt jam incrustatæ. In quibusdam subjectis pustulæ fuerunt admodum raræ, solito tamen majores, hinc inde sparsæ, valde discretæ, ita quidem, ut iisdem affecti in lecto vix contineri potuerint, quin deambulare voluerint, si ipsis concessum fuisset, quæ variolæ mitissimæ ac benignissimæ fuerunt. *Diarrhœa* nec non *hæmorrhagia narium*, diebus ebullitionis suborta omnibus salutis fuit, detracta nempe nimium quantum.

tum ebullientis ac æstuantis sanguinis, nec non seminii variolosi parte, quod reliquum fuit variolosum fermentum facilius, inprimis jam laxatis venarum spatiis, evolvi, digeri, expellique potuit; & in his *variolas* observavimus discretas, raras, *benignissimas*, saltim hinc inde sparsas. Qualis enim, status humorum ebullientium in corpore, in primis in centro, talis quoque se exseruit & effloruit in extremis, habitu corporis: unde quo peior materia ebulliens, eo periculosiores & deteriores variolæ. Sic spiritus quandoque à miasmate varioloso irritatos magis, quàm oppressos observavimus, qui magno sæpe conamine quisquillas suas ad cutem amandarunt, serumque virulentum repurgarunt felici eventu, tuberculis tam magnitudine, quàm colore & figura regularibus enatis. Notavimus è contra spiritus à miasmate hoc varioloso diebus jam ebullitionis obrutos ac fere oppressos, ut amplius sese sufficienter expandere nequiverint, multo minus inquinamenta variolosa excutere potuerint. Remansit ergo miasma virulentum in massa sanguinea, quam ad coagulum disposuit. Tingebatur quidem cuticula rubedine quasi erysipelacea, ac tumore afficiebatur, nulla tamen aut fere perpauca apparuere variolarum vestigia, potius loco harum tertia jam die maculæ in facie, dorso, natibus, pedibus, manibus, effloruerunt purpureæ, quæ exactè morsus pulicum aliquo modo obsoletos repræsentarunt, copiosæ, aut diebus ebullitionis, quarta nempe, antequam ulla adhuc comparuit pustula, aut ante plenam & sufficientem variolarum eruptionem, quæ semper manserunt parvæ, sessiles, depressæ,

confluentes, duræ, septima die lethales. Observabatur in his pulsus debilis, catarrhus suffocativus, ob nervos affectos, insultus epileptici, subsultus tendinum, deliria, maculæ purpureæ, latissimæ, ad nigredinem spatio aliquot horarum tendentes, ante, aut post mortem largissimum sanguinis per alvum profluvium. Certissima sanè summæ inflammationis in massa sanguinea latentis, nec non instantis sphaçeli, adeoque indubiæ mortis indicia. Unam habui virginem octennem, in qua maculæ hæ purpureæ jam disparuerunt, ut aliqualem reconvalescentiæ spem nobis fecerint, at tempore maturationis variolæ confluentes, inprimis in facie, manserunt sessiles, depressæ, duræ, cartilaginossæ quasi, cutis ipsa erysipelate fuit affecta, & intensa rubedine tincta, tumida, symptomata novis accessionibus febrilibus fuerunt exacerbata, quæ tandem XV. die funesto terminarunt eventu. Unicum habui puerulum 7. annorum, ejusmodi maculis purpureis una cum variolis correptum, qui hæmorrhagia narium copiosa IVta die suborta à periculosissimo atque exitiali hoc malo liberatus fuit. Reliqui omnes his *petechiis purpureis* laborantes, etiamsi ex methodo medendi ordinaria & optima, *expellentibus* nempe, *sudoriferis*, *alexipharmacis*, *bezoardicis*, *confortantibus*, *nervinis*, *antepilepticis*, *v. gr. spec. liberant. de hyacinth. pulv. pannon. lap. bez. orient. pulv. epilept. C. C. philos. unicorn. mar. diascord. Frac. mithridat. conf. alkerm. &c.* tractati fuerint, mortui sunt. Sine dubio à veneno varioloso pestifero sanguinis compages nimis fuit soluta & jam in fluorem conversa, in primis serum

acre, virulentum redditum, atque dispositum non solum visceribus, sed & partibus externis, mediante efflorescentia, necrosin induxit funestam. Neque *gravidae*, licet alias naturæ consilio à morbis epidemiis immuniores sint, quàm alii, ab hoc variolarum contagio fuere immunes, imo decubuerunt pessimè; hæ semper sexta aut septima die *abortum* passæ sunt cum *magna Uteri hæmorrhagia*. *Variolæ malignæ* ut plurimum inceperunt cū *lumborum & abdominis doloribus*, qui si cum erupturientibus jam pustularū notis remiserunt, *boni*, sin minus, *mali* fuerunt ominis; ut plurimū enim in his variolæ aut non sufficienter eruperunt, aut, si prodierunt, confluerunt, & tempore maturationis depresso manserunt, sæpe refugerunt & in fauces gulæque copiosæ incubuerunt, *catarrhumque lethalem*, in primis circa morbi statum, induxerunt. In permultis salivationem in eruptione, & post eruptionem, observavimus copiosam, qualis à mercurio assumpto oriri solet. *Diarrhæa* diebus maturationis oborta, *pessima* fuit; natura enim jam debilitata, & in negotio maturationis impedita, deducendo aliorum materiã variolosam succumbere debuit, variolis nempe non bene maturatis, quin potius collapsis, aut *catarrhus*, aut *convulsiones* supervenerunt funestæ. Respiratio anxiosa, interrupta, vel sublimis, in primis in morbi statu semper fuit convulsiva, & indubitatum signū malignitatis, quæ nullis medicamentis expelli potuit, quin potius humores in suo motu impediti, atque sic lethalitatem intulit. Observavi in filiolo trium annorum, tempore eruptionis, die tertia

& quarta morbi, summam extremorum, pedum nempe, manuum ad carpum usque, nasi refrigerationem, sine ullo sudore, cum pulsu debili, calorem verò in reliquo corpore sufficientem ac præternaturalem. Metu sanguinis recursum, caloris languorē, & necrosin imminuentem, adeoque frigus hoc brevi fore morticinum, in primis materia variolosa in centro retenta minusque expulsa, exhibitis tandem *expellentibus* variis, *bezoardicis*, nec non *linteis calidè applicatis*, spatio bidui rediit ad extrema calor, variolæque prodierunt copiosissimæ cum summa symptomatum alleviatione, & maturatis tandem variolis, vitæ conservatione. *Mense Aprili, Majo* notabantur *morbilli*, qui, si ex methodo tractati fuerunt, sudorque successit ex voto, in omnibus *benigni*, neque efflorescentia inflammatoria diutius mansit, quàm per quatrimum; quo tempore una cum maculis squamarum ad instar deciduis, calor cessavit penitus. Observavi autem in quibusdam morbillosam hanc inflammationem effloruisse in dorso & facie ad instar herpetis, cum pustulis splendentibus, mox in rubedinem morbillosam ordinariam variæ figuræ abeuntibus. Fuerunt exanthemata hæc morbillosa mali moris, adeoque in cura probe attendenda, & *expellentibus, sudoriferis, alexipharmacis* sedulo tractanda. *Mense Aprili, Majo, Junio* frequentes fuerunt *febres petechiales malignæ*, quæ invaserunt cum horrore levi, nec manifesta sanguinis æstuatione, sed calore mitiori, quem aëris injuriis adscripserunt ægroti, neque crediderunt se ægrotare, donec calor, hætenus effectum suum occulens, ingravescere vires-

viresque vacillare cæperint, ut jam ægroti decumbere coacti fuerint, magno cum damno suo tamdiu contranitentes. Accessit anxietas præcordiorum, fitis immanis, capitis dolor, vigiliæ, linguæ scabrities, deliria aliaque symptomata. Qui ab initio *Venæ sectiones* admiserunt, medentumque opem implorarunt, atque dicto præscriptove audientes fuerunt, evaserunt omnes; qui verò neglexerunt curam, eamque demum die VI. aut VII. inchoare voluerunt, ii plerumque die XIII. XIV. XV. XVIII. XIX. mortui sunt. Quicumque à *Purgantibus* credentes vitium hæere in Ventriculo, curam inceperunt, ad unum omnes decesserunt, & in illis maculæ observatæ sunt longe majores ac latiores. Qui sudare ad variè assumpta *alexipharmaca, diaphoretica, expellentia* in incremento & progressu morbi non potuerunt, etiamsi bene ac peritè, alias tractati fuerint, mortui sunt, mortem verò uno vel altero die præcesserunt *sudores spontanei*, copiosissimi, resolutivi. *Subsultus tendinum* in tangendo pulsu in statu morbi notatus semper *exitialis* fuit. *Convulsiones epilepticæ*, in primis distorsiones in ore & fronte variæ, *funestissimæ*. *Sensus hebetior*, si nempe ægroti se

non laborare, sed optimè valere dixerunt, *manus tremulæ, respiratio difficilis ac frequens, difficillima citra faucium tumorem deglutitio, inevitabilem prænuntiarunt mortem. Macule quo tardiores in efflorescentia, eo peiores*, unde apud quos die demum septima, aut nona, prodierunt, ut plurimum observabantur funestæ, secus, si jam quarta eruperunt. Eadem *ex rubro colore tendentes in lividum, nigrum*, extremam sanguinis corruptionem indicarunt. Circa *Solstitium, mense Junio*, morbus hic fuit *pessimus multisque exitialis*. Causa hujus febris petechialis malignæ, cum calor sæpe, in primis in initio, non adeo sævus fuerit in prava & maligna indole quaerenda fuit, quæ citra insignem calorem vi sua corrodente partes corporis fluidas & solidas corrumpit, dissolvit, destruxit, ac violentia sæpe materiam expulit, modo *per alvum*, crisi imperfecta ac funesta, modo *per insensilem transpirationem*, ubi ægroti, in primis sub finem, sudoribus fere diffluxerunt, qui fuerunt resolutivi, pessimi. Sanguinem igitur ac serum in hoc morbo coagulari ac incrassari, sæpissime ex salè corrodente maligno summam contrahere acrimoniam, ex symptomatibus abundè claret.

Constitutio Epidemica Sempronienfis Anni 1700.

HOc anno insuetæ fere fuit aëris intemperies. *Mense Januario, Februario* temperatum frigus extitit, *mense Martio*, nec non *Aprili* fere toto tempestas nivibus & gelu sæviit, quo tempore grassari cœperunt *febres continuæ exanthematicæ*, solis confortantibus, blandissimis *diaphoreticis*

remixtis, tractandæ. Etenim, qui more solito alimferunt & continuarunt *sudorifera, ex spec. de hyacinth. Liberant. ꝯ. diaph. ⊖ volat. C. C. mithridat.* illi omnes, viribus exinde exhaustis, & convulsionibus subortis migrarunt ad superos; qui vero in principio tractati sunt *Venæ sectione*, deinde blan-

blandioribus diaphoreticis, ut plurimū tamen confortantibus & epilepticis, v. gr. pulv. epilept. M. specif. cephal. pulv. analept. mag. gran. kerm. perlar. C. C. unicorn. mar. convaluere omnes. Calores non adeo intensi fuerunt, debilitates verò summæ cum vigiliis, sudoribus spontaneis, pulsu celeri, frequenti, tremoribus nec non motibus convulsivis. Mense Junio, Julio plures pluviosæ notabantur dies, quam serenæ; mensis Augustus & medius September fuere serenissimi, calidissimi. Reliquo medio Septembri & toto mense Octobri tanta pluviarum fuit frequentia, ut post hominum memo-

riam his mensibus visæ non fuerint crebriores. Si enim de die non pluit, certe de nocte pluit, imo post 14. dies pluviosos vix duo sereni apparuerunt, quos statim pluvix exceperunt continuæ. Per has igitur infuetas anni constitutiones sævierunt *Tusses*, *rheumatismi*, *febres*, in primis *quartanæ*, quæ in vicinis nostris locis fuerunt *epidemicæ*, *apoplexiæ ipsæ*; apud infantes frequentes fuerunt *variolæ erraticæ*. Senes experti sunt *debilitates summas* instar *februm continuarum*, sed *benignarum*, *recurrentes*, quæ *solis confortantibus medicamentis* cesserunt.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anni 1701.

ANnus ineuntis hujus seculi incipit eadem inconstantia, qua ultimus annus seculum finivit. *Januario* quippe & *Februario* frigora uno vel altero die notabantur intensa, tertio vel quarto valde remissa, unde ex infuetis his anni mutationibus ortæ sunt *defluxiones biliosæ in brachiis, ossibus ischii, pedibus*, summe dolorificæ, utriusque sexui infestæ. *Rheumatismi hi biliosi sudoriferis* nequam tractari debuerunt, utpote quorum usu dolores semper exacerbati sunt, meliori verò successu *digestivis ex salibus*, v. gr. pulv. hepat. rubr. ☉ cichor. acetosell. ☿ vitriolat. diagryd. sulphurat. quotidie adhibitis obtemperarunt, & intra XXIV. dies evanuerunt. *Martius* fuit valde benignus, *Aprilis* verò & *medius mensis Maii* ob frigora infantibus funestus, hi nempe valde infestabantur *Vomitibus, catarrho suffocativo, colicis convulsivis, epilepticis*. In *Junio* nil occurrebat notatu dignum,

nisi quod mane hoc & præterito mense rorem in foliis arborum, in primis prunorum, instar mellis, nostrates vocant *Hônigthau*, eumque fructiferum indicare annum credunt, copiosum observaverimus. *Julius* totus exæstuavit, nil tamen mali, quod mirum, produxit, nisi *febres tertianas*, (quæ sexto paroxysmo abierunt,) & in senibus, adultis ac infantibus *pustulas*, sive *exanthemata miliaria*, quæ occuparunt totum corpus cum molestissimo pruritu. Causa sine dubio quærenda in efferationibus biliosis, in primis lymphæ ab externo calore valde intenso evocata, sed facile *refrigerationibus*, v. gr. spec. de gemm. frig. fl. nitr. lap. cancr. &c. & *balneis hordeaceis* repressa ac temperata. Toto mense *Augusto* calores fuere intensissimi, pluvix paucissimæ, fere nullæ, noctes simul calidæ. Jam valde grassari cœperunt *febres* cum frigore duarum, aliquando trium horarum, insecutus est

est statim calor ultra 40. horas durans cum capitis dolore, siti, virium prostratione, linguæ ac faucium ariditate, vigiliis, quandoque deliriis, ut jurasses *febrem imminere continuam*, sed post adhibita *sudorifera*, *Venæ sectionem*, remisit calor, atque in *intermittentem febrem*, ita tamen, ut vix aliquot horæ inter paroxysmum & apyrexiam interjectæ fuerint; & sic una febris excepit alteram, afflixitque diu infirmos; rarissimè enim ante nonnun paroxysmum terminavit. Si *Venæ sectione*, *diaphoreticis* & *præcipitantibus*, cum malignitate non caruerit, rite tractabatur, nulli fuit funesta. Febres hæ maximè sæ-

vierunt *mense Septembri*, quem observavimus calidissimum, siccissimum, sine ullis pluviis. *Mensis Octobris* incepit cum pluviis, quæ per aliquot durarunt dies, insequentibus mox caloribus insuetis, ac vix post hominum memoriam notatis. Continuaverunt æstuosissimi dies per *Novembrem* fere totum, ita, ut nullus senum tantæ æstatis & autumnus calidi & constantis recordari potuerit, unde optimum & generosissimum crevit vinum, quod tamen successu temporis minùs generosum evasit. *Morbi* fuere pauci, iique ut plurimum *ordinarii*. *Sub finem Decembris* exasperatum fuit cælum, terra frigore obriguit.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anno 1702.

HAc hyeme permutata quasi videbantur tempora. Frigora intensa solum durarunt ad sextum *Januarii* diem, septimo supervenerunt pluvix, subsequenter diebus nebulæ, cælum turbidum, nox serena, calida tempora. Toto *Februario*, exceptis vehementissimis ventis, eadem fuit cœli facies, nullum frigus, nullæ nives, ut plurimum siccitas, serenitas, ut credidisses, imminere æstatem; nocturno quidem & matutino tempore quandoque aura observabatur frigidiuscula, sole tamen oriente statim fuit temperata, unde jam *medio Februarii* habuimus flores violarum, nec non flores ceraforum acidorum. *Morbi* his mensibus, præter *catarrhos frequentes* vix notabantur alii. *Martius*, qui insecutus est, fuit siccus, quandoque ventosus, pluvix, quæ oboriebantur, fuerunt temperatæ, fertiles. Hujus initium *phthisicis*, *hecticis*,

hydropicis valde fuit funestum. Circa *æquinoctium vernale* inceperunt copiosæ inter pueros grassari *febres continuæ*, ut plurimum *malignæ*, *petechiales*. Invaserunt illos levissimo rigore, lassitudine spontanea, succedente calore non adeo magno, subinde remittente, sed tertio aut quarto die vehementius recurrente, quo ut plurimum in conspectum venerunt exanthemata, deliria brevi post comparuerunt, in quibusdam vehementia, & quidem cum vigiliis, in quibusdam breviora, maculæ erant parvæ instar morsus pulicum. *Febres hæ epidemicæ diaphoreticis*, *præcipitantibus* & *confortantibus temperatis*, non *sudoriferis fortioribus*, tractatæ, nulli fuerunt funestæ, sed valde *contagiosæ*. In *adultioribus*, utpote viris, *maculas* ut plurimum observavimus *latas*, successerunt statim deliria, convulsiones, epilepsix, & his fere omnibus decima tertia dies

fuit exitialis. Duravit epidemica hæc lues in *Junium* usque, quæ sine dubio magnis siccitatibus cum Hippocr. 3. Aphor. 7. adscribenda. *Aprilis* plerumque fuit serenus, calidus, subinde ventosus, frigidus. Hunc excepit *Majus* frigore quidem moderato, sæpe tamen, præsertim *Borea* interspirante, rigidiusculo: fuit variabilis, nunc calidus, nunc turbidus, pluviosus, mox frigidus, ventosus, unde vitis justo tardius & inæqualiter gemmas suas protrudit. Frequentes hoc mense fuerunt *arthritides vagæ*, quæ solo reiterato *Laxantium*, minus *sudoriferorum*, usu tractari voluerunt. *Julius* fuit valde temperatus, calidus, ut & *Augustus*, si exceperis imbres & tonitrua horrendo fragore & fulguribus, in primis noctu, mense *Augusto* frequentia, & grandinibus insolitis, quæ aliquoties, præsertim die 12. 13. 18. promontoria nostra fere omnia, & quidem optima, valde destruxerunt remixta. Fructus omnes horæi valde fuere insipidi, humidi, & ad putredinem proclives. Unde frequentes habuimus *febres*, primo intuitu *continuas mentientes*, adhibita tamen *Venæ sectione* & *sudoriferis*, tertio & quarto die in *intermittentes tertianas* degenerantes, tandem *præcipitantibus* & *Laxativo* brevi consopitas. *September* comparuit uno alterove die serenus & amœnus, tertius & quartus serenum diei cœlum noctu tempestuoso tonitru & fulguribus terribilibus foedarunt. Sequentes dies mox sereni, mox turbidi, pluviosi, aliquando frigidi, in primis noctu, & notavimus circa festum *Matthæi* bis pruinas, sed planè innocuas. Hoc mense habuimus *Diar-*

rhœas, *dysenterias*, quibus adhibitis *rhabarbaro tosto cum myrobalanis*, & dein *adstringentibus ex corall. fl. ferr. cum mithridat.* cito medebamur. *Octobris* quatuor dies initiales fuerunt sereni, amœni, calidi, his quatri-duum successit frigidum, ventosum, imbricum, nivofum, autumnii præludium, octava mane gelu & pruina nocentissima folia ac uvas nondum maturas in omnibus fere promontoriis decoxerunt, & millena damna fecerunt. Jam remittere cœpit frigus, & cœlum ad aliquot dies inclaruit. Circa *medium mensis* fere octo turbidi, nebulosi, solis expertes, notabantur dies. Tandem circa 20. exortis ventis, nebulisque discussis cœli facies mutari cœpit, æstasque in autumno constans comparuit. Fuit enim ab hoc tempore usque ad sextum *Novembrem* serenitas, cum frigida tamen aura matutina. Septima tota die pluit, octava nix cecidit ingens; successit horridum gelu octiduum fere durans, quod & botros in copia adhuc in promontoriis existentes vix non in lapides convertit. *Medio Novembris* amœnior aura comparuit, caloreque fortiori nives uvæque glacie adstrictas solvit. Hoc tempore frequentes fuerunt *febres*, quæ nullum servarunt typum, quin potius *febres malignas mentitæ* sunt. Invaserunt cum horrore, caloribus primis diebus fere continuis, summo virium languore, capitis dolore, siti, oris amarore, siccitate linguæ. Adhibitis *Venæ sectione* & *sudoriferis blandis*, tertia vel quarta jam die terminarunt in *intermittentes*, quarum paroxysmos *arcano duplicato, sale Card. Ben. cort. chin. de chin.* ac tandem *levi laxativo* suppressimus. In his notatu dignum fuit,

fuit, quod, etiamsi valde post febres comederunt, vires tamen per longum temporis spatium recuperare nequiverint. His mensibus copiosè grassari cœperunt inter pueros & puellas *variolæ*, quæ observabantur modo *benignæ*, modo *malignæ*, confluentes, depressæ, adhibitis *blandis diaphoreticis*, sanguinem contemperantibus, v. gr. *pulv. alexit. C. C. philos. pulv. epilept. spec. de hyacinth. unicorn. mar.* aliquando, si exire noluerunt, addito *sale volat. C. C. nec non lap. bezoar*, nulli funestæ. Accuratam insuper symptomatum rationem habere debuimus. Sic accidit, ut puerulus V. annorum ex variolis malignis convalescens in *gingivis superioribus* repertaverit *ulcuscula*, quæ primo intuitu ab adstantibus pro *aphthis*, *Mundfâule*, judicata & tractata sunt, elapso 24. horarum spatio corrosivitate sua

magnæ jam maxillæ superioris & inferioris occuparunt partem cum summo foetore & nigredine, maximoque imminentis *sphaceli* periculo. Adhibuimus frequentiores *injectiones ex decoct. rad. aristoloch. iridis flor. mastiche, thure, mundificantia, balsamica, v. gr. elix. Propr. sine acido, bals. peruv.* quibus tandem corrosivitas, foetor, nigredo recessit, & puerulus pristinae sanitati restitutus est. Taceo *catarrhos, rheumatismos mense Novembri & Decembri* frequentes. Sine dubio morbi hi ut plurimum ex lymphâ à varia aëris anomalia, nec non erroribus diætæ, v. gr. fructibus horæis hoc anno valde putridis, ad viscedinem & spissitatem disposita, quæ in sanguine coacervata eundem in tumultuarios motus concitavit, deducendi.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anni 1703.

A Nni hujus principium aura temperiori, nivibus stipata illuxit, paulo post successit frigus intensum, quod brevi remisit, & in pluvias abiit. *Februario* gelu sæviit ingens, nivesque ceciderunt sæpissime, mox tamen accedente aura calidiuscula in liquorem solutæ. *Martius* comparuit caloribus anœnissimus, siccissimus, quandoque tamen interveniente Euro, rigidus. *Aprilis* simul præter morem siccus fuit. Habuimus his mensibus ventos vehementes, nives copiosas, quæ terram liquore balsamico sufficienter irrigare potuerunt. *Majus & Junius* fuere æstuosissimi cum paucissimis pluviis; unde uvæ circa festum Viti jam fere defloruerunt omnes. Hoc

femestri notavimus *febres continuas*, non adeò frequentes, nec malignas, sine dubio, ob vinum nimis leve ac tartareum, quod præterito crevit anno, diureticum, minus sanguinem accendens. *Variolas* habuimus in copia, modo *benignas*, plerumque *malignas*, sessiles, depressas, quæ tamen si rite *bezoardicis temperatis, expellentibus, confortantibus, v. gr. pulv. alexit. spec. de hyacinth. antimon. diaph. C. C. philos. præp. pulv. epilept. lap. bez. orient. unicorn. mar. mithridat. &c.* tractatæ sunt, paucissimis, imo fere nullis funestæ. Et licet plurima tum temporis conspicerentur puerilia funera, causa tamen mortis magis adstantium incuriæ & negligentiæ,

tiæ, aut medicastroorum præposteræ ac perversæ curæ & imperitiæ, quàm malignitati adscribenda. Notatu dignum fuit, me his temporibus inter alios habuisse Comitissam valde sanguineam, corpulentam, jam fere quadragenariam, variolis correptam. Huic sub prima morbi invasione, quæ erat cum rigore, caloribus, cordis compressione, virium languore &c. curavi aperiri *medianam*, præscripsi *bezoardicos expellentes pulveres* more solito, *pulv. alexit. C. C. philos. lap. bez. orient. unicorn. mar. &c.* & ecce præter omnium expectationem tertia & quarta die erupere per totum corpus *variolæ* copiosissimæ, sexta accessit *immodicus mensium fluxus* ad instar puerperæ, retrocesserunt illico variolæ, quæ absque hoc fuere depressæ, sessiles, confluentes, verbo, pessimi moris. Mutavi medicamenta, dedi frequenter *spec. de hyacinth. corall. rubr. terr. sigill. mithridat. mag. smaragd. pulv. epilept. M.* non omittis *confortantibus*. Fluxus hic immoderatus continuavit octiduum, nec *stypticis* sisti potuit: durante fluxu variolæ non creverunt, nec ad maturitatem tendere voluerunt, sed confluxerunt, majoraque conciliarunt symptomata, etiam si *expellentia, bezoardica, antepileptica stypticis* semper consideratissimè miscuerimus; octiduo elapso fluxuque cohibito tandem parvulæ hæ variolæ, non fastigiatæ, maturitatem receperunt, symptomata remiserunt, & Illustrissima Comitissa à varioloso hoc affectu, periculi pleno, præter omnium opinionem ac spem, liberata est. Variolæ hæ permultorum oculis valde fuerunt infestæ, & modo *inflammationem* reliquerunt *pertinacem*, modo *humorem deposuerunt con-*

tumicem, ac coagulationi vel condensationi aptum. Priori feliciter medebamur *aquis ophthalmicis ex aqu. plantag. rosar. chelid. tut. præp. sacch. saturn.* posteriori inflatione *pulveris subtilissimi ex sacch. canariens. antim. crud. lap. scissil. præp. perl. præp. & si opus fuit, Vesicatoriis.* His mensibus varios atque diversos notavimus *hæmoptoicos*, tam senes, quàm juvenes; in quibusdam enim sanguinis *ἄσπῶς καὶ βυζίως* ad aliquot libras *sine ulla prægressa tussi* excretus est, & in his fere nulla adfuit irritatio, sed sanguis floridus lubricavit sibi ipsi viam, & unica irruptione extravasatus per os affectavit exitum; in quibusdam *quasi extusis* sanguis pedetentim rejectus est, in his sine dubio vasa pulmonum fuerunt erosa, & salinæ particulæ massæ sanguinæ inexistentes teneras pulmonum vesiculas stimularunt, inde irritatione facta tussis producta fuit cruenta. His feliciter subvenimus *Venæsectione & medicamentis adstringentibus ex compos. sperniol. Cr. lap. hæmatit. ocul. cancr. trochisc. de spod. de carabe*, addito *laudano de tribus* in refracta dosi. Si sanguis fuit sedatus, ordinavi *pectoralia traumatica cum resolventibus mixta, v. g. elix. pectorale cum ess. traumatica*, nec non *decocta pectoralia ex fl. & fruct. pectoral. usitat.* item *gelatinam pectoralem ex rasur. C. C. ebor. cum herbis pectoralibus* factam, it. *decocta ex herb. alchymill. scabios. pyrol. sanicul. millesol. tussilag. pulmonar. heder. terrestr. rad. tormentill. sem. anis. fœnic. rad. chin. &c.* Mense Junio ex caloribus insolitis, nec non ingurgitatione aquæ frequenti adultiores æquè ac juvenes reportarunt *febres tertianas* frequentes,

quentes, sed sumtis salibus absinth. centaur. min. card. ben. cort. peruv. ac tandem purgante brevi curatas. Julius non tam amœnus & serenus fuit, quàm pluviosus, nocte dieque frigidus, ventis summe molestus, qui in primis à die quarto ad octavum valde sævierunt, & frumento, quod violentia sua excusserunt, quam maximū intulerunt damnum; circa 24. ad finem usque calidissimi notabantur dies. Augustus incepit cum frigore, pluviis, quæ hoc mense fuerunt copiosæ, flante tamen austro subs alternavit dies, fuitque variabilis & inconstans. September extitit serenissimus, amœnissimus cum insolito aëris fervore, quandoque pluviis intemperiem solis contemperantibus atque terram irrigantibus. Octobris primi octo dies fuerunt pluviosi, frigidi simul, hoc tamen non obstante, tertia & sexta die observavimus tonitrua & fulgura, elapso octiduo cessarunt pluvix, & subsolanus superveniens radius solaribus non solum terram madidam siccavit, sed & botros à nimis pluviis jam putrefactos valdè exsiccavit, illosque in pulveres fere redegit. Toto Novembris, nec non Decembris mense cœli temperies notabatur placidissima, ut credidisses vernali adesse tempus. Circa natalitia intensum frigus ingruit, terraque congelavit. Frequentes hoc semestre biliosas notavimus febres, quæ cum rigore, mox caloribus, vomitibus, præcordiorum angustiis pueros æquè ac adultos invaserunt, primoque intuitu continuas mentitæ sunt. Duravit calor ut plurimum 40. horas cum dolore capitis, siti vehementi, ariditate linguæ ac faucium, adhibitis verò Venæ sectione, diaphoreticis, remisit,

& in ordinariam tertianam cum apyrexia degeneravit, atque antifebrilibus salibus, nec non chinatis rite tractata sexto paroxysmo cessavit. Memini, me plurimos habuisse, qui octavum sustinuerunt paroxysmum, & hi ex febre reportarunt icterum. Calor hic non adeo flavus, sed saturior & fuscus fuit, sine dubio à particulis acribus, biliosis, sulphureis, quæ copiosius in sanguine collectæ tandem in habitum corporis sese diffuderunt, cutemque deturpato imbuerunt colore. Alvus in his omnibus sufficienter suoungebatur officio, porum choledochum in duodeni & jejuni confinio non fuisse obstructum. His feliciter, & quidem intra paucos dies medebamur pulveribus ex sale cichor. arcan. dupl. aut tartar. Vitriolat. spir. salis coagulat. pulv. hepat. additis nonnunquam aliquot granis diagryd. sulphurati. Verissimum itaque est Dioclis monitum, notante Celso, prodesse nempe icterum, si post febrem oritur. His temporibus aliquos notavi cachecticos, nec non hydropicos, qui in icterum flavum inciderunt, quorum superiora corporis marcescebant, & mirum in modum flavescebant, tumentibus interim inferioribus & abdomine. Vesiculæ in horum pedibus obortæ stillabant liquorem summè croceum. Causa sine dubio salibus lixiviosis sulphur sanguinis ita modificantibus adscribenda. Cura ad tenacissimas obstructions tartareas, & dyscrasiam viscerum dirigi debuit, & profuerunt in specie martialia, pulvis cachecticus, Tinctura mart. aperit. Myns. spir. aperit. Penot. Purgantia singulo octiduo semel exhiberi debuerunt, v. gr. Recip. pulv. rhabarb. ℞. gialap. ℞. ☉ absinth. gr. vij. g. g. Pp 3 gr. ij.

gr. ij. ol. mac. gtt. j. M. Quod si venter à laxantibus observabatur detumescere, bis cum successu singula hebdomada pro exigentia symptomatum & ratione virium propinari potuerunt; sin tumor post purgantium usum in eodem statu mansit, aut infirmus naturæ ductu frequentes dejectiones sine alleviatione habuit, abstinendum fuit à purgantibus. Diuretica in his casibus aliàs omnem absolvere videntur paginam, hic tamen cum summo iudicio & discrimine adhiberi debuerunt, & si unquam, certè hic, urinæ status probe considerandus fuit. Urina enim cruda, alba, tenuis testabatur de sanguinis textura valde laxa, & hæc pro medela requirebat *salia lixiviosa*, utpote *sal. stipit. fabar. ononid. junip. ebul. ab-*

sinth. tart. vitriolat. spir. sal. coagul. &c. Urina rubra docuit sanguinis texturam esse valde strictam, atque abundare salibus lixiviosis, unde præscribi debuerunt *salia volatilia*, v. gr. *succin. ⊖ volat. tartar. bufon. lumbric. terrestr.* in primis *amara*, decoctum ex herbis, *absinth. mij. eupator. mar. ā ʒβ. bacc. junip. mj. rhapont. ver. ʒβ. m. pro infuso &c.* Scroto tumentum maximè profuit decoctum ex *fol. rut. absinth. menth. mil. cumin. cum vino factum*, & cum spongia calidè applicatum. Febres *pe-techiales*, quæ observabantur, fuerunt valde benignæ. Alias, præter morbos ordinarios, *catarrhos nempe, tusses, raucedines &c.* nil memoratu dignum occurrit.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anni 1704.

Januarius ineuntis hujus anni totus fuit valde frigidus, nivofus; Februarius è diverso præter morem temperatus, ut plurimum serenus, aliquando pluviosus, aliquando ventosus, quandoque nivofus. Martius incepit cum intenso frigore, solis tamen splendore atque serenitate temperato, quinta nix cecidit copiosa, quæ sexta jam in liquorem abiit, septima supervenit tempestas tumultuaria, valde nivosa, octava dies fugatis nubibus purgatoque aëre mira illuxit serenitate, quæ tempestas pulcherrima, ventis mitioribus remixta, sicca, non solum ad æquinoctium vernale duravit, sed & uno quasi tenore in Aprilem usque continuavit. Imo Aprilis sua natura aliàs variabilis, hoc anno fuit amœnissimus, serenus, siccus, absque pluviis fere, cum caloribus ad

finem usque prope æstivis: die 27. tonitrua & fulgura ingentia cum pluviis habuimus, sol tamen nubila mox serenavit, unde arbores justo citius folia & flores emisserunt suos. Tertia mensis Maii dies incepit cum pluviis, quas secuta sunt frigora, & quinta pruina matutina, quæ vineis nostris maximum damnum intulit, aliàs totus mensis fuit serenus, calidus, siccus, ventosus. Successit Junius serenissimus, siccissimus, pluviarum expers, ventis tamen mixtus. His mensibus, in primis superioribus, Morbona æquè ac Bellona apud nos valde sæviit. Hungari quippe à Nostris deditionem civitatis sollicitantes, sed repulsam reportantes rabie velut accensi hinc inde discurrerunt, nobisque excidium minati sunt. Civitatem d. 18. Febr. è longinquo obsidione cinxerunt, eam tamen su-

perve-

pervenientibus adversis cœli tempestatibus, nivibus nempe & ventis insolitis, intra biduum solvere coacti sunt, interim IX. septimanis nos undique tenuerunt conclusos; ut nullus exire ausus fuerit. Milites Cæsarei frigoribus & militaribus laboribus, inprimis tristi esuritione & aquæ potu valde hæctenus debilitati, huc tandem in defensionem civitatis dispositi ad novi defuetique cibi ac vini copiam, quæ miseris nostri largè obtulerunt, gravati in periculosos inciderunt *morbos, castrensibus non absimiles*. Conquesti sunt de *languore totius corporis, nausea, stomachi gravedine, caloribus, siti, dolore capitis, vigiliis*, accesserunt *deliria*, aliquando *alvi fluxus*, non nunquam *petechiæ*. *Venæ sectio* prima aut altera die instituta, nec non *sudorifera ex spec. de hyacinth. C. C. philos. lap. cancr. antim. diaph. &c.* sæpe in herba suppresserunt malum, unde ægri intra quatrimum convaluerunt. *Purgantia & Vomitoria*, etiam in principio adhibita, non conduxerunt, morbum potius exasperarunt, & malignitatem latentem evocarunt, quam tandem *expellentia*, inprimis *mithridatium cum confect. alkerm. & confortantia* diu continuata sustulerunt. Qui methodo ordinaria fuerunt tractati, evaserunt omnes periculum; qui autem citius justo nosocomiis valedixerunt, etiã si ferè nullos in diætâ errores commiserunt, ut plurimum in priorẽ morbum reciderunt. Inter hos unus *febre maligna* laborans ex delirio furibundus profiliit è lecto, & per fenestram secundæ contignationis sat altæ in fluentum præcipitem sese dedit, in aqua hinc inde discurret, defatigatus tandem, & exanimis fere in lectum de-

portatus, adhibitis *alexipharmacis, sudoriferis, confortantibus* convaluit. *Morbus hic epidemicus* à victu profectus primo mense militibus gregariis inhæsit, brevi post cives, qui curis, laboribus, frigoribus, excubiis diurnis & nocturnis infuetis defatigati vino hono, generosissimo, dulci, etiam nocturno tẽpore præter morẽ indulserunt, invasit, atque in *febres malignas petechiales* degeneravit. Sanguis quippe una cum reliquis humoribus ex erratis vitiosam diathesin nactus facillimè malignitatem concipere potuit. Inceperunt *in mense Februario* cum languore summo, calore moderato, qui in dies crevit, vigiliis, siti intensa, aliisque febrium comitibus symptomatibus. In his si exanthemata prodierunt die quarta, evaserunt omnes ritè tractati periculum die XV. secus si maculæ in conspectum venerunt die septima: infirmi enim periculosissimè tunc temporis decubuerunt, & 21. demum die mortis periculo liberati sunt. *Mense Februario* valde *benignæ* fuerunt *petechiæ*, *Martio* pejores, *Aprili* pessimæ. Observavi in quodã juvene sat robusto petechiis laborante, *pustulas XIV.* morbi die exeuntes *pellucas*, ceu *crystallinas*, partim *milii seminis*, partim *lentis*, imo multas *pisi* magnitudine hinc inde per totum corpus diffeminatas, in dorso verò numerosissimas, *aqua plenas*, summè *malignas*; intendebatur enim febris cum anxietatibus, cordis compressionibus, convulsionibus; albescere tandem hæ vesiculæ & suppurare cœperunt, hinc exsiccatæ jam exaruerunt, & squamatim circa 21. diem deciderunt, quo tempore pauperculus morti jam vicinus, præter omnem spem feliciter enavigavit

vit periculossimam hanc charybdim. In *fœminis* semper notavi *mensium fluxum*, aliquando *diarrhæam* simul, quæ omnibus fuit *funesta*. *Deliria præmatura* fuerunt *exitiosa*. Sic robustus quidam Vir 45. annorum, quinta morbi die incepit delirare, sexta est mortuus; & *fœmina* triginta annorum similiter robusta tertia die delirans, quarta est mortua. Horum sanguis prima & secunda morbi die *Venæ sectione* extractus exhibuit in superficie pituitam densissimam instar crustæ vix separabilem, & croco quasi tinctam; brevi ante mortem bilis utrinque sese diffudit in totum corporis habitum; singula mortis prænuntia. In *febris* hisce *malignis* frequens fuit *attritio* aut *excoriatio in natibus*, non solum à longiori decubitu, quin potius à sanguine suo modo malignitate corrupto deducenda, qui qua data porta, sarcinam suam deponendam & excernendam quæsiuit. Latuit autem ut plurimum *gangræna* & *sphacelus*, caroque tandem adhibitis adhibendis, v. gr. *unguent. ægyptiac.* ad os usque excidit cum ægrorum levamine. *Mense Februario morbilli* epidemicè grassari cœperunt, qui tamen ex methodo tractati *benigni* fuerunt, *instante æquinoctio verno* indies magis invaluerunt, & invaserunt infantes æquè ac adultos, & puerperas, cum horrore, caloribus summis, sibilicidie lachrymarum copioso, mordaci, oculorum rubore ac tumore, cum tussi ferina, gravitate & compressione pectoris, maculæ effloruerunt ut plurimum secunda morbi die, aliquando quarta, quandoque septima, & persisterunt quatuor aut quinque dies. Observavi hoc tempore *morbillo- rum tres species, maculas nempe latas,*

rubras, sine pustulis, adeoque non elevatas, neque superficiem cutis superantes; altera species cutim solum transparuit, & hæ duæ species inadvertenter evanuerunt, quas vulgus retrocessisse putabat; tertia prodiit cum maculis parvis, rubris, quæ in dies auctæ, & supra cutis superficiem modicum elevatæ racematim coaluerunt, quarumque protuberantia, digito leviter admoto, tactu percipi potuit; post quinque dies, morbo jam remittente, maculæ per totum corpus latissimæ & maximè rubentes evanuerunt, atque squamularum forma deciderunt, cute farina quasi conspersa relicta. *Morbilli* quò citius prodierunt, eò benigniores, quò tardius, eo peiores fuerunt. Incessit sæpè hic morbus sub vario schemate, vario stipatus satellitio. Sic *mense Aprili* ad puerperam vocatus deprehendi *morbillos* copiosissimos, protuberantes, quibus interspersæ fuerunt *maculæ petechiales*, deliravit valde, imo tubarum in vicinia inflatarum cantus & pulsati tympani sonos, inter difficultates somni perphantasiam oblatos articulatè imitata fuit, frequenter risit, convulsa & aphona tandem jacuit, neminem novit, 15. tamen morbi die, adhibitis *expellentibus alexipharmacis temperatis, cordialibus*, ad se rediit, atque debellatis symptomatibus gravissimis convaluit. Eodem tempore gratiosam habui puellam 6. annorum, *variolis veris* laborantem, supervenerunt nona morbi die, variolis necdum in statu constitutis, *morbilli* copiosi, gravissimè inde decubuit; sed ex duplici hoc morbo feliciter emerfit. Verissimum igitur est Axioma medicum: Qualis humor effervescit in corpore, talis

alis efflorescit in cute. *Morbilli* hi, si perite *expellentibus*, v. gr. *pulv. alexit. de hyacinth. lap. bez. orient. pulv. epilept. C. C. philos. antim. diaph. unicorn. mar. cum pectoralibus & confortantibus* mixtis, nec non servato simul idoneo diætæ calorisque temperamento, tractati sunt, omni vacarunt periculo, neminique fuerunt funesti; neglecta autem, aut præpostera vel perversa morbillorum cura, aut præmatura, superatis jam morbillis, aëris mutatio, vel inordinata rerum non naturalium diætæ, præcipitavit quam plurimos in *tussim ferinam, febrem continuam, respirationem difficilem, pectoris compressionem, catarrhum* ita dictum *suffocativum, lethalem*. Mense *Mai*o & *Junio* continuarunt adhuc *morbilli, febres continuæ, tertianæ intermittentes, variolæ*, quæ *sporadicè* hinc inde vagatæ sunt, sed fuerunt sine malignitate, adeoque convenienter tractatæ facillè curabiles. *Julius* fuit amœnissimus, sed cum summis caloribus, quarta coorta est gravissima tempestas cum frequentissimis tonitribus, flammarumque fulgoribus, nec non grandinibus insolitis, quæ in civitate ut plurimum magnitudine juglandis, imò ovi gallinacei, prægresso iembre, ceciderunt, ad vineas tamen sparsim venerunt, adeoque illis exiguum intulerunt damnum. Sub initium *Augusti* remiserunt calores, sed sexta audiebantur tonitrua terribilia, grandines cadebant insolitæ, copiosissimæ, quæ in optimis nostris promontoriis & vites & uvas prorsus destruxerunt. Jam successerunt æstuosissima tempora, quæ vix sustinere potui-

mus, neque spirarunt etesiæ, nullæ fuerunt pluviae, quæ fervorem solis contemperassent, imò eadem aëris constitutio erat in *Septembri, Octobri* nec non *Novembri*, ut credidisses, autumnum in æstatem fuisse conversum; habuimus quoque d. 25. *Septembris* vesperi tonitrua & fulgura sufficientia, unde in residuis promontoriis, quæ à grandine intacta manserunt, generosum crevit vinum, imò generosius crevisset, si nobis ob metum tumultuantium Hungarorum serius vindemiare licuisset. Finitis enim jam vindemiis æstuosa & sicca adhuc continuarunt tempora, sine ullis ferè pluviis. Sub finem *Novembris* & initium *Decembris* nives deciderunt paucæ, & moderata subsecuta sunt frigora. Mensibus æstivis, *Julio* nempe & *Augusto*, existente cœlo maximè æstuoso, *diarrhææ & dysenteriae* satis fuerunt frequentes, & magis pueros adultiores, senes, minùs infantes sporadicè afflixerunt. Præcessit diarrhœa cum ciborum fastidio, languore totius corporis, siti, dejectionibus copiosissimis, serosis, ut plurimum biliosis, viscosis nec non pituitosis, valdè foetidis, mox insecuta est dysenteria cum dejectionibus cruentis & purulentis, numerosis ad 70. 80. intra diem & noctem, aliquando velut momentaneis, ut miseri vix sellam foricariam deserere potuerint, & circa noctem cum majori exacerbatione, ut plurimum caloribus; quamvis non adeo urentibus, pulsu celeri, siti, inquietudine, acuto intestinorum & ani dolore, inani, licet frequenti, desidendi cupiditate, præcordiorum anxietate, vigiliis; in progressu morbi blanda ac-

cesserunt deliria, non sine malignitatis nota. Quamdiu sanguis cum materia biliosa, mucosa, purulenta & saniosa, aliquando cum strigmentis & ramentis ex vit, tamdiu de vehementibus torminibus & doloribus conquesti sunt. *Dejectiones nigrae, fetidae* in morbi statu, majoris corruptionis denotarunt gradum, indicio manifesto, imminere jam *gangrænam* & brevi *sphacelum*, unde in illis dysenteria antea cruenta & torminosa jam observabatur fere indolens, pulsus quasi nullus, extrema frigidissima, sudore copiosissimo resolutivo frigido perfusa. Refrigerationem hanc infirmi non percipiebant, quin potius de calore interno & siti conquesti sunt, imò manibus glaciei instar frigidissimis res aut loco frigida capeffere desiderarunt; & hi omnes, salvis tamen sensibus motuque membrorum illæso, elapsis ut plurimum 48. horis, mortui sunt. Causa hujus affectus adscribenda fuit partim copiosis fructibus horæis, acido-aqueo acri fermentifico foetis, partim caloribus ferventissimis, bile inde acriori limphaque acidiori & quasi corrosiva reddita. Succus nempe eminenter acres, mordaces neftendo in intestinis diutius, quam par est, moram, primo absterferunt intestinorum mucum, deinde illorum crustam villosam, sive velamentum bombycinum simul abraferunt, & altius penetrando ipsas glandulas eroserunt, atque ulcus, vel quasi tale, instar vesificantium, induxerunt; inde membranis intestinorum sensim sensimque à sale corrosivo erosio vasorumque osculis referatis, non solum sanguis frequenter stillavit, sed & tristissimus

doloris sensus accessit, imò spasmodica vellicatio, qua intestina spasmodicam quodam irritata motu quasi vermiculari dolorificè sese torserunt, unde non mirum, successisse tandem *inflammationem*, *gangrænam* ipsam nec non *lethalem sphacelum*. Quò enim major acrimonia, eò major spasmodica fibrarum nervearum irritatio, major fermentifica humorum fusio, glandularum, ductuum & vasorum intestinalium eliquatio, nec non cruoris simul cum plexibus glandulosi ac reliquis intestinorum contentis excretio. Profuerunt sub initium morbi, non obstantibus torminibus & supervacaneis excretionibus, humores acres *diluentia*, & *leviter Evacuantia*, ut potè *aqua Laxativa cum aqua cinnamomi*, in primis *rhabarbarum tostum*, quod blandè laxando simul ob partes terreas admixtas adstringere, & leniter roborare solet, cum *myrobalanis* & *elaosacch. cinnamomi* propinata, nec non *clysteres abstersivi ex spec. emoll. hord. vitello ovi, conf. rosar. lacte*, aliquoties adhibiti. His præmissis statim deveniendum fuit ad *incrassantia demulcentia*, *adstringentia cum anodynis* mixta, unde singulis quatuor aut quinque horis exhibui pulverem sequentem: *℥. Corall. rubr. præp. ℥ss. lap. hæmatit. terr. Japon. an. gr. viij. theriac. cæl. gr. iij. laud. de trib. gr. s. M. mutatis tamen mutandis, addidi sæpè terr. sigillat. fi. ferr. bol. armen. pulv. stypt. Cr. smaragd. præpar. crystall. mont. pulv. dysenter. Crat. ex tragacanth. gumm. arab. & corall. constantem, nuc. mosch. &c.* in primis, ubi calores fuerunt

runt ingentes, compos. sperniol. Cr. spec. de gemm. frig. unicorn. mar. spec. de hyacinth. &c. imò moderanda fuerunt medicamenta ad ipsius excretionis, malignitatis & virium modulum. Sæpè videbatur jam alvus adstricta, morbusque sublatus, brevi tamen malum recruduit, & exivit iterum aliquando cum, aliquando sine cruore materia mucosa in minima quantitate cum summis torminibus alvum ad excretionem stimulans; adhibitis autem frequentioribus clysteriis ex decoct. hord. cum capit. vervecin. nec non continuatis pulveribus adstringentibus, ex toto cessavit. Tandem, ne propter derafos plexus ilei glandulosos fluxus alvi coeliaco non absimilis remaneat, ordinavi summo cum effectu balsamica, stomachica, bals. peruv. opobals. Tinct. corall. elix. Vitriol. M. pulv. stomach. elect. diacinam. Reg. nuc. in Ind. condit. Et sic dysenterici intra tres septimanas ex integro restituti sunt, quo usque etiam à vino abstinere debuerunt, contenti aqua cocta ex rad. tormentill. ras. C. C. ebor. mastich. &c. Quos invasit cum vomitu, hi pessimè decubuerunt, & vix servati sunt, optimè autem ipsis profuit balsamum peruvian. nec non opobalsamum cum corall. rubr. exhibitum. Adstringentia, sine præviis blandis Laxantibus, in initio & progressu morbi adhibita protraxerunt morbum, tormina exacerbarunt, & post se ut plurimum febres, arthritides, pedum tumores, lenterias reliquerunt. Opiata hic ferè omnem absolverunt paginam, imò fateri debeo, me e re nullum dysentericum sine frequen-

tiori exhibitione laud. de trib. commodè restituere potuisse; exhiberi autem debuit, antequam dysenteria fuit consummata & planè ulcerosa, aut vasa majuscula exesa, aut sensus doloris jam periit. Mense Augusto frequentes habuimus rheumatismos ad brachia, scapulas, femora, lumbos, coxas productos, sine ulla rubedine, multo minùs tumore, non tam articulis, quàm musculorum interstitiis firmissimè & diutissimè inhærentes, cum motus impotentia, doloribus lancinantibus, profundis, fixis, qui noctu exacerbati somnum impediverunt: infirmi enim loco moveri nequiverunt, & quo statu ferè primo jacuerunt ac decubuerunt, in eodem manere debuerunt, & sine cruciatu ac vehementi dolore vix moveri aut attingi potuerunt; adfuit simul tensio & calor acriusculi sensatio cum pulsu frequenti. Vulgus hunc affectum nominare solet *delapsum catarrhorum à capite, es ist ein Fluss im Arm oder Fuhs gefallen*. Statuendum potius rheumatismum provenire à sero aut lymphâ acriori, flatulenta, retrogrado motu impedito, in specialem aliquam membranofam, tendinosam, nerveam & musculofam partem delabente, ibique stasin patiente, & partes fibrosas, nerveas tendente, easque tristi sensu vellicante. Arthritis Vaga hoc anno frequens fuit. Invasit homines prævio horrore instar febris, membranofas ac musculofas articulorum partes dolore, rubore, tumore & movendi impotentia corripuit, vagabunda fuit & ambulatoria, modo hanc, modo illam invasit partem, nulla tamen loco ul-

tra 48. horas fixa mansit, remissionem sæpe, relicto solum tumore, simulavit, at opinione citius, imo vehementius rediit, & priorem locum occupavit, imo memoratu digna in plerisque fuit paroxysmorum invasio dolorumque motus, dum quo tempore humerum, carpum aut digitos dextræ manus, eodem tempore & genua sinistri pedis; & quo tempore sinistri brachii, eodem dextræ pedis partes singulari alternatione & saltu dolorifico infestavit. Similiter hinc peccavit serum, sive lymphæ acido-acris, sed sale volatili intimius foeta, quæ ad periostrium, sive sensibilissimas articulorum mobilium membranas detrusa, eas distendit, vellit, ibique sicuti spina infixæ sævit. Cura *arthritidis Vagæ & rheumatismi* una eademque fuit. *Venæ sectio*, nisi adfuit magna febrilis alteratio, intensior arteriarum pulsus, nec non præcordiorum compressio, nil profuit, vires potius abstulit. *Purgationes*, utpote turbationes & colliquationes liquorum naturalium exasperarunt magis malum; reiteratus autem *enematum*, in primis *laxantium*, usus, v. gr. *Rec. pulv. hepat. ðß. sal. cichor. acetosell. ā. gr. v. diagryd. sulphurat. gr. vj. fecul. ari gr. iv. M. aut decoctum ex fol. sen. S. S. ʒiß. rhabarb. ʒj. crem. tartar. in aqu. cichor. infus.* addita manna & aqua cinnam. summopere profuit, in primis si vespertino tempore *pulvis confortans* sequens exhibitus fuit: *Recip. pulv. analept. ðß. epilept. gr. viij. lap. cancr. præp. gr. vij. laud. de trib. gr. ʒ. M.* *Opiatorum* enim vires hinc summè deprecandæ sunt, morbi quidem causam non tollunt, somnum tamen conci-

liant & dolores mitigant: non autem necessum fuit singulis diebus *opiatis & laxantibus* uti, dirigi & moderari potius pro re nata morbique indole debuit cura. Ab usu *sudoriferorum* nunquam felicem vidi successum. Post inunctionem *spirituosorum*, v. gr. *spir. vin. camph. formic. sal. armoniac. junip. lumbric. &c.* semper notavi dolores osteocopos, adeoque abstinendum fuit à *spirituosis*, nec non *unguinosis*, *emplasticis*. Optimè autem, in primis sub finem morbi, profuerunt *Thermæ Badenses*, aut *balnea acidularum*, imo in ipso morbo *balnea ex aqua dulci cum hordeo* parata. Atque hac methodo tractati felicissimè intra 20. aut ad summum, si copia peccavit materia, 40. dies restituti sunt. *Febres* his temporibus habuimus frequentes, quæ ut ut prima die tragœdiam à pandiculatione, oscitatione, languore, frigore, mox calore satis intenso auspicate sunt, cum subsequente secunda die apyrexia, speciem *intermittentis* simulante; supervenientes tamen paroxysmi, qui fuerunt cum languore, pulsu magno, exacerbatione caloris aliorumque symptomatum, confirmarunt intermissionem illam fuisse dolosam, & latuisse sub hoc cinere ignem *continuarum febrium*, nec non *malignitatem* ipsam. Ex post enim videbantur quandoque, in primis manè, remittere calores, nunquam autem intermiserunt. Crescente morbo, creverunt symptomata, imò convulsiones in statu morbi notavi frequentes. *Deliria serotina*, v. gr. die II. 12. supervenientia semper fuerunt *exitiosa*. *Febres hæc* more *continuarum*.

Venæ sectione in principio, *diaphoreticis*, *bezoardicis*, *confortantibus* tractari debuerunt. *Ultimis* tribus

mensibus, præter *febres tertianas*, *quartanas*, *catarrhos*, vix alii notabiles occurrerunt morbi.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1705.

Quò clementior anno præterito fuit aëris constitutio, eò rigidior sub ingressum anni 1705. comparuit cœli temperies. *Januarius* quippe incepit gelu congelare aquas, imò continuavit frigus toto hoc mense sine remissione, nives ceciderunt paucae, & spirans Euronotus induxit siccitatem. Nec mitior fuit *Februarius*, quin frigore & gelu longè rigidior, sine ullis nivibus. *Martius* illuxit gratiosa serenitate, & exoptato calore, sed quinta nives ceciderunt magnæ, sexta frigus, quod ad 12. usque duravit diem; circa æquinoctium vernale, spirante aëre meridionali, frequentiores habuimus pluvias, fructiferas, quas serena, calida mox infecuta sunt tempora, adeòque *Martius* ut plurimum siccus extitit. *Aprilis* varias sustinuit ventorum mutationes, & frequentiores, vix non quotidianas, in primis circa finem, pluvias, oblectamenta vernalia inhibentes; imò & *Maius* fuit valdè inamœnus, frigidus totus, excepto uno aut altero die, pluviosus. Continuavit pluviosa & frigida hæc aëris constitutio ultra medium Junii: unde non mirum, uvas circa festum Viti nec dum florere incepisse. Circa solstitium æstivum temperatior aura & calores desiderati demum redierunt. Morbi, qui in hoc semestri inciderunt, erant varii. In *Januario* & *Februario* continuarunt febres quartanæ,

quæ tamen, uno vel altero *Laxativo* adhibito, nec non *chinatis medicamentis cum arcano duplicato*, præter morem ut plurimum superari potuerunt, neque ullam labem post se reliquerunt. Frequentes erant *rheumatismi in pedibus, manibus, scapulis, lumbis*, cum dolore acerbo, sine inflammatione, sine tumore; hi *diaphoretica* sustinere non potuerunt, sed solis *temperatioribus cholagogis*, v. gr. *infusis ex manna, fol. senn. tartaro, cum aqu. cichor. &c. clysteribus, præcipitantibus*, nec non *balneis hordeaceis*; & pro re nata in summa dolorum exacerbatione, *grano dimidio laudani de tribus*, tractari voluerunt. *Catarrhos* habuimus copiosos, qui in febres degenerarunt continuas, non adeò funestas. Servati enim omnes sunt, qui statim ab initio adhibuerunt *Alexipharmaca*, eaque continuarunt. Mense *Februario* jam inceperunt febres *petechiales*, quæ *pleuritides* ab initio mentitæ sunt, inceperunt cum horrore levi; febre lenta, tussi sicca, dolore in pectoris regione, ad scapulas, claviculas ascendente, cum molestia ægri, si in partem sanam decumbere voluit; assumtis autem *sudoriferis* evanuerunt dolores, & quarta, imò in plerisque septima demum eruperunt maculæ. In aliis simularunt febres *intermittentes*. Sic in *Virgine* qua-

dam XVI. annorum, sanguineo-phlegmatica, tunc temporis ordinario mensium fluxu laborante, notavi tres paroxysmos, more *febris quotidianæ intermittentis*, mane cum horripilatione, subsequo calore, circa vesperum intermittente, dolore capitis gravativo, siti, lassitudine &c. quotidie recurrentes, quarto *calores continuos*, prioribus longè intensiores, nec non eruptionem macularum, septima hæmorrhagiam narium sat largam, decima deliria blanda, manuum tremores, linguæ ac faucium ariditatem molestantam, 12. 13. novam copiosorum exanthematum, prioribus jam evanescentibus, eruptionem; & ecce 16. morbi die, non obstante hæmorrhagia, quæ ex alleviatione morbi judicabatur critica, septimâ oborta, obiit. Maximam *malignitatem* exanthematica hæc febris in recessu gessit mense *Martio, Aprili*. Incepit cum horripilatione, calor in sanguineo-phlegmaticis, quorum sanguis sero viscido abundat, mitis, sed subdulus; in sanguineis intensior; adfuit languor totius corporis, mox subita virium prostratio, membris quasi lassitudine fractis, aut contusis, sitis non adeo magna, nausea, vomitus, pulsus naturali ferè similis, unde magis de languore, quàm calore, conquesti sunt; sexta aut septima æstus invaluit, atque malignitatem suam sequentibus diebus prodidit, supervenientibus gravioribus symptomatibus, ut potè exanthematum eruptione, cardialgia, pulsu celeri, frequenti, vigiliis, vehementissimis capitis doloribus, deliriis, motibus convulsivis, lin-

guæ ariditate & fissuris &c. *Venesectiones* prima aut altera die institutæ, nec non repetitæ, valdè profuerunt, serotinæ omnes nocuerunt. *Laxativa*, etiam sub initium morbi exhibita, rejicienda fuerunt, & memini in his *exanthemata longè latiora* prodiisse, quàm in aliis, eosque gravissimis symptomatibus, *tremoribus* nempe *totius corporis*, *deliriis furiosis*, tandem *aphonia*, *convulsionibus epilepticis*, tentatos fuisse, omnesque fatis occubuisse: *clysteriis ex humectantibus & emollientibus* confectis, nec non *suppositoriis* alvum adstrictam commodissimè referare potuimus. Cura methodica maximè dirigi debuit ad vires, quæ conservari, ad humorum fervorem, qui contemperrari, ad malignitatem, quæ corrigi debuerunt. Præstitimus hoc *blandis diaphoreticis, bezoardicis, cordialibus*, v. gr. *pulv. alexit. spec. de hyacinth. C. C. philos. pulv. analept. epilept. lap. bezoard. orient. antimon. diaphor. unicorn. mar. conf. alkerm. mag. perlar. orient. &c.* exhibito singulo octidhorio pulvere uno, aut potiuncula. Sic corpus mansit perspirabile, sanguini sua constitit systasis & crasis, atque malignitas exuperata fuit. *A medicamentis spirituosiss, volatilibus, bezoardicis fortioribus, calidis*, quæ in hoc casu magis obfuisse, quàm profuisse, jam à longo tempore in his calidis oris expertus sum, studio abstinui. Vinum omnibus interdixi, *aquam solam ex rad. scorz. ras. C. C. ebor. sem. anis. &c.* concedens. Acutissimos capitis dolores *Vesicatoria* nuchæ appo-

apposita suffulerunt. Sæviit vehementer hic morbus æquè in adultos, atque gravidas. Sic binas habui, harum una, tertia morbi die, gemellos vivos, nondum maturos, octimestres, qui intra aliquot dies mortui sunt, peperit; altera sexta morbi die filium æque octimestrem, qui sex diebus vixit, enixa est. Fortior hic sine dubio sanguinis motio & rarefactio, qua apertæ & laxatæ sunt viæ, partus hos acceleravit, inde puerperæ valdè debilitatæ, sed solis *confortantibus, analepticis, bezoardicis blandissimis*, aliisque pro morbi & symptomatum exigentia remixtis, tractatæ, binæ die XV. evaserunt ex morbo hoc gravissimo. Legitima enim & matura medicamentorum applicatio omnibus salutaris fuit, secus, qui à principio neglexerunt remedia. Sic inter alios novi mercatorem, Silesitam, eadem febre detentum, qui ferè omnia respuit medicamenta, tandem delirio phrenetico correptus in lecto vix detineri potuit, die 12. demum prodierunt exanthemata, indubia mortis die 14. morbi subsecutæ indicia. In alio pauperculo *petechiali febre* extremè laborante notavi in dorso, brachiis, pedibus, naribus quam plurima *ulcuscula*, elevata, dura, cum intenso dolore, inflammatione, ad instar furunculorum, ichore plena, sed tubercula illa ulcerosa valdè fuerunt maligna, naturam *anthracum* æmulantia; caro enim in circuitu inflammata, tandem sphacelata & corrosa, ubique tota excidit, adhibitis tamen *expellentibus, Alexipharmacis & mundificantibus externis* præter omnium spem sanitati pristinae restitutus est. Cæte-

rum multiplici experientia edoctus ingenuè fateor, etiamsi omnia signa fefellerunt, me tamen sequentia in prognosi nunquam decepisse: deprehendens nempe in tangendo pulsu *contractionem aut subsultum tendinum*, pro certo mortem prædicere potui. Sic ex *linguæ ariditate, fissuris, asperitate, scabritie, siccitate*, quasi lignum attingeres, *nigredine*, in primis, si retorrido calore cum vicinis faucibus aruit, aut *crusta quadam nigra obducta*, quæ licet sæpius os fricando & colluendo deterfa, statim tamen nova repullulavit, infallibile summæ interiorum partium inflammationis & fiderationis, nec non mortis augurium habuimus. Lingua enim etiam in minima inflammationis suspitione statim resiccare incipit, & crescente inflammatione crescit pariter & siccitas linguæ. Hoc morbi stadium sæpè ultra XV. morbi diem fuit protensum, aliquando felici, aliquando funesto eventu. Sic memini quosdam 16. alios 18. imò 22. demum morbi die fuisse extinctos, alios jam integrè restitutos ex levissima causa & errore diætæ *recidivam* reportasse, quæ tandem, inflammatis glandulis, in pectore, in primis pulmonibus sitis & exulceratis, in *hecticos* degeneravit *calores*, longo tamen *medicamentorum pectoralium* usu superabiles. Mente Maio febres *petechiales* desævierunt, & evaserunt ex his omnes, qui ex methodo tractati sunt. Eodem tempore *Icterus* frequens fuit, qui flavo suo colore deturpavit totum corporis habitum, speciatim verò oculorum politum ebur, nec non tempora. Conquesti sunt

sunt de pruritu in cute, maximè dorso, de caloribus transitoriis, lassitudine ulcerosa, doloribus capitis, somniis turbulentis, intensissima siti, inappetentia, oris amaritudine. Alvus plus solito adstrictior, & quæ exierunt excrementa, penitus albescentia, pauca, viscida, urina crassa, turbida, subnigra, in superficie oleaginosa, crocea fuerunt. Utique hic fuit obstructio tubulorum biliferorum, à viscida lymphâ hepatis & acinorum glanduliformium, nec non saburra tartarea proveniens: inde bilis ab acido fixiori plus minùs austero, torpidior & spissior redita, in motu suo impedita, neque per destinatos canales, tum ad vesiculam, non per ductum cysticum in ductum choledochum ad intestina delapsa, potius restitans, in venæ cavæ propagines, tanquam fontes suos recessisse, ibique serum cum sanguine, & exinde productos humores, nutritioni & excretioni dicatos, citrino suo colore infecisse necessum fuit. *Martialia, rhabbarbarina, aperientia* non solum ductus illos obstructos feliciter referarunt, sed & bilem peccantem, atque jam ad habitum corporis delatam eduxerunt per *epicrasin*, v. gr. *pulv. hepat. cachect. croc. mart. aperit. cum salibus, rhabarb. Alex. spir. sal. coagul. sal. acetosell. absinth. cichor. tartar. vitriolat. arcan. dupl. rad. curcum. &c.* additis pro re nata, & quidem optimo cum successu, aliquando *granis aliquot diagrydii*. Mense *Junio* continuarunt adhuc *febres continuæ*, sed fuerunt valdè *benignæ*. Jam inceperunt *tertianæ, quartanæ,*

curatu tamen faciles. *Julius* incepit cum caloribus, subinde tamen nubibus exasperatum cœlum, in primis die 19. & sequentibus aliquot diebus, flante Borea, frigidam effudit pluviâ. Cum *Sirii* ortu etiam exorti sunt calores, qui cum insolito & vix tolerabili aëris fervore usque post ejus occasum, imò toto mense *Augusto*, sine ulla alternatione, continuarunt, excepto *XIX. Augusti*, quo cum imbribus, tonitribus & fulgure grandines per mediam horam deciderunt copiosissimi, quæ promontoria nostra ferè omnia destruxerunt. Totus *September* aut ventosus, aut frigidus, aut pluviosus fuit, adeò, ut vix quatuor dies sereni toto mense numerari potuissent. *October* extitit amœnus, calidus, siccus, & quamplurimum contulit ad maturitatem uvarum, quæ alioquin immaturæ mansissent. Hinc vinum nec quantitate, nec qualitate laudabile crevit. *Novembris* initium ventosum, utcunque siccum fuit, progressus ad finem usque pulcherrimus, serenus, calidus. Sub initium *Decembris* apparuerunt hyemis indicia, nubibus & nebulis aër turbidus, frigidus, mox insecta est amœna, serena sine nivibus tempestas, ad finem mensis durans, nobis quidem grata, sed ob hostium furorem valdè infausta, ferrea & ignea. Tumultuantes enim Hungari die 24. *Decembris* civitatem nostram arctiori obsidione cinxerunt, eamque circa prandium ex monte Leonhardi globis ignitis continuo ex machinis bellicis majoribus explosis invaserunt. Primam stragem sustinuerunt suburbia (non exclusis

V. domibus in civitate interiori existentibus,) quibus flammea hæc procella, aut diversa incendia sacram Christo nascenti noctem in funestam cinerum diem verterunt. Die Nativitatis CHRISTI ignitis suis globis nova incendia facere, atque residuum in cineres redigere, sed frustra tentarunt; pilis autem suis majoribus ignariis, *Bomben*, ingens damnum ædificiis intulerunt; tandem biduo post, re infecta, discesserunt. His temporibus, mense nempe *Julio*, *Augusto*, *Septembri*, *Decembri*, adhuc continuarunt *febres continuæ*, *petechiales*, & notavi inter alia honestas duas foeminas, sorores; quarum una mense *Augusto* febre *exanthematica* laborans, die X. morbi acquisivit frequentem *diarrhæam* cum torminibus & doloribus inflammatoriis, vigiliis continuis, caloribus intensissimis, die XII. extrema, sudore resolutivo perfusa, etiãmsi de æstu gravissimo, potius anxietatibus, conqueſta fuit, frixerunt, 13. mortua. Latuit hic sine dubio *intestinorum sphaelus*. Altera soror mense *Septembri* eadem febre *petechiali* correpta, sumſit sub initium morbi, nil mali suspicans, ante macularum eruptionem, nescio cujus suasu, *Laxativum*, die 10. incepit delirare, adhibitis tamèn adhibendis, die 17. calores remiserunt, & mens rediit, imo jam periculum evaſiſſe ab omnibus judicata fuit; die 19. morbi in *femore pedis sinistri* ex insperato prorupit *macula nigerrima*, *crustacea*, *instar anthracis*, magnitudine duplicis grossi, quæ igneo suo fervore latiùs sese diffudit, carnem subditam exuſſit, atque die 21. pauperulam è medio viventium sustulit.

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

Mense *Decembri* in alia foemina 46. annorum observavi easdem *maculas petechiales* tertia jam die prodeuntes, valdè *latas*, non obstante *Veneſeſione* secunda morbi die administrata, tertia incepit delirare, quarta obiit. In his casibus utique peculiaris sanguinis corruptio, & singularis malignitas supponi debuit. Mense *Augusto* ex flagrantissimo sole aërisque siccitate ortæ sunt *diarrhææ*, *dysenterix* cum tenesimo, vomitibus, siti, doloribus abdominis; ut plurimum conjuncti fuerunt *calores*, inde methodo ordinaria tractari non potuerunt, quin potius *alexipharmacis*, v. gr. *terr. sigillat. Japon. bol. arm. theriac. cæl. spec. de gemm. frig.* curam aggredi debuimus. Ubi nullus adfuit calor, ibi optimè profuerunt *blandè educentia*, in primis *rhabarb. tostum cum myrobalan. citr.* aut *aqua laxativa* ipsa cum *aqua cinnam.* sub initium exhibita, aut *clysteres abstergentes ex hord. cap. vervec. lacte &c.* frequenter applicati. Materiam adhuc resitantem acrem, austeram, acidam, urentem feliciter deinceps *absorbentibus*, *adstringentibus*, ac *incrassantibus*, v. gr. *corall. rubr. alabastr. terr. jap. sigillat. crystall. mont. &c.* correximus. Sic multum præstitit *opobalsamum*, nec non *oleum nucistæ* internè exhibitum; non minorem utilitatem attulit *Cataplasma* toti abdomini applicatum: *Recip. pulv. centinod. burs. pastor. ā. m³. fol. rosar. rubr. balauſt. ana ſiij. diacydoniat. cum spec. ſſ. nuc. mosch. n. ij. mastich. ſj. caryoph. ðj. F. Cataplasma*, adde *ol. myrtin. cydon. mastich. ā. ſj. M.* Hoc mense *erysipelata* frequentissima fuerunt, sed uno

R r

vel

vel altero *sudorifero* exhibito extincta. Nec his mensibus conticuerunt *febres quotidiana, tertiana, quartana*, quæ circa finem mensis *Octobris* valdè *contumaces* extiterunt, senibusque funestæ. Præter alios affectus, *rheumatismos* nempe, *catarrhos, podagricos dolores, odontalgias* &c. sequentem notavi casum. Honestâ matrona, annorum 45. multarum prolium mater, circa finem mensis *Novembris*, prægressis jam à longo tempore spasmodicis digitorum manus sinistræ, agonizantem puellam in vicinia visitans, eamque morientem conspiciens, valdè perterrita concidit *epileptica*, deportata domum, & in lectum illata tandem ad se rediit præteritorum fere inscîa. Ad ipsam vocatus nil intentatum reliqui, aperui *venam in brachio dextro*, ordinavi clysteres, dedi *antepileptica, v. g. pulv. epilept. spec. cephal. M. castoreum, unicorn. mar. ungu. alc. cran. human. aqu. hirund. c. castor. epilept. L. &c.* affectum tamen curatius perpendens deprehendi spasmodicum, vel potius pulsus & subsultum magnum in medio, annulari & auriculari digito sinistræ manus, ubi frequenter & ferè indefinenter illorum extremitates ad volam manus retractæ sunt; bihorio elapso, majorem percussit in prædictis digitis subsultum, mox paroxysmum epilepticum; adeoque celer motus tendinum veluti subsultorius, instar pulsus ordinarii, indubitatum instantis paroxysmi fuit præsagium. Sensit autem infecutas exacerbationes omnes manifestam originem traxisse ex extremitatibus trium digitorum sinistræ manus, indeque in momento, quasi volando, auram quandam ad-

scendisse per brachium ad caput, affectoque cerebro, pars corporis sinistri variis motibus valde agitata & concussa fuit, pes tremuit, oculos contorsit, spumeum quiddam circa os apparuit, reflexo capite versus dorsum, adfuit simul omnium sensuum perturbatio. Dira hæc symptomata, si remiserunt, durarunt autem quandoque uno horæ quadrante, quandoque brevius, ægra tandem sopore quasi oppressa jacuit, mox gravi suspirio ad se rediit horum omnium inscîa, atque solum de gravitate capitis ac lassitudine membrorum conquesta est, ut plurimum, finito paroxysmo, modicum sanguinis ex nimio motu convulsivo in pulmonibus extravasati, ore rejecit. Sæpè velut ab utero suffocata rubebat insigniter, cum lassitudine quadam ac sensum oborientis febriculæ rudimento. Non quidem continenter horrendo hoc symptomate, sed interpolatis vicibus, modo seriùs, modo ocîus, aliquando quotidie, aliquando tota septimana semel, commiseratione digna exagitata fuit, prout venenata hæc materia vel citius, vel tardiùs, auram suam subtilem, vel spiritus suos volatiles emisit, qui in cerebrum delati irritando sensiles ac nerveas fibrillas celerem illam, inordinatam & involuntariam concussionem membrorum, cum conspicua mentis labbe, ac terribili nervorum contractione illius potissimum corporis partis, ex qua malignus vapor speciatim in cerebrum fuit amandatus, conciliarunt, miseram nostram, si extra lectum fuit, cadere fecerunt. Malum hoc necdum radicatum quo ex toto tolleretur, nihil non tentatum fuit,

fuit, cum per cathartica, v. g. pil. coch. de succin. Cr. extr. castor. cum sir. de cichor. c. rhab. &c. tum per Vesicatorium, ad eliciendam materiam peccantem, regioni carpi impositum. Caprum deinde arctiori vinculo circumligari curavimus. Internè quotidie mane sumsit pulveres epilepticos ex pulv. epilept. M. gr. viij. mag. cran. hum. gr. v. ungu. alc. præp. gr. vij. unicorn. mar. gr. iv. pulv. castor. gr. v. vesperi verò mixturæ sequentis guttas 30. Rec. Elix. uterin. Cr. ess. succin. sal. volat. oleos. ā. ʒj. M. his continuatis remiserunt symptomata, non tamen ex toto cessarunt. Unde sanguinem *cruciatim* ex brachio nempe dextro, & pede sinistro simul & semel detrahi curavi, tandemque

mistur. simpl. cum elix. uterin. Cr. & ess. anod. exhibui, quorum beneficio malum hoc potissimum, unà cum motu tendinum subsultorio in digitis intra tres menses devictum fuit. Pro roboratione membrorum & nervosarum partium, nec non avertendo recidivæ metu, ablegavi ipsam mense *Majo* sequentis anni ad *Thermas Badavino-Austriacas*, & quidem optimo successu. Pristinam enim recuperavit sanitatem. *Thermas* autem quotannis visitare debet, quod licet deinceps non observaverit, nullum tamen similis morbi indicium per multos annos amplius in conspectum prodiit. Et hæc dicta sunt de morbis, qui hoc anno apud nos observati sunt.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anni 1706.

CRedidisses præteriti anni exitu & ferocientium hostium abitu, nos jam calamitatibus, molestiis, periculis vacuos, furoremque hostium erga nos in lenitatem esse conversum. Sed ecce illorum furor mox abiit in rabiem. Cogitantes enim de nostro interitu & civitatis exitio, d. 2. *Januarii* ad pristinam stationem redierunt majoribus machinis, mortariis pluribus & requisitis bellicis probè instructi; 3. die *Januar.* summo mane, continuis tormentorum & pilarum jactibus tam ardentè ædificia pulsarunt, ut fulmina & fulgura de cælo descendisse putasses, imo sparso missilium flammaram imbre nova incendia excitarunt, & quam plurima civium ædificia immani grandine quassata destruxerunt. Sed cum hostes vidissent, se continuo machinarum bel-

licarum boatu & fragore inconcusam civium fidem & constantiam nequiquam evertere posse, sexto *Januarii*, summo mane, trino agmine & magno impetu mœnia invaserunt, admotisque quam plurimis scalis, nec non globulis quam plurimis manu injectis, mœnium fastigia, quæ jam attigerunt, transcendissent, nisi nostrorum Civium & inhabitatorum pectora pro muro fuissent, atque continuis scloporum explosionibus, nec non clavis præferratis permultos de muro in subjectas fossas præcipitassent, hostesque pedem, relictis centenis & ultra mortuis, in pristinam suam stationem referre coëgissent. Hostis itaque invictam civium constantiam jam expertus, adversis tempestatibus cœli quotidie magis magisque invalescentibus, die 10. *Januarii*

obsidionem solvit, recessit, sed à longinquó nos cinxit. Cives interea infueta in excubiis sub Jove frigido & humido per aliquot menses constanter continuarunt suas stationes, atque intrepidè defenderunt sua mœnia. Alias hic mensis valdè horridus fuit, frigore tamen quandoque remittente, placidior. Mollior aër sub initium *Februarii* observabatur, in progressu remissum aliquod frigus, sub finem nives, subsequo frigore congelatæ. *Martii* ingressus rigidissimus subito cum sereniori ac blandiori aëre commutabatur, circa æquinoctium frequentes fuerunt pluvix, mox nives, mox varii ventorum tumultus, adeoque *Martius* non siccus, sed humidus extitit. *Aprilis* comparuit nivofus, mox tamen serenior & amœnior factus calore sub veris delicias produxit, languentes animos excitavit, & ad finem usque siccus ac calidus permanfit; die 30. ingens tempestas cum fulgoribus & tonitribus oborta est, quam præcessit magna papilionum cohors occidentem versus volitans. *Majus* ferè totus mane subfrigidus fuit, siccus, circa meridiem calidus, cum paucissimis pluviis. Toto *Junio* grata & exoptata habuimus tempora, calores intensos sæpè venti, quandoque pluvix nocturnæ contemperarunt amœnissimæ. *Medardi* dies fuit serenissimus, & die S. Viti uvas in omnibus promontoriis jam defloruisse notavimus, inde nostrates præcocem vindemiam augurari solent. Toto *Januario* morbi, præter *catarrhos*, hyemali tempore non infrequentes, nec non *quartanas*, nostris desideratas dederunt inducias. Sub initium *Februarii* febres notavi-

mus *continuas*, malignitatis tamen expertes, *rheumatismos frequentes biliosos*, *defluxiones seroso-biliosas in capite*, maximè *pone aures*, aliquando cum, aliquando sine tumore, cum modica febrili alteratione, summè dolorificas, *suffumigiis ex olibano & cataplasmatibus emollientibus* curatas. Continuarunt illæ in primis mense *Martio*, & invaserunt articulos maximo cum dolore, inflammatione, tumore, senibus, in primis podagricis, exitiosæ: in his rediit *podagra*, sed sine doloribus, quæ retrocedens materiam peccantem ad pectus transfudit, ibique *catarrhos lethales* excitavit. Sed miratu dignum fuit, quòd præter hujus mensis indolem nullæ febres *continuae*, exceptis paucis *catarrhalibus*, quæ senibus fuerunt funestæ, obortæ sint, cum tamen foeminæ cum prolibus suis, superioribus mensibus, maximum metum & terrorem ex turbis bellicis conceperint, & pro majori securitate diu noctuque squalida cellaria inhabitare debuerint, cives autem & incolæ omnes in excubiis quam maximos excessus sub Jove frigido & humido in vino commiserint, adeoque humores ad morbos generandos, aut suscipiendos disposuerint, in primis, cum absque hoc *Martius* sit humorum genitor, motorque dolorum. Beneficium hoc adscripsimus vino novo, quod præterito crevit anno, levissimo, claro, acido, tartaro crudo abundanti, diuretico: hoc potenter viscidam bilem diluit, solvit eamque per alvum & urinam eduxit, adeoque sanitati nostræ valde proficuum fuit. Aliis annis vina hujus loci nova, ubi calore solis & cœli benignitate ad summam maturitatem pervenerunt, generosa

rosa ac potentia tartaro subtili scatent, oleosa sunt; & nec dum defœcata, largius hausta bilem à naturali sua crasi dejiciunt, alcalicis suis particulis quàm maximè sanguinem accendunt, visciditate autem sua hujus circulum retardât, toti corpori torporem inducunt, caput gravant, constipant, imo particulis suis hamosis salino volatiles maximè activas reprimunt, actiones animales simul lædunt, & varios morbos, in primis *febres continuas, malignas, petechiales* conciliare solent. Mense *Aprili, Majo, Junio*, repullularunt *febres continuæ, petechiales*, quandoque cum, quandoque sine malignitate, methodo tamen ordinaria feliciter eradicatæ. Inter alia notavi gratiosam filiolum, quinquennem, *febre continua* correptam, cum maximis abdominis doloribus, torminibus, vix non convulsivis, & imminentis *epilepsiæ* metu; loqui nil potuit, dolorem autem ejulatu expressit, continuarunt calores sine ulla intermissione ad 21. diem. In horrendo illo ejulatu ob metum gravioris mali 11. & 12. morbi die dedi *laudan. de trib. gr̄ss. cum pulv. epilept. M. castor. unicorn. mar. ▽ hirund. c. castor. &c.* laudabili cum successu & subsequuta quiete. Durante morbo, & 6. septimanis post morbum, ne verbum eloqui potuit, licet omnia bene intellexerit, & linguam quaquaversum movere ac volutare, bibere, comedere, deglutire potuerit. Topica præscripsi varia, v. gr. *unguentum ex conf. anacardin. ʒij. alkerm. ʒj. extr. castor. gr. viij. ol. succin. gutt. iij.* pro illinitione, & frictione faucium, linguæ & palati. Fomenta ex *infus. majoran. salv. chamomill. hyssop. collo,* in primis laryngi frequenter appli-

cuius, donec interior laryngis rimam à siccitate coarctata ac constricta, aliquantum iterum humectata officio suo fungi potuit, atque sensim & sensim, licet sub initium difficulter, verba articulata expressit. Humores biliosos ex abdomine ad musculos laryngis, inque nervos vocales, metastasi facta, delatos, præter calorem febrilem, interiorem laryngis rimam arefacientem, eosdem affecisse, conjiciendum ex prægressis vehementissimis, vix non convulsivis, abdominis doloribus, in tempore consopitis. Iisdem temporibus observavi in filiolo sexenni *calores continuos* sine ulla intermissione, vix remissione, ad 30. diem & ultra, non obstante legitima medicamentorum administratione, extensos, adeoque non sine malignitate, tandem tamen feliciter superatos. His mensibus *rheumatismos & arthritides vagas* notavimus frequentes, methodo autem nostra superius tradita mox profligatas. Mensis *Julius* fuit æstuosissimus, noctes præter morem calidæ, sine ullis fere pluviis: die 16. cœlum opacis & atris nubibus de subito exasperatum effudit imbrem largissimum cum tonitribus, in vicinia cum grandinibus insolitis, maximo *Rustensium vinearum* damno. Sub ingressum solis in leonem, nisi quandoque grati spirassent etesiæ, calores vix fuissent tolerabiles; tandem ultima hujus, prægressis noctu crebris tonitribus nec non fulguribus, gratiosa ac tepida superveniens pluvia cum amœnissimis & subfrigidis ventis ingentissimum auræ calorem contemperavit, terram refocillavit, & omnia recreavit. In *Augusto* terra per totum mensis cursum fervido solis calore fovebatur, subinde tamen nocturno tem-

pore tepidis pluviis animabatur, inde jam sub initium hujus mensis maturas habuimus uvas. *Ægidii dies* mira & exoptata illuxit serenitate, & serenavit totum mensem, exceptis 17. 18. diebus, qui fuerunt frigidi, ventosi, pluviosi. Per *Octobrem* totum eadem gratiosa serenitas, siccitas & æstus amœnus duravit, cum nebulis matutinis, solis splendore discuffis, exceptis 6. 7. & 8. diebus, qui sparserunt pluvias. Hinc vinum crevit generosissimum. Secunda *Novembris* primam demum notavimus pruina, & continuarunt amœnissima, calida illa tempora, præter ætatis anni morem, toto mense, nisi quòd 14. 15. intervenerint pluvix, & 24. nives ceciderint ingentes, sequenti tamen die liquefactæ. Eadem cœli tempestas continua, serena nempe, calida, aliquando nebulosa fuit usque ad 17. diem *Decembris*, 18. verò, 19. pluviosa, nec non nivosa; die 20. ingruit gelu, quod post biduum remisit, reliquis diebus pluvix, nebulæ, venti ac calores alternarunt, quæ tempestas, prædominante calore circa Natalitia, *pyrorum flores* & *turiones sambucinos* elicuit. Mensibus æstivis omnis generis febres grassatæ sunt, frequenter autem hinc inde in civitate comparuerunt febres, quæ continuas mentitæ sunt, nobisque ab initio imposuerunt. Invaserunt hæc cum horripilatione vix sensibili, insequente calore, ultra 30. horas durante, cum vehemēti siti, capitis dolore, vigiliis, vomitibus, præcordiorum angustia, anxietatibus, virium prostratione, linguæ ac faucium squalore, ita ut febrem continuam fore metuerim; adhibita tamen *Venæ sectione* in brachio, & repetita in pede, exhibitoque uno vel

altero *sudorifero*, remisit calor, & tertio aut quarto die ut plurimum in *intermittentem tertianam duplicem* terminavit; ast inter apyrexiam & paroxysmum brevissimum fuit intervallum, imo, saltem aliquot interjectis horis, nova *febris*, sine ullo frigore, accessio, quæ observabatur una die intensior, & quasi composita ex *tertiana* & *quotidiana*, altera autem *levior* typum *quotidianæ* referens. Ante paroxysmum dedi *antifebrilia ex salibus*, *arcan. dupl. cort. chin. lap. cancr. &c.* in caloribus verò diuturnis, ob metum latentis malignitatis, nec non ingentem debilitatem, *blanda diaphoretica*, utpote *lap. bez. orient. pulv. analept. M. C. C. philos. magist. perlar. conf. alkerm. &c.* aliquando, in primis ubi *capitis dolores* fuerunt intensi, loco *antifebrilium* præscripsi *spirit. sudorif. ðj. cum spirit. anod. ðß.* & quidem laudabili successu: non enim tantum dolores remiserunt, sed & paroxysmi febriles brevi cessarunt, & ut plurimum soluti sunt spatio 15. aut 21. dierum. Febres *tertianæ* circa hæc tempora fuerunt frequentes, sed adeo mites, ut post quintum aut sextum paroxysmum, adhibito *Laxativo*, nec non *antifebrilibus salibus* recesserint. Febribus *continuis* corripiebantur permulti, sed sine gravioribus symptomatibus, & absoluerunt jam die 15. suum cursum feliciter; hinc omnes servati, qui non incuriam neglecti, sed methodo ordinariam tractati fuerunt. Mense *Julio*, *Augusto*, *Septembri*, *diarrhœæ*, *dysentericæ* ex radiorum solarium, æstu invaserunt quamplurimos, sine ætatis discrimine, cum maximis torminibus, tenesmo, dejectionibus copiosissimis, purulētis, cruentis. Principium curæ sumimus à *rhab.*

barb. tost. myrobal. citrin. aliquando ab Aqua laxativa, in primis si ventriculus cruditatibus labefactatus aut gravatus fuit; acrimoniam humorum temperavimus absorbentibus, v. gr. corall. rubris, terr. sigill. fl. ferr. crystall. mont. &c. continuas dejectiones & dolores correximus clysteriis ex decoct. hord. aut oryz. capit. vervec. vitell. sæpe injectis, nec non adstringentibus, incrassantibus, demulcentibus sæpius exhibitis, v. gr. pulv. dysent. Cr. terr. catechu &c. mithridat. theriac. cæl. laudan. de trib. imo fateri debeo, etiamsi singulis 5. aut 6. horis medicamenta adstringentia exhibuerim, me tamen sine opiatis nihil profecisse, adeoque Laudanum de trib. in accisa (refracta) dosi aliis additum & sæpe repetitum hinc optimam tulisse opem. In quibusdam observavi neque quæ huicquam profuisse, quia potius infirmos aliquando evomuisse biliosa, indicio, ventriculum unà cum primis viis, cruditatibus acribus, biliosis, adeoque causa morbifica adhuc esse repletum, iis bis dedi rad. Ipecacuanh. & quidem pro dosi ℞ij. inde frequentiores habuerunt vomitus, pauciores dejectiones, quo facto, reliquum curæ adstringentibus, incrassantibus, anodynis, v. gr. lequenti pulvere aliquoties exhibitio, & singulis 6. horis repetito, Recipe crystall. mont. corall. rubr. præp. terr. japon. ana gr. viij. theriac. cæl. gr. iij. jv. laudan. de trib. gr. ʒ. aliquando gr. j. M. feliciter peractum fuit. Tres personas notavi, quæ, absumptis jam roscidis & balsamicis lymphæ particulis, spiculis autem acribus, adeoque doloribus, auctis, tandem, supervenientibus dejectionibus atris, cadaverosum odorem spirantibus, in-

dolentibus, artuum refrigerationibus, mente ac sensu privatæ gangræna & sphacelo intestinorum obierunt. In alia matrona 5. diebus ante mortem præcessit singultus, omnem castorinorum & opiatorum efficaciam eludens, inflammationum & convulsionum internarum, nec non mortis imminentis prænuntius. Mense Octobri in scenam prodierunt morbi vitio renum & vesicæ orti. Sic in Perillustri quodam Domino, septuagenario, aliàs robusto, notavi Ischuriam, sive totalem urinæ suppressionem, ex calculo renum tubulos obstruente, natam. Adfuerunt maximi dolores circa lumbos, vomitus frequentes, angustia & anxietates præcordiorum, obstinata alvi obstructio, nullus vesicæ tumor, nullus in pube dolor, nulla perinæi gravitas, nulli calores, imo pulsus naturali fere similis. Cathetere flexili sæpe immisso ne gutta urinæ extrahi, aut calculus in vesica latens deprehendi potuit. Adhibuimus sæpissimè clysteres emollientes, balnea aquæ dulcis una cum herb. petrosel. malv. parietar. chamomill. melilot. verbasc. stram. aven. &c. unguenta pro inunctione lumborum, ex unguent. rosac. ol. scorp. Matth. succ. citr. præp. &c. Internè fere quotidie dedi decoctum ex spec. dialth. Fern. & aperitiv. For. cum fol. senn. mechococann. quibus magnam ferotorum humorum, aliàs ad renes tendentium, copiam per alvum eduximus, ne guttam vero urinæ elicere potuimus. Potus ordinarius constabat ex spec. dialth. Fern. & aperit. For. cum ras. C. C. sem. anis. Ex diureticis, lithontripticis, pellentibus, sumsit tinct. sal. tartar. spir. salis dulc. bals. sulphuris terebinth. succinat. sal. genist. ononid.

nid. fabar. spir. salis coagul. tartar. Vitriolat. aliaque; imo pro exigentia symptomatum, utpote vigiliarum, dolorum, etiam *laudan. de trib.* in refracta dosi, ~~alvoque libera~~ existente; pro corroboratione virium *confortantia*. Sic tandem septima morbi die robore naturæ moti sunt *calculi* ex renibus in ureteres, cum vehementi, lancinante, pungente dolore; ex his brevi delapsi in vesicam urinariam: patente jam exitu parum urinæ, non quidem sine dolore, emisit, mox una cum tribus lapillis, magnitudine fabarum, urinam subcruentam, sine dubio ex laceratis vasculis à calculorum asperitate, excrevit, & post subnigram, tandem, & quidem abundè, pallidam, copiosa materia viscida, sabulosa refertam. Dolores statim post excretionem urinæ evanuerunt omnes, remanente solum lassitudine ulcerosa sensuumque torpore, donec vires suas perditas recollegit, atque ex integro convaluit. In aliis eodem tempore observavi summum *urinæ ardorem*, ubi quidem fere nullus urinæ fuit defectus, maximus tamen dolor, & in urethra ignea quasi rosio. In aliis *Stranguriam* animadverti, ubi continuus fuit ad mingendum stimulus, nihil tamen, nisi una vel altera gutta effluxit. His omnibus feliciter medebamur *decocto aperit. For. dialth. Fern. cum fol. senn. clysteriis*, nec non *topicis, balneis*, aliisque superius allegatis. Inter morbos illius temporis etiam occurrit *Passio Iliaca*. Hac corripiebatur quidam Vir-Juvenis, *hernia scrotali* jam ab aliquo tempore laborans, alvi nempe contumacissimâ obstructione, vomitibus frequentissimis, doloribus circa um-

bilicum summis, instituta autem repositione, nec non adhibitis crebrioribus *enematibus, aquis laxativis, cataplasmatibus ex decoctis emollientibus*, alvus stimolata sui officii memor copiosè excrementa reddidit, evanuerunt dolores, nec non Vomitus, imo jam periculum evasisse ab omnibus judicatus fuit. Sed ecce, diebus aliquot elapsis, nescio quo errore commisso, in eundem morbum recidens, accedenti febre, vomitibus stercoreis, obstinata alvi constipatione, sudore frigido in extremis, doloribus atrocissimis, delirio, singultu, virium languore, & ultima die dejectionibus spontaneis, septima recidivæ die, remediis prioribus nunc nihil proficientibus, extinctus est. Jam addam, quæ de *immodico hæmorrhoidum fluxu* notavi. Fuit Vir quinquagenarius, artis pharmaceuticæ peritissimus, ex familia, cujus indigenis masculis hic affectus quasi proprius, ortus. Is jam in ætate sua juvenili fluxum hunc sanguineum expertus est, qui si satis & definitis temporibus, singulis nempe mensibus, moderatè rediit, sanitati quam maximè profuit; si verò ex voto non successit, statim toti corpori languorem induxit, intestinis tormina, gravitatem circa os sacrum, calores febriles quasi continuos, biliosas capitis defluxiones, oculorum inflammationes &c. conciliavit. In ætate virili sanguis non amplius moderatè ad uncias, sicuti antè, & menstruatim, nescio qua sanguinis acrimonia aut viarum laxitate, non periodicè, sed singulis fere septimanis, ad libras manavit cum notabili virium dejectione, faciei colore ad viriditatem inclinan-

clinante, gravitate in coxis, in cruribus magna debilitate, ut vix incedere potuerit. Sisti cito hic fluxus non debuit; sanguis enim statim regurgitavit ad pectus, & *anxietates præcordiorum, respirationem difficilem, palpitationes cordis* induxit. Cum verò immodicus hic fluxus latentem hætenus *cacochymiam*, nec non *acredinem & falsedinem sanguinis insignem prodiderit*, imo aut *hydrops*, aut *phthisis*, aut *apoplexia* exinde metuenda, & vires jam labantes medelam urferint, suasi omnino in brachio *Venæsectionem, roborantia & temperantia, acidula, bilem acrem, lentam, rosivam corrigentia, & per epicrasin educentia*, v. gr. *Tinct. rosar. corall. mart. aperit. c. succ. oxalid. M. Tinct. seri lact. caprin. cum tamarind. & rhabarb. fact. pulv. hepat. sal. cichor. grana granatorum acidorum succulenta*, quæ masticavit, ejusque succum deglutivit, *pulv. cachect. Qu. lap. cancr. crud. smaragd. præp. corall. mag. perlar. emulsiones ex sem. frig. cum decoct. hord. & julep. rosac. fact. nitrosa ipsa, compos. Sperniol. Cr.* quibus ebullitionem in sanguine nimiam compefcuimus; fluxum verò immodicum *blandis adstringentibus* cohibuimus, v. gr. *Tinct. mart. adstring. lap. hæmatit. ess. traumat. sir. de ros. siccis; myrtill. trochisc. de spod. carab. croc. mart. adstring. dent. eq. mar. s. hippopotam. succo urticæ express. & depur. infusa millefol. sanguisorbæ, vino rubro ex infus. carn. cotoneorum*, aliisque in primis topicis, v. gr. *unguento Comitissæ*, quo inungi debuerunt hæmorrhoi-

des, & dorsum, aut aliis fomentis, linimentis & fotibus ex *succ. plantag. burs. pastor. verbasc. sangu. dracon. thur. terr. sigill. rad. bistort. tormentill. &c. it. vernice*, in qua intinctus fuit pannus lineus & *cum ol. rosat.* admotus. *Polygonum*, utpote singulare & decantatum euporiston, sub axillis frequenter gestavit. Observari autem diligenter debuit, ne alvus plus solito adstricta fuerit. Hac igitur methodo symptomaticas excretiones temperavimus, atque Pharmacopœum nostrum ad multos annos conservavimus, donec tandem inœrore animi confectus, & viribus jam exhaustus placidissimè obiit. Mense *Decembri* luctuosa *epilepsia* notavi phænomena. Puer octennis noctu hora **XII.** in aream mictum exiens spectrum ibi perspicit, horrore ac terrore plenus summo cum angore & clamore in hypocaustum & lectum veluti furia-tus rediit. Vix sese ad quietem componens tentabatur horrore, sudore frigido, affectibus convulsivis. Mane accersitus deprehendi inordinatam ac involuntariam membrorum concussionem, modo cessantem, modo redeuntem. Affectus hic indies invaluit, & secutæ sunt brevi gravissimæ convulsiones nervosi generis, genarum labrorumque terribiles spasmi, adfuit continuus digitorum, velut aliquid comprehendentium, lusus, contumacissima alvi adstrictio, nulla spuma circa os, oculi manserunt aperti & irretorti, respiratio libera, oris autem distorsio enormis, largo risu mox superveniente; dentes validè coierunt, ut pro infundendis cibis liquidis & medicamentis, inf-

trumento aperiri debuerint, articulata vox periit, & nil, nisi clamor remansit, mentis operatio defecit, nec sensus nec memoria alicujus rei extitit, sedere, stare, ambulare nequivit, & quando mater ipsum elevare voluit, mox instar globi sese incurvavit, mox in alios incredibiles flexus instar arcus sese præcipitavit; nec paroxysmus inducias conceffit, sed duos menses indefinenter fere diu noctuque continuavit. Terrorem morbum hunc convulsivum produxisse, extra omne dubium est, licet non excluderem *vermes*, quorum aliquot ante & in morbo excrevit. In hoc tumultu morbique vehementia pro demulcendis partibus convulsis, vellicatis ac distortis, *antepileptica specifica* sæpissime exhibita, v. gr. *pulv. epilept. M. spec. cephal. Mich. mag. cran. hum. ungu. alc. præp. unicorn. mar. cinnab. nat. castor. aqua epilept. Lang. hirund. c. castor. &c.* nullum præstiterunt emolumentum. Vomitoria cum Laxantibus mixta, v. g. *Recipe: Aquæ laxat. ℥ij. sir. Emet. A. S. ℥ß. M.* pro una vice, quæ pro educendis humoribus biliosis, cum acido confermentatis, fixis, binis vicibus exhibui, observavi hic felicissimè profuisse. Jam optimo cum successu reiteravi *specifica*, v. gr. *Recipe. Specif. cephal. M. gr. vij. pulv. epilept. ℞. castor. gr. vij. ungu. alc. præp. aut unicorn. mar. gr. v. M.* eaque quotidie bis aut in forma pulveris, aut potionis, additis

aquis appropriatis & sirupis, præscripti, quibus aliquando granum ℞. aut ad summum gr. j. *laudan. de tribus* addidi. *Enemata* multum profuerunt. Atque sic post duorum mensium tædia expugnatus fuit morbus, ut jam puer sui compos stare, ambulare, sedere, cibum ac potum capessere, articulatè loqui potuerit. Subsecuto mense *Majo*, ne in posterum recidivaret, misi illum ad *Thermas Badavino-Austriacas*, ex quibus rediit immunis jam ab hoc execrando morbo vivit, & quod mirandum, sine ulla mentis aut memoriæ labe. Hoc mense duos notavi *Apoplecticos*. Unus octogenarius ex ordine senatorio, prævia vertigine, lassitudine membrorum, de subito *apoplexia* correptus cum sensus ac motus abolitione pulsu magno, in debilem tandem & frequentem mutato, omnibus in cassum adhibitis, secunda morbi die placidissimè obiit. Alter fuit Reverendissimus hujus loci Plebanus, 56. annorum, atque habitus corporis obesioris. Hic, dum nocte Natalitii Domini hora secunda matutina sacris peragendis intentus, præ verecundia, justo diutius retinisset urinam, ab altari reversus de torpore, vertigine, anxietatibus conquestus est, mox domum vectus & in lectum delatus ex regurgitatione feri urinosi ad superiora, *Apoplexia* fortissima cum stertore, spuma ante os, tactus, spatio semiquadrantis, adeoque eadem hora, qua sanus fuit, repente interiit.

Constitutio Epidemica Semproniensis Anni 1707.

Janus bifrons eadem serena fronte, qua veterem annum denis serenissimis diebus clausit, auspicatus est novum totidem serenis, calidis, siccis diebus, unde statim X. die ingruerunt frigora, mox subsequutæ sunt nives copiosæ, quo congelatæ ad festum purificationis usque jacuerunt durabiles. Secundus *Februarii* dies totus fuit turbidus, & regula rusticorum hoc anno verissima: Sole nempe micante, die purificante, nix aut frigus erit majus, quàm ante. Eo ipso enim die remisit frigus, nives liquatæ omnes, ingruerunt pluviae, nebulæ, quæ ultra septimanam institerunt, densissimæ, foetidæ, corporibus nostris valde infestæ; die 17. 18. rigidos habuimus ventos, boræos, qui siccarunt terram. Jam ad aliquot dies frigoris vis soluta, sed die 24. Festo *Matthæi* intensior facta in medium *Martii* continuavit; adeoque *Februarius* fere totus siccus fuit; Bacchanalia amœnissima, serena, calida, dies *Cinereum* valde frigidus, ventosus; medio *Martii* ceciderunt nives, mox sequutæ sunt pluviae. *Æquinoctiale* tempus notabatur valde turbidum, pluviosum, nivolum, lutosum, imo ad finem mensis usque tumultuaria tempestas, mox ventis, mox nivibus, aut pluviis, molesta, rarò serena; adeoque *Martius* valde humidus atque ingratus. *Aprilis* incepit cum nivibus, pluviis, mox insculta sunt frigora, quæ tempestas tumultuaria X. continuavit diebus, imo totus mensis magis fuit frigi-

duus, ventosus, quàm calidus. Ipso quoque *Majo* cœlum, si paucos amœnos dies exceperis, ut plurimum atris inhorruit nubibus, & dies turbido aëre frigidisque ac frequentibus pluviis reddidit minus vernaes, minus majales, rigidi præter morem extiterunt. Mense *Junio* longe amœnior ac placidior aura comparuit. *Medardi* dies valde serenus sine ullis pluviis, & rediit nunc calor intensissimus, imo, quod ex tot aëris vicissitudinibus & cœli inclementia, superioribus mensibus prægressa, nullus præsumsisset, multo minus credidisset, jam ante diem *Viti* copiosè uvæ in flore deprehendimus: die *XVI.* supervenerunt pluviae gratiosissimæ, fructiferæ, mox æstus increvit, & fere tribus septimanis indefinenter, nulla intercedente pluvia, continuavit, cujus ardore terra valde exiccata dehiscere, homines autem ob largiores sudorum effusiones defatigari debuerunt. Febres *continuae* modo cum, modo sine exanthematibus, modo benignæ, modo malignæ, prouti apud nos quotannis observantur epidemicæ, ita & hoc semestri fuerunt frequentes, in quam plurimis malignitatis expertes, & methodo ordinaria, superioribus annis jam tradita, tractatæ, plerumque die *XV.* in alio nono, in uno septimo, prægressa eodem die hæmorrhagia critica, ex voto solutæ. Alios invasit cum maxima malignitate. Sic honesta quædam foemina, quadragenaria, ex eadem febre die morbi demum *XI.* incepit

pit delirare, quod aliàs pro pessimo & fatali signo habeo, XV. recesserunt calores, sed quinque diebus & noctibus infomnibus continuis transactis, valde delira ab assumpto *pulvere epilept. M. mag. marg. perlar. pulv. analept. castor.* nec non grano uno *laudani de tribus*, somno quidem jucundissimo quievit, sed expergefacta in gravissimas incidit convulsiones, cum continuo tendinum insultu variisque labiorum spasmis: tandem XVIII. die, adhibitis frequentioribus *antepilepticis, confortantibus*, nec non *enematis*, alleviata præter omnium spem convaluit. Et sicuti ferotina deliria latentem produnt malignitatem, si non exitium ipsum, ita præmatura funestum semper præfagiunt exitum. Observavi hoc iisdem mensibus in filiolo sex, in juvene XVII. in Viro L. annorum, qui omnes ex *febre maligna* tertia die inciderunt in continua deliria, sexta convulsi mortui sunt. Alia foemina melancholica, & simul gravida, cujus maritus cum quatuor prolibus simul & semel mense *Martio* in uno cubiculo, epidemiali hoc morbo decubuerunt, (qui tamen convaluerunt omnes,) eadem *febre maligna* detenta cum *uvulae ac tonsillarum inflammatione* summa, octava recentem enixa est puerum, inde valde debilitata nona delirare incepit, & ex caloribus, viribus exhaustis, emaciato corpore, vigiliis continuis, credebatur certo certius peritura. Sed ea fuit fortitudine, ut *sudoriferis, confortantibus, epilepticis*, rite tractata calores illos intensos ultra XXX. dies sustinuerit, & pe-

riculum evaserit, remanente aliquali mentis labe. Mense *Januario* singularis contigit casus. Puella XV. annorum ob leves errores commissos matris castigationem verita sibi ipsi mortem consciscere voluit, sumptisque aliquot granis *mercurii sublimati* incidit de subito in continuos *vomitibus, alvi fluxibus* cum gravissimis intestinorum torminibus, siti magna, linguæ ac faucium ariditate; sed causa horum symptomatum mox patefacta, accersitus exhibui *theriacalia*, in primis *crystall. mont. ʒss. cum ol. amygd. dulc. it. juscula pingua*, & loco potus ordinarii *lac bubulum* suasi; his acidum venenosum absorptum, acrimonia obtusa, & puella ab interitu vindicata fuit. Venena enim mineralia sola corrosivitate agunt, ex qua, si non statim ab initio idoneis medicamentis succurratur, *necrosis*, & ex hac sanguinis, & feri destructio. Hoc videre licuit in foemina mediæ ætatis, nutrice, cui ab alia *arsenicum citrinum* malitiosè in jusculo propinatum fuit, intra paucas horas extincta. Hæc *cardialgia, lipothymis, intensissimis torminibus, vomitibus, alvi dejectionibus* cum irritatione acerrima valde agitata, post mortem exhibuit stomachum & intestina partim *granata*, partim *sphacelata*, erosa, sanguinem nigerrimum. Eodem tempore Vir quinquagenario major, sanguineus, diu noctuque per triduum somno profundo, *lethargo* vix absimili, quasi sepultus jacuit, sine ulla alteratione febrili, aut pulsus mutatione, quarta, *Potione Laxativa mannata* sumpta, ex-

pergefactus, sibi optimè præsens, atque ad interrogata appositè respondens, de *prostratione virium*, & sequenti die in brachio dextro de *tumore*, aliquali *rubore*, sed *dolore* summo valde conquestus, sexta obortis *caloribus* & supervenientibus *deliriis*, atque omnibus incassum adhibitis, *suffocatus* obiit. Hac hyeme *articulorum dolores* sine inflammatione, sine tumoribus valde grassati sunt, ubi *laxativa*, *aperientia*, *præcipitantia*, *decoct.* nempe *aperitivum cum fol. senn. S. S. rhabarb. mann. tartar. lap. cancr. præp. sal acetosell. cichor. diagryd. sulphurat. pulv. hepat. flor. nitr. tartar. Vitriolat. &c.* sæpius adhibita omne abolverunt punctum, & intra quadragesimam medicam morbi vehementiam infregerunt. In honesta quadam scœmina iisdem *doloribus* detenta, sed *alvi fluxu* simul laborante, septima die morbum notavi jam solutum. Præstat igitur in his affectibus *alvum* habere magis *laxam*, quam adstrictam. Mense *Februario* in ablactatis & lactentibus copiosas observavi *febres catarrhales*, quæ invaserunt tenellos cum tussi vehementi, caloribus continuis, ariditate faucium, facie floridiori & rubente, siti, sternutationibus, respiratione frequentiori, in aliquibus inter respirandum cum stertore & sonitu, ut plurimum cum *dentitione*. Profuerunt hic *enemata* sæpè adhibita, *expellentia temperatiora*, aciditatem lymphæ corrigentia, cum *pectoralibus* mixta, v. gr. *pulv. alexit. epilept. spec. diair. antihect. Pot. lap. cancr. C. C. philos. sir. pectorales*, inunctiones ex ungu. pe-

ctoral. rubr. potab. cum ol. irin. anis. dest. &c. ratione simul habitavirium. Atque hac methodo omnes ante nonum diem feliciter ad sanitatem perducti sunt; *convulsionibus* autem *epilepticis* simul tentati perierunt fere omnes. Vernale tempus *phthysicis* & *hecticis* valde grave, quam plurimis funestum fuit. Sic inter alios officialis, nec dum tricenarius, ex castris sub finem *Novembris* præteriti anni redux, & jam ab aliquo tempore *hectica pulmonari* laborans, de tussi vehemente, gravitate pectoris, copiosa materiæ purulentæ expuitione valde conquestus est. Affectum hunc curatius examinans ex rorida partium nutriendarum substantia jam fere consumpta, ex calore non amplius latente, sed jam manifesto, ex pulsu frequentiori & celere, in primis post pastum, ex urina oleaginosa, ex difficili respiratione ad motum quemvis atque aëris alterationes, ex frequentiori tussi, quandoque sicca, quandoque cum sputo purulento, quam ut plurimum, sumptis cibis, secuta est vomitio, *secundum hecticæ febris gradum* jam imminere, atque humorem nutritium in gelatinosam magis substantiam conversum quasi deliquari, sive pulpas carniū hinc inde in corpore manifestè quasi depasci, quæ *species febris Marasmodis* dicitur, judicare debui. Externè pariter & interne adhiberi curavi remedia, quæ alias huic affectui habentur appropriata, *expectorantia, abstersiva, analeptica, refrigerantia, traumatica, obtudentia*, v. gr. *pulver. anonym. spec. diair. lac. sulphur. pulv. Haly, lap. cancr.*

spec. de gemm. frig. pulv. analept.
 antihect. Pot. spec. pro decoct. flor.
 & fruct. spec. pectoral. (quibus
 quandoque beneficio alvi non suc-
 cedente, addidi mannam electam,)
 Syr. de jujub. flor. papav. loch.
 san. & expert. de pulmon. vulp.
 conserv. rosar. bellid. tussilag. emul-
 siones ex seminibus cum decocto hor-
 dei, julepo rosaceo & nitro perlato
 paratas, gelatinas ex herbis pectora-
 libus &c. lac caprillum cum saccharo
 mane potum, aliaque; externè un-
 guent. rubr. potab. pectoral. cum
 ol. irin. nec non emplastra pectora-
 lia usitata & cataplasmata. Cu-
 ra hæc hyemalis videbatur succede-
 re ex voto, rediit appetitus, redie-
 runt vires, remiserunt calores, non
 nisi post partum revertentes. Ast
 induciæ solum ad breve tempus fue-
 runt, nulla pax. Insinuavit enim se
 malum, nobis id minus opinanti-
 bus, increverunt calores, sæpe velut
 paroxysmos febrium æmulantes, su-
 pervenerunt sudores nocturni, vel
 matutini colliquativi, virium prof-
 trationes, respiratio anhelosa, indi-
 cio manifesto, miasmata pulmonum
 ulcerativa in massam sanguineam co-
 piosè delata ibique confermentata,
 ignem peregrinum internum non so-
 lum hæcenus fovisse, imo erosio-
 ne ad glottidem producta, vocem
 raucam conciliaffe, verum etiam ali-
 mentarium ac roridum lymphæ nec-
 tar acrimonia sua volatili, aut fer-
 mento suo putrido penitus inquinasse
 & destruxisse, ut jam corpus ma-
 rasmo incurabili consumptum, pedes
 verò tumidi, & cutis vix offibus
 hærens, tanquam funeri suo prope-
 modum superfuerit, donec tandem

lenta morte tabescens mense Majo
 placidissimè obiisset. *Hecticam ex
 scorbuto calido* natam observavi in
 juvene XVII. annorum. Is alias me-
 lancholicus, vitæ sedentariæ amans,
 sæpe sensit tumorem in sinistro hy-
 pochondrio, aliquando febriles alte-
 rationes, brevi transeuntes, palpi-
 tationes cordis, frequentes phlegmatis
 molestè falsi è tonsillis aliisque oris
 glandulis rejécti, in primis matuti-
 no tempore, exscreationes. Facies
 fuit lurida, pallens, subtumida,
 maculis copiosis, lividis, granulatis
 referta, quasi pulvere pyrio afflata,
 indicio certissimo, liquores vitales
 à salibus acido-biliofis, acribus, val-
 de jam esse deturpatos, unde par-
 ticulis sulphureis rarefactis facillimè
febris lenta, hectica, sese insinua-
 re potuit. Calor fuit primo occur-
 su mitis, paulo post acer & mor-
 dax, qui semper circa vesperum sub
 schemate *febrilis paroxysmi* rediit,
 sed in inflammatorios calores termi-
 navit; observabatur jam urina olea-
 ginosa, respiratio difficilis, sitis ma-
 gna, appetitus prostratus, ema-
 ciatus corporis habitus, continua
 pulmonum oppressio, virium languor,
 decubitus in dextrum latus valde
 molestus, tussis cum sputo purulen-
 to, spisso, foetido; corpus sudore
 tota noctè quasi diffluit cum pul-
 su frequenti & marasmo, atque con-
 tabescens torpidus fuit, morosus,
 profundis cogitationibus defixus vix
 ad interrogata respondit, neque
 claram, sed non nisi submissam &
 raucam vocem edere potuit, quod
 vitio pulmonum sanie repletorum,
 qui aëris copiam, quo vox forma-
 tur, imminuunt, natum. Hoc ta-
 men

men notandum, quoties alvus fuit concitior, & ad *diarrhæam* proclivior; toties alleviationem symptomatum sensit patiens. Accessit tandem facies Hippocratica, nares scilicet acutæ, oculi concavi, tempora collapsa, genæ exesæ, malæ protuberantes, scapulæ, claviculæ, costæ prominentes, artus cum reliquis musculosis partibus excarnes, verbo: ossa tegit macies, nec juvat ora cibus, & fuit sceleto similis. Adhibuimus ex speciosissimo medicaminum *thoracicorum* & *scorbuticorum* apparatu satis maturè remedia, v. gr. *pulveres pectorales* superius notatos, cum *pulv. hepat. rad. ari tartar. vitriolat.* &c. remixtos, linctus, gelatinas, emulsiones, electuaria, infusa, decocta ex *spec. pro decoct. pectoral. flor. & fruct.* nec non *herb. fumar. beccabung. trifol. fibrim. cichor. acetos. hepat. nob. flor. bellid.* aliisque cum *sero lactis*, aliquando cum *aqua* ad formam potus Theæ parata, imo mense *Majo*, cum animadvertissem, hæcticos calores aliquantum deferuisse, *lac caprillum recens* cum modico *sacchari*, à quo tamen ob acidum vel falsum ventriculi fermentum, anxietates præcordiorum, hypochondriorum tensiones, adauctam inde febrim, mox abstinere debuit. Nil verò magis profuit in *sudoribus nocturnis*, quàm *unguent. resumtiv. in frigid. Gal. cum saccharo saturni* paratum. Ast vehementia & diurnitas morbi elusit opem & operam omnem; donec tandem medicamento- rum pertæsus, accedente extrema virium prostratione, fati necessitatem longiori vita dignus, magno cum

parentum luctu perfolvisset. Eodem tempore Franciscanus XXX. annorum laboravit *phthisi vera*, sive consumptione partium corporis musculosarum à colliquatione & pulmonum vitio orta, quæ fuit cum compressione pectoris, difficili respirio, sed fere sine febre; huic præmissis *pectoralibus* in primis *antihectico Pot.* aliquando cum *pilulis de cynoglossa* remixtis, exhibitisque subinde *laxantibus mannatis*, decoctis quoque aut jusculis ex *herbis pectoralibus, resolventibus, expectorantibus* &c. *lactis caprilli* usus optimè cessit. Acrimonia enim humorum salina inde fuit temperata, serum dilutum, corpus humectatum, & ad nutritionem dispositum. In aliquibus observavi *febrem hæcticam ex Quartana*, ut plurimum autem ex *febris continuis* malè judicatis subortam. Harum enim fermentatio & calor p. n. continuatus lymphæ rorem absumsit, inde virium habitusque corporis coincidentia; acredo verò, quæ alias per vices accessit, & tumultus edidit fermentatione continuata, aucta & quasi domestica facta *febrem hæcticam Marasmoden* in uno & altero induxit lethalem. In pueris & puellis III. IV. V. VI. annorum, notavi eodem tempore apud nos alias valde frequentem *Tubis speciem*, quæ fuit cum *abdominis tensione* & intumescencia, calore intrinsecus aucto, pulsu circa vesperum celeriore, inquietudine nocturna, carne flaccida, totius corporis extenuatione, etiam in iis, qui avidissimè comederunt, ita quidem, ut carne jam absumpta, ossa omnia prominuerint, sola cute contacta. Faciei color fuit pallidus, subniger & lividus,

dus, nulla fere adfuit tuffis, nullum sputum, respiratio libera, indicio evidentissimo, hos sine pulmonum corruptione, marcore confectos, causam autem fuisse quærendam in *mesenterii*, ductuum nempe lacteorum, *glandularum* obstructione, nec non humorum corruptorum in abdomine abundantia; utut non negem, *lumbricos* tunc simul in intestinis nasci potuisse, qui quandoque in conspectum venerunt. Unde non mirum, cum universi sanguinis systema sale acri-acido jam scaturierit, corpora debito alimento privata, in tantam incidisse maciem. Huic malo quamplurima opposuimus remedia, in primis *aperientia*, *martialia*, v. gr. *croc. mart. aperit. cum salibus*, *arcan. dupl. nitrosa*, *pulv. hepat. sal. C. B. tartar. vitriolat. antihect. Pot. lap. cancr. rad. ari &c.* aliquando *anthelmintica*, v. gr. *aquam contra verm. cum sir. flor. persic.* aliaque *Topica*, *unguent. contra verm. deoppilat. ol. cappar. tamarisc. colocynth. spirit. sal. ammon. &c.* sed irritato conatu omnia, donec tandem lenta tabe consumti supremum diem clausissent. *Octimestres* aliquot *partus* his mensibus habuimus, quos tamen omnes spatio V. VI. vel VII. dierum mortuos observavimus. *Julius* incepit cum caloribus, quos tamen quandoque contemperarunt pluviae lenioresque venti, has die X. habuimus copiosas, quas sequentibus XIV. diebus calores exceperunt intensissimi, die XXI. XXII. XXIII. tonitrua horrenda cum fulguribus, quandoque cum, quandoque sine imbribus; à die XXV. ad finem usque variae aëris vicissitudines, mox diversi ven-

torum tumultus, mox frigora, mox pluviae, rarissime solis splendor. Integer *Augustus*, si sex aut septem dies amœnos per intervalla calidos, exceperis, pluvias & ventis præter ætatis anni indolem, valde rigidus fuit. Pluviae continuarunt ipso *Ægidii die*, sequenti autem, discussis jam nubibus nebulosis, cœlum serenatum gratiora nobis promisit tempora, & secuti sunt XIV. ferè dies calidi, sereni, noctes tepidæ, vini culturæ exoptatæ. Medio *Septembris* rursus varias subiit mutationes tempestas, maximæ exortæ nebulæ, solis demum meridiani splendore dissipatæ, sed brevi in pluvias fere continuas, aut de die, aut de nocte, in primis *æquinoctiali die* abeuntes, quæ cœli inclementia ventosa ac pluviosa in *Octobrem* usque duravit, unde botri nec dum bene maturi aut digesti justo citius ob excessivum humidum computruerunt, & deciderunt copiosè in terram. Quinta *Octobris* spem fecit haud exiguam serenorum temporum, sed octava valde pluit, à qua ad ultimam lunæ quadram, i. e. XVIII. grato solis splendore corpora nostra incaluerunt, quo ipso ingruerunt pluviae, XIX. gelu, XX. nives, quorum casus die XXII. cum procellosis aëris agitationibus ac frigore ingens fuit, earum tamen præceps solutio. Jam immiuerunt *vindemiæ*, & vinum, quod collectum fuit ante pluvias aut nives, in *Julium* usque, salibus heterogeneis à mucilagine terrestri & sulphurea quasi ligatis, & in fermentationis negotio sufficienti impeditis, permansit turbidum, mucilaginosum, sed sine foetore; post pluvias autem contraxit foetorem puridum, quem retinuit

nuit usque ad depurationem, quæ tandem post annum subsēcuta est cum grato colore & sapore. Circa finem *Octobris* autumnalis amœnitas nobis iterum affulsit, quæ toto fere *Novembri*, qui siccus extitit, continuavit. *December* varius & inconstans fuit, mox frigidus, mox nebulosus, mox pluviosus, unde nives, quæ die Sancti Andreæ ceciderunt, brevi tabuerunt. Hoc semestri frequentes habuimus *febres Tertianas*, quæ ut plurimum sine prævio horrore, potius cum corporis gravitate, præcordiorum angustia, vomitibus, siti, capitis dolore, vigiliis, in primis caloribus intensis inceperunt, & primis *IV.* diebus magis *continuarum*, quam *intermittentium* genium redoluerunt, donec tandem ad perfectam apyrexiam devenerunt. Initium curæ à *Venæ sectione* sumsi, atque præscripsi *præcipitantia*, *antifebrilia ex lap. cancr. sal. absinth. C. B. centaur. min. arcan. dupl. antimon. diaphor.* tandem die intermissionis *Laxativum*; quibus feliciter sexto, aut ad summum septimo paroxysmo sublatae fuerunt. Nec defuerunt *quotidianæ*, *quartanæ*, facili tamen negotio levatae. Eodem tempore viguerunt *febres continuæ*, acutæ, quæ sub initium videbantur benignæ, tertio tamen & quarto die latentem suam prodiderunt malignitatem; calores enim hæctenus vix considerandi, jam intensiores facti, immanes produxerunt cephalalgias, vehementissimas virium prostrationes, deliria, vigilias, sitim, linguam scabram, fissam, tendinum contractiones, motus convulsivos varios ac inordinatos, quos una cum tremore labiorum in chirurgi hujatis

facie observavi frequentes, non tamen, quod mirandum, lethales. R. P. Franciscanis lues hæc fuit popularis, eosque fere omnes hic existentes invasit. Illi enim mustum mendicatum & collectum emissi vino novo turbido ac musto se obruerunt, ac corpus prava victus ratione ad *cacochymiam* disposuerunt. Jam reduces cibis luridis esurialibus, pro more & exigentia temporis, stomachum onerarunt, indeque has *febres continuas* sibi conciliarunt. *Venæ sectiones* sub initium administratae optimè profuerunt, *diaphoretica expellentia*, v. gr. *antim. diaphor. mithridat. diascord. Frac. spec. de hyacinth. C. C.* cum *confortantibus* & *antepilepticis* mixtæ omne tulerunt punctum, morbumque hunc præcipitem, qui ex symptomatibus gravidissimis judicabatur pernicialis, ubique septima die, nulla interveniente notabili crisi, represserunt, atque omnes, (fuerunt illorum undecim,) ex hoc morbo convaluerunt. Fœminas notavi aliquas ætatis provectioris, non gravidas, *fluxu mensium immodico* laborantes, qui ut plurimum, in primis in plethoricis, ad *XIV.* dies duravit, & intra octiduum rediit cum languore, lassitudine totius corporis, facie pallida, quasi exsanguis, inappetentia, siti, caloribus, dolore capitis, lumborum, hypochondriorum inflationibus, lipothymiis. Causa immodici hujus fluxus eadem omnino, quæ mensium ordinatè fluentium; & sicuti in hoc sanguis turgescens venulas interiorem vaginæ superficiem adeuntes divellit, ac per harum extremitates ruptas nomine menstruorum nigricans lentè promanat, donec

subsideat aliquantum ac imminuatur ejus turgescencia, de quo legi meretur *Bohnius œconom. animal. progymnas. 16. pag. 254.* ita in immo- dico fluxu eadem vasorum vagina- lium oscula rupta, necdum occlusa, sed magis hiantia continuo quasi fundunt sanguinem, modo grumosum, modo ferosum, pro habitudine san- guinis & feri hic aut in quantitate, aut qualitate, & motu peccantis atque exitum affectantis. Laxior enim & mollior vaginæ compages admitten- dis & emittendis sanguinis menstrui ordinarii æquè, ac extraordinarii; copiis magis accommodatur, quàm solidior ac durior uteri substantia. Cum verò affectus hic, si negligitur, ut plurimum *cachexiam, hydropem, atrophiam* minari soleat, maturavi curam, atque in plethoricis quantita- tem sanguinis, indeque natam fero- cientem turgescenciam deplevi *Venæ sectione in brachio* feliciter instituta, excedentem ebullitionem & fermenta- tionem ab humoribus biliosis, acri- bus, salinis volatilibus, sanguini in- ductam *uterinis leniter incrassantibus, & adstringentibus*, v. gr. *corall. rubr. lap. hæmatit. trochisc. de carab. de spod. pulv. Heurn. croc. mart. adstring. terr. sigill. imo terreis* omnis generis, *Tinct. antiphthis. Gr. corall. succ. urticæ &c.* in malo contumaciori & refractario cum his *adstringentibus figentia, i. e. laudanum de tribus ac- cisa* dosi maritavi. In *hypochondria- cis, scorbuticis*, ubi sanguinis impe- tus ex obstructione viscerum, in pri- mis mesenterii, non spontaneus fuit, sed, qua data porta, ruens coactus, ab *Adstringentium* usu *præcordiorum anxietates, capitis dolores*, aliaque

symptomata hystERICA notavi. Hic om- nino locum invenerunt *Laxantia*, sed lenissima, extra paroxysmum pro- pinata, v. gr. *decoct. fol. senn. tama- rind. &* quod specificum fuit, *rha- barb.* ipsum in substantia deglutitum. Profuerunt quoque, licet per Acci- dens, cum *confortantibus* mixta, v. gr. *Tinct. tartar. corall. compos. sper- niol. Cr.* aliaque *martialia temperata*, acorem simul absorbentia. Pro melio- ri tandem viscerum & vasorum fir- mitudine, nec non fibrarum ac poro- rum coarctatione, optimo cum suc- cessu ablegavi illas ad thermas *Bada- vino-Austriacas*, ex quibus reduces ordinarium, & naturæ convenientem menstruum fluxum expertæ sunt. In Perillustri quadam matrona notavi *Tu- morem exiguum in pudendis*, qui ta- men non extra pudoris sinum propen- debat, sed, mensibus non fluentibus, quotidie crescebat & intumescebat valde, mensibus autem fluentibus, qui sæpe intempestivo, aliquando immo- derato & continuato ad aliquot septi- manas fluxu urgebant, detumescebat. Adnatus fuit *uteri orificio*, cujus substantia cum vagina & pudendis absque hoc spongiosa, rugosa & glan- dulosa est, in qua varii generis hu- mores stagnare & subsistere possunt, inde tumoris incrementum & decre- mentum. Tentavimus *injectiones cum aqua calcis vivæ, decocta lignorum* aliaque, irrito tamen conatu; suasi tandem *incisionem*, quam reformida- runt *Chirurgi Viennenses*, atque po- tius naturæ hoc opus committi, quàm crudele & anceps sectionis remedium experiri decreverunt. Ejusmodi tumo- rem utero extrinsecus adnatum, tres libras ponderantē, in virgine XXIV.

annorum, felicissimè secut *Chirurgus Halberstadiensis*, cujus mentionem facit *Frider. Hoffmannus in annotat. super Poterii opera, cent. III. cap. 47. pag. m. 332.* & ipse *Poterius eodem loco*, nec non *Blancardus in Collect. Medic. centur. 3. observ. 51. pag. 421.* Sarcoma autem totam uteri vaginam occupans, forasque propendens, atque interno ejus orificio adnatum observavit *Kerkringius Spicileg. Anatom. Observ. 53. pag. 114.* ex uteri orificio interiori varias excrescentias membranaceo - carnosas propendentes *Ruyschius, Centur. Observ. Anatom. chirurg. 6. pag. 12.* nec non *Bartholinus Centur. I. histor. 94. pag. 139. Centur. II. histor. 6. pag. 161. Centur. II. histor. 58. pag. 248. Segerus in M. A. C. decem. I. ann. 2. pag. 199.* aliique. Laboravit simul *fluore albo*, effluxitque fere indefinenter è pudendis materia purulenta, foetida, sed sine dolore, indicio certissimo, serum seu lympham hic sola peccare copia, deponique in glandulis per uterum illiusque vaginam disseminatis, quæ nimium laxantur, ductus autem excretorii inde valde dilatantur, & sphincteruli, quibus hi ductus claudi recludique solent, à peccantium humorum, qui in vasis sunt fluxiles, jam extra vasa lentescentes & inchorescentes, mucosi, copia magis vel minus resolvuntur. Pro depletione feri excrementitii & viscosi, cum sit plethorica, ordinavi *Venæ sectionem in brachio, fonticulos, laxantia ex manna, rhabarb. fol. senn. diuretica, terebinthinata nempe & succinata, mag. lap. cancr. decoctum dauci, aperitivum For. &c.* non omissis quan-

doque *martialibus & tartareis.* Serum corrigere, ejusque quantitatem cum sanguine contemperare, nec non uterum glandulasque flaccidas roborare voluimus *infuso ror. mar. cum vino, pulv. absorbente Wedel. pulv. ex ebor. unicorn. fossil. off. sep. corall. osteocoll. test. ovorum calcinatis, perlis, alum. pulv. sacchar. saturn. tinctur. corall. essent. lign. in primis elix. Propriet. rhabarbarino mane ad 49. guttas, vesperi verò sequenti pulvere: Recipe magist. osteocoll. carniol. ʒā. ʒiʒ. corall. rubr. præpar. margar. præpar. mastich. gumm. arab. off. sep. unicorn. foss. ebor. ʒā. gr. XV. ol. lign. sassafr. gttij. M. & dividatur in V. dos. it. Recipe rad. chin. sarsaparill. ʒ. ʒj. passul. min. ʒiʒ. mastich. ʒij. alum. plumos. ʒj. semin. anis. ʒj. concis. D. ad nodul. Spec. Sackel zum Wasser sieden, pro potu ordinario: nec omisimus *Topica, inunctiones, suffitus ex salvia, mastiche, succino, thure, imo nil intentatum reliquimus, eradicare tamen penitus effectum hunc contumacem non potuimus. Cum autem ex longa praxi constet, fluorem hunc album quandoque, in primis valde obesis, prout nostra fuit, & jam à lunari tributo fere absoluta, nec adeo enervata, in quibus humores turgent, si non est immodicus, proficuum esse, & pro fonticulo microcosmi habendum, qui impedit, ne corpus in majorem excrescat molem, abstinendum jam à medicamentorum usu, & curam ad *thermas majales* differendam duxi. *Hypochondriaci* variis & gravibus symptomatibus his temporibus tentati sunt; in quibusdam *ventris inferioris viscera*, in aliis *præcordia,***

cordia, in aliis *cerebri confinia* maximè affici videbantur. Ex multis unicuique saltem *hypochondriaci* enarrabo exemplum, in quo syndrome gravissimorum symptomatum apparuit. Vir, ætatis mediæ, temperamenti cholericæ, habitus corporis tenerioris, ipso æquinoctii autumnalis die incidit in *ventriculi dolorem*, quem pressio pedis secuti sunt æstus vagi, atrocissimi capitis dolores, cordis palpitationes, anxietates præcordiales, dolor & constrictior in pectore sive gulæ strangulatio, quæ *suffocationem* minabatur, præcordiis enim contractis, non solum respiratio difficilis, & ad motum quemvis laboriosa fuit, sed & non rarò supervenerunt animi deliquia, ex quibus laboribus & angustiis sudor erupit frigidus: in partibus extremis notabantur spasmi & stupores cum formicationis sensu & tremore undulante, in somno pavores, terrificis insomniis interturbati, continua intestinorum murmura, in ore sapor biliosus, alvus ut plurimum obstructa. Observavi autem ex symptomatum horum confluxu suffocationes has hypochondriacas plerumque fuisse *spasmos* & contractiones partium nervosarum, ortasque à ventosa & humorosa hypochondriorum sentina. Sæpe ex mœstitia nimia, atque diutius continuata, nec non excessiva lætitia, in has incidit ægri tudines. In paroxysmo, præmissis *clysteribus*, eximie profuerunt, & omnibus palmam præripuerunt *castorina* cum *anodynis* mixta, v. gr. *pulv. castor. gr. viij. epilept. M. Æ. specif. cephal. g. v. laudan. detrib. g. j. M. it. mist. simpl. cum ess. castor. anodyna* maritata. Extra paroxysmum in eam maximè incubuimus

curam, ut humores viscidos, acidos, obstructionum autores, attenuaremus. Multi in hoc passu multa laudant, atque pro specificis venditant. Nos in tanto medicamentorum apparatu in *martialibus* & *blandis laxativis*, v. gr. *Rec. Vitriol. mart. g. j. diagryd. sulphurat. g. iij. pulv. hepat. g. vij. ol. carminat. M. gutt. j. M. pro j. vice*, indubitatum semper medelam invenimus, imo hoc pulvere exhibito imminentem sæpe paroxysmum declinavimus; levi enim eguit purgante, quantum vel infans vj. septimanarum, vel minor adhuc ferre posset, sed singulo mense bis eundem *pulverem* in usum vocare debuit, inde alvus octies soluta, & molestissimus affectus sublatus fuit. Non minori voto successerunt *acidulæ Roitschenses*, quarum usu maximam alleviationem sensit. Jam addam, quæ in Viro ecclesiastica dignitate conspicuo de *Anaudia* notavi. Is LIV. annorum, plethoricus, atque aliàs *hypochondriaco affectui* obnoxius, jam mense *Julio balbutie linguæ* laborare cœpit; non enim tantum in concionibus, sed etiam prælectionibus precum publicarum, quin & in communi conversatione quasdam syllabas & voces inter pronuntiandum absorpsit, vel quasi suppressit, ut vix intelligi potuerit, & sumsit hic affectus sensim atque sensim sua incrementa, donec sub finem *Septembris* mane derepente incidit in *Anaudiam*, sive *impedimentum sermonis*, ut articulatè nec duo verba proferre quiverit, cum *stupore digitorum manus dextræ*, memoria factorum & gestorum, imo reminiscencia reflexiva læsa; neque enim scribendo mentem suam exprimere potuit. Linguam

quam quaquaversum movit, volutavit, exporrexit, sapidissime comedit. Graviora metuens *Venæ sectionem in brachio* ordinavi sine mora, nec non medicamenta *nervina, cephalica, v. gr. spec. diamosch. dulc. diamb. contr. apoplex. spec. cephal. M. extr. castor. sal. volat. succin. C. C. spir. sal. ammon. cum aqua lil. conv. eff. ambr. lign. aloës, sal volatile oleosum*, aliaque. Linguam, in primis frenulum, inungi iussi linimento ex *conf. anacardina, alkerm. compl. ol. rut. lavend. cinnam. extr. castor.* His frequenter adhibitis adhuc eodem die sese recollegit, atque intelligibilius loqui coepit, redeunte simul memoria. Sensus motusque linguæ usus semper perstitit integer, loquelam nunquam amisit, quin potius sermonem exteriorem per motum linguæ exprimere, ob aërem tamen minus sufficienter inter fluctuantes gutturis sinus impulsus & reflexus, non satis intelligibiliter proferre potuit; natum hoc utique vitio *laryngis*, nervorumque sexti paris, qui sunt vocales. Sermo enim impeditus fuit à resolutis aut relaxatis nimium musculorum angustæ laryngis rimæ constringendæ aut angustandæ dicatorum, ligamentis, quorum fibræ sine dubio à sero nimis copiose; vel per arterias, vel per vasa lymphatica ex toto corpore plethorico affluente, flaccidæ redditæ rimulam haud sufficienter pro allusione & extrusione violenta aëris angustare ac disponere valuerunt. Accessit & aliud malum valde suspectum, *faucium constrictio*, suffocationem, sive strangulationem mentiens. Hæc aliquoties, sed derepente venit, ipsiusque fauces quasi laqueo constrinxit, libe-

ramque respirationem inhibuit, brevi tamen remisit. Putabant vitium hæere in *pulmonibus*, aut *abscessum* inibi latitare, sed falsò; potius à particulis acidis & austeris hypochondriacis, mediantibus nervis recurrentibus, musculos faucium in spasmos cogendo, viam idcirco aëri præcludentibus, ne à musculis respirationi inservientibus præ angustia loci facta ex & impelli queat, deducendum. Cum verò vidisset, se quidem voces & verba, nondum tamen expedite, neque semper integro sensu & phrasi proferri posse, urgit ulteriorem curam, quam ob anni ætatem, *autumno præcipiti*, ipsi denegavi, eamque ad incrementa dierum differre volui. Moræ igitur pertæsus incidit in aliquem, qui perfectam mali curam etiam hoc tempore promisit, deditque inter alia *Vomitorium*, ipso solstitio hyberno imminente, quo id assecutus est, ut quidem magnam humorum saburram, fictitium nempe, aut potius *imaginarium pectoris apostema* Vomitu rejecerit, inde alleviationem ad biduum senserit, paulo post tamen in majorem debilitatem, mentis vacillationem ac torporem, propensionem in somnum, loquelam difficiliorem incidit. Nec his acquiescere voluit, sed ordinavit *fumifunctionem nicotianæ*, ipsi alias insuetam, nervis infestam imo *nervinis morbis exitiosam*; experientia enim constat, *Apoplexiam* inter *nicotianæ* usum sæpe invalisse, teste *Deckero exercit. Pract. p. m. 89. & Richardo Carr. epist. Med. 2. p. 21.* Inde valde oblivisus factus, & sub initium *Februarii* sequentis anni gravissima *apoplexia* tactus, subito interiit.

Constitutio Epidemica Semproniensis Anni 1708.

CRedidisses hac hyeme denuo permutata fuisse tempora, atque adesse æstatem etiam in frigidissimis aliis mensibus. *Januarius* quippe nullum fovit gelu, nullas nives, fuit ut plurimum pluviosus, nebulosus, humidus, nubilus, calidus. *Februarius* quasi totus calidus, amœnus, ut plurimum serenus, quandoque pluviosus, ventosus, & circa finem cum modico frigore & nive, quæ tamen altera die evanuit, unde jam medio mense observavimus diversos flores. Huic ad æquinoctium fere usque planè similis *Martius*, amœnus nempe, calidus, qui in copia flores elicit. Circa æquinoctium die XVIII. XIX. XX. suborti sunt venti valde frigidi, rigidi, qui congelarunt terram, sed sub finem mensis aura iterum comparuit turbida, pluviosa. *Aprilis* præter morem illuxit serenus, calidus, planè æstivus, raro pluviosus, sicciior magis. *Majus* variabilis, ad medium usque frigidus, pluviosus, à medio ad finem calidus, amœnus: II. autem, III. & IV. fuerunt pruinae, quæ hinc in vineis damna fecerunt. Totus *Junius* pluviosus, *Medardus* quoque & *Joh. Baptista* effuderunt pluvias, imo nulla dies hujus mensis fuit sine pluviis. Toto *Januario* præter otalgiam in Viro, mictum cruentum in filiolo quodam post partum, pleuritidem cum diarrhæa, nullos fere vidi morbos. *Variolis* tamen laborantes habui, quorum unus erat VI. annorum, qui eruptis prius tertia morbi die una cum *variolis*, *petechiis purpureis*, quar-

ta die antea correptus hæmorrhagia narium mortuus est. Mense *Februario* observavi *Apoplexias fortissimas*, uti quoque *febres continuas VII. die solutas*. Hoc mense foemina quædam enixa est fœtum mortuum, *secundinae* remanserunt, altera die mortua. *Martio* filiolum quendam *Rustensem clausura ani* laborantem habui sub cura, de quo *Sculteti Armentarium* videri potest: succurri etiam foeminæ otalgia laboranti *mist. simpl. mixta cum ess. castor.* De *doloribus capitis*, *Vertigine*, *diarrhæis* cum maximis caloribus, *febris tertianis*, *continuis*, *variolis* tunc temporis grassantibus nil adducam. *Aprili*, *Majo*, *Junio* continuarunt *variolae*, quas tamen modo in filiolo quodam prægressa est *epilepsia*, modo in puella die III. IV. V. secuta est *hæmorrhagia narium*, jam in alia die XII. *herpes miliaris*. Quædam *variolae* confluebant, quibusdam jungebatur sub initium *diarrhæa*, quibusdam *epilepsia*. *Febres continuæ catarrhales*, *diarrhææ* quoque his temporibus in conspectum prodibant. Mense tamen *Junio Variolae* epidemicè grassantes maximè erant malignæ. Sic eas observavi in aliis cum *maculis purpureis*, in alio cum *vibicibus*, in alio suborti sunt XII. die *furunculi* instar *anthracum*, in aliis *tumores* & *parotides* instar *bubonum*; aliis *palatum*, *gingivæ*, *fauces* fuerunt *exesæ*: alios consumpsit *calor hecticus*, inflammatorius, & fuerunt hæc *variola funestæ* die X. XXIII. XXVII. Sic malum, sive venenum variolosum in Gratiofo parvulo

vulo Ebergeny fuit insanabile, adeoque plus docta valuit arte. Incepit morbus cum *horrore*, quin ingentes exceperunt *calores*, quandoque *deliria*, *sitis magna*, *pulsus celer*, *languores* totius corporis, tertia die eruperunt *variolæ*, quarta *maculæ petechiales coloris purpurei*, guttarum instar copiosè per cutem dispersæ, inde variolarum excretio retardata fuit, quæ tandem omnes coierunt in *unam*, totamque faciem *crusta*, sanie foetidissima referta, contexerunt. Undecima die supervenit *diarrhœa*, brevi tamen consopita, die XII. aliæ effloruerunt *vesicæ*, *aqua limpida flavâ*, quandoq; *sanguine remixto*, plenæ, quæ ordinarias contexerunt *variolas*, magnitudine *ovi columbini*, imo *ovi gallinacei*. *Sie haben ausgesehen wie die ordinairen Zangen - Blattern, so durch ein Vesicatorium aufgezo- gen werden, oder als wenn man sich in heiss-siedend Wasser verbrennt hatte, & steterunt per biduum: die XIV. notavimus in dorso lateris dextri tumorem*, qui nullo modo maturari potuit, sed resolutus tandem colum occupavit, omnemque maturationem respuit, imo sese resolvit: interea *calores* continuarunt intensi, accessit *tussis* cum expuitione *materiæ purulentæ*, quandoque *sanguinis*, *fætor oris* fuit cadaverosus: indicio certissimo, pulmones variolis repletos, valde esse inflammatos, exulceratos, ut plurimum consumptos, si non *sphacelatos*. XXIII. demum die pauperculus viribus jam exhaustus obiit. Post mortem observata tota *facies & abdomen nigerrimum*, ex quo colligendum, non solum totam massam sanguineam, verum etiam omnia vis-

cera corrosivo hoc veneno varioloso fuisse infecta, tandem *sphacelata*. *Julius* magis pluviosus fuit, quam serenus. *Augusti* initium æque pluviosum, quinta inceperunt *calores*, qui toto mense continuarunt. *Ægidii dies* sine pluviis, & per totum *Septembrem* mira aëris siccitas, *calores præfervidi*, intensissimi, etiam nocturno tempore, qui durarunt usque *æquinoctium*, mane ros cecidit, & supervenerunt *nebulæ fructiferæ*. Flavuit ut plurimum hoc tempore auster, bonum alias constantis tempestatis signum. *October* ultra medium serenissimus, pulcherrimus, calidus, d. XIX. XV. noctes frigidæ, inde in aliquibus promontoriis botri congelati, superveniente tamen solis splendore statim regelati; d. XXVII. ante festum *Simonis & Judæ* ingentes ceciderunt *nives*, dies festivus, nempe XXVIII. valde serenus, sed frigidus borealis, XXX. nec non XXXI. iterum nixit, sed tertia nix absumpsit priores, ut jam sine damno vindemias nostras uberiores, præter expectationem, colligere potuerimus, neque nocuerunt *nives*, potius conservarunt botros à frigore, vinum autem, quod crevit in abundantia, fuit generosissimum, suavissimum, dulce. In *Novembri* aëris temperies longè benignior, & quidem calidior affulsit. *Decembri* aëre mutato ceciderunt d. VII. VIII. X. *nives copiosæ*, profundæ, mox secuta frigora, & circa finem denuo *nives*. Mense *Julio* continuarunt *Variolæ malignæ*, neminem tamen, qui X. annum excessit, hoc tempore invaserunt. Accedebant semper cum *somno*, ita ut nocte dieque dormiverint III. aut IV. diebus. Au-

gusto nulli fere morbi viscebantur præter diarrhæas & dysenterias. Circa finem ob continuas aëris siccitates, calores præfervidos, Sirio insigniter urente, inceperunt febres erraticæ, quæ nullum typum servarunt, invaserunt cum aliquali frigore, insequente calore, aliquando ultra XX. aliquando ultra 40. horas durante, post apyrexiam aliquot saltim interjectis horis novus paroxysmus accessit, cum capitis dolore, siti, linguæ & faucium squalore virium debilitate, ita ut febrem continuam fore judicasses, donec tandem transactis aliquot paroxysmis in tertianam ordinariam degeneravit, quod ut plurimum circa septimum diem contigit. Adhibui V. S. diaphoretica, præcipitantia, quamprimum verò notavi tertianas, aut tertianas duplices, exhibui statim chinata cum arcan. dupl. optimo cum successu. Septembri continuarunt febres tertianæ, sexto paroxysmo solutæ, ubi optimè profuerunt chinata &c. De his febribus erraticis vid. M. N. C. Dec. III. ann. VI. p. m. 177. app. nec non H. M. V. p. 300. Inter alia notavi, animi affectus quid possint. Officialis quidam incidit in ejusmodi febres, præcessit horror, secuti sunt calores, quæ in IV. durarunt diem continui cum anxietatibus præcordiorum, aut pectoris compressione, ut sæpe in lecto erectus sedere debuerit, cum capitis dolore, siti, deliriis &c. Adhibita Venæ sectione in brachio & pede quinta die remisit calor, qui tandem undecima intermisit, ut jam extra periculum judicatus fuerit. Quid sit, accepto tristi & ingrato nuncio repente incidit in somnum profundum, & quasi in ecstasin, ut exinde exper-

gefieri non potuerit, tandem applicatis clysteriis, nec non Vesicatoriis intra XV. horas ad se rediit, omnium rerum inscius, vix loqui valens præ nimis debilitatibus, at eodem die relabitur in priorem somnum profundum, sicque elapsis vix XII. horis, accedentibus convulsionibus, sine febre comatosus fatis cessit. Pari ratione nobilis matrona, quinquagenaria, temperamenti seroso-biliosi, habitus carnosioris, in sterili matrimonio semper existens, tributum tamen lunare suum accuratè, sed largissimè persolvens, hypochondriacis nec non hystericis passionibus valde obnoxia, jam à longo tempore valetudinaria, incidit sub finem mensis Septembris in febrem continuam subsimilem, quæ rite tractata degeneravit in tertianam exquisitam septimo paroxysmo judicatum. Reliquit autem post se summam virium prostrationem, anorexiam, capitis gravitatem, anxietates, cachexiam ipsam. Urina, quam hactenus reddidit, fuit turbida, cum sedimento copiosissimo, mucoso, coloris rosei, non tamen foetens. Materiam hanc hypochondriacam, quam natura, optima morborum medica-trix, per ductus urinarios excretam voluit, jam motam, promovimus digestivis, aperientibus, v. gr. pulv. hepat. tartar. vitriolat. arcan. dupl. sal. cicchor. lap. cancr. tinct. sal. tartar. tandem decoct. aperit. For. cum fol. senn. & manna acuato. Quinquies inde dejecit, relicta tamen aliquali, sed torminosa in intestinis hypercatharsi ad biduum; qua sedata melius sese habuit, atque ordinarius mensium fluxus instituit. Octiduo post, i. e. quarta Februarii, observavi pulsum alteratum, justo cele-

celeriores, sexta vespere affectum soporosum, propensionem nempe gravem & invincibilem in somnum, re ipsa dormivit, & excitata oculos aperuit, ad interrogata paucis, sed appositè respondit, de nullis doloribus conquesta, mox relapsa in somnum; si adstantes devotas ac pias cantilenas canere inceperunt, ipsa simul expergefacta statim cecinit, neque ante cantare destitit, quàm inchoatam absolvit stropham, adeoque semper sibi fuit præsens, omnes cognovit, nunquam sensibus neque internis, neque externis, neque motu destituta, sed valde debilitata, & ad actiones more solito obeundas languida, respiratio fuit integra. Calor febrilis notabatur p. n. lentus, acris & mordax, qui vespertino tamen & nocturno tempore intensior, pulsus celer, mollis, facies pallida, subtumida, quasi leucophlegmatica, oculi ultimis diebus quasi turbidi, lachrymabundi. Opposui huic Comati soporoso varia, v. gr. castorina, cinnabarina, jovialia, sal. volatilia, succin. C. C. cum pulveribus epilepticis & confortantibus remixta, nec non Vesicatorium nuchæ applicatum, sed sine operatione, imo irritò successu omnia, donec tandem somnus hic p. n. septima die corpus fratri suo morti tradidit. Paulo post mortem è naribus copiosè stillavit ichor serosus. Verissima igitur manet observatio Wedelii opiologiæ inserta, p. m. 46. qua fatetur, se nunquam vidisse affectum soporosum verè talem, ubi non adfuisset calor p. n. simul, quod & ipse aliquoties jam in praxi observavi. Eodem mense Illustrissima Comitissa gratiosam enixa est filiam, quæ lac

sugere ex papilla non potuit, sed id per nares summa cum molestia & anxietate reddere debuit. Examinatis faucibus, columella & tonsillæ cum postica parte palati abfuerunt, unde lac, quod deglutire non potuit, per nares resultavit. Non diu superstes fuit, tertio enim à nativitate die, accedentibus motibus convulsivis fatis cessit. In causas inquisituri, quare natura in formando corpore à recta formatione & scopo deflexit, harumque partium deficientium oblita fuit, sciant, Illustrissimam matrem libenter & quidem attentè ac consideratè sæpe in distractos canum & felium rictus ludendo inspexisse, adeoque horum structuram fortiter sibi impressisse. Interim Wedelianum porisma, uvulam nempe ad deglutitionem eximie facere, manet verissimum. Parallela aliquo modo huic exempla, si cui volupe fuerit legere, adeat Observationes Wedelii recensitas in M. A. N. C. legat Dec. II. Observ. 5. ann. 5. M. A. N. C. p. 12. nec non Salmuth. observ. med. 6. cent. 3. pag. 115. ubi similes reperiuntur casus. Febres erraticæ adhucdum Octobri continuaverunt, calores autem non adeo fuere intensi, interim observavi hamitricos, ubi febris una die bis venit, & altera semel. Vice-Colonellus quidam ex febre colica biliosa cum vomitu correptus incidit in deliria, ex his in convulsiones epilepticas, qui tamen evasit. Sic alius quidam Vir laboravit febre continua cum maximis debilitatibus, capitis dolore, corrosione & torminibus ventris, sexta supervenit fluxus alvi, septima icterus, qui occupavit totum habitum corporis, cum dejectionibus

albis, urina saturatiori, nigricante, oleaginosa, proclivitate in somnum, & solvit calores. Ab initio dedi diaphoretica cum confortantibus mixta, caloribus verò jam abactis spec. diacurcum. cum pulv. rhabarb. tartar. vitriolat. sal. cichor. trochisc. de eupator. &c. Novembri inceperunt grassari morbilli ut plurimum benigni. Tusses ferinae atque catarrhi frequentissimi. Mense Decembri continuarunt

adhuc morbilli, qui tamen sub finem anni maximam induerunt malignitatem, fuerunt valde parvi cum maximis catarrhis, fuerint &c. Quidam correptus ex febre maligna cum diarrhœa, vomitibus, singultu continuo, tandem adhibitis V. S. stypticis, castorinis, nec non opiatis, quæ pro dosi ad gr. iß. præscripti, nona die convaluit præter omnium expectationem.

Constitutio Epidemica Sempronensis Anni 1709.

JAnuarius incepit cum frigore, quod à die V. ad XII. valde exasperatum, imo post hominum memoriam acerbissimum fuit, remisit tamen ad aliquot dies, d. XVIII. verò iterum intendebatur, verbo, nives ceciderunt supra nives, gelu supra gelu, & continuavit per totum mensem. Mense Februario continuarunt frigora, imo III. & IV. ceciderunt nives copiosissimæ cum horrendo gelu & ventis, ut homo in plateis vix ire potuerit, quam tempestatem nemo unquam observavit, adeoque vera fuit rusticorum observatio: Sole micante, die purificante, nix major erit, quam ante. Sol enim hoc die splendebat. Post novilunium remisit gelu, sed rediit die XVIII. XIX. ingens cum nivibus, quod continuavit: die XXV. & XXVI. longe majores ceciderunt nives cum omni tempestatum insolitarum, frigorum & ventorum genere, quæ præcluserunt ubique vias, arbores frigoribus obnoxias deusserunt cunctas. Duravit hoc in Martium usque. Continuavit enim & hoc mense gelu una cum nivibus, quæ copiosè ceciderunt, ad æquino-

etium usque, adeoque hyems hujus anni fuit summa, tempestas sævissima, nivis altitudo maxima, cujus nulla hominum ante nos recordatur memoria. Jam mitescente hyeme jucundiora & calidiora affulserunt tempora. Aprilis enim fuit valde amœnus, serenus, calidus. Majus tamen erat frigidus, pluviosus, XVII. die ninxit. Junio denuo calida, sicca tempestas observabatur. Mense Januario continuarunt adhuc morbilli cum tussibus vehementissimis, catarrhi; febres continuæ septima die solutæ, quæ tamen levissima occasione redierunt. Hoc mense in puella octenni observavi menses ordinarios. Februario grassabantur petechiæ, febres continuæ, & matrona quædam mortua est comate somnolento septima morbi die. Martio viscebantur morbilli, herpes miliaris ex puerperio. Catarrhi fuerunt frequentissimi, & apud infantes cum febre continua. Febres continuæ, petechiales adultos quoque invadebant, quæ posteriores per totum Aprilem observabantur. Mense Majo morbi præter catarrhos, febres intermittentes, fere nulli. Virgo tamen quæ-

quædam nobilis hoc mense *sphacelo ex colica biliosa* duarum dierum fuit morua. Erat hæc ipsa virgo XXXII. annorum, atrabilaria, quæ d. IX. *Maji* derepente vesperi incidit in sævissimos & acutissimos ventris dolores, qui *dextra magis parte* cruciarunt, atque modo sursum, modo deorsum ierunt, in primis verò *regionem umbilici usque ad scrobiculum cordis* occuparunt, tanta sævitie, ut existimaverit se veru ignito perfodi, urserunt vomitus, *anxietates summæ*, adfuit *omnimoda excrementorum & flatuum retentio*; ordinavimus frequentes *enematum injectiones*, nec non *aquam laxativam*, quam prima vice rejecit, altera verò retinuit, irritato tamen conatu omnia. Secunda enim die fluxerunt *menses coloris nigerrimi*, accessit paulo post *singultus*, mox *totalis fere tum pulsus, tum caloris extinctio*, salvis sensibus motuque membrorum illæso, quam refrigerationem non percepit, quin potius de intensissimis caloribus internis, quasi candenti ferro intus adusta fuisset, conquesta, manibus glaciei instar rigidissimis subinde loca petiit frigidiora, eademque die, i. e. secunda *Martii* vesperi mentis tamen compos, velociter, sed feliciter humanis rebus crepta est. Succi hic intestinales, in primis biliosi, acres inter plexus nerveos mesentericos, nec non fibras intestinales hærentes, atque in illarum anfractibus conclusi, acrimonia sua tormina & cruciatus excitarunt terribiles, atque in fundum Ventriculi penetrantes Ventriculum ad vomitus & singultum stimularunt, arsenicalem autem naturam mox induentes testina instar mineralis veneni assumpti corroserunt, dilacerarunt,

atque in ea more perforantis terebellæ, aut spinæ infixæ, se infixerunt, inflammationem conciliarunt, & stagnante in capillaribus sanguine, acrimonia sua corrosiva in momento fere intestina sphacelarunt, quasi in ferventissimam aquam immersa fuissent. Similes casus vid. apud *Joh. Sophron. Kozack de sale, cap. 6. sect. 15. pag. 260. Dominic. Panarolum Observ. Med. 50. Pentecost. 4. p. m. 139. Segerum observ. 82. dec. I. ann. III. M. A. N. C.* Mense *Junio* morbos nullos observavi, exceptis *febris tertianis*, nec non casu infelici cujusdam *Domini, febre continua* laborantis, quam die IX. exceperunt *terribiles convulsiones epilepticæ*, inde secuta *deliria &c.* Calores intermiserunt, *deliria* vera remanserunt. Sub initium quartæ septimanæ observavi novos calores ex *scorbuto* ortos, cum *maculis scorbuticis purpureis, vigiliis continuis, deliriis*, nec non *copiosa sanguinis per inferiora* partim grumosi, partim floridi ad tres medias *ejectione*, inde summa virium prostratio, & cum fine quintæ septimanæ mors. *Julius* hujus anni fuit valde ventosus, quandoque præter morem austerus, frigidus, sine pluviis fere. Totus *Augustus* erat valde calidus, exceptis sub finem aliquot diebus, qui fuerunt ventosi, frigidi. Frigus quoque observabatur per totum *Septembrem*, qui ut plurimum pluviosus fuit. *Ægidii* die usque ad prandium pluebat, in *Festo Matthæi* circa vesperam habuimus ingentia fulgura, tonitrua, pluvias, sed sine grandinibus. Mense *Julio, Augusto, Septembri, Octobri insolitæ* sine ætatis discrimine sævierunt *febres*, peculiarem enim habue-

runt naturam, invaserunt cum modico horrore, mox caloribus continuis, ut etiam peritissimi credidissent, adesse febres continuas malignas, vomitibus, alvi fluxu, siti, doloribus capitis, vigiliis, V. demum die remittente calore degenerarunt in intermittentes exquisitas, quæ pro subjectorum temperamentis, sanguinisque ac humorum constitutione modo contumaciores, modo benigniores fuerunt. Paroxysmum imminens ut plurimum comitabantur frequentes dejectiones biliosæ, nec non Vomitus terribiles cholerae instar. Evomuerunt quippe modo frustra pituitæ coagulatae, viscidæ, modo bilem flavam, modo viridem, modo vermes *ἀνω* & *κάτω* copiosos, diebus intercalaribus cessarunt vomitus, alvi fluxus. Versipellis hæc febris epidemica quosdam invasit cum exanthematibus urticae puncturis similibus, quæ calore retrocedente recesserunt, & calore redeunte redierunt. In duabus personis, una XVII. altera XXX. annorum, observavi his febribus supervenisse apoplexias fortissimas lethales. Rarò servarunt statuta sua tempora, sed quandoq; X. XII. horas præponendo & anticipando virulentiam suam ad 30. aliquot, imo 40. horas exercuerunt, quandoque unus paroxysmus excepit alterum, donec tandem peregrino materiæ miasmate sufficienter dissipato & extincto, septimo, aut ad summum octavo paroxysmo terminatae sunt, relictis post se pustulis & fissuris in lingua, inflammatione faucium, abscessibus, semper autem virium prostratione summa. Venæ sectio etiam in principio adhibita nil profuit, quin potius febrilis paroxysmus post ejus administrationem incrementum sum-

fit, sanguis autem extractus floridissimus apparuit, & natura magis debilitata fuit. Conduxerunt blanda diaphoretica, quæ paroxysmos in ordinem redegerunt, & post tertium paroxysmum laxantia die à febre vacuo exhibita. Tandem devenimus ad antifebrilia, uti sunt salia amariuscula, quæ incidunt, serumque attenuant, v. g. sal absinth. C. B. centaur. min. arcan. dupl. nec non alcalica fixa, pulveres nempe insipidos ac terreos, quales sunt lap. cancr. specif. febril. Cr. Omne autem fere punctum absolvit decantatissimus cort. peruv. cum salibus mixtus, & evacuato jam corpore, i. e. ante accessum V. VI. & paroxysmi propinatus, septimum vel ad summum octavum paroxysmum subegit, atque hac ratione febrem hanc jugulavit. Rimatus causas procatarticas epidemialis hujus febris, aëris anomaliae & intemperiei, nec non largiori potui propter calorem externum vix tolerandum eam adscribendam duxi. Augustus enim, qui fuit calidissimus, poris nimium apertis corpora sudore copioso manare fecit, inde serum absumptum, aut subtractis partibus tenuioribus biliosæ particulæ auctæ, atque hoc modo acrimonia biliosa, fermentifica, irritativa enata, quæ licet à largiori potui dilui, & serum refundi videretur, Ventrliculi tamen & intestinorum tonum labefactavit, & ad excernendum *ἀνω* & *κάτω* plus justo contenta citavit. Ut ut non negandum, febres has epidemicas ex miasmate, aëris sobole, simul aliquid participasse. Non fuerunt contagiosæ, imo si rite tractabantur, nulli funestæ, ex incuria tamen & negligentia, aut medicastrorum

rum præpostera & perversa cura ac imperitia accedente *cachexia* & *hydropse*, multis exitiosæ. Et hæc ratio est, quòd in aliquibus locis Hungariæ ex defectu medicorum & medicamentorum, aut perversa, aut neglecta cura hæc febres *malignitatem pestiferam* assumerint, in primis si ex miasmate, aëris sobole, aliquid

participarunt. *Febres petechiales*, quæ tamen autumnò præcipiti quotannis sunt frequentissimæ, hoc anno vix observavi, & si vidi, fuerunt *benignæ*. *Diarrhææ* atque *dysentericæ* eodem tempore frequentes quoque fuerunt. Infantes, quos corripiebant, si superarunt *nonum diem*, evaserunt.

*Dni D. Josephi Lanzoni Constitutio Epidemica Ferrariensis
Anni 1729.*

O Quam amara est, ac semper erit, apud Ferrarienses memoria anni hujus 1729.; cujus calamitatis initium fuit Lunaris cursus Septemb. anni elapsi 1728. Tunc enim austro spirante

*Post largos imbres pluviamque
madentem*

inceperunt aquæ pertinaciter adeò super terræ faciem effusæ, ut totam telluris superficiem aquis pluvialibus contectam, semina futuræ messis respicientem, inspicere fuerit coactus infælix noster Agricola:

Hinc moderatrix Cynthia noctis

in quavis periodo aqua pluviali scatebat, & usque ad Majales dies cœli claritas non effulsit, sic corruptæ in imis vallibus aquæ foentes dabant nebulas, & in illis, non ex illis, penè infinita oriebantur infecta, hinc erucæ, culices, muscæ, & varia ranarum & bufonum genera totam terræ superficiem infecere,

quod fortè corruptionis aquarum ac aëris signum evidens fuit; sic apud *Plutarchum* legitur, artem medicam pestilentem æstatem ex araneorum frequentia prænunciare; Accessere æstivæ *Luces*, cum derepente in *Vinariis* cellis totus *Bromii* liquor excaudit, qui erat solatium cordis, & in ipso excitata præternaturali fermentatione, mutato colore, sapore, ac motu, ejus omnis compages vitiata computruit; unde rectè caneret *Silius*

Et marcida vina largiuntur;

Hic ego exclamavi cum discipulis meis, ô nos infælices, ex vini corruptione humorum dyscrasiam experiemur; inter vinum & sanguinem enim intercedit mutua analogia; unde ex illius putrescentia corruptio humorum nostrorum erit timenda; & hic cœpere in hominibus *febres*, primò *subtertianæ* figura cum vomitibus, ac alvi fluxibus biliosis, aliisque pravis stipatæ symptomatibus; nullis cedebant remediis, à *Venæ* sectione complicabantur. Et hic bilem continere ne-

queo, cum enim in meis publicis ac privatis Lectionibus, in meis scriptis, typis datis, docuerim venæ sectionem Panaceam non esse, imò suadente *Celso* anceps esse ac periculosum præsidii tale genus, attamen, velut si esset aqua fluminis, sanguis inutiliter, imò damnosè, disperditur, & cum venæ sectio sit magnum remedium, non nisi urgente necessitate in morbis magnis, ac internis inflammationibus, apoplexiis usurpari deberet; Ast in tertiana suafu Doctorum, & speciatim *Joh. Fortis, Ramazzini, Rolarii &c.* Venæ sectio usurpata duplicat febrem, ut in praxi faciendâ meis ostendi Tyronibus; ex missione enim sanguinis fomes tertianæ febris, stabulans in primis viis, mutato loco in venas transit, unde ardens facta morbus evadit lethalis; & ut verum candidè dicam, nescio in quo libro Doctorum legerint hæc isti nostri Pseudo-Medici vel non studentes, vel non legentes, aut non intelligentes, quod pejus est: Ast redeamus in viam; si à cortice Peruviano sistebantur istæ febres, post paucos dies in fortiores redibant, imò in vaso tota afficiebatur familia,

Cui latebat in corpore pestis,

& brevi temporis intervallo repleta Nosocomia, & nulla penè domus à furore hujus febris exempta; omnia monasteria ægrotabant, & nullus in urbe locus ab hac lue immunis evasit: In multis causa mutato loco febres produxit ardentis, unde ad plures, sivè ad Alibanthas, migrarunt,

Quos labor & duræ rapuit inclementia Mortis.

Nec audax lues timuit Principis habitaculum, sed sacram illius ædem ingressa ejusdem turbavit venas, & pene totam illius familiam solita febre affecit, atque multos aulicos enecavit,

Perque omnes sævit Mors inopinata vias.

Sanctimonialium Septa pene omnia febricitabant, multæ Ecclesiæ absque sacerdotibus erant; & sine sacrificio populus remanebat, præsertim ruri, ubi pessima ista lues totum expandit vexillum. Hic mihi notare liceat plebeios non nullos, neglectis remediis, solo usu vini generosi convaluisse, & ego justè fateri possum me, meosque familiares, hac febre affectos fuisse, & nunquam vini potum reliquisse, & ego in hac constitutione recidivans solo usu pul. Chinæchinæ, aut Cascarillæ cum vino malvatico ad plures vices assumpto, convalui, cujus pulveris ac vini potioni successit alvi fluxus, ac si assumpsissem Cassiam, vel Mannam.

Accessit Autûnale æquinoctium, quo tēpore putarunt multi hujus constitutionis finem videre; sed incassum spes ivit, nam post æquinoctiales dies multi denuo ægrotarunt, aliique nondum febrem passi, Octobris diebus, hac febre affecti, affectionis hujus tyrannidē experti, in febriles insultus incidere: Sic Mater ministrans filiis ægrotavit, sic Dominus servis, sic maritus conjugi, sic familiares invicē sibi effervescentias febriles communicabant, ita ut omnis penè familia ægrotaverit. In nonnullis variabat febris, & præsertim in recidivis, unde modo sub forma *hemitritæi*, nunc *rheumaticæ febris*, nunc deliræ &c.

&c. morbus redibat, aliquando absque ullo remedio cessabat, nunc in quartanam transibat, modo in pustulas, ac scabiem commutabatur: in aliquibus apparuerunt vermes, per vomitum & alvum excreti, modo vivi, nunc mortui, quod fortè indicium erat summæ corruptionis humorum in primis viis stabulantium: urina in aliquibus turbida reddebatur, ac penè jumentorum lotio similis, in aliis albescens, subviridis, ruffa, sabulosa, ac fætentissima; unde judicavi concoctiones non fieri in corpore, sub potus corruptione; Liberi enim à febre pristinum colorem non recuperabant, vires non redibant, nutritio impediabatur, & excrementa semper biliosa, vel cruda, concoctionis signa non dabant. Bombyces in veris initio catervatim peribant, volucres fugère, pisces solummodo crescebant. Nonnullis apertis corporibus hoc morbo denatis, in ventriculo ac omnibus intestinis inventa est magna copia humoris viscido-flavo-viridis, una cum aliquibus maculis lividis in ipsis intestinorum tunicis; vesica fellis erat in statu præternaturali, nam liquor felles penè gypseus erat, mutato sapore, sicuti succus pancreatis austerus apparuit, cætera vero viscera erant sana, & ne minimum quidem à statu naturali recedebant; in aliquibus non nulli vermes in intestinis reperti sunt, in aliis non.

Communes autem morbos à communibus causis progigni certum est, ut etiam fatetur Cl. Ramazzinus; communes verò causæ sunt potissimum aër, alimenta mali succi, & aquæ corruptæ, ita in nostrâ urbe, & agris, hæc fuere morborum hujus

constitutionis causæ, & semina, ex his ergo omnibus, sed promptius ab aëre tanquam è communi fonte, è quo nemo nō potare cogitur, morbos quosdam derivari, qui multos eodē tempore afficiant, omnium pariter est consensus. Ad hanc porro nostram *epidemiã* excitandam, in unum convenisse, & aërem vitiatum, & prava alimenta ingestas fas est arbitrari; primum quidem locum aëri à sua naturali temperie, non solum secundum anni tempora recedenti, sed particulis humanæ naturæ incongruis ad satietatem pleno concedendum dixit Cl. Ramazzinus; secundum autem locum pravis alimentis & aquis vitiatis; Quamvis autem de miasmate contagioso aliqua posset esse suspicio, namque in unâ domo uno infecto, statim alii ejusdem familiæ febricitabant; id tamen potius in communem diathesim ad maturitatem eodem tempore evectam, non secus ac cum Autumno fructus omnes eodem tempore maturescunt; referendum puto potius, quàm in effluvium aliquod contagiosum, exiens è corpore primi ægrotantis; Hic autem non pigeat referre *remedia*, quæ, ut sciam, fuere ægris apposita, ut hæc febrilis prava constitutio evinceretur; Primò non nulli medici in principio leniens pharmacum exhibebant, mox cucurbitulas scarificatas dorso applicabant, inde pul. Chinæchinæ propinabant, & febris sistebatur saltem per aliquot dies, si verò redibat, iterum China porrigebatur, ita ut aliquis fuerit qui piures libras talis pulveris sumserit: Alii porrò medici sanguinis missionem celebrabant, & febres duplicabantur; multi assumpserunt pulverem rad. cōtrajervæ, corticum aurantiorum, corticum

ticum med. fraxini, decoctum amarum D. *Lemeri*, coriandr. pulv. Theriacam *Andromachi*, rad. Carlinæ; alii experti sunt Mithridatii usum frequentem; Diascordion *Fracastorii*, Decoctum centaur. & verbenæ, vinum absynthio correctum, Chinæ corticem actuabant alii addendo modo rhabarbarum, modo cremor. tartar. vel Sal catharticum Angliæ, ad hoc, ut fusi humores corrupti in primis viis facilius per alvum exirent; Ego verò, quod ad me, quotiescumque assumo in vino pulverem chinæ febrifugæ, statim alvi fluxum patior, ac si cassiam, vel mannam, susciperem; Ol. nostrum contra pestem, vulgò *del Cartagna*, à multis adhibitum fuit, sicut etiam vomitoria ipsa, & immensus aquarum potus; verum ait *Ra-*

mazzinus, quid opis expectandum in his febribus ab aquæ potu? imo ex ejus usu sanguis pigriore motu per vasa efflueret, ac tandem cachexiæ & hydropes succederent, uti accidit in Juvene à *Ramazzino* memorato; ego certè modico vino sum usus, nec unquam vidi aliquem pravum effectum ab eo: Infinita propemodum curavi corpora in hac constitutione, & justè fateri possum, neminem affectum febris talis constitutionis, à me curatum, mortuum fuisse, præter duas foeminas, unam 65. annorum iliaca passione necatam, aliam ex suppressione mensium, inflammatione cerebri extinctam. Hæc currenti Calamo scripta sint in memoriam hujus constitutionis pessimæ. (*Ferraria Altorsum m. Febr. An. 1730. missa.*)

Dni D. Caroli Friderici Læw Historia Febris Catarrhalis, quæ annò 1729. Mens. Novembri. & Decembri per Europam Epidemicè grassata est, cui accedit Constitutio Epidemica Anni 1730.

Quanto, quamque indefesso labore Societas Imperialis L. C. Nat. Cur. cum in rariorum perscrutatione, tum in utilium tam *physicalium*, quam *medicinalium* rerum detectione à primis incunabulis ad hæc usque tempora, usa sit, Acta atque Volumina nostra satis superque testantur. Laudem merentur *Bauschius*, *Fehrius*, *Volckamerus*, *Schrœckius*, aliique tanto majorem, quo sæpius à *Membris Academicis* eorum communicationem petierint, quæ utilitate majori se commenda-

verint. Atque hinc est, quòd toties de *constitutione aëris* non modo, sed & de *morbis epidemicis* accuratiorem descriptionem efflagitarint. Quo magis autem hac ratione inductus Parens piè defunctus, & de *mutationum aëris* genuina annotatione, & de *affectuum* inde dependentium diligentiori observatione, & de *probatissimorum remediorum* consignatione Societati per multos annos sollicitum sese præstitit; hoc fidelius hæc ipsa ex Auctoris schedis posthumis æque recensita, ac in ordinem digesta, sub titulo

Histo-

Historiæ Epidemicæ Hungariæ, Act. Phys. Med. A. C. L. C. N. C. Volumini I. deinde à me sunt annexa. Neque per plures annos à me conscriptum, atque publico bono destinatum opusculum de *epidemica Viennensi constitutione* denegaturus, si sese hæc qualiscunque opella lectori probaverit. Hujus summa est oppositio *febris catarrhalis*, quæ An. 1729. sigillatim mense *Septembris* atque *Octobris*, Viennæ epidemicè grassata est, atque eo accuratori delineatione opus habet, quòd hujus mali semina non tantum per *Sueciam, Daniam, Hollandiam, Angliam, Hispaniam, Galliam, Helvetiam, Italiam, Austriam, Germaniæ partes reliquas, Hungariam, Poloniam*, totamque *Europam* eodem tempore sparsa sint; verum & in curatione *cautelæ* non nullæ occurrerint, ut non adducam, morbum hunc esse *variorem*, neque quotannis *obvium*, neque ab ullo sufficienter *descriptum*. Ut enim & *Schenckius* in Præfat. ad *Libr. obs.* mentionem faciat *febris catarrhalis*, quæ anno 1580. præter *Germaniam, Italiam* adeo afflavit, ut vel *Romæ* saltim ultra 9000. hominum illata strages excreverit: & *Antonius Menjotius* in *Dissertat. Patholog.* p. 140. *tussim* ferinam, contagiosam, malignam, avorum memoria *populatim* sævientem, & à *cucullo*, quo capita solebant operire, *coqueluche* vulgo dictam recenseat: & *Nicol. de Blegny* in *Zodiac. Med. Gallic.* sive *Miscel. Med. Phys. Gallic. Ann. I.* p. 184. paucula quædam de *catarrho* anno 1679. epidemio, tussi perpetua, vigiliis, oppressionibus, febre continua, dyspnœa, pleuripneumonia stipato, multis lethali, atque

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

remediis *ordinariis* non cedente, nobis reliquerit; superficialia tamen sunt, neque animum curiosiorem exfatiant. Adeat, cui volupe est *Thomam Sydenham*, Practicum quondam Londinensem celeberrimum, ubi præter ea, quæ Doctissimus *Carolus Raygerus*, Pannoniæ decus illustre, atque *Paulus de Sorbait* nobis de *tussibus* tradidere, quæ anno 1675. per *autumnum* longè latèque depopulatæ sunt, plura adhuc inveniet. Quod enim *Car. Raygerus* *Ephem. Germ. Dec. I. Ann. VI. & VII.* p. 312. annotavit, dum per totum *Septembrem*, mediumque *Octobris* anni citati, ob *insolitam* aëris temperaturam, æstatem *pluviosam*, insequentem autumnum *inæqualem*, modo serenum, modo *pluviosum*, insolitos etiam *catarrhos Pofonii, Viennæ*, per totam *Austriam*, in *Silesia*, inprimis *Uratislaviæ*, imo per totam *Germaniam*, homines eodem tempore, eodemque prope modo cum *rigore & calore* invasisse, nemini tamen exitiosos fuisse scribit, illud *Thom. Sydenham* in *Praxi Med. Experimentalis* p. 275. & 304. seq. non solum confirmat, dum sub finem *Octobris* ob *tepidam*, atque ad instar æstatis placidam tempestatem, derepente in *frigidam humidamque* mutatam, *tusses* numerosiores grassatas adducit, quàm alio quovis, quod meminit, tempore, nemini fere parcentes, cujuscunque is fuerit sive *ætatis*, sive *temperamenti*, integras verò familias simul pervadentes; sed etiam evincit, febrem hanc *catarrhalem* fuisse *eandem* epidemicam quæ *Julio* 1673. *ingressa* progrediebatur, cum & hæc antequam *catarrhi* se ostenderent, & illa, quæ post *catarrhos* permansit, æquè ac *catarrhalis*,

lis, semper cum dolore capitis, dorsi, atque artuum quoslibet aggressa sit, atque V. S. aliisque similibus medicamentis tractari debuerit. Idem & nos anno 1729. experti sumus, cum per totum anni decursum usque in sequentem, epidemica quædam febris sese exeruerit, quæ & ante catarrhalis accessum, & post ejus declinationem pro diversa mutatione aëris, aliarumque circumstantiarum, diversos affectus quidem simulavit, semper autem cum summa lassitudine, dolore capitis, dorsi, atque artuum initium sumsit, atque V. S. similibusque remediis, quibus catarrhalis, sublata est. Licet ergo mense Jan. Febr. & Mart. anni 1729. non nulli hepatidem, aliasque febres inflammatorias incurrerint, in plurimis verò catarrhales malignæ petechizantes in cōspectum predierint: April. Maj. & Jun. tam benignæ quàm malignæ catarrhales, cum variolis malignitate non carentibus, continuaverint: Jul. Aug. & Septembr. non modo catarrhales malignæ, aliæque continuæ, atque ipsa purpura alba in puerperis; sed & frequentiores atque pertinaciores diarrhææ æquè, ac tertianæ duplicatæ observatæ sint: mense Octobr. multi angina, peripneumonia, pleuritidi, aliisque febribus inflammatoriis, obnoxii fuerint: die 21. Novembr. tepidiorum excipiente humido-frigida tempestate, præter malignas, sæpius adducta catarrhalis oborta sit, per Decembrem inaudito modo sæviens, atque 4. Jan. 1730. non nisi nivibus, atque vento frigidiori cedens: licet tandem Jan. Febr. & Mart. anni 1730. angina, pleuritides, febres malignæ, petechiales visæ sint; semper tamen prior illa epidemica sub iisdem latuit.

Hoc certius, quòd hæc catarrhalis, alias tum abundantia sive sanguinis, sive seri, non nunquam viscidioris, non nunquam impurioris, præditos, hincq; sanguineo-phlegmaticos magis invadēs, tum sensibilibus, relaxatis, vel ob obesiorem, spongiosioremq; constitutionē rarioribus fibris, vasis minoribus, majoribusque poris instructos afficiens, tum ratione ætatis, modo infantibus ob temperamentum calido-humidum, teneriorem texturam, majoremque sensibilitatem ab aëre externo familiaris, modo adultis ob naturam sicciorum, firmiorem atque compactiorem structuram hincque ob majorem congestionem versus pectus tussi sicca molesta, modo senioribus ob humores spissiores, fibrasque de suo tono dejectas incommoda: tum ratione sexus, sequiorem, ob majorem sensibilitatem infestans, tum eos occupans, qui vel alias huic obnoxii, vel læsionem in pectore sentiunt, vel meticulosi existunt, vel partes capitis atque colli glandulosas ab aëre humido-frigidiori non satis defendunt; quòd inquam, hæc febris præterito anno tam contagiosa fuerit, ut fere omnes homines, sine ullo discrimine, & eodem tempore, & eadem ratione, iisdemque circumstantiis & symptomatibus, more omnium epidemicorum morborum, tam per totam Europam, quàm Viennæ, multo celerius, vehementiusque petierit, quàm ullo unquam tempore. Unde etiam est, quòd in hac Civitate non 60000. hominum, quòd novellæ tradidere, sed longè major numerus hanc perpeffus sit. Neque enim eadem cholèrico, neque aliis temperamentis pepercit, sive deinde fuerint plethorici, sive minori quantitate sanguinis

guinis præditi. Neque in hominibus *viscido* abundantibus solum erant spectabiles, sed etiam in illis, qui sanguinem *fluidiorem*, sufficientique sero diuturnum obtinuerunt. Æquè in *macilentos*, ac *obesiores*, æquè in robustos ac *debiliores* & sensibiliores, æquè in *infantes* ac *adultos*, non modo *juvenes*, verum etiam seniores, cujuscunque *sexus* fuerint, tam extra *conjugium*, quàm in illo viventes, imo & in ipsas *gravidas*, ab epidemicis affectibus alias magis immunes, vehementer grassari cœpit, ita ut neque *domi* hærentes, neque in *itinere* constitutos intactos reliquerit, sive *diætam* accuratiorẽ observaverint, sive minus. Etsi verò etiam *injuriis aeris* alias *adsuetos* sæpius aggressa sit, tantum tamen abest, ut hac vice *omnes*, in quibus ob majorem *sensibilitatem* alias continui, gravioreque *catarrhi* vigeabant, in eandem inciderint, ut *multi* potius immunes manserint, *Perillustris* quidam *Dominus* mutato *climate* nulla febre *catarrhali*, licet alvi contumacissima *obstructione* laboraverit, correptus fuerit, atque ex *gravidis*, quamvis in plerisque *debilitates syncopticæ*, *abortus*, aliaque periculosa Symptomata supervenerint, quædam tamen reperta sit, quæ sanguine *viscidiori* non obstante, nihil de eadem perceperit. Gravius decumbabant, nullis *medicamentis* utentes, hocque magis, si corpore calefacto, atque ad *sudorem* disposito, aëri *humido - frigido* sese exposuerint. quod in duabus *Serenissimorum Principum* aulis conspeximus. *Contagium* per totam *Europam* præ se ferebat, ut & *activam*, & ad *corruptionem*

pronam materiã præsupponat. Quamvis autem *Viennæ* non tanta *malignitate* comparuerit, quanta quidem in agro *Bononiensi*, inque quibusdam locis *Angliæ*, cum ibi *petechiæ*, aliaque periculosiora Symptomata insimul accesserint, atque homines intra *paucos* dies instar pestis è medio sustulerint, nihilo minus tamen & hic in altero præ altero major *malignitas* sese prodebat, pro uti nempe vel *simplicem* regularem febrem catarrhalem, vel *aliis* morbis gravioribus junctam expertus fuerit, cum hi *posteriores* non solum *anxietates*, pathemata *syncoptica*, *vigilias* extraordinarias; aliaque vehementiora symptomata post se traxerint; sed & in causa fuerint, quòd quibusdã non *IV.* vel *VII.* sed *XIV.* vel *XXI.* demum die febris hæc validexerit. In *omnibus* malum hoc epidemium *initium* sumpsit cum spontanea *lassitudine*, *vigiliis*, *calore* majori, sine ulla tamen *siti*, *pulsu* tardiori, debiliori, suppresso fere, aliisque quæ *malignitati* tribui solent, Symptomatibus, quæ comitabatur *inappetentia*, & *tussicula sicca*, tam ob *continuitatem*, quàm ob *vehementiam* molesta. *Plerique* horum conquesti modo de *pectoris*, modo de *capitis* congestione, interdum *graviore*, interdum *leviore*, quam presso pede excepit non nunquam *respiratio difficilis*, non nunquam *vertigo*, ut & *gravitas capitis*, & *delirium*, & *coryza*, & *sternutatio*. Porro *quam plurimi* præter symptomata recensita afficiebantur vel *dolore dorsi* satis atroci, vel *stupore*, & *dolore articulorum*, *artuumque* tensivo, vel *horrore*, vel *diarrhœa*.

In quibusdam tamen & alia notatu digna phænomena complicantur, quæ pro diversitate *subjecti* fuere diversa, ita, ut alii non tam *horripilatione*, quam *horrore intensiori*, atque per aliquot horas durante correpti sint, alii *raucedine* laboraverint, alii ob plethoram, *calorem* majorem, *faciei inflationem*, *rheumatismum*, *obnubilationem* atque *obscuritatem visus* experti sint, alios alia occupaverint. Non attingam *dorsi* atque *abdominis* dolorem in *gravidis*, neque mentionem injiciam *anxietatum*, quæ *meticulosos* obruebant sæpius, neque *vomitum* atque *dolores* lumborum in *calculosis* observatos, neque *pertinacem sensum frigoris* in *hystericis* circa *futuram sagittalem* annotatum adducam; hoc saltem addam, in iis, ubi *graviores morbi prægressi* sunt, non tantum debilitates *syncopticas*; sed & *periculosiora* in conspectum prodisse *pathemiata*, quod tum in aliis, tum in *Viro* quodam *Juvene*, nobisque *amico* videre licuit. Is enim existens *habitus* macilentioris, *temperamenti* sanguineo-melancholici, atque ad *hæmorrhoides cæcas* inclinans, licet ex *febre*, quæ post *prægressam iram*, *diætam* neglectam in itinere, *acidulas Selteranas*, neque *decenti tempore*, neque *decenti modo* in usum vocatas, non tantum *febris continuæ*, *malignæ*, atque ob *calorem summum*, *sudorem* ferè *colliquativum*, *alvi* *pertinacem obstructionem*, *vigilias* *continuas*, *deliria*, *debilitatem* *pulsus*, *spasticas torsiones oris*, *floccorum* *lectionem*, *periculosissimæ* *typum* præ se ferebat; sed & die *XV.* in *ter-*

tianam duplicatam transiit, sequente deinceps *triplici tertianæ* *simplicis* *recidiva*, quarum *quælibet*, etsi *excessum* in *diætâ* pro fundamento habuerit, *diversissimis* tamen *remediis* tractanda erat, ut & *postrema* partim die *vacuo* initium sumsit, partim loco *anticipationis* in prioribus *spectabilis*, *postposuit*, terminando deinde in *febriculam lentam* cum *summa debilitate*, continuo *sudore*, *fœtorem* de se spirante, *purpura alba*, *tussicula sicca*, *œdematibus*, aliisque; licet, inquam, hic *Vir* optimus ex hac *febre periculosissima* æquè ac *intricatissima* restitutus fuerit, *viresque* jam aliquantum redierint; eidem tamen *catarrhali* mense *Decembris* expositus erat, hocque *gravius*, quòd *deliriis* ferocioribus, *calore* summo, *vigiliis* ad diem *vij.* *solutionis* usque *stipata* fuerit. *Progressu* temporis, atque *morbo* in *statu* suo constituto, & *Symptomata* sensim aucta sunt. *Pulsus*, qui in *principio* fuit *debilis*, jam *fortior*, *celerior* reddebatur, ut de *doloribus pectoris* versus *hypochondria* sese extendentibus nil dicam. *Deliria* in quibusdam continuabant, plerisque *dolores* maximum faceffivere negotium, ut neque *tussire* potuerint, ad unum omnes, qui præsentem morbo *auræ frigidiori* temere sese commisere, *sudoremque* neglexere, vel *gravius*, vel *diutius* decumbentibus. *Conspexi* id ipsum in *Illustriiss.* atque *Excellentiss.* quodam *sene*, *plethorico*, *binis* vicibus, cum & post *primum* exitum, *catarrho* nondum penitus *discusso*, multa statim orta sint *periculosa Symptomata*, *congestio* versus *pectus*, *caput*, *ophthalmia*, *respiratio*

ratio difficilis, anxietates, hæmoptysis, plenitudo pectoris è spumido quasi sono inter respirandum colligenda, pulsus suppressus, inquietas nocturna somnum turbans, lassitudo summa: & altera vice, etsi morbus ad declinationem pervenerit, ita, ut sub blanda diapnoë blandior somnus & respiratio accesserint, tantæ tamen alterationes, vigiliæ, debilitates eundem de novo invaserint, ut graviora metuenda fuissent, nisi V. S. præservandi sine instituta æquè, ac continuis blandis excretionibus, tam per poros cutis, quam per vias urinarias, atque alvum sub specie diarrhææ, quam denique per tussim vim morbi à vij. ad XIV. diem laxatam vidissemus. Adducta confirmat mors pauperculi, hydrocele simul laborantis, quæ intumescientiam totius corporis, ob denegatam diapnoen in hypocaufto frigidiori excipiebat. Porro infantes ob deglutitionem materiæ rejectæ torminibus affligebantur: hinc erat inquietas nocturna. Sic & in puella dilationem peritonæi circa inguen dextrum cum metu herniæ, ob tussim vehementiorem non modo observavi, verum etiam in gravida, præter dolorem, qui & in dorsum, & abdomen sese diffudit, debilitates synopticas, tonsillarum inflammationem, lactisque è mammis eruptionem deprehendi. Lipothymia ut plurimum in prædebilitatis increbescebat, ut & spastica stricture circa nucham in vetula quadam, quæ apoplexia ante aliquot annos tacta erat. Sed cum morbus hic tam varius fuerit, sese transformaverit, ut aliquando febrem continentem, sæpif-

simè continuam, aliquando intermittentem mentitus fuerit, quis quæso omnia Symptomata, quibus hic morbus exacerbatus est, enarrare queat. Sufficiat ergo, horrorem interdum remissiore, interdum intensiore; & per aliquot horas in IV. personis continuantem, altera vice non accessisse, cujus per octo horas cum calore majori, sudore copiosiori, artuum dolore inmani, atque hæmoptysi, durantis, & tamen secunda vice non annotati, exemplum præbebat femina quædam Juvenis, ut & alius febrem catarrhalem negligens, ex itinere Taurinensi redux. Sicuti autem in hoc horroris comes erat dolor pectoris acutus, respiratio difficilior, calor intensus, quæ partim ob calidiorum adhibitionem, partim ob loci in morbo mutationem, graviora sequebantur Symptomata, stricture pectoris, aliarumque partium pertinaciores, deliria, urinæ suppressio, subsultus tendinum, vigiliæ, pulsus debilis: ita & XI. die rejectio materiæ copiosioris & rubicundæ, & fetorem de se spirantis sub tussi fortiori in eodem loco junctum habuit dolorem, ut de critica atque salutari excretionem per poros cutis, vias urinarias, alvum sub forma udoris æquè, ac diarrhæa, quæ à vij. usque ad XIV. perdurabant diem, nil adducam. Febres compositæ plerumque ex duabus constabant acutis, continente nempe atque continua. Atque harum tres species occurrebant. Vel enim catarrhalis & biliosa, sicque duæ continuæ, vomitu bilioso initium fumentes, complicabantur, vel catarrhalis sociam habuit continentem, hincque in aliis, juvenibus

non modo, verum etiam *senioribus*, ut plurimum IV. vel VII. demum die *hæmorrhagia narium* salutari, in aliis *hæmoptysi*, in aliis vomitu cruento, in aliis sequioris sexus *hæmorrhagia uteri*, in aliis quatuor tam adfuetis, quam non adfuetis personis *hæmorrhoidibus* conspicua erat, imo *hæmorrhagia critica per alvum*, copiosissima, sine ullo incommodo in Juvene XX. circiter annorum, die VII. cum ægri levamine oborta est, vel *catarrhali* jungebatur in plethoricis, sanguine *viscidiori* præditis; tum *continens*, tum *continua alia inflammatoria*. Hinc conquerebantur sæpius de *phrenitide*, febribus *anginosiis*, *peripneumonia*, *pleuritide*, *hepatitide*, aliisque. Pleuritidem *veram* animadverti in *gravida*, eaque juvene, plethorica, congestionibus pectoris dedita. Atque licet hæc, præter Symptomata *ordinaria* in febre *catarrhali* perspecta, & *sitim intensam*, *vomitum*, *dolores dorsi* atque *scapularum* experta sit, & II. die morbi V. S. celebrata insignem horrorem obfervaverit, & III. partim ultra duas horas infantis *motum* senserit, partim dolor *latius*, versusque *anteriora* extensus fuerit, & V. ob doloris *vehementiam* tussire vix potuerit, donec VI. VII. VIII. *anxietates*, *vigiliæ*, *deliria*, *diarrhœa* sese exeruerint, & XI. etiam *melius* disposita sub *blando udore*, atque *urina* sedimentum jam jam deponente, *abortum* perpessa fuerit; tamen per Dei gratiam *pristinæ sanitati* restituta est, postquam nempe multum *sanguinis grumosi* per uterum excretum, aliquid *membranosi* à natura ejectum fuerit, atque tandem morbo *purpura rubra* super-

venerit. Puer, quem enixa est, cum *septimestris* fuerit, atque in pectore, dorso, capite *inflammatio* adfuerit, diu non vixit, licet S. Baptismate adhuc tinctus sit. Angina *contagiosa* cum febre intensiori, majori *congestionem* versus caput, *coryza*, *gravitate auditus*, *difficultate respirationis*, *deglutitionis*, *locutionis*, *vigiliis*, *alvi obstructione* tum Illustriss. quendam Dominum, tum & Eidem à servitiis existentem *circumstantiis* iisdem eodem infestabat tempore. In utroque enim non modo morbus repetitis V. S. *resolventibus* atque *discutientibus* temperatis, cum *internè*, tum *externè* adhibitis, *clysteribus*, aliisque facta die IV. *discussione* atque excretionem *sanguinis grumosi* per *nares* imminuebatur; sed & febris *catarrhalis*, morbo vix ad *declinationem* accedente, sese prodebat, quæ tamen in priori *dolore auris* atque excretionem *materiæ* cujusdam solvebatur, licet *angina*, quæ sublata videbatur, ob præmaturam *aëris* mutationem recruderit. In *declinatione* morbi *materiæ viscosæ* facilius per *tussim* succedebat excretio, quam *blandus udor*, modo citius, modo tardius, comitabatur, ut & *urinæ turbatio*. Ut plurimum hæc *tenuissimam cutem*, vitio adhærescentem ostendebat cum *sedimento roseo-pallido*. Dolor æquè in *pectore*, ac circa *hypochondria* remisit, non nunquam facta *dissipatione* in *artus*, quod in *gravida* spectare mihi contigit, non nunquam *auris* dolore sequente, Joh. Nic. Pechlinus *obs. med.* 45. L. II. p. 320. scribit, notum esse, quod *vellicata membrana tympani*, tremula vibratio cum *nervosa epiglottidis*, sicque *concussis pulmonibus*,

ribus, ob consensum *tussis* producatur. Unde & ille *dolor* circa *aures* vel consensui *nervorum*, vel congestioni *humorum* tribuendus est. Hoc cessante plerisque, qui *vigiliis* diuturnioribus torquebantur antea, *somnus* obrepserat continuus. Etsi verò excretionem materiæ peccantis per *sudorem*, febris hujus vis sublata aut minuta sit, nullaque *exanthemata* sese ostenderint, comparebant tamen in iis, qui *sudorem* neglexerunt. Hinc non modo post *inunctiones* crebriores puerpera & *rubra*, & ejusdem filia *alba* tentabatur *purpura*; verum etiam facta præmatura *frigoris* admissione non nulli ob materiam incrassatam *parotidibus*, *bubonibus*, aliisque tumoribus glandulosis infestabantur. Adducta *symptomata* non nisi per *aliquot* dies persistabant. Erant tamen & alia, quæ per *totum* morbi *decursum* urgebant. Sic inter omnes extraordinaria *lassitudo* dominabatur. Non nullis ægrotorum *fluxus hæmorrhoidalis*, aliis *udor* continuus, aliis *diarrhœa*, aliis *vigiliæ* perpetuæ obortæ sunt, quas per *septiduum* durantes deprehendi in *duabus* personis, altera *pleuritica*, altera verò ab aliquot annis suppressione *hæmorrhoidum* laborante, V. S. *solitam* prætermittente, alvi *obstructioni*, animi *pathematibus*, affectui *oculi* obnoxia, atque anno 1729. mense *Septembris* febre *catarrhali* correpta. Febre autem sensim evanescente *lassitudo* in *omnibus* adhuc diu permansit: imo aëri *frigidiori*, sive nocturno, sive alteri sese exponentes, *tussi* diuturniori, *dolorosis stricturis* circa *scapulas*, aliisque atrocioribus vexabantur symptomatibus. Veram

atque genuinam *causam* quod attinet, præ aliis noscenda est *proxima*, sive *immediata*, qua detecta non modo *proximiores*, tam *naturales*, quam *non naturales*, aliæque patefcent. Certum autem atque evictum est, *immediatam*, modo *pulmonum*, modo *faucium*, modo *vicinarum* partium *stasin* constituisse. Hinc enim *motus* humorum *impeditior*, hinc ad easdem partes *affluxus* copiosior, hinc ipsa tandem *febris* *secundaria*, *catarrhalis*. Ex mediatis *proximioribus* humorosa malum hoc insigniter fovebat cum ob nimiam humorum *quantitatem*, ab aëre *humido-frigidiori*, transpirationem impediendo, inductam, tum ob *qualitatem* in aliis *spissiore*, in aliis *acriorem*, ob eandem rationem enatam, tum denique ob *motum* humorum *progressivum*, & ratione *totius* massæ sanguinæ, & ratione *pulmonum* vehementiorem. Quamvis verò aliis *temperamentum*, *constitutio corporis*, *fibrarum*, *pororum*, *ætas*, *sexus*, *vitæ genus*, *aliaque*, quæ partium *solidarum* & *fluidarum* dispositionem *naturalem* ostendunt, atque remotiores *naturales* audiunt, plurimum ad hunc morbum faciunt, tantum tamen abest, ut hac vice aliquid contribuerint, ut potius *aër*, *cibus*, aliæque causæ *remotiores non naturales* attendendæ fuerint. *Aerem* si spectes, ubique *insolita* vigebat *constitutio*, quæ tamen hinc inde vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu* diversa fuit. Unde & *aer* corpora, dum eadem modo *ambit*, modo *intrat*, innumeris *modis* afficiens, non modo huic febre *catarrhali* per totam *Europam*; sed & hinc inde *diversis*

Symptomatibus principium dedit. Sic circa *Bononiam*, vicinasque provincias, in primis in *convallibus* depreffioribus, incolæ hoc *gravioribus* pathematibus affligebantur; quo major *pressio* ab aëre *graviori* nebuloso in pulmones ibidem exercebatur. Sicuti verò aër *figuræ* atque *proportioni* contentorum acceptum referre debet, quòd jam hanc vel illam *qualitatem* obtineat: ita etiam *effluvia* tam *ordinaria*, quam *extraordinaria*, mense *Novembris* atque *Decembris* anni supra citati in aëre per totam Europam dispersa, *qualitatem* illam *vitiosam* cum eadem communicarunt, à qua nominata *febris* proficiscebatur. Hic loci enim mense *Octobris* tempestas *placida* ac tepens observabatur, quam sub initium *Novembris* excipiebat illa multum diversa, *frigida* scilicet aque *humida*, *nebulosa* subito ingruens, ut non attingam, aëris *intemperiem*, modo *nebulis* foetidissimis, modo *cælo* magis *sereno*, conspicuam, interdum *pluviis*, atque *frigore*; interdum *calore* sese exerentem, præter solitum per totum *Novembrem* & *Decembrem* perseverasse, usque dum *ventus* septentrionalis *nivosis* atque *nivosis* corpusculis, quorum copiam huc secum deferebat, aëris labes noxias IV. die *Jan.* 1730. solueret. Neque *Viennæ* tantum *inconstans* aëris constitutio erat spectabilis; sed etiam iisdem mensibus per *Hungariam*, *Poloniam*, *Saxoniam*, *Angliam*, *Hispaniam*, *Galliam*, *Italiam*, inundationem aliqualem ob *pluvias* copiosiores perpessam, *Daniam*, *Sueciam*, *Moscoviam*, aliasque regiones visebatur.

Cum ergo à copiosioribus *aqueis* particulis, & aër *humidiorem* æquè, ac *frigidior* qualitatem, per totam *Europam* sub initium *Novembris* nactus sit, atque ab eadem *relaxatis* fibris, porisque *constrictis* transpiratio *impeditior*, hincque partium *biliosarum*, aliarumque *inutilium* excretio imminuta, atque humorum ad *corruptionem* producta dispositio, mirum non est, ingruente *placidiori* tempestate, humoribus ad *vitiosam resolutionem* jamjam inclinantibus *orgasum* illatum, sicque febrì *catarrhali*, malignæ, datam fuisse occasionem. Evincitur id ipsum ex eo, quòd hæc *febris* & sub *initium* *Novembris*, præsentem ubique *simili* constitutione aëris, in *Gallia*, *Anglia*, *Hispania*, *Italia*, *Austria*, *Hungaria*, *Polonia*, licet in *Suecia* prius, in *Helvetia* verò tardius, comparuerit, & sub *finem* *Decembris*, atque circa principium *anni* 1730. vehementia *frigoris* subsecuti mali hujus vis ubique sublata sit. Licet enim recedente febre *catarrhali* per *Austriam*, aliasque provincias *aliæ* febres spargi coeperint, nec tamen ita prorsus *epidemicæ*, nec iisdem *Symptomatibus* amplius stipatæ fuere. Sicuti verò *particulæ aqueæ* atque *ignæ*, etsi semper in aëre sint præsentem, alias neque *aëri*, neque *homini* tam subitanam alterationem inducunt: ita in earundem *abundantiam* mense *Nov.* atque *Decembr.* præteriti anni perspectam unice causam rejiciendam censeo. Huic constitutioni favebant & alia *impuriora*, atque *extraordinaria* effluvia, sive à rebus *inanimatis*, sive ab *animatis* in aërem deducta

deducta perpendamus. Quod ad primum momentum spectat, nil dicam de influentiis *siderum*; utut veritati consonum, pro diverso situ, atque conjunctione *solis* cum *planetis* diversam materiam *subtilem* in terram defert, hincque diversas corporis *affectiones* proficisci; paucis saltem addam, anno 1729. cum circa *Romam*, *Neapolim*, aliaque loca *Italiae*, crebriores *terrae motus*, ob *Vesuvium* diutius occlusum sensisse incolas, qui 20. *Decembris* & per *Ducatum Mediolanensem*, & per *Helvetiam* se ostendebant, tum eosdem 24. *Octobris* hora vj. *matutina* arcem *Fridericianam Hallensem Norwegorum* æquè, ac in *Nericia* civitatem crebro hora viij. tanta *vehementia* occupasse, ut *caminos* decidentes viderint, tum denique *montem Islandicum*, *Schwefelberg* dictum, talem concepisse *flammam*, qua territorium ad distantiam ij. *miliarium* destructum, licet tandem *nivibus* copiosioribus extincta fuerit. Cumque hic ignis occultæ atque *subterraneæ* vi *Heclæ* adscribendus sit, neque illi *motus Italiae* aliam, nisi similem efficaciam *Vesuvii* pro causa agnoscant, dubium non est, quin hæc occasione & *Sulphureæ* & alia *vitiosæ* particulae per *aërem* longè lateque disseminatae sint. Harum praesentiam probant *tempestates* cum *inauditis* atque *insolitis fulminibus* atque *tonitribus*, & mense *Nov.* atque *Dec.* versus *Neapolim*, in *Monte Pessulano*, circa *Constantiam*, & circa *Hafniam*, *Uratislaviam* &c. anno 1730. mense *Jan.* sicque *inconsueto* tempore annotatae non modo; sed & *phænomena* illa, quæ *Th. Sydenham Oper. Tom. II.*

partim die 16. *Novembris* 1729. in *Hollandia*, *Coloniae Agrippinae*, *Francofurti*, *Hanoviae*, *Lutetiae Parisiorum*, *Varsoviae*, partim die 15. *Febr.* 1730. *Viennæ*, circa *Coloniam Allobrogum*, aliaque loca *Helvetiae*, in *aëre* conspiciere licuit. Accedit & hoc, quod civitatibus *populosioribus* incumbens *aër fumeis*, aut aliusmodi *heterogeneis* effluviis scateat. Unde in his & *gravior*, & *acrior* redditur, praestans deinceps *majorem pressionem* in pulmonibus, ut & *irritationem*. Atque hinc tam illud est, quod *Viennenses*, praesentibus die 4. *Dec.* *nebulis* oculum *vellicantibus*, frequentiori *screatui*, crebrioribusque *tussibus* expositi fuerint, quàm quod *vehementiora* Symptomata in *majoribus* Civitatibus viventes sint perpeffi. *Uliginosas* regiones si quis adeat, deprehendet *aërem* multo *humidiorum*. Hinc *minor motus* elevatarum *aquosarum* particularum, hinc tandem *major ad corruptionem* dispositio, cujus testes sunt *nebulæ crassiores*, *fœtidissimæ*. In his ergo locis *gravius* ægrotabant decumbentes, hocque magis, si & aliae causae *occasionales* sociæ fuerint. Plurimum huc faciebant effluvia *animatorum*. Cum enim *semina* morborum *contagiosa* in subtilissimo, activissimo, corruptionique obnoxio *miasmate* consistant, atque hinc ab *animantibus* longè lateque *fermentescentes* particulae in *aërem* deferantur, patet, non modo ab *ægrotis*, hæc febre *contagiosa* laborantibus, in familiaribus cum illis versantes effluvia vel per *pulmones*, vel per *poros cutis* derivata; verum etiam ob *luem* illam, quæ

in Italia, Palatinatu, Austria, Pannonia, Valachia, Podolia, Wollinia, Polonia, inter pecora hinc inde serpebat, innumera putredinosa miasmata eodem anno in aërem fuisse dispersa. Hæc deinde & alios contagione infecerunt. Etsi enim quidam statuunt, quod contagium nonnisi in sua specie radices agat, atque hinc defendant, hominum pestem bruta non afficere, equorum luem non nisi in equos, bouum in boves, & suum in suillum genus tantum ire, in alienum minus; vel inde tamen contrarium elucescit, quod & Moscoviæ, testante id ipsum Gothofr. in Chron. peste anno 1655. tantopere sæviante, ut & corpora terræ nondum commissa in plateis à canibus devorata sint, iidem rabie correpti, homines vivos dilacerarint; & interdum à piscibus mortuis contagio ortum duxerit, & nostro ævo lues pecorum tam in Hungaria, quam Austria, mense Oct. & Nov. 1729. se prodens febrem catarrhalem, initium fumentem cum turbatione capitis; atque intra quatrimum vel hæmorrhagia narium, vel hæmorrhagia per alvum, vel etiam vomitu stercoreo terminantem, junctam habuerit, & eodem tempore in apris aliquid purulenti, innuentis corruptionem, inventum sit. Neque est, cur dubitemus, per cibos contagium quoque in homines manasse, cum non modo certo constet, cujusdam nebulonis audaciam eo processisse, ut pecora lue hac demortua hominibus vendere non erubuerit; verum etiam probabile sit, pecora fuisse consumpta, in quibus dispositio morbosa adfuerat. Producentur tales morbi eo felicius, si sive

solis, sive ignis subterranei calore in aërem elevatæ particulæ decentem motum non obtineant. Conclusas enim aqueas mox sequitur corruptio. Hinc & in multis locis prope litora Africae occidua à tranquillitatibus, quam à procellis impendentibus magis terra marique timetur, & in insula Sancti Thomæ statim à solstitio brumali menses duos, aut amplius ventis silentibus incolarum plerique languent, & tranquillo tempore pestis vehementius in homines grassatur, & circa Bononiam in convallibus, ob minorem circulationem aëris multi periire. Quemadmodum ergo motus aëris, qui ventum constituit, sanitati magis conducit: ita & aërem effluviis pestilentibus inquinatum emendat sæpius tonitru & fulgur, unde in tempestate pestilente in quibusdam urbibus populosis machinæ murales crebro disploduntur, & pulsantur campanæ. Neque tamen hinc omnis ventus pro salubri habendus est, cum meridianus corruptioni faveat, atque solus Septentrionalis, à plagis nivosis impetuosè descendens, particulasque nitrosas secum ferens, aërem puriorem reddat. Atque hæc est ratio, cur non modo in Lesbo, flante Austro, incolæ ægrotent, Cœd tussire ferantur, superveniente Aquilone protinus convalescant; sed & vento frigidiori suborto febris catarrhalis vis minuta atque sublata sit. Prognosticatione vitæ & mortis quod attinet, tenendum est, febrem hanc, quamquam Viennæ omnes cum summa lassitudine, vigiliis continuis, deliriis, dissimulatione symptomatum, aliisque signis malignitatis aggressa sit, atque

gravidæ

gravidæ non nunquam debilitatibus *syncopticis*, non nunquam *abortui* expositæ fuerint, in aliis *hæmoptysin*, *vomitum cruentum*, *phrenitidem*, *anginam*, *peripneumoniam*, *pleuritidem*, *hepatitidem*, aliaque *periculosa* Symptomata *focia* habuerit, qualia in *plethoricis*, defectu *visceris* laborantibus, inprimis *humoribus* malè constitutis, animadvertimus, neminem tamen è *medio* sustulisse. In *Helvetia* ab eadem, quam modo descripsi, febre nemo enectus. At è contra *Lutetiæ Parisiorum* multis *exitiosa* erat, utut in *Anglia*, *Hispania*, *Italia*, atque *Polonia* adhuc pluribus *funesta* fuerit. Etenim *Leopoli* pauci servati; *Ferrariæ* atque *Ravennæ* tot tantique hominum obiere, ut magistratus *Bononiensis* incolis accessum dene-gare voluerit; imo *Londini* medio *Novemb.* intra *septimanam* 908. atque deinde *majorem numerum*, quam quidem *anno 1665.* tempore *pestis*, illata strages excrevit. Si *prognosin* ratione *modi* eventus attendamus, terminabatur partim *staseos rheumaticæ dissipatione*, partim *materiæ peccantis excretionem* salutari. Sic *somnus*, atque *respiratio* facilior sub *continua diapnoë* æquè, ac *turbatione urinæ*, in aliis jam post *primam exacerbationem*, in aliis, & ut plurimum *IV.* vel *VII.* in aliis quoque *XIV.* die accedebant; ut taceam de *ejectione copiosioris materiæ* per *tussim*, atque *rubicundæ illius fætidæ*, quam in *pleuritico* gravius decumbente *XI.* cum levamine rejectam conspeximus. Febris *continentis* interdum *conjunctæ inseparabilis* comes erat *hæmorrhagia*, non nun-

quam per *nares*, non nunquam per *vasa hæmorrhoidalia*, aliquando *IV.* aliquando *vij.* die, non nunquam *par-cior*, non nunquam *copiosior* fuit ob-servata, ut in *Juvene XX.* annorum, nunquam *hæmorrhoides* experto, & tamen die *vij.* ultra *mensuram sanguinis floridioris* cum *solutione* morbi dejiciente. Sic & *uteri hæ-morrhagia* largior in *puerpera*, quæ *XI.* die *abortum* perpessa est, oborta *salutaris*, qualia exempla in *vaccis* quidam habuere. *Staseos rheumaticæ dissipationem* probat *dolor pectoris* versus *hypochondria* descendens, qui & in *artus*, & *auram* non nunquam sese diffudit; ut & *excretio lymphæ cruentæ* secuta sit. *Diarrhœa* neque *solvebatur*, neque *gravior* reddebatur morbus. Non nulli ægrotorum modo *liberiori aëri* sese exponentes maturius, modo *inunctiones* in usum vocantes, *sudorem* nèglexere, quorum hi *symptomata acerbiora* non modo, verum etiam in *declinatione* morbi *purpuram* incurrebant, illi verò vel *vehementiores congestiones* versus *caput*, *pectus*, *ophthalmiam*, *catarrhum suffocativum*, *hæmoptysin* sensere, vel de *chronico* atque *pertinaciori* catarrho conquesti, vel etiam *tumoribus glandulosis* interdum circa *ures*, interdum circa *tonsillas*, interdum circa *inguen* infestabantur. Ex omnibus, quos sub mea habui *cura*, habui autem quamplurimos, atque ultra *ducentos*, non nisi *duo* sunt mortui, quorum alter *itineri*, durante morbo sese committens, alibi in *lethalem* morbum incidit, alter verò *pauperculus*, ob *sudoris* neglectionem, aliasque *circumstantias hy-*

drope funesto occupabatur. At *petechiis*, huic morbo in agro Bononiensi, Britannia minori, Anglia supervenientibus plerique sunt enecti. Angina quoque Lincoloniæ comparuit, quod pessimum atque exitiosum erat signum. Affectus hic, ratione temporis eventus, instar aliarum febrium malignarum cito sua decurrebat tempora, ita, ut plurimum Viennæ vel IV. vel VII. die crisi salutari solutus sit. Etsi verò in Anglia idem sub initium annotatum sit, grassari tamen vehementius deinde & in his locis, & circa Bononiam, Florentiæ, Mediolani, & per totam Podoliam cepit, ut intra paucos dies instar pestis plurimos è medio sustulerit. Venæ Sectio in tussi illa epidemica, quæ anno 1669. æstivo tempore cum pleuritide in conspectum prodiit, atque de qua Thom. Bartholinus Ephem. Germ. D. I. A. I. p. 130. agit, locum non habuit. E contrario in febre catarrhali, anno 1675. Viennæ, Posonii, aliisque in locis populatim sæviente, multi auctorum, & inter eos præcipui Car. Raygerus, Thom. Sydenham, & Paul. de Sorbait l. c. Venæ Sectionem extollunt tanquam remedium præcipuum ac præsentissimum. In nostra deprehendimus, Venæ sectionem in plethoricis, gravidis, adsuetis ad apoplexiam, catarrhum suffocativum dispositis, vel angina, peripneumonia, pleuritide, hepatitide, hæmoptysi, vomitu cruento, atque febre continente laborantibus, sub initium institutam, non modo lassitudinem, cephalalgiam, vigilias, spasticas stricturas in pectore, dorso, aliisque partibus sustulisse; verum etiam omnia Symp-

tomata reliqua minuisse. Sicuti igitur in his subjectis ventilatio sanguinis & utilis, & necessaria erat: ita in iis, qui vel à prægressis morbis gravioribus prædebilitati fuere, vel me non statim, in consilium vocarunt, vel brevi antea V. S. usi sunt, eandem nunquam celebravi. In omnibus porro eò in primis intentio dirigenda erat, ut maligna atque contagiosa illa materia, quam brevi temporis spatio intima corruptio sæpiùs excipit, in tempore ex corpore eliminaretur. Cumque hæc sub halitus forma corpus occupaverit, hinc eadem rursus per poros cutis sub continua, blanda, atque æquali diapnoe discutienda erat. Unde temperata diapnoica, diaphoretica fixa, anti-mon. diaph. aliaque, quæ absque vehementiori commotione operationem suam edunt, absorbentia ostracodermata, quæ acrimoniam salino-sulphuream, sanguini orgasmum inducentem, atque sudorem impedientem, partim absorbendo corrigunt, partim per diuresin educunt, omne hinc tulere punctum. Eadem remedia cum celeberrimus Car. Raygerus in Pannonia, tum Adamus à Lebenwaldt in febre catarrhali epidemicè dominante in Stiria, tum Londinenses hac vice cum V. S. sub initium cum successu adhibuere. In plethoricis, quibus alexipharmaca calidiora, sudorifera, Spir. Sal. armon. similiaque propinata fuere, sequebantur congestiones majores versus superiora, deliria, fortiores pectoris oppressiones, inquietudines, subsultus tendinum, suppressio urinæ, quibus & temperatio-
ra deinde medicamenta exhibenda erant.

erant. *Purgantia*, quæ non nulli assumere, *vomitoria*, nullum hîc invenere locum, imo omnes, quibus præscripta sunt, majores *staseos* materiæ acris *commotiones* incurrebant, eorum etiam una *hæmoptysi* corripiebatur. Sufficientem opem omnibus tulit modo *pulvisculus* ex absorbente, antim. diaph. arcan. dupl. addito interdum nitr. dep. concinnatus, modo *potio* ex aquis diapnoicis, absorbentibus, atque antimon. diaph. constans, modo *emulsio* parata ex semine card. Mar. *Symptomatibus* ex proprio fonte succurrebam, ita, ut *spasticis stricturis* præsentibus *cinnabarina* addiderim, *alvi obstructioni humectantia* opposuerim, ut *diarrhæa* non modo arcan. dupl. omiserim, verum etiam regimen *diapnoicum* tanto magis injunxerim. *Adstringentium, narcoticorum, opiatorum* usum, quamvis multi Auctorum ea suadeant, experiri nolui, cum *Olaus Borrichius de somno & somniferis p. m. 34.* referat, quendam applicato *empl. opiato* solum in *raso vertice*, ex *catarrho pituitoso* in gravem *paralysin* incidisse. *Nitroso-cinnabarina, emulsiones, potiones analepticæ* conjunctis *bezoardicis*, tempore *continuarum vigiliarum* data, ad *somnum placidum* ægrotos dispo-

fuere. Quod si affectus *anginosi* supervenerunt, repetitis *Venæ sectionibus* atque *clysteribus*, tandem internè *digestiva* cum temperatioribus *diapnoicis* ordinavi, externè verò *Cataplasmata discutientia, Gargarismata*, atque *injectiones* commendavi, quorum usum, quo usque penitus remisit morbus, continuavimus. Ab *expectorantibus* in tussi *sicca* penitus abstinui. Ex iis, qui in *publicum* prodire coacti sunt, nulli *diapnoica* dedi, insistens magis *precipitantibus*, ut non nisi blandioribus *diapnoicis* & *materia noxia* in *declinatione* mali penitus proscribenda fuerit, & *dolores* circa *scapulas* in quibusdam remanentes auscultaverint. *Dietam* quod spectat, neque *durante* morbo, neque eo *superato*, auræ *frigidiori* committendus erat æger, hocque minus, si *diarrhæa* adfuerit. *Vieta* etiam *febre*, omnis tamen *excessus* ratione *cibi* & *potus* vitandus erat. *Juscula*, atque *infusa* instar *thee* ex *rad. scorzon.* cum *hyssop. veron.* atque *sem. fœnic.* in frequenti usu habui. Et animadverti, tam his observatis, quàm accedente insimul cum *corporis*, tum *animi* continentia tranquilla, omnes per Dei gratiam *pristinæ* restitutos esse sanitati.

Constitutio Epidemica Anni 1730.

QUalem sub exitu anni 1729. constitutionem aeris generalem habuimus, talis per *triduum* etiam *primum* Anni 1730. *Viennæ* stetit, nempe ut plurimum *humidior, frigidior*, cum *nebulis* in *pluvias* abeuntibus. Atque licet vehemen-

tia *Aquilonis* cum *nivibus* 4. *Jan.* sese exerentis, vitiosam hanc atque *inconstantem* aëris qualitatem sublata arbitratum sumus, tantum tamen abfuit, ut cessaverit, ut potius eadem *inconstantia* redierit, tempestatem *frigidam* die 10. *placidior* ac *plu-*

viosa exceperit, huic non modo 16. *frigidior*, *nivibus* atque *ventis* tumultuaria, verum etiam 30. denuo alia multum *diversa*, atque eadem die mane *calidiori*, à meridie *frigidiori* vento, modo *pluviis*, modo *nivibus* conspicua, successerit. Similis aëris *alternatio* spectabilis erat per totum *Februarium*. Sub *initium* enim aër *frigidior* cum *nivibus* ingruerat, in *progressu* *tepidior*, ut plurimum *nebulis*, vel matutinis, vel vespertinis, quandoque & *pluviis* nocturnis sese prodens, qualis ad *postremos* usque *Februarii* dies perseverabat, ut de *cæli ardentis* phænomeno, quod 15. die circa vesperam *Viennensium* oculos ac mentem in se converterat, nil dicam. *Martii* ingressus *nivosus* subito cum *pluvioso* aëre commutabatur, imo ob *pluvias copiosas* & *frequentes*, cum cœlum, si paucos *amœnos* dies exceperis, plerumque *obnubilum*, & obscurum tenebris erat, tum ad *finem* usque mensis iste *humido - frigidus* permanfit. Similes *vicissitudines* ratione *frigoris* eadem *hyeme* per totam *Europam* observare licuit. *Januarii* enim constitutionem si examines, & *Halæ Saxorum* erat *pluviosa* die ij. qua hora viij. vespertina sese incolis in nubibus aliquantulum *nebulosis halo* obtulit, & *Londini* xij. *placidior*, tamque *nebulosa* comparuit, ut jam *quarta pomeridiana* faces accendere cœacti fuerint, & *Neapoli* XVII. aërem blandiorem *frigidior* æquè, ac *tumultuosior* secutus est, flamma *Vesuvii* etiam invalescente, & *Varsovia* XIX. *frigus* intendebatur, *Hafniæ*, *Uratislaviæ*, *Soraviæ*que ingens sub *exitu* tempestas cum *fulguribus*

& *tonitribus*, *nivibus* ac *pluviis* oborta est. Sic *Februarius* tam *frigidior* atque *nivosus* sub *principium*, non solum *Varsoviæ*, sed & *Ventis*, quam *tepidior* magisque *pluviosus* postmodum in posteriori loco, *Monte Pessulano*, *Alesia*, *S. Hypolyto*, aliisque *Civitatibus* vicinis in conspectum prodiit, ita, ut *Constitutionem Viennensem* ubique ferè repræsentaverit. Sed nec *lumen boreale* extraneos fugiebat, licet neque eadem *die*, neque *isdem circumstantiis* *Europam* omnem sua luce compleverit. Alibi enim jam IV. quod *Moscoviæ*, *Petripoli*, *Revaliæ*que degentes testantur, alibi, & quidem *Varsoviæ*, *Uratislaviæ*, *Tiguri*, *Bernæ*, *Coloniæ Allobrogum*, *Romæ* atque *Florentiæ* XV. visibatur, alibi aliæ quoque *circumstantiæ* accessere. Non adducam, præter *phænomena* huic *lumini communia*, & in *Helvetia*, & *Petriburgi* binos *arcus* oculis occurriffe, altero in *boreali*, altero in *australi* plaga apparente: neque attingam, *materiam phosphorescentem*, radiis ex *priori arcu* exurgentibus, atque variis *coruscationibus* conspicuam, tandem & in *alterum* fuisse compulsam, ibique *clariori* reluxisse luce, disparentibus in *priori* successivè *columnis* radiantibus: neque mentionem injiciam *susurri* illius, quem *Petripoli* radiis motu tremulo procurrentibus non nulli perceperunt, multo minus *colorum* sæpius jam annotatorum. Hoc saltem addam, idem non modo *Romæ* atque *Revaliæ* diutius durasse, verum etiam *Moscoviæ* sequenti nocte recurriffe, utut minoris fuerit momenti. *Martius* ut plurimum *nivosus*, *pluviosus* fuit.

Hinc

Hinc observabatur aura *humidior* & *frigidior*, in non nullis locis *aquæ nivalis* major *confluxus*, qualem in circulo Suevico *Hornbergenses* maximo suo damno experti sunt. *Leopoli* tamen atque in *Suecia nives* copiosiores circa *æquinoctium* vernale cadentes, acerbissimum excipiebat *frigus*, ut & *Holmiæ* lacus per totam hanc hyemem non concrecentes tandem frigoribus congelarint. Eadem ergo perquam anomala atque *irregulari* crasi aëris per omnem *hyemem* ubique manente, mirum non est, hanc & eosdem peperisse *morbos* alibi, quos genuerat *Viennæ*. Hoc tum in aliis liquebat *febris*, tum magis peculiariter in *catarrhalibus* mensis *Sept.* & *Dec.* 1729. Sicuti enim hæc *posteriores*, quæ anno citato epidemicè per *Europam* grassatæ sunt, sensibili aëris *qualitati* in acceptum referri debent, quod illis *mensibus* exortæ sint; ita etiam *qualitati frigidiori*, quæ in *Januarium* incidebat, earum *imminutionem* unicè adscribendam esse censeo. Unde etiam est, quòd *Viennæ* *IV. Jan.* vehementia *frigoris* derepente sublatae sint, alibi verò ob *frigus tardius* ingruens *diutius* continuaverint. Hinc *Bononiæ*, in *Ducatu Mantuano*, *Ferrariensi*, *Mutinensi*, aliisque *Longobardiæ* partibus, itemque in *Sabaudia*, *Delphinatu*, *Marsiliæ*, per diu perseverarunt. His recedentibus novæ *febres* invalescebant. Neque *numero* tantum erant spectabiles in *Agro Brixiano*, sed etiam ob anceps illud *periculum*, in quod eos, quos in *Podalia*, *Britannia minori*, *Florentiæ* affecerant, conjiciebant. *Viennæ* febris hæc *maligna* sub *diverso* *schemate* pro-

diit, ita, ut in aliis *simplicem* continuam, non nunquam nullis *exanthematibus* stipatam, & tamen *diarrhœa*, *vigiliis*, *deliriis*, *motibus convulsivis*, aliisque periculosis symptomatibus sese exerentem, non nunquam *petechialem* repræsentaverit, in aliis etiam *complicata*, atque modo cum *inflammatoria*, vel *angina* vera, graviore, vel *pleuritide* interdum *vera* cum sputo cruento, interdum *spuria*, vel *hepatitide* periculosis, ob *diarrhœam*, *vigilias*, *deliria*, conjuncta fuerit, modo cum *intermittente* comparuerit. Nullis *exanthematibus* conspicua, continua aliquando jam *IV.* quod in *teneriori* ætate annotare licuit, ut plurimum *XIV.* die in *adultis* disparuit, semper tamen sub blanda *diapnoë* atque *turbatione* urinæ solvebatur. In *petechiali* decens regimen *diapnoicum* præ aliis attendendum erat, quo non observato *Symptomata* exacerbabantur, ut paucissimi evaserint, sive deinde *V. S.* in usum vocaverint, sive minus, quorum *posteriores* hoc proximiores morti fuere, si & in morbo *purgans* aliquod assumerint. Sic *Dolina* senectute confecta, atque aliàs interdum *calculo*, interdum *hæmorrhagiis narium* nimis obnoxia, tam *V. S.* quàm *diapnoë*, aliisque neglectis, non modo *hæmorrhagias*, *diarrhœam*, *catarrhum suffocativum*, *deliria* continua incurrit; sed & *IX.* die violentia morbi consumta est. Aliud exemplum præbuit quidam *Juvenis*, viginti aliquot annorum, qui, etsi statim sub *initium V. S.* instituta sit, *probatissimaque* remedia exhibita fuerint, post frequentiore tamen, alvo respondente, corporis *refrigeratio-*

rationem incidit in diarrhæam, vigiliis, deliria continua, hæmorrhagiam narium symptomaticam, & die viij. purpuram albam, ipsamque aphoriam lethalem. Tandem unus, prætermiffa Venæ Sectione, in eadem febre petechiali purgans, me nondum in consilium vocato adhibuit, ubi res desperata fuit. Sequebantur enim multa statim periculosa symptomata, diarrhæa, animi abjectio, anxietates, vultus ferox, vigiliæ continuæ, deliria, atque die XII. ipsa mors, utut vij. hæmorrhagia narium oborta sit, sudor accesserit, urina sedimentum deposuerit, diarrhæa cessaverit, atque vesicatoria sufficientem effectum ediderint. Fatendum etiam est, peculiarem Januarii indolem atque constitutionem, cum quartanam illam duplicem chronicam, œdematibus, infarctuque lienis occurrentem, atque incidentibus, digestivis, blandioribus laxantibus, febrifugoque Nic. de Blegny, ex malis aurantiis amaris cum vino albo parato cedentem, tum tertianas diuturniores, aliasque multum fuisse, quod aliæ intermittentes hoc, & sequenti mense invadentes testatum faciunt. Aliquando enim his sub initium jungebatur continua, remanente deinceps simplice, sive tertiana, sive quotidiana, quando etiam sub finem accedebat; ut in Juvene quodam, cui mense Februario in quotidiana chronica supervenit purpura. Sicuti verò nominato mense Febr. non solum febres catarrhales Lutetiæ Parisiorum, Versaliæ, Gratianopoli, Marsiliæ, Camberii, Romæ, Liburni, perque Ducatum Mutinensem adhuc dum spargebantur; verum etiam aliæ fu-

nestæ, Augustæ Taurinorum, Mediolani, Bononiæque viscebantur, ut de lue pecorum circa Laudensem agrum infestante nil tradam: ita Viennæ præter congestiones versus partes superiores, rheumatismos, modo clavum hystericum, cujus comes erat febricula statim hora rediens, modo odontalgiam contumaciorem post se trahentes, atque apoplexias, febres continuæ malignæ continuantur. Harum aliæ fuerunt exanthematicæ, erumpentibus vel petechiis, vel purpura, vel morbillis, aliæ nullas ad corporis peripheriam ejectiones proferebant, quarum tamen posterioribus, ob summam virium prostrationem, vigiliis, deliria, motus convulsivos neque hic loci, neque Rustini in Hungaria multum fidei habendum erat. Etsi verò multi ægrotorum, quod supra monui, curam à purgantibus incipiant, & ex his in febre petechiali nullum unquam restitutum fuisse scribat Parens piè defunctus, in Historia Epidemica Hungariæ, idemque & ego in mea praxi notaverim, fœmina tamen quædam hoc mense etiam servata. Hoc autem notatu dignior est hic casus, quòd eadem persona febre petechiali detenta, & laxans sub initium assumserit, & exanthematibus jam præsentibus V. S. celebrandam curaverit. Unde accersitus tandem deprehendi exanthematum retrocessionem. Affectus hinc indies invaluit, & secuta sunt non solum brevi deglutitio difficilis, anxietates, subsultus tendinum, pavores sub somno, deliria; sed & XIII. die tam petechiæ nigræ, quam purpura alba, quibus sese auditus difficultas,

cultas, atque rigiditas totius corporis adjunxere, ut & soporosa affectio. Morbum igitur hunc in pessimis signis constitutum, atque lethalem pronuntiavi. Sed tantum abest, ut exitiosus decumbenti fuerit, ut potius adhibitis maturè Vesicatoriis, blandamque diaphnoën promoventibus, sensim atque sensim sub secunda purpuræ albæ eruptione, quarta septimana contingente Symptomata remiserint, atque patiens ab hoc affectu periculosissimo, præter omnium opinionem ac spem liberata sit. Mense Martio partim catarrhales Florentiæ, Neapoli, Anticariæ, partim morbilli Lutetiæ Parisiorum, partim aliæ malignæ, atque intra paucos dies lethales Bialæ Polonorum sese sistebant. Eodem tempore Viennæ sese offerebant congestiones, tam in junioribus, quam in media, quam etiam in consistente ætate, jam versus nares, jam versus pulmones magis tendentes. Non nunquam evacuatio sanguinis per nares, non nunquam excretio seroso-mucidæ materiæ vel in coryza, vel in tussi humida succedebat, quandoque nulla fuit observata, humoribus nempe congestis in stagnationem deductis. Unde varii denuo affectus pendebant. Inde enim non tantum tumor non nihil rubicundus, sed nequaquam inflammatorius, Cheilocace dictus, de quo Arnoldus Bootius obs. med. de affectibus omissis p. 30. C. X. pluribus egit, in adulto nascebatur: verum etiam inflammationes, nunc in partibus externis, tonsillis atque dentium periosteo, nunc in internis, sive anginam veram cum febre, sive splenitidem

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

mensibus instantibus spectes, abortæ sunt. Neque malignæ febres minuebantur, sed in aliis sub simplicis, in aliis sub compositæ adparuere schemate, quarum prior aliquando continentis, plerumque verò indolenti continuæ habuit. Atque hæc posterior huic ob cephalalgiam, dolorem pectoris molesta erat, illi gravior ob catarrhum, atque debilitates syncopicas, isti periculosior ob vigiliæ, deliria, diarrhæam, torsiones oris XI. die apparentes, in omnibus ob anxietates, abjectionem animi, summam virium prostrationem vehementior, hocque magis, si purpura alba, vel petechiis supervenientibus non ritè tractata fuerit. Sic in robusto quodam Juvene notavi febrem petechialem, ob purgans repetitis vicibus sub initium morbi assumptum, intra paucos dies funestam æque, ac latioribus livescentibusque exanthematibus stipatam. In femina, quæ in purpura doloribus spastico-arthriticis varia unguenta & linimenta opposuit, ob impeditam hinc transpirationem, menses, mox disparentes, Venæ Sectionemque neglectam, quæ hic loci ut plurimum necessaria est, non modo graviolem statim animadverti; sed & periculosiorem judicavi. Sed ecce, temperatis diaphnoicis per aliquot dies usurpatis, erumpente purpura alba copiosissima & dolores, aliaque symptomata mitigabantur, & febris hæc intra spatium XXI. dierum solvebatur, etsi dolores arthricos diutius adhuc senserit, sublatos successivè antispasticis, laxantibusque blandioribus. Simplex hæc maligna febris interdum inflammatoriam, interdum continentem junc-

Z z

tam

tam habuit, ubi remedium præcipuum erat V. S. Hac verò prætermiffa, quamvis optima etiam *médicamenta* propinata fuerint, irrita sæpè fuere omnia. Id ipsum videre licuit in *virgine* quadam juvene. Licet enim in eadem ob *plethoram*, *mensēs* alias *parciores*, tanto magis V. S. in *continente* febre commendaverim, monito tamen hoc salutari non auscultabat Parens. Unde mirum non est, quod *mēnsibus* sub *initium* quidem accedentibus, mox tamen iterum cessantibus, *summam lassitudinem*, *dolores spastico-arthriticos*, *cephalalgiam*, *vigilias* sub *principium* jam præsentēs, plura secuta sint periculosa symptomata, *dolor dorsi*, *major congestio versus caput*, *acerbior dolor capitis*, *propensio ad somnum profundiorē*, *auditus difficultas*, *hæmorrhagiæ largiores*, *ad debilitates syncopicas usque*, *sudor frigidus*, atque die viij. *motus convulsivi*, ipsaque *mors*. Aprilis, sicuti sua natura alias *mutabilis*, ita & hoc anno *Viennæ* *inconstantiam* suam prodidit. Sub *initium* enim *serenus* comparuit, sed *triduo* elapso alia multum diversa *tempestas* ingruebat, nunc *pluviis*, nunc *nivibus* sese exerens. *Humidam* hanc atque *frigidam* in *progressu* *tepidior* ac *amœnior* excipiebat, imo & huic *postremis* *tribus* diebus denuo *horrida* magis, atque *tumultuosa* ob *ventos*, *pluvias*, *nives* succedebat. *Majus* ut plurimum, in primis sub *principium*, *pluviosus*, hincque *humido-frigidus* oboriebatur, quandoque tamen & *serenior*, *placidior*, tam *prioribus* diebus, quàm sigillatim sub *finem* observabatur, ut nec de *tonitribus* & *fulminibus* crebriori-

bus die viij. atque *XX.* recurrentibus, nec de *grandine*, quæ *X.* cadebat, quicquam adducam. Toto *Junio* exoptata habuimus tempora, *calores*, sæpè *pluviæ* nocturnæ amœnissimæ, interdum mitis atque lenissimus *ventus* contemperabant. *Vere* toto quanto constitutio aëris eadem ferè mansit in aliis *Europæ* regionibus, atque hîc locorum erat. *Aprilis* enim sub introitum *Holmiæ*, remittente *frigore* blandior notabatur, deinceps *Ustæ*, perque totam *Bohemiæ* *pluviosus*, *humido frigidus* sentiebatur, tandem *calidior* succedens non modo *glaciem Petripoli* solvebat, verum etiam in *Polonia* perexigua & perminuta *flumina* reddebat. *Majus* & *Junius* alibi quoque magis *pluviosi* fuere, cum ille tam ob *nives* junctas *pluviis Cracoviæ*, quàm ob ingentes *tempestates* cum *fulguribus*, *tonitribus*, horridis *grandinibus*, & *ventis* violentis *Coloniæ Agrippinæ*, *Heudenæ*, variis in locis *provinciæ Ultrajectinæ*, *Dromoriæ*, *Walvici*, *Bardevici*, in *Saveria*, *Episcopatu Monasteriensi*, *Susati*, *Berolini*, *Halæ Saxonum* exortas, *subfrigidus* atque inamœnus permanserit, hic verò posterior tam *turbulenta* tempestate sese exhibuerit, ut modo *fulguribus* gravioribus *Polonis* atque *Berolinensibus*, modo *grandinibus* in *Barcheria*, *Volhyniæ* degentibus, modo *ventis* vehementioribus incolis *circuli Burgundici* damnum intulerit, modo ob frequentes copiosissimasque *pluvias Molybergæ* intempestivus fuerit, *Cameneiciæ* atque circa *Halam Magdeburgicam* viventibus disruptis *piscinis* multum molestiæ

tiæ asperferit, atque in *Valachia* jam homines, jam pecora, dum circumfluerent aquis, atque in harum abundantia viverent, è medio sustulerit. Si morbos cum vere surgente increbescerent, atque ad *solstitium æstivum* usque infestantes reputemus, ob similem aëris constitutionem ubique vigentem eosdem hic regnasse liquet, qui homines adorti sunt alibi. Mense *Aprili*, *Majo*, *Junio* enim cum *intermittentes*, *tertianæ* in *Italia*, tum *continuae*, vel nulla *exanthemata* emittentes, *malignitate* tamen non carentes, atque nunc *catarrhales* anginodes *Lutetiæ Parisiorum*, inque *Ducatu Ferrariensi*, nunc alias circa *Guardistallum* repræsentantes, vel *exanthematicæ*, tam sub *vario Moscoviæ*, *Holmiæ*, *Nemausi*, *Cazzallæ* sese sistentes, quam sub *pestis* schemate in *Podoliâ* adparentes, febres grassabantur. In quibusdam locis & alii viscebantur morbi. Sic lues pecora aggrediebatur in *Germania*, *dysenteria* in castrorum metatione circa *Molybergam* milites afficiebat *Junio*, *apoplexia* atque *podagra* præter solitum eodem mense homines *Moscoviæ* invadebant. *Vien-næ* mensibus *vernibus* sese offerebant *congestiones* versus *pectus*, *caput* in hæmorrhoidariis, sanguineque *spissiori* præditis, *rheumatismus capitis* ob menses parciore, *lumbago rheumatica*, *cephalæa* cum febre, *ophthalmia*, *odontalgia*, *adfectus spastico - arthritici*, *arthritis fixa* post iram, atque excessus ratione potus in hæmorrhoidario commissos, *malum ischiadicum* refrigeratione prægressa, *chiragra* post animi excandescerentiam, *podagra* mensibus

post terrorem disparentibus, febres *intermittentes*, *quotidianæ*, etiam *infantibus* familiares, *tertianæ*, in aliis *anticipantes*, in aliis *postponentes*, *quartanæ* si non solis salibus *digestivis*, atque viscidum incidentibus, tamen pulveri *Lentilii* ex *cort. fraxin. rad. gentian. rubr.* atque *sale absinthii* concinnato cedentes. Præter has *continuae* continuarunt, non solum *primariæ*, sed & ex *secundariis*, *inflammatoriis*, *peripneumonia* atque *pleuripneumonia*. Posteriori juncto sputo *cruento*, atque *graviori febre* laborabat quidam *Juvenis*, prior verò reperiebatur cum *aphonia* in *ancilla*, utraque *V. S.* atque *diapnoicis temperatis* sublata. Frequentes erant *malignæ*, interdum *simplices*, interdum *compositæ* existentes. Quandoque enim *continua* complicabatur cum *continente*, qualem *hæmorrhagiis*, atque *sudore* intra *primum septenarium* solutam videre licuit in *Illustri* quadam filia *XIII. annorum*, quandoque & *intermittentem* habuit comitem, ita, ut aliquando sub *tertianæ* schemate inceserit, aliquando etiam mitius tractata in *tertianam* sive *simplicem*, sive *duplicatam*, pulvere ex *fl. chamom. sale absinth. antim. diaph.* parato, brevi curatam, transierit. Non nulli horum jam in *principio* hæmorrhagiam *narium*, vel *hæmoptysin* perpessi sunt; quædam tamen *foemina* & sub *paroxysmo* *intermittentis vomitu cruento* correpta est, unde in iis quoque *V. S.* cum *successu* sub *initium* celebrabatur. Sæviit hæc *maligna febris* æquè in *gravidas*, atque alias. Rariorem *Leytheponti* habui casum.

Et si enim foemina quædam juvenis, & sub initium *purgans* assumerit, & die vij. V.S. in eadem instituta sit, & nimias ob *vigilias* huic pharmacopœus *narcotica* exhibuerit, & post incongrua hæc artificia multa statim enata sint *periculosa* symptomata, *vigiliæ continuæ*, *deliria* non interrupta, *lypothymia*, *tremor artuum*, *floccorum lectio*, aliaque; tantum tamen abfuit, ut obierit, ut potius *Vesicatoriis* nuchæ, pedibusque applicatis denuo ad se redierit, vocatis deinde in usum *confortantibus*, *analepticis*, *bezoardicis* temperatis *pueros geminos* enixa sit, atque præter omnium spem ex morbo gravissimo evaserit. Neque *exanthematicæ* nostris ullas dederunt inducias. *Catarrhalis*, licet in infante cum *inflammatione* tonsillarum, *deliriis*, IV. die, superveniente *hæmorrhagia narium* largiori, *sudore*, *urina turbida* & inquinata, remiserit, alterationes tamen *febriles* post se relinquens, non nisi *purpura alba* subpullulante penitus disparuit. *Petechialis* ægrotis eo plus negotii facebat, quo minus studiosa, minusque decens adhibita fuerit curatio. *Laxantia* etiam sub *introitum* morbi noxæ erant, & nemini *fabrum aurarium*, ob *propinatum purgans*, atque *refrigerationem* factam, *lypothymia*, *vigiliis*, *deliriis* tentatum die vij. è medio esse sublatum. Neglectam *petechialem*, hincque *confusam* animadverti in *tribus* Juvenibus, quorum unus *prioribus* diebus in summam *virium* prostrationem, *gravitatem pectoris*, *vigilias*, *deliria*, *diarrhœam*, die vj. in *subsultu tendinum*, *singultum*, vij. in *pete-*

chias nigras, viij. in *soporem*, sequente in *purpuram albam*, *motus convulsivos* incidens IX. die mortuus. Ceterorum alter non modo sub *principium vertiginem*, *dolorem gravativum pectoris*, alternisque diebus *exacerbationem* percipiens; sed & in *progressu* febris *vigilias*, *deliria*, *manuum tremorem*, *floccorum lectionem*, *torsionem oris*, *alvi involuntariam excretionem* incurrens die XII. fato succubuit, alter *biliosus*, variis *excessibus* deditus, præviis *vigiliis*, *deliriis*, *diarrhœa*, die vij. *sopore*, *aphonia*, *urinæ suppressione*, IX. *artuum tremore*, X. *urinæ involuntaria emissionem*, *tremore labiorum*, *subsultu tendinum*, *adspecu torvo*, XI. *floccorum lectione*, *torsione oris*, *alvi dejectione involuntaria*, *motibus convulsivis* periit, quamvis ubique nihil non tentatum sit, imo tardius accersitus iisdem, *sanguinis detractione* in *statu* amplius locum non habente, prore nata *bezoardica temperata*, *confortantia*, *subadstringentia*, *antispastica*, *vesicatoria*, aliaque longo usu atque experientia probata *remedia* suaserim. Eodem tempore multos occupabat *purpura*, quæ tamen prudenter tractata nulli funesta fuit. Spargebantur præter *febrem scarlatinam* in *teneriori ætate* cum *vomitu*, *tussicula*, *cephalalgia*, *motibus spasticis*, *convulsivis*, *deliriis* præmaturis occurrentem, atque blandis *diapnoicis*, *antispasmodicis*, *sudoreque* die vij. victam, & aliæ duæ species, *purpura* nempe *rubra*, atque *alba*. Atque hæc quidem etiam *infantes* febre *catarrhali* licet superata vehementer affligebat, quendam

dam verò ex adultis ob refrigerationem summo periculo exponere. Cum enim proclivior sit febris hæc materiam morbificam per poros cutis proferre, mirum non est, mutatione lecti, atque aëris frigidioris admittance facta die vj. in subiecto nostro plethorico, cacochymico, ob sudoris retrocessionem, majores statim anxietates, inquietudines, vigilias, mentis alienationes usque ad XI. diem durantes, in conspectum prodisse. Gravius sic decumbente ægro in consilium quoque vocabatur Archiatrorum Cæsareorum Comes, Perill. atque Magn. f. D. de Longobardi, cujus nomen, dum audio, veneror. Tametsi verò Lectione & experientia hic Vir Celeberrimus serio imperaverit, ut & continentiam tranquillam sibi commendatam haberet, & medicamenta diapnoica, antispastica à me præscripta subinde repeteret, & aliis salutaribus monitis auscultaret, impedire tamen non potuit, quin adstantes suasi aliorum medicorum, contra obstructionem per quadriduum præsentem clysterem applicandum curassent, nisi eadem die XII. purpuram albam copiosissimè erumpentem detegissem, atque sic Patientem ab orci faucibus liberassem, quem mox clystere jugulassent. Julius ultra dimidium pluviis conspicuus erat, ita tamen, ut tempestas pluviosa cum sereniori per totum mensis decursum alternaverit. Unde gratus atque exoptatus observabatur, quamvis & die XIII. violenta tempestas non tantum Viennæ cum frequentissimis tonitribus, flammarumque fulgoribus, sed & in vicinia cum grandinitus insolitis,

maximo vinearum damno, oborta, & postremis diebus ob copiosiores pluvias horridior secuta sit. Similes vicissitudines ratione caloris, atque siccitatis, per totum Augustum sentiebamus. Calor enim semper moderabatur pluviis, aliquando citius, aliquando tardius. Non nunquam mane optima tempestas comparuit, spurca succedente vesperi, non nunquam calorem per aliquot dies durantem pluviarum continuas excipiebat, imo & sub finem æstus diuturnior imbres largiores prægressus est. Atque ob pluvias tam sub initium mensis sequentis ingruentes, quam circa æquinoctium autumnale continuantes tempestas frigida atque humida ad postremos usque Septembris dies perseverabat, reliquis, a tertia nempe ad XVIII. Serenis atque equalibus existentibus. Anni æstatem, cum ineuntem, tum adultam, tum præcipitem pluviosam & alibi deprehendimus. Sive enim tempestates graviores, atque numero non modo spectabiles, verum etiam ob fulmina vehementiora, tonitrua horrenda, grandines immanes, in Volhynia, Leopoli, circa Lovitium, Upsalæ, in Ducatu Bremensi, Dresdæ, Augustæ Vindelicorum, Francofurti, Londini, Suffolciæ, Lutetiæ Parisiorum, in Civitate Remensi, Picardia, Genuæ attendamus, sive imbres largiores, atque per copiam, & aquarum pluvialium affluentiam vel animatorum, vel oppidorum, vicorum, vinearum, agrorum, pratorum, aliarumque rerum inanimatarum jacturam factam in insula Citiorum minori, Cremesie, in Austria

superiori, Bohemia, Palatinatu, Bruxellis, Hallæ Saxonum, circa Berolinum consideramus, luce meridiana clarius id ipsum est; utut Holmiæ, atque in Moscovia major calor majorque siccitas cum nebulis foetidissimis, quam ab XI. annis sese exeruerit, ut & pisces inde in Suecia perierint. Hic tamen temperabatur calor pluviis adhuc dum Julio cadentibus, illinc frangebatur Augusto accedente frigore, quod æquinoctio autumnali appropinquante & Moscoviæ, & Ottoniæ majus incrementum fumsit. Denique & notatu perdignum, ea, quæ ruri à grandinibus intacta permanserunt, à cicadis turmatim Poloniam, Lusatiam Superiorem & Inferiorem, atque Marchiam Brandenburgicam ingredientibus, intra spatium XXIV. horarum ferè omnia fuisse consumpta, irreparabili incolarum damno. His mensibus æstivis, præter apoplexias Hagæ Comitum ingressas, arthritidem Londini infestantem, atque podagram Romæ, Moscoviæque increbescentem, diversæ febres adhuc dum spargebantur, ita, ut ex continuis inflammatoriæ, quales sunt pleuritides atque peripneumonix, Gallos invaserint, malignæ modo in Salopia Anglis intra quatrimum funestæ, modo in Apulia militibus Cæsareis lethales, modo Cazallæ degentibus periculum minantes grassatæ sint, catarrhales in Ducatu Mantuano regnaverint, variolæ Romæ, Lutetiæ Parisiorum, inque Campinia viguerint, dysenteria in Italia homines adorta sit, pestis in Podolia, Volhynia, Moldavia sævierit, imo denique & lues quæ-

dam pecora circa Camenetiam, Chotimiam, inque Spirensi Episcopatu occupaverit. Eodem tempore Vienna commotioni humorum supervenire solebant hæmorrhagice congestiones, quas pro diversitate loci nunc hæmorrhagia narium, nunc hæmoptysis comitabatur. Quin etiam ansa hinc arrepta in mensium retentione visus hebetudinem habuerunt sociam, cedentem non solum antor-gasticis, atque antispasmodicis, verum etiam fluxu menstruo redeunte penitus disparentem. Sicuti verò rheumatismos hinc inde videre licuit; ita similis congestio per totum latus dextrum sese extendebat in sene plethorico, & podagrigo alias, & brevi ante morbum de Stranguria æquè, atque catarrho conquæsto. In hujus facie periculosa sese sistebant Symptomata, inflatio, ophthalmia, oris tortura, partium adfectarum actio læsa, ut neque comedere, multo minus fistulare potuerit. Atque hic mihi suppetias præ ceteris ferebant diapnoica, antispasmodica, nervina vel in infuso, vel in decocto pro oris elutione, vel linimenti forma præscripta, quæ post V. S. reiteratam adductis Symptomatibus superatis, imo rheumatismo circa claviculam subsequente etiam discusso, successivè ægro sanitatem reddebant, licet maturius aëri frigidiori, atque humidiori se exponens podagram tandem incurrerit. Sunt & alii adhuc morbi, qui subpullularunt. In ætate graviori raucedo sese prodebat, tussis vehementior eandem affligebat, in primis hypochondriaca, quali Illustriss. quædam Domina septuagenaria, juncto dolore hepatis, laborabat. In sub-

jecto

jecto Sanguineo - cholerico , atque podagrico , *nephritidem calculosam* , cum doloribus acutissimis , *clysteribus* , *digestivo - antispasticis* , *ol. amygd. dulc. balneis relaxantibus* , *unguentis emollientibus* , quæ calculi secessum facilitabant , fustuli. Affectibus *Spastico - arthriticis* ex proprio fonte erat succurrendum. Sic in *hemicrania chronica* , *malo ischiadico* , *podagra antorgastica* , *digestiva* , *diapnoica* , *antispasmodica* majorem opem ferebant , quam ab ullo alio remedio expectari potest. In arthritide *fixa cum tumore* manus hæc quidem non sufficiebant , sed pulvis ex *sale cichor. fecul. ari. pulv. hepat. rubr.* atque *diagryd. Sulphurat. paratus* , *laudatis interpositus* ferè punctum tulit , cuius hinc usum , quo usque penitus remisit dolor , continuavimus. Occurrebant etiam in *adultâ virgine plethorica motus convulsivi contumaciores* , durantes per *triduum* , artusque adeo torquentes , ut in *luxationem cubiti* incidere. In *causam* mali inquirens animadverti , eosdem sine *manifesta causa* fuisse enatos , neque unquam , si *convulsiones* ob *terrorem* post *morsum* canis in *Juventute* perceptas excipias , ab eadem antea perpeffos. Remedium præcipuum ac præsentissimum fuit pulvisculus ex *matr. perl. præp. antim. diaph. nitr. dep. lumbric. terr. præp.* atque *cinnab.* constans , quem aliis non juvantibus exhibui , eumque deinde , applicato quoque *clystere* repetii. Nec defuerunt febres *malignæ* , acutæ , interdum sub *continentis* , interdum sub *schemate continuæ* apparentes. Quam plurimæ fuere *exanthematicæ*. Sæpe enim

complicabatur *purpura rubra* , in primis in *infantibus* , sæpè *petechias* emittebat hæc febris. Atque *petechialis* denuo duabus personis , quod *purgans* assumerint , à *vino* non abstinuerint , *diapnoen* neglexerint , *tremoribus* totius corporis , *vigiliis* perpetuis , *deliriis* furiosis sese repræsentans , funesta erat. Alios affecit sine *exanthematibus* , quod tum *catarrhales* , tum *dysentericæ* sub finem *Septembris* invalescentes satis superque probant. Quædam jam in *principio dysentericæ mensis* expertæ sunt , in quibus *pilulas Stahl.* subjunctis *spec. de hyacinth.* atque *corall. rubr. præp.* cum successu adhibui. Taceo *quotidianam* , *tertianam duplicatam* , *ischuriam* gravissimam *V. S.* in pede decrescentem , *diarrhæam* torminosam post *iram nitrosi* atque *precipitantibus* victam , aliosque *morbos* his mensibus sese offerentes. *Octobris* initium *serenum* , utcunque *placidum* fuit , *progressus* ad *finem* usque *nebulis* , *pluviis* , *nivibus* , *grandinibus* conspicuus , *humido frigidus*. Totus *November* aut *nebulosus* , aut *pluviosus* , aut *ventosus* , aut *nivosus* erat , adeo , ut eodem mense neque *quatuor dies tranquilli & sereni* numerari potuerint , neque *frigida* atque *humida* tempestas unquam minuta sit. Quamvis autem & *December pluviosus* comparuerit , *tempens* tamen atque *æstatis* simillima tempestas eidem jungebatur , quam vix per *IV. dies* stantem excipiebat aliam multum *diversa*. Sequebatur enim *ventosa* , *nivosa* , *rigidior* , quam ullo , quod meminî tempore , *frigori* acriori die *XX.* atque *XXI.* obortis *pluviis* quidem remittente ,
sed

sed XXIII. majori vehementia cum Aquilone atque nivibus redeunte. Sicuti verò priores Octobris dies, tam ob coelum splendore plenum in Palatinatu, quàm ob siccitatem in Ducatu Montano, ac Dresdæ calidiores quoque fuisse intelligimus: ita & sequentes atque postremos jam venti rigidiores Venetiis, in Hispania, jam pluvia non interruptæ circa Scaphusiam, in agro Bononiensi, Ducatu Guardistallensi, insula Junonis, aliis provinciis Hispaniæ, Cameneciæ, jam nives Holmiæ, Petrioli, in Ducatu Novogardiæ inferioris, Cameneciæque humido-frigidiores reddebant. Atque hæc, frigida scilicet, atque humida tempestas, cum ob ventos circa Portum ostium, Dublinum violentiores, tum ob pluvias in Palatinatu, Colonia, Brüllis, Lutetiæ Parisiorum, Romæ, Genovæ, Calpe copiosiores; tum ob glaciem, nivesque in Moscovia, Polonia, Suecia, recurrente placidiori aëre solutas per omnem Novembrem continuabat. Denique & December aura temperatiori, pluviis frequentioribus stipata, Batavis, Gallis, Germanis, Polonis, aliisque illuxit, tantumque abest, ut talis permaneret, ut potius turbidus successerit. Testes sunt non modo venti vehementiores Romæ, Liburni, Venetiis, Neapoli, in Lacu Lemano, Maclopoli, Rupellæ, Hanoveræ, Colonia Agrippinæ, in Franconia, Haffniæ, in mari Balthico sese exerentes, verum etiam nives cum acerbissimo gelu in Moscovia, Polonia, Suecia, Holsatia, Saxonia, Gallia, Helvetia, Hispania, Bavaria invalescentes. Remisit quidem frigus

in Bavaria, Polonia, aliisque regionibus per paucos dies, mox tamen rediit intensissimum, cum omnitempestatum insolitarum, nivium & ventorum, genere. Autumno nunc arthritidis Londini increbescebat, nunc podagra Romæ, Mediolani, Genovæ, Lutetiæ Parisiorum, in Batavia, Berolini affligebat. Romæ eodem tempore pleuritides, peripneumoniarum, anginarum, aliisque febres inflammatoriæ frequentes erant. Malignæ & in Palatinatu inferiori, & in agro Lunensi, & Genovæ, & in insula Junonis in homines sæviebant. Non defendam easdem vel classicula Hispanorum præsidaria mediante ex America in locum posteriorem fuisse delatas, vel ex fonte quodam impurius ortum fuisse, hoc factum addam, has modo continentis Schema, modo indolem continuæ exhibuisse, cunctem aliquando maculis, aliquando nullis fuisse interstinctam, ut de duplicatis in quibusdam perspectis nil adducam. Variolæ Coloniae Urbiorum, Londini, Lutetiæ Parisiorum, Versaliis, circa Autricum Carnutum, in Lunæ Villa, in Hispania regnantes, si morbos reliquos non exuperabant, numero tamen æquabant. Neque pestis in Podolia, Volhynia, Moldavia decrescebat, neque lues pecora occupans remittebat; sed latius serpendo & eundo tantas acquisivit vires, ut eorum quantitatem maximam in Bohemia, circa Posonium, Zamoscii, in Lithuania, Marchia Brandenburgica, versus Ducatum Magdeburgicum, aliisque in locis Saxoniæ è medio sustulerit, cui malo in postremis

firemis regionibus multum favebant
 miasmata putredinosa à cicadis relicta.
 Cæterum præter *paralyses*, *apoplexias Romæ*, *Mediolani*, *Bernæ*, *Lu-
 tetiæ Parisiorum*, *Hamburgi* se se sisten-
 tes, nil memoratu dignum mihi occur-
 rit. Iisdem mensibus Virgo quædam
 Viennensis post V. S. ob menses *par-
 ciores* in *pede* institutam, *croci-
 que* *essentiam* adhibitam, fluxum men-
 sium *nimum* incurrit, quem *adstrin-
 gentibus* ab ordinario præscriptis ex-
 pugnare per vij. Septimanas, sed fru-
 stra erat conata: hic ego ad repe-
 titum *antorgasticorum* usum con-
 fugi, neque poenitenda opera, quam-
 diu enim ista propinarentur, satis
 rectè habuit, sed cum his *moderare-
 tur* tantum fluxus, non *tolleretur*,
 V. S. in *manu* suasi, qua celebrata
 sine *antorgasticorum* præsidio omnino
 convalescebat. In aliis *rheumaticos*
 decubitus versus *faciem*, in aliis *otal-
 giam*, in alia post *refrigerationem*,
 atque aliqualem *lochiorum* suppres-
 sionem *odontalgiam* vidimus, in
 alio *puero* ob neglectam *diapnoën*
 diu *purpuram* perpesso sese offerebat
cheilocace, sive labro - sulcium,
 cum exulceratione labii superioris
 oris gravius, ac quasi *hæreditarium*,
 alii *coryza*, *angina*, *tussibus* labora-
 bant; in aliis affectus *spastico - arthri-
 tici*, *digestivo - diapnoico - anti-
 spasticis* sublatis invalescebant. Innu-
 meræ quoque hinc inde spargeban-
 tur febres, *inflammatoriæ*, *malignæ*,
catarrhales, *exanthematicæ*, *inter-
 mittentes*, *tertianæ*, aliæ: sed
 præ omnibus *purpura alba*. Inva-
 debat enim non tantum *infantes*,
 maturius in febre *scarlatina* men-
 se *Junio* aëri liberiori commissos,
 Th. Sydenham Oper. Tom. II.

sed & *adultos*. Sequiorem *sexum* du-
 plo gravius afficiebat. Sic affectus *hys-
 terici*, *animi abjectio*, *ardor* atque
anxietas cordis, *cephalalgia*, *vi-
 giliæ*, *deliria* usque ad XVI. diem
 continuantia in Juvene quadam Do-
 mina *purpuræ albæ* superveniebant,
 quibus sese excretio *critica* partim
 per *sudorem* die vij. apparentem, par-
 tim per *hæmorrhagiam narium* lar-
 giorum XIV. obortam, sequentibus
 XVI. etiam *mensibus*, adjunxit,
 ut & *exanthematum* eruptio XI. &
 XVIII. *secunda* vice cum levamine
 sese prodens. Duæ ex *puerperis* hac
 febre laborantes meam implorarunt
 opem, quarum alteri *camphorata*,
myrrhata, similiaque internè dederunt,
 alteri *tincturas spirituosiores* præscrip-
 sere Medici. Etsi verò *calidiora*
 utrique dissuaserim, atque ob vigi-
 lias & deliria, *temperantiora* lau-
 daverim, tantum tamen abfuit, ut
 id ipsum in *priori* observatum fuerit,
 ut potiùs *massam humorum commo-
 ventia* repetierint, sicque imperitè
 tractata, nulla de *siti*, nullo de
dolore conquerens, *urina* etiam *natu-
 rali* fere existente, die XI. sublata
 sit. Posterior, quæ non modo *spon-
 giosioris* atque *plethorici* habitus
 erat, verum etiam ante annum cum
 sub *initium* gestationis menses *conti-
 nuos*, tum *medio* tempore *fluorem al-
 bum*, tum vij. mense *abortum* ex-
 perta est, hoc gravius decumbebat,
 quod & in *abortum* denuo absque
 causa *manifesta* incidit, *duabus* in-
 simul *molis* secedentibus, & ob vio-
 lentiore *secundinarum* diutius reman-
 entium extractionem debilitates *syn-
 copticas* senserit, & die vij. *sudore*
 præfente aërem *liberiores* admiserit,
 A a a & viij.

& viij. *exanthematibus* jam prodeuntibus *enematis* injectio facta fuerit, & ob neglectam *diapnoën*, dum surgeret maturius, atque *purpura* sub blando *udore* sensim evanescente, *rheumatismo* pedis summè dolorifico tentata sit. Serio hinc imperavi, ut sub continentia tranquilla regimen *diapnoicum* sibi commendatum haberet. *Variolæ* copiosiores, ordinariis quidem majores, atque sub initium *pellucidæ*; deinde tamen ad ambitum *inflammatae*, juncta febre exquisita, vigiliis, deliriis *suppurascens* æquè, ac die XIV. *exiccatae*, decidentisque cum solutione mali sub blanda *diapnoë*, urinæque *turbatione*, visabantur in filia jam adultiori, cujus in fratre mitiorem vim morbi animadverti. Nil di-

cam de *pleuritide* in Juvene vij. die sudori cedente. Neque vel de *cachexia* cum *nodis* atque *abscessu* mammæ in *puerpera* à *purgantibus* fortioribus, suafu *barbitonforis* assumtis aucta, *digestivo-diapnoico-antispasticis* autem à me ordinatis, sub copiosiori *sudore*, copiosiorique *urinæ* excretionem successivè penitus disparente, vel de aliis morbis *sporadicis* quicquam adducam. Hoc saltem addam, *mortuorum* numerum, sicuti *Londini* 26761. *Amstelodami* 8911. *Brunsvici* 1233. *Lycaoniæ* 400. *Berolini* 2691. *Wittenbergæ* 260. *Dresdæ* 1740. attigerat, ita *Viennæ* ad 8493. sese extendisse. Sufficiat hæc de constitutione *epidemica* hujus anni fideliter, prout & in alieno, & in mea praxi occurrebant, annotasse.

Dni D. CAROLI RICHA, Philos. & Med. Doct.

Constitutio Epidemica Taurinensis Anni 1720.

I. **H** Umanum Corpus variis passim advenientibus impressio- nibus excipiendis aptum, variis idem malis affici notum est, quæ quidem modò ab occulta aëris diathesi ortum habent, modò intimè profecta à variis fermentationum generibus, vel etiam putrefactionibus humorum, ut aiunt; seu rectius ab alterato fluidarum cum solidis partibus æquilibrium, ad cujus legem mechanicis præceptis illud idem comparatum est, subnascuntur. Hinc multiplex morborum cohors ab omni ævo terris incubuit, seu ab hac, vel illa peculiari corporum particularium anomalia, seu à causa magis generali

producantur; Hosce postremos propriè *Epidemicos* dicimus, vel indiscriminatim, nulloque servato ordine homines invadant, vel continuâ quâdam serie, ceu facto circulo se se invicem excipiant, statisque temporibus orientur.

II. Si quibus autem in morbis *divinum* illud ab Hippocrate proditum elucet; id sanè in epidemicis cernere est, quorum causam rectissimè venerandus idem senex in anni tempora rejicit, quæ prout constitutionem suam naturalem servaverint, vel ab ea recesserint sanum, vel ægrotum corpus efficiunt, variasque ægritudines producunt. Nihil sanè quicquam

quam animum universæ, quâ patet, Medicinæ pomœria perlustrantem tantâ admiratione percellit, quam discolor illa, & planè sui dissimilis istiusmodi morborum facies, tum quâ varias ejusdem anni tempestates, tum quâ discrepantes diversorum ab invicem annorum constitutiones referunt, ab iisque dependent; ut verè *divinum* quid dixeris inesse iis, nec immeritò *divino* laudis honore celebrandos, qui occultam illam, atque inexplicabilem aeris influentiam, unaque simul defævientes morbos scitè norunt expendere, ac prænunciare.

III. Atque id quidem ritè assequi res est multi otii, ac summè ardua; Opus utique verè magnum, cui fortassè unius Medici ætas non suffecerit. Diu namque, ut ut improbus, exantlandus labor est, antequàm nos aliquid memoratu dignum in hõcce fodiendò Isthmò, inque tam multifariâ horum morborum ferie extricandâ præstitisse jure possumus gloriari. Neque is ego sum, qui me in his, quæ jam trado, omnem absolvisse numerum credam: Novi enim *quo ex luto mihi finxerit præcordia Titan; Quamve sit mihi curta supellex.* Satis erit ad laudem inchoasse telam quove pacto se res habuit nuper, quod ad hanc scilicet, in qua degimus, Urbem, ejusque agrum pertinet, enarrare.

IV. Quod ut ego felici calamo assequi pergam, ac dilucidè, quantum fieri potest, quotannis prosequi, ac illustrare; consentaneum duxi, quæ propria ac sua sit hujusce Cæli natura, quidve in hoc, quem premimus, Agro laudandum, quid cul-

pandum sit, antequàm ad alia progrediar, paucis exponere. Meâ etenim, immò Hippocratis sententiâ, id scitum maximè est necessarium, nemoque Cinicorum alicubi esse potest, vel mediocri famâ celebratus, quin ante omnia locorum, in quibus se velit exercere, cum positiones, ac ventos, tum aquas, & cæteras aëris, & alimentorum qualitates (quæ Urbium Cælum constituere videntur) probè cognoverit.

V. Eaque quidem omnia ad commendationem Taurini agri concurrunt. Enim verò Taurinorum Augusta, si modo ejusdem positionem spectemus, mirabili certè vel casu, vel consilio haud longè ab Alpium radicibus in amœnâ planitie excitata fuit ad lævam Eridani Fluviorum Regis, *nulli amnium*, ut Plinius ait, *claritate inferioris.* Hinc lætissimi Colles, quâ Orientem adspicit, trans Padum nitidissimo prospectu consurgunt oppositam imminentibus Alpium ad occasum Solis fastigiis faciem præbentes; Hinc effusissimus ager, quâ Boream, ac Meridiem spectat, protenditur, quem *Taurinates campos* vocat Anonymus in Panegyrico ad Constantinum; *Taurinos* ego potius dixerim elegantiore vocabulo, quo quidem usus est Ptolomæus, Tacitus, Plinius, & alii quam plures. Sic etiam Taurini Populi dicti sunt, qui antiquâ Ligurum stirpe huc primi confluxere.

VI. Isque est Urbis, tum Agri conspectus, verè, si fas est ita loqui, *Elisus*; Ecquis enim haud videt ex tot hisce inter se non diversis modò, sed quasi contrariis locis, Collibus nempe, Alpiumque cervicibus

haud longè ab Urbe impendentibus, ampliffimâque interjectâ planitie mixtam veluti quamdam ex omnibus, ac libratam Atmosphæram confurgere; fluidumque aera, quem à Sole potiffimum, Luna, ventisque inæqualiter premitur, perenni motu agitatam, minimo illud negotio à finitimis Mōtibus in patentem planitiem, & vice versâ contendere, sursum illud prementibus, urgentibusque partim domorum ignibus, partim æris campani pulsu, & discurrentium Civium miscelâ.

VII. Sic verò præsertim comparata Urbs est, ut liberum habeat Solis tum ortum, tum occasum; quâ namque parte Orientem intuetur Solem, ita compositi sunt interjecti Colles, ut ejus illa radiis nullâ, vel exiguâ diei parte defraudetur; quâ verò Occidentem adspicit, diffitæ Alpes, ferè sexto ab ipsa lapide, Occidui morientis Solis aspectum nullimodè inhibent; quin immò radios quoquo modo reflectendo, ac declinando hilarem, lætissimumque vespera incolis ferunt.

VIII. Insuper præstant modo dictæ Alpes, quòd excelsis illis, quibus eminent, cervicibus, lenes, mitesque occidentales ventos, quos cæterum impetuosos maximè, ac insalubres potiffimum Gallis occidentilibus novimus, lenes inquam, mitesque subalpinis ferant, eâ quidem ratione, quod uberrimam illam, si quid ego hîc judico, vaporum aquosorum copiam, quam hi secum ex Oceano Atlantico vehunt, magnâ ex parte per vastissimum totius Galliæ occidentalis tractum dimiserunt, tum si quid adhuc retinent, antequàm Al-

pes pervadant, deponunt, quò scilicet dein lenes ii, ac temperati subalpinas hæc Regiones benigno afflatu recreent.

IX. Quod verò orientales ventos attinet, hosce libere per universum Agrum Pedemontanum perflare sinūt exarati Colles ad Orientalem Urbis plagam compositi; nec humiles nimis, nec elati; ita tamen dispositi, ut non nisi purissimum ætherem, leniterque retusum, ac mitigatum ad nos primâ luce appellere permittant, perque patientes campos discurrere.

X. Neque diffiteor haud adeò infensum nobis fore Boream, atque illi oppositum Austrum, si quid opportunè illis opponeretur, quod medium veluti libramentum eorundem vim frangeret, ac temperaret. Cum verò liberè hi tum à Septentrionali nivibus obsitâ, tum à Meridionali vaporibus aquosis divite plagâ, nullo interjecto obice discurrant; furentes indè, ac debacchantes sævissimo plerumque flamine Incolas verberant, vel eo maxime, quòd assurgentes utrinque montes, apertum iis campum, ac quemdam veluti alveum, quo magè sæviant, præbent. Longè verò Meridionali infensior Boreas est, quòd ille inquinamenta, quæ secum vehit, medio quasi in itinere, antequam in obviam illi planitiem illabatur, interjacentibus maritimis Alpibus, quæ à meridie imminent, ac Niciensem ditionem à Pedemontio determinant, dimittere cogatur aliquandò. Boreas verò è Montibus glacie, nivibusque tectis spontè ruens subjectos campos pervadit, liberèque furens non modo aerem valdè condensatum, & compressum adducit, sed

sed & minuta corpora nitrosa non parum infensa secum advehit, erodendi, irritandique facultate prædita, quod apertè quidem ipsamet ostendunt ædificia, quæ cum maximè inveterascunt, adversâ Septentrioni facie, non leves corrosionis notas præ se ferunt. Equidem ut rem omnem in pauca contraham, ex hisce omnibus ventis, quibus Taurinus Ager perflatur, neminem agnoscimus Orientalibus salubriorem, neminem insuper infensiolem Boreâ, atque Austro, infensosque denique minus, ac fortè etiam salubres, cum maximè moderatè flaverint, Occidentales didicimus.

XI. Plures verò fluentes aquæ uberi gurgite hosce campos allunt, haud exiguâ incolarum felicitate; Hinc enim rivulos penè innumeros cerne re est per universum agrum longè, latèque eximiâ, nec unquam satis laudatâ Colonorum industriâ disseminatos, qui rursus dein unâ omnes in unû, alterumque amnem, majoremque alveum excurrunt. Hosce inter amnes aquis, tum munere præclariores sunt Padus, ac Duria; Ille è gremio Vesuli montis celsissimû in cacumen elati, finibus Ligurum Vagiennorum, visendo fonte profluens, condensque se se cuniculo, mox in Forobivensium agro iterum exoriens, placidissimo motu, quâ præsertim aprici colles eminent, juxta Urbis mœnia præterlabitur; ultròque dein pergens mutato itinere Orientem versùs excurrit, quò tandem aquis dives in Adriaticum mare tergeminis ostiis se se exoneret. Hæc ex Alpibus Cottis præcipiti tramite decurrens altero sui alveo Pado adfunditur, altero in rivos

diviso per Urbis semitas salubriter devolvitur, immundiciarum faciem, impurum spiritum, & causas gravioris Cæli secum unâ removens, auferensque.

XII. Sunt enim Alpes ita dispositæ, ac comparatæ, ut si quo in loco, hic sanè admirabilem lusum excelsis earumdem cervicibus præbeant, uberesque effundant in subjectam planitiem aquarum latices ex intimo earumdem gremio profilientium, perque tot amphractus, an mœandros læto, gratoque murmure decurrentiû. Hinc soli bonitas aliis longè telluribus, quæ clementissimo Cælo gaudent, profectò non inferioris. Hinc frugum omnium, ac rerum proventus uberrimus, nullo non tempore, parvo etiam pretio copiosâ tellure salutarem incolis, ac hospitibus victum largiter subministrante. Hinc benigna aëris nativa indoles, quod caput est maximum, potissimum repetenda; Sicuti enim secundùm Theophrasti (a) axiomâ, *talis est aqua, qualis est terra, per quam ipsa percolatur.* Ità quoque, me judice, plurimum una simul conspirant, atque invicem juvantur, lædunturque, aer, & aqua: nilque adeò magis ad aeris, quem scilicet ceu immensam quasi spongiam minutissimorum corporum, quæ à terraqueo orbe, perenni tum externo, tum interno molimine excitantur, concipimus, puritatem, bonitatemque, ac locorum proindè felicitatem, atque incolumitatem conducit, quàm dulces, probatæque aquæ suos per alveos, & canales liberè excurrentes.

XIII. Ecquis verò lymphas, tum quæ ex intimis Alpium Amphractibus

A a a 3

bus

(a) De caus. plant. lib. 6. c. 3.

bus scaturiunt, tùm quæ spontè ubique in universo agro profiliunt, tot inquam infontes lymphas crimine, aut malitiâ culpaverit, quarum bonitatem certissimo argumento, præter spagiricam analysin, longa diu experientia, probatusque apud incolas usus testatur? Quis limpidissimos ubique orientes fontes criminabitur, ad quorum quamplures, tamquam ad sacras Thermas concurrere ægros novimus, eorumque auxilio diuturnis ipsos malis evadere? Quis puteales ipsas, quæ tùm in Urbe, tùm in finitimis Oppidis passim prostant, aquas vitio redarguerit, quas, aut saltem pleraque, longo usu, optimas esse didicimus? Quod enim harum pleræque putidæ alicubi reperiantur, malum hoc acceptum referendum est non lympharum venulis, sed modò corporibus facilè putrescentibus, quæ in puteos ipsos præcipitata sunt, modò nimix quieti earundem putealium aquarum, modò tandem, quod frequenter accidit, Architectorum imperitiæ, qui puteos cavant juxta latrinas, aut cloacas quarum sepulta lues infontes aquas contemerat.

XIV. Scio quidem fluviales maxime, non omnino infontes haberi, utpote quæ exoticis particulis, cum præsertim nives æstivis mensibus liquecunt, inquinatæ sunt. Atqui adventitia hæc labes hujusmodi aquarum est, quam facili ego aliquando marte diluam peculiari quodam, quem mihi olim elaborandum constitui, tractatu, *de morbis endemiis, seu de Medicina domestica Subalpinorum*; In quo quidem tractatu tùm nativas, tùm adventitias hujusce, in quo degimus Cæli qualitates fusiùs, ac elaboratiùs

exponam, tùm, quæ præcipua res erit, naturalem Pedemontani agri historiam à nemine, quod sciam, tentatam adhuc, atque ab amicis diù expetitam, accurato, quantum fieri poterit, stylo persequar. Hæc interim satis erunt impræsentiarum pro ea, quam modò aggreddior, felicique omine prosequi in dies cogito, exornandâ Provinciâ. Manus itaque ad Tabulam.

XV. Utque ab ante acti anni 1719. exitu, Hippocratis more, incipiam. Fervidissimam, ac pulverulentam æstatem siccissimi veris, ac hyemis sobolem, pluviosus, ac lutulentus Autumnus excepit. Nulla scilicet visa dies ab autumnali æquinoctio ad hyemale solstitium usque nubibus expers, ac læto Cælo. Nec diu quidem se se prodere distulit morbosa proles sub februm larva nullo ferè typo superiorientium, quæve morbillofarum, ac variolosarum indolem præ se ferebant, delitescens. Et fanè morbilli, qui præcedentibus annis totam penè Pedemontanâ Regionem longe, lateque infestarunt, jam fatiscentes dein, variolis locum cessere, quæ ineunte æstate subortæ, autumnò maximè debacchatæ sunt, deplorandâ tenellæ præsertim ætatis clade. Curiosum fanè erat, quo hæ pacto ab uno ad alterum finitimum oppidum migrabant, ac se se invicem excipiebant, perpendere, eundem scilicet quo antea morbilli apparuerant, ordinem servantes, ac morem, ingeniumque. Alpina namque loca ab hisce primò, mox universus denique Pedemōtanus ager funestatus est. Diceres ab Alpibus illas ad subalpinas Urbes transiisse: unde demum factò velut agmine, ac impetu à finitimis regionibus ad magis

gis diffitas, à Subalpinis ad Insubriam, ab Insubriâ ad Mutinensem agrum, ab hoc ad Romanum, totamque dein extremam usque Italiam propagatæ sunt. Quodque mirum magis est, ac considerandum maximè; quod lethale esse solet hisce erumpentibus, nigroque propemodum lapillo signandum; id ferè proficuum extitit, ac salutare: motus nempe per alvum spontaneus ab ipso variolarum erumpentium exordio ad usque supremum earundem stadium perdurans, cujus beneficio haud paucos memini, jam penè Orco proximis, ex insperatò servatos. In quo quidem id ego potissimum didici, variolas nempe, cum maximè symptomaticè, ut ajunt, erumpunt, alio utique more curari, tum judicari, ac illas, quæ essentialiter se se produnt.

Variolarum Classi meritò adnumerabantur putridæ febres, variolosæ, inflammatoriæ, ut subinnuimus, & hujusmodi aliæ, quæ æstivis mensibus suboriri cœperant, ac tum fortè cudebantur, subsequenti postmodùm Autumno, ac Hyeme erupturæ. Hisce se se addidere comites Pleuritides spuria, Ophthalmiæ, Anginæ, Dysenteria, Stranguriæ, atque hisce affinium morborum prolixa Cohors, quorum una simul, atque eadem omnium origo est; unum, idemque incrementum.

XVI. Atqui desiit tandem, accedente hiberno solstitio, pluviosa Autumni constitutio, lætiorumque temporum indolem prænunciare visus est novus oriens Annus (1720.) sereno, mitique ad eò Cælo, ut mediò ferè Januario Veris exordia præludere jam tum cœperint, Occidentalibus

ventis præmaturè spirantibus, quibus æquo pede identidem præter morem Australes succedebant. Quis ægrorum status in illâ verè insolenti conditione temporum fuerit? Quid inde subsequenti æquinoctio pertimescendum maximè, facile is conjicere poterit, qui quod Hippocrates ipse in hujusmodi (b) inordinatis temporum vicibus portendit, planè didicerit? Et sanè vix à pluviosâ ad siccissimam rursus vergere visa est temporum constitutio; ut illicò putridas febres in petechiales, ac malè moratas illis affines, ac consanguineas evadere adnotavimus, sensim evanescentibus variolis, nigramque facem exaratis petechialibus, ac mali moris febribus, quæ de die in diem invalescebant, tradentibus. In hac postrema variolarum scena adultos maximè correptos vidimus, secùs ac cum primitùs apparere illæ cœperant, primævos tunc flores tantùm, tenellosque infantes adortæ.

XVII. Quæ igitur ineunte Januario exoriri cœperant malignæ febres, eadem, appropinquante vere, quàm immanissimè debacchabantur, ac velut rupto aggere torrens longè, latèque per universa quæque Subalpina Oppida crudeli more desæviebant. Addiderant hisce vim, atque robur ingens in illa siccitate temporum, in quam ex pluvioso Autumno inauspicatò incidimus, hiscentes ab Australibus oris assidui flatus, infestum quantùm! Prælusserant hisce quoque denso agmine morbilli, ac succedentes variolæ, quæ superioribus annis, ac præcipuè exactâ nuper æstate, maximam infantium cladem edidit. Facile hinc conjicere erat iis potissimum

(b) lib. de aère, locis, & aquis.

mum vexatos iri labente anno Subalpinos Incolas, ni quæ impendebant mala averterent Superi, miserasque terras defenderent. Auditum tunc quoque est Romæ hujusmodi febres, tum anginas, ac pleuritides defævire, quæ multa hominum millia utriusque sexus, & omnis ætatis, ac dignitatis interfecere. Quod ego quidem non absque ingenti animi dolore meminisse videor, cum præclarissimum, & amicissimum virum *Joannem Mariam Lancisium*, Summi Pontificis nuper quoque dum hæc ego scriberem, in Cælum elati Archiatrum, & Cubicularium intimum, de re medica, ac literaria optimè meritum, cui ego plurimum debeo, in luctuosissima illa rerum scena è vivis sublatum, & adhuc lugeam, & mecum unà lugeat universa Litteratorum Respublica. Mylis quoque in Sicilia, haud absimiles morbos jam tum superiori Æstate, Autumnoque extulisse caput, inque dies ingravescere magis, ingenti militum tum Hispanorum, cum Germanorum, ac Incolarum funere audivimus.

XVIII. Exaratis febribus spasmodici pectoris affectus, sub ipsum Æquinoctium, ac diu adhuc post ipsum consociabantur, sævissimoque inito foedere, auctis veluti viribus, juniores maximè, ac robustiores ausi sunt laceßere, inque Libitinæ censum deducere. Hisce quoque Comites aderant, subque iis merebantur Ignes sacri, anginæ, arthritides, erysipelata, & alia id genus mala, quæ quidem eò magis recrudescere, quò parcius sæviebant exaratae febres, ac spasmodici pectoris affectus, fatiscere rursus, ac cedere, quo immaniter magis illi increbescebant, ac ita vicissim reci-

procantibus imperiis ludere pluries observavimus. Qui verò chronicis morbis, ac tabe potissimum, ne quidquid ad historicam morborum narrationem desit, jam diù conflictabantur, hosce initio veris ex omni prorsus spe decidere, adque interitum properare celerius fortè, quàm par erat, adnotavimus; Quin insuper multis de tabe in dubium venientibus, ipsa tunc est confirmata, atque haud scio si quis ex iis etiam modico tempore super- fuit.

XIX. Isque fuit Austrinus hyemis status. Rarò scilicet, aut nunquam *Boreæ penetrabile frigus* persensimus, quin insuper nivali vellere defraudatâ terrâ, eâ saltè quantitate, quæ nostro huic Cælo congrueret, metus aderat, nè parùm inde frugifera futura messis evaderet. Solabatur tamen annorum antecedentium felix ubertas, ut venturis temporibus provisa sufficerent. Equidem exarati affectus, si modò Arthritides excipias, quæ quoque satis aptè ad vernaes morbos referri queunt, exarati inquam affectus veris potius, quàm hyemis ingenium redolebant. Et reverà non aliunde excitatas, ac penè dixerim expergefactas, novâ veluti prole sobolescere crediderim præfatas affectiones, quibus tunc obruebamur, nisi ab Austrinis sævientibus flatibus, atquè hinc præter morem serenâ, ac veris speciem referente hyeme, cui pluviosus Autumnus post ingentem illam temporum siccitatem prægressus fuerat. Hinc enim prælu- dente, præmaturo afflatu, vere, ut vegetantia quæque in agris, ita & humani corporis liquida intestino motu fermentescere cœperunt magis, ac agitari.

XX. Cum verò impar incepto ab-
solvendo muneri, ac minùs congrua
foret liquidorum massa, tùm ob alter-
nantium ventorum indolem, qui ple-
rumque humidi, mox sicci iterùm per-
flantes, modò in motum data liquida
ciere magis, modò illa cohibere, ac
minùs apta suscepto muneri reddere
videbantur, leviozem modò, mox gra-
viorẽm aera, ac condensatum magis
adducendo; tùm ob particularum san-
guinis spirituosiorum præconceptam,
ante actã potissimùm æstate, ac vere,
Phlogosim, cujus veluti prologia ex-
titerant defævientes morbilli, atquẽ
iis affines variolæ, impendentium
jam tùm malignarum febrium præsa-
gia, ac incrementa; Tùm deniquẽ
ob pluviosam Autumni habitudinem,
morborum parentis, omnium Medi-
corum ore feracissimi; evidens est ad
minimum adauctum momentum mo-
tûs, quod reliquum erat balsamici, ut
mea fert opinio, oleosi, aquosi, ac dulcis
plus justò dissipatum iri, tùm multi-
genos dein intra prædisposita civium
corpora collectos Sales acres, ero-
dentes, absque Autûni pluviis in fluo-
rem evehctos, ac recens ab Austro ul-
terius fusos, accedente novissimã qua-
cumque causã, tùm maximẽ exoti-
corum quorundam miscelã principio-
rum, vincula quæque discissuros ob-
via, hinc turbata solidarum partium
resistentia, universam humorum mas-
sam, fortẽ minus, quàm par erat, si-
bi invicem hærentem, quàm citissimẽ
fermentativarũ particularum præsen-
tiã dissolvi. Ea namque est unius fluidi
ad alterum æquilibrii ratio, ut unum
veluti ab altero pendeat, eaque vicif-
sim inter se unã simul conspirent, ac
ludant. Ubi verò quid infensum eve-

nit, tamque pulchrẽ inter se invicem
comparatã partes non eam amplius
observant æquilibrii legem, tunc uni-
versam penitùs massam intestino, ac
penẽ dixerim, civili bello perfractam,
ni quàm primùm periclitanti, ubi for-
tẽ defecerit, naturæ opem præbeat
ars, obeundis functionibus imparem
evadere, ac tandem collabi penitus
necesse est.

XXI. Quod quidem concessum tum
exoticis, tum indigenis fermentativis
particulis irascendi imperium inge-
niumque, evidenter, ac præclarẽ sa-
tis, tum quæ potissimùm grassabatur
febris, tum quæ passim sub illius exor-
tu, ac incremento sese prodiderant
phænomena, ostendebant. Enim ve-
rò quotquot ægrotare cœperant, hos-
ce, plerosque saltem, febris indefi-
nenter ferẽ, nullã quidem conspicua,
& peculiari accessione sævissimẽ dive-
xabat, quousque scilicet maculis pur-
pureis conspersa, ac fœdata cutis emer-
geret, aut quidquid aliud præludens
præsentaneum interitum prænuncia-
ret; afficiebantur autem potissimùm
Menynges, aut Septum transversum,
aut Hepar, iisque finitimæ partes.
Multis primò insultu rigor, ac horror
supervenit, quemadmodum in febribus
intermittentibus videre est; sæpẽ etiam
intermittentis typum mentiebatur,
subque illius larva ad septimum ferẽ
diem, non nunquam ad undecimum
usque nec ultra ludere visa febris,
mox in malignam evadebat, qualis ab
ipso initio reverã aderat, eò quidem
magis læthalis, ac periculosior, quo
diutiùs latens, non juniores tantùm,
sed senes, ac sapientiores fortẽ fefel-
lit. Nec tamen sese itã prorsùs abs-
condi noverat illa unquam, quin ali-

quam subesse fraudem suspicio, aut metus foret, quidve mali moris, ac re ipsâ divinum, vel intermissionis, vel vexationis die appareret; alii namque de immani capitis dolore, alii de ingenti æstu, ac totius corporis lassitudine conquerebantur. Quidam siticulosi aderant, ac diù vigiles. Haud paucos gravis adeò sopor, ut vix excitari potuerint, occupaverat; atque horum neminem servatum memini.

XXII. Ubi denique conspergi, ac foedari maculis cutis, aut principes partes periclitari videbantur, tum mitescere febris, frangi, consternarique vires, squallescere visa facies, laborantis, ac pene jam deficientis naturæ præludia, quæ nullo amplius revocari poterat Cardiaco, aut Alexipharmaco qualicumque. Hæ verò peticulæ, ut plurimum quartâ die, & septimâ erumpebant; primò quidem in dorso, collo, & pectore conspicuæ, mox ad extremos usque pedum ungues sese expandentes; Observatumque paucos evasisse, quibus primis diebus illæ apparuerunt. Miles, cui tertio morbi die maculæ illæ ingenti agmine proruperant, sexto celerimè periit. Puella decennis plitoris filia vehementissimâ febris cum horrore, ac frigore correpta fuit; statim per exordia sitis multa aderat, & incontinenens corporis jaectatio. Postridiè periculis penè lenticularibus tota visa conspergi cutis. Tertio parum sinceri sanguinis è naribus stillavit. Urinæ crassæ, mox tenues, postremò nigræ. Dejectiones alvi biliosæ, spumantes. Quarto deliravit. Quintò sincerus iterum sanguis è naribus effluxit. Sextò rigor febrilis rediit, multa, nigra, foetida vomuit; sub Solis occa-

sum mortua est.

Puellam alteram meminisse non sine lacrymis lubet Uxoris meæ sororem, hujusmodi febris prehensam, cum illi fluerent de more muliebria; eaque ad quartum usque diem perdurarunt. Quintò nauseabunda aderat; insomnis, toto corpore dolens. Multa vomuit biliosa, ac virulenta. Sextò ad meridiem, novus subortus est rigor extemplò; urinæ per initia tenues, postmodum crassæ, rubræ, quæ in matula depositæ non subsidebant. Postridiè ejus diei, quo cessarunt menstrua, ingentes maculæ purpureæ in dorso, pectore, & collo conspiciebantur, quæ dein novo exorto rigore febris, penitus evanuerunt. Septimò verba cum delirio; ex alvo dejectiones biliosæ, graveolentes; nox laboriosa, lentor dentium. Octavò remissa sunt omnia. Nonò maculæ illæ densiore examine rediere: crebra spiratio, ad vesperam multum deliravit. Decimò intercisa, & deficiens respiratio, aurium surditas; circa meridiem valdè deliravit, confestimque rursus ad mentem rediit. Ex alvo irritatâ nihil secessit. Paulò post oborto stertore celeritè expiravit. Ætas erat annorum ferè septendecim.

Nec diverso prorsus more, duo Chirurgiæ studiosi, in Regio SS. Mauriti, & Lazari Nosocomio degentes, quorum alteri ingens macularum examen secundo die, alteri quarto, apparuerat; defuncti sunt; Prior quidem decimo; alter verò decimo quarto; Neutri conturbata alvus; irritata eadem pauca demisit tenuia, biliosa, mordacia; uterque diebus paribus gravius habebat. Alterum memini haud absimili fato demortuum, cui prodie modò,

modò, mox regredi visæ peticulæ sunt ad plures vices. Hæ autem statim ab initio confestim eruperant. Robustus erat, ac ætate florens. Univerfa corporis lassitudine, & fractione, ut ipse aiebat, conquerebatur. Sitibundus valdè; Secundum, tertium, ac quartum diem eodem more tranlegit. Quintò exasperata sunt omnia, pauca, biliosa, tenuiæ ex alvo reddidit. Urinæ impensè rubræ, oculi scintillantes, ac lucidi. Sextò evanuerunt maculæ; nihil ab alvo deiecit, deliravit. Septimò convulsiones. Octavò vox obscure se prodebat, extrema, frigida, livida, stillæ sanguinis è naso. Nonò ad intelligentiam rediit, pauca deiecit nigra, graveolentia. Undecimò convulsiones iterùm visæ, totaque maculis denuò foedata cutis. Decimo tertio vox penè defecit, vespere obiit. Juris consultum juxtà D. Pauli ædem decumbentem febris acuta continua cum dolore lateris corripuit. Sitibundus admodum aderat, & pervigil; urinas reddidit multas, turbulentas, albas, quæ nec depositæ subsidebant. Alvus commodè habebat. Quinto die vehemens æstuatio, & stomachi fastidium adfuit. Potum continere minimè valebat. Urinæ eadem. Indistinctis, ac penè inconspicuis maculis foedata cutis. Sextò deliravit. Sub vesperam mitius se habuit, commota spontè alvus, dormivit. Septimò multa ex alvo seceserunt spontè, probæ indolis; urinæ copiosæ, concoctæ, in quibus multùm subsidebat, profluxere; sitis desuit. Octavò motus ad alvum intermisit; mens emota. Undecimò conturbata iterum alvo, febre liberatus, atque omninò judicatione absolutus. Huic cū primùm conturbari visa fuit alvus,

multus ex utraque nare sanguis erupit.

XXIII. Profectò quotquot ab hac febre, fati ope, vel Medici, evasere (haud paucos autem evasisse memin.) hosce utique omnes sponte oborta ventris turbatio, eaque criticè ad perfectam usque judicationem recurrens, integrè absolvit. Sanè neminem, quod sanctè profiteor, è vivis sublatum vidi, quotquot is spontè evenit ad alvum motus, cui copiosa plerumque sanguinis è naribus, quandoque etiam ab hæmorrhoidalium venarum osculis effusio præludebat. Sudores, tum cæteræ quæque evacuationes, vel per urinam, vel per alias vias, per quas natura crises suas moliri solet, vel suppressæ penitus, vel irritæ plerumque aderant, ac nihil decernentes; saltem vix quidquam sperandum ab iis; Quodve mirere magis, sub ipsam periculorum eruptionem, earumque per totum corporis habitum effusionem, sæpè oborto ad alvum motu, haud paucos, quos prolixum nimis foret referre, ex insperatò, velut ab Orco revocatos vidimus, ac restitutos; Quod jam tum antea desævientibus superiori æstate, Autumnoque variolis observare contigit haud exiguo ægrorum numero, assiduâ spontè obortâ diarrhæâ, mox ab ipso variolarum exortu, aut incremento præter spem servato.

XXIV. Noxia ut plurimum venæ sectio aderat, tum cætera quæque instituta remedia, si modò illa excipias, quæ collabentibus tuendis viribus, neve sanguinis compages penitus diffiliret, inque pejus rueret, opportunè occurrebant, cardiaca nempe grata aciditate præstantia, aut acidis con-

quam præstabant, nisi forsan hoc pacto *camino oleum*, ut fertur, addere; Froeno namque magis, quàm stimulo egebant humores jam ad orgasmum proni, ac nescii stare loco. Cunctando potius restituenda erat res, quam velis, & remis occurrendo. Ad humorum impetum compescendū egregiè etiam præstitit Peruvianus Cortex opportunè adhibitus. Ejus enim præsidio plures vel integrè sunt restituti, vel si fortè non nulli recidivas passi sunt, paullò post convaluere. Cæterùm æquè ac V. S. minùs prosperè cessere vesicantia, ut quæ sanguini ad fluorem apto habenas potius mitterent, quàm coërcerent.

XXV. Quod si antè quartum diem materies turgeret, primæque viæ, ut aiunt, cruditatibus, ac inquinamentis scaterent; Emetico prudenter administrato, aut blandâ purgatione tempestivè institutâ, neque non solum ullam unquam noxam exindè profectam memini, sed feliciùs indè educatâ humorum saburrâ in stomacho contentâ, exanthemata apparere, collapsas vires restitui, naturam denique ipsam ad perficiendum opus suum pro massæ sanguineæ à pravo miasmate expurgatione aptiorem consurgere, validioremque effici, ac veluti ab interitu revocari, observavi.

XXVI. Equidè cum primùm suboriri cœperant hæ mali moris febres; purgationes passim per exordia, ut mos est, à Medicis adhibebantur; ipseque ego ab hujusmodi methodo minimè abhorrebam, vel ob id maximè, quòd ventriculum impuritatibus oneratum, in plerisque noveram; minimèque cunctandum in iis casibus esse sapienter Medicos admoneat, Hip-

pocrates in (c) aphorismis. Ubi verò prodire maculæ, totaque illis foedari cutis videbatur, sacro quodam metu percelli mihi animum, commoveri, perturbari senseram, maximèque extimescere, ne fortè retractis ad interna humoribus, omnia in pejus quàm celerrimè ruerent. Cum autem nihil indè noxæ proficisci, quin immò mitiora quæque evadere animadvertirem, turbatoque lenitèr plerisque ventre haud paucos hoc more servatos observaverim, secùs ac illos, quibus aut in principio neglectum fuerat, aut parùm salutare creditum hujusmodi auxilium, cunctis dein, modò tempestivè, ac bono fato accersitus fuerim, blandam purgationem, aut etiam robustioribus leve emeticū præscripsi, læto persæpè eventu; Cardiacis namque remediis, quibus oppugnanda aderat febris, tum Peruviano Cortici, si fortè hunc etiam in subsidium acciri opus erat, referabantur fores, licebatque iis sanguineam massam minimè deturpatâ facie subire.

XXVII. Atque ob hanc fortè causam celebriores Practici suspecta conclamant alexipharmaca per initia febrim malignarum, nisi exonerato ab impuritatibus stomacho, primisque viis ab obstructionibus expeditis. Neque is tamen ego sum, qui indiscriminatim purganda esse corpora statim ab initio contendam. Fieri namque poterit, ut id genus auxilii, quod modò haud paucos revocavit ad vitam, necem alio tempore ægris inferat, quod maximè observandum esse docebat memoratus Hippocrates l. I. de morb. n. 1. & 2. *quæ scilicet bona per fortuitum successum Medici ægros curan-*

curantes faciant. Sæpè visum est in febribus alyi profluvia noxia fore, mortemque inferre, quæ aliquando salutaria extitisse novimus. Idque est Epidemicorum hujusmodi morborum ingenium, ut quâ methodo currente anno ægrotos liberaveris, eâdem ipsâ anno jam vertente forsitan è medio tolles. Spontè obortâ hæmorrhagiâ plerosque servatos refert (d) Diemerbroeck in Peste Neomagensi; Secus hanc olim læthalem experti sunt Tolosates, ac Lugdunenses. Ità scilicet ludunt morbi; Ingens proindè adhibenda cautela est; omnibusque animi nervis contendendum Medico, quo tandem investigato, ac perspecto morbi genio ad eundem perdomandum re-cto pede, & intrepidus procedat.

XXVIII. Cæterùm novum minimè est per hujusmodi febrium initia purgationes adhiberi; Id quoque olim proficuum experti sunt Ballonius lib. 1. Epid. Septalius caut. med. l. 5. n. 47. Manardus Ferrariensis 5. Epist. 3. & 13. Epist. 1. Victor Trincavelius, Gentilis Fulginas, & plerique alii; Morbosam Constitutionem huic nostræ ferè similem describit Galenus, in quâ ii facilè sanati sunt, quibus (e) præexsiccatum, sic ille inquit, præpur-gatumque corpus fuerit; quippe quod, ait ille, evomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit; Atque hinc quidem didicimus sæpè in primis viis latere hostem, qui nisi protinùs (f) ejiciatur è sede, evellaturque, quod alicnum à natura est, frustra tentabit Medicus in fine propellere. Fortè etiam Subalpinis ob lautio-rem vi-

ctum major iis necessitas adest purgan-di corpora per acutarum initia ægri-tudinum, quæ omnes præ cæteris ortum potissimùm habent à stomacho. Didicimus insuper exanthemata, ac excretiones quascumque, quæ in prin-cipio, vel augmento accidunt, nul-las ferè esse criticas, sed symptomati-cas, cujusmodi hæ fuerunt, nihil sanè decernentes, tum periclitantis naturæ præludia, tum plerumque turgentis, morbumque facientis materiæ hinc indè latæ, ac stare nesciæ, certissimum argumentum. Ubi autem in acutis ma-teriam turgere, ac putridorum, aut malorum humorum copiam (si fas est ità dicere, & antiquissima verba usur-pare) subesse animadvertimus, eâdem die purgandum esse Hippocrates ju-bet 4. Aphor. 10. Turgentem verò materiam subesse, virulentam, vagam, ac certam sedem non habentem ex va-riis, ac vehementibus, quæ suboriun-tur, symptomatibus facile colligi, ac dignosci potest; cum scilicet natura à multâ, aut pravâ qualitate affecta, concitatâ materiâ, tentat inter initia eam expellere, excretionibus per al-vum, per vomitum, per sudores, per urinas, per cutis efflorescentias, &c. Nùm id turgere materiam docet? Nùm evacuanda eadem quàm citissi-mè, ac statim ab initio? Ne fortè, ut (g) laudatus Septalius ait, ad princeps aliquod membrum repat, aut ad terminum eum ducantur humores, de quo locutus est Galenus libro ad-versus Julianum.

XXIX. Nec me quidè latet para-doxam fortè non nullis videri hanc lo-cutionem, qui omni labore exanthe-

(d) Lib. pr. de Peste.

(e) 5. Meth. Med. cap. 12.

(f) 4. de tuenda valet. 4.

B b b 3 mata,

(g) Sept. Animadvers. Med. lib. 5. num. 47.

mata, ubi semel apparuerint, per fortiora cardiaca magis promovere, aut retrocedentia eadem expellere iterum ac provocare omnibus nervis contendunt, rati scilicet ita salvari debere patientem, quem virus alias jugularet, quem tamen hæc ipsa nimis operosa methodus promptius enecat. Ast vulgaris hæc opinio est longè ab Hippocraticâ Scholâ recedens. Distinguedæ namque sunt quæcunque contingant, excretiones in acutis, nùm scilicet salvari quadam eveniant crisi, nùm erroneo potius, ac deleterio naturæ conamine; Utque finire illas, intercipere hæc, aut saltem minimè deterreri æquum est. Sic idem ipse Galenus in famosa Historia Simonis, in quo lata exanthemata erant, minimè veritus est purgationem aliquandò commendare. (h)

XXX. Cum verò invaluerit malū, aut primæ criseos periodus præterlapsa, satius aderat ab omni remediorum genere abstinere; exasperari namque morbum, atque omnia celeriter magis in pejus ruere exindè vidimus, collapsis jam tum viribus, neque amplius vim remedii sustinere aptâ laborante, ac penè jam deficiente naturâ; quod si minimè amplius prodesse posse novimus, ne saltè remediis noceamus, conclamant omnes, quod & magno, & bono viro dignum inquit Celsus, ne quidquid præcipiamus, quod confirmatam artis auctoritatem malevolentissimorum hominum calumniæ subicere queat. Neque autem adulto tantum morbo à remediis omnibus abstinere satius fuit; quin id quoque salutare, ac proficuum maximè experti fuerimus, vel in

ipso hujusmodi febrium exordio, quæ solâ plerumque purgatione, ut subinuimus, tempestivè institutâ, feliciter cessere, quàm repetitis phlebotomiis, purgationibus, aut mille alexipharmacis, quæ pleno gutture, tanquam Deorum munera, receptariorum Chorus adeò celebrat; adhibitis. Equidem ut rerum experienciâ, ita & remediorum delectu Græcorum Medicinam Arabum scholis longè præstantiorem nemo non videt; ii namque à masculâ illâ Græcorum medicinâ recedentes tantam adeò remediorum farraginem contul ruat, ut iis obrui potius quàm dutescere etiamnum videamur. Et verò si illud est, quod maximè cavendum Oratori, & prævidendum putat Antonius apud Marcum Tullium, quodque eum sollicitare summè solet, non tam ut profit causis elaborare solere, quàm ut ne quid obsit: non quin enitendum sit in utroque, sed quod multò turpius est Oratori, nocuisse videri causæ, quàm non profuisse: id profectò longè æquissimum in salutis causâ, atque ubi præsertim de humano corio luditur, videri debet, in quâ vel levis offensio non sine magno corporis dispendio suscipi potest.

XXXI. Atque his quidem artibus Sapiienti Viro mihi amicissimo, juxta sacram Divæ Virginis Consolatricis ædem decumbenti, graviter hujusce prosapiæ febris, exeunte Februario ægrotanti opem tuli. Is præstanti corpore, atque animo, ac veluti ad Polycleti statuum compositus, simplici tertianâ paulò post æquinoctium autumnale superioris anni ad aliquot dies laboraverat. Rediit illa hyeme, aut saltem illius indolem, ac genium primo

(h) 2. de morbis vulgaribus 6.

mo intuitu referebat, quod horrore, ac frigore suas quasque accessiones metiri consuesceret; Atqui post septimum diem ingravescens magis, atque ex simplici duplex continua evadens, quid reverà infensum, ac exitiale præludebat. Urinæ tenues aderant, conatus vomendi inanēs, pulsus durus, intermittens, diffusæ ubique maculæ, vixque conspicuæ ad cutem, sub Solis occasum omnino delitescētes. Decimo quartō mitescere visa omnia, dejectiones ex alvo copiosæ, frequentes, spontaneæ; Pulsus æquior; Urinæ magis coloratæ. Decimo septimo, ac decimo octavo recruduit iterum febris, intermisso ad alvum motu. Præcordiorum contentio ad umbilicum utrinque promissa: ipse animo vacillans, vix bene sui compos, pervigil, sub vesperam delirans. Decimo nonò minùs lugubris scena; multa ex alvo proba demisit spontè; dormivit. Vigesimo quartō ingravescere iterum visa febris; Genarum rubor, lingua exarescens, respiratio difficilis, pulsus intermittentior, urinæ subrubræ, turbulentiæ, quæ nec depositæ subsederunt. Abdomen inflatum, ac summè tensum. Irritata clystere alvus nihil dejecit. Vigesimo septimo multa rursus ab alvo secesserunt unà cum concreto sanguine, foeculento, nigro; mitiùs se habuit. Vigesimo octavo, vigesimo nono, trigesimo primo idem obortus ad alvum motus, assiduè perseveravit ad quadragesimum usque, cui tandem perfecta judicatio successit. Mirum sanè, ut tantam adeò concreti, ac nigerrimi sanguinis quantitatem dejecerit, quæ singulis ferè diebus ubi dejicere primùm ex alvo sanguinem cœpit, ad geminas ferè circi-

ter libras accedebat. Hæc illa erat turgens materia, quæ cum nondum ad excretionem comparata foret, ubique errans, ac impetum faciens sæva illa symptomata induxit, quæ in toto hujusce morbi decursu illuxerunt. Hæc illa inquam est, quæ præpurgato statim ab initio corpore, magnam in partem imminuta fuit; unde remissâ semel impetûs continuitate, recreandis viribus spatium dedit, quæ & pluribus præliis redintegratæ, & plurium dierum decretoriorum opportunitatibus, cœu firmissimis stationibus collocatis, auctæ, alioqui animosum hostem maturâ cunctatione fregerunt. Ecquid autem agendum Medico erat, præterquam vires tueri, tum strenuè congradientem naturam passim erigere, quo tandem novo velut delectu habito par illa foret, constitutis, ac velut destinatis ad confictum diebus, quidquid infensum sibi erat suis è finibus amovere, expellere, eliminare. Ex quibus omnibus efficitur, in inveterascentibus morbis excitatâ ad judicationem naturâ, intermissum esse, & quodammodò interruptum, minimè quidem continuum solutionum impetum; id quod luculentissimis verbis docet toties laudatus Galenus *cap. 5. lib. 2. de dieb. decret.* Cæterum haud paucis in hæc febrili incursione unà cum spontè oborto ad alvum motu multum sanguinis ex hæmorrhoidalibus vasis profluxisse, jam ferè inclinatis rebus, ac penè conclamatis adverti, atque horum neminem interiisse.

XXXII. Nunc de vesicantibus, quorū applicatio minùs prospera comperita est, pauca manent attingenda. Sanè in febribus malignis, ac pestilentibus, in quibus sanguis ad coagulationem

contendit, nihil iis præstantius, nihil aptius itidem, aut proficuum magis.

Ast ubi humores ad fluorem proni sunt, ubi acriores iidem, ac effrænes, ubi sufflaminandus potius quàm stimulan- dus cruor est, nihil iis noxium magis, nihil magis perniciosum. Id olim quo- que in Epidemica sui temporis consti- tutione rectè adnotaverat P. à Castro, Vir insignis; ego meherclè multos abs- que iis perfectè liberatos vidi.

XXXIII. Ex adverso egregiam æ- grotantibus opem tulit Corticis Peru- viani usus debito tempore, ac arte institutis. Is enim humorum massam coercere, excitatumque in sanguine orgasimum, meâ, ac doctissimorum Vi- rorum, inter quos clarissimus Ramaz- zinus dignus utique est recenseri, meâ inquam, ac aliorum, quos ego sum- moperè veneror, sententiâ sistere, ac cohibere par est, quod unum maximè expetebatur in illa rerum caligine. E- quidè quidquid de hoc exotico anti- febrili, tum de cæteris celebrioribus specificis, quæ huc usque in usum me- dicum advecta sunt, scripserint magni nominis Viri, præstat adhuc plura ad- mirari magis, quàm intelligere; sal- tem de iis nihil hætenùs perspicuum, quodque animum veritatis avidum ex- pleat, allatum est. Si quid verò un- quàm lucis sperandum, totùm lubet ab eventu ediscere. Ab hoc juvat famosi hujus Apyretici, aut cujuscumque specifici naturam, ac vires expendere, metiri, decernere; Hoc dignum Phi- losopho, hoc dignum Medico Viro institutum; minimè verò ratiunculas ad libidinem comparatas, & ipsius ima- ginationis ludibria effingere. Hinc cul- pari ab uno, laudari ab altero, modò probrosis titulis, modò magnificentif-

simè vocari passim novimus celebre istud febrifugium. Neque enim tanta adeò opinionum inter se dissensio pro- ficisci aliundè potest, quàm quòd se- cùs ac reverà attingi debent res, eadem plerumque expendantur, mi- nùs fortè æquâ ingenii statice, aut mente præjudiciis occupatissimâ. Ego quidem hujusce, quod adeò apud nos invaluit præsidii efficaciam utique ve- neror, ac si superis placet, ad Astra feram. Ast illud ceu Panaceam è Cælo delapsam omnibus remediis præferre, atque in omnibus febribus indiscrimi- natim exhibere, haud parum tutam rē esse judico, nec medentibus decoram; æquè ac si quis Opium, quod mirabi- le, ac magnum est sedativum, sine ul- lo fortè delectu in omnibus morbis, ubi cōpescere opus est, adhiberet. Nec verò semper ubi fræno humores egent, Cortice coercendos puto; sæpè enim plus periculi timendum est à subito, & intempestivo sufflamine, quàm non erat antea. Quamobrem in Corticis exhibitione respiciendum est ad id quod intus molitur natura; humorum status expendendus; nùm ad fixitatem scilicèt, nùm ad fluorem contendant. Quid cavendum deniquè, quid expe- riendum; vividâ mentis acie exami- nandum. Est quid *divinum* in remedio- rum usu, ut quid (i) *divinum* etiam in morbis inesse prodidit Divinus senex. Atque id quidem ab eorum majori, vel minori efficaciâ, aut ab secreto, ac penè inexplicabili eorum quorun- dam agendi modo minimè petendum est, sed ab eorum administrationis mo- re, quod caput est maximum, & ad- ministrationis tempore; ad quæ duo potissimùm capita cautiones Medicæ refe-

referendæ sunt. Sipienti pauca.

XXXIV. Ego sanè quidquid boni ab hoc præsidio in hac febrili scenâ ægrotantibus accessisse comperi; id totum illius, quâ pollet, efficaciam, figendi humores, eosque aut à se invicem diffilientes, aut cohærentes minùs, cogendi unà simul, cohibendique tribuendum puto. Hinc sanè aliquando minùs ex asse voto respondisse Corticem auditum est in quibusdam febribus, quòd fortè humores minimè ad liquationem vergerent, ejusque diathesis essent ii, quæ stimulari potiùs egeret, quàm coerceri. Quinquinam autem potestatem fluida quæque in nostris corporibus figendi, cogendique habere pro re certâ suppono. I. Quòd motum sanguinis & spirituum compefcit, & alvum ipsam densiorem, obstipatioremque reddat; compertum namque est iis, qui ad plures dies hoc remedio usi fuerint, ventrem adstringi, ut clysteribus indigeant. II. Stiptica ferè gustu, ac moderatè subastringens deprehenditur, ut patet. III. Si quis illâ febres fugaverit, hæc spiritus salis armoniaci, qui summè potens est, humores coactos lacessere, & ad motum ciere promptè revocamus. Atque ob hanc utique causam haud auspicatò cessasse nonnullis Peruvianum corticem olim scio, & funestos casus memorari. Uratislaviensibus in constitutione quadam anni 1699. valde funestum illius usum ferunt Acta Eruditorum anni 1701., (k) quòd scilicèt infarcta crassis humoribus corpora, in frigidâ illâ, & humidâ prægressâ temporum habitudine, remedia expeterent, quæ segniùs labentia fluida urgerent potius, quàm figerent,

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

(k) pag. 523. mensis Novembris.

aut saltem obortam febrim, quæ fortè auspicatò contigerat, haud ita citò fugarent. Sæpè non modò utilis res febris est, sed & hanc profuit accendere; Fortasse enim, ut Celsus ait, *curationi opportunior fiet, ut humidioribus agris ignis;*

sive illis omne per ignem.

Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.

Secùs res tamen evenit aliquando; Nosque id ipsum salutare experti nuper sumus, ac verè proficuum, quod noxam olim fortè, ac detrimentum attulit. Juvat hinc adnotare quantum profutura medentibus sit, quantum artis decori, agris verò saluti, ac emolumento futura exacta temporum cognitio. Sicuti enim apud Agricolas, *annus est, non terra, quæ fructificat*, ita & nos sæpè videmus, ac ferè acu tangere fas est, non à particulari corporum dispositione, sed ab anni, temporumve constitutionibus diversos passim morbos exoriri, quos sæpè prodest diverso modo subigere.

XXXV. Cum verò ab eventu res nobis expendendæ sint, præstat nunc hujusce corticis usum, quem auspicatò nobis cessasse novimus, maximè commendare iis, quibus opus est, aut concitatum orgasmum coercere, aut effrænem impetum sistere, aut tendentes ad liquationem humores figere; quò saltem, aut remissâ impetus continuitate, aut coercito orgasmo, aut humoribus, ne à se invicem penitùs diffilirent, interceptis, aut si qua fortè excandesceret nimis, mitigatâ febre, redintegrata, auctaque viribus natura vincere queat, ac superare hostem. Neque exigua certè res est specificum habere, (liceat mihi eo nomine exoticum

istud febrifugum vocare) huic præstando muneri aptum. Cæterùm quidquid de hujus usu in morbis asseri unquam poterit, aut excogitari, id lucis quidpiam utique, at parùm certè, afferet, *Vincet enim semper latendi natura*, ut olim de Nili origine aiebat Lucanus.

XXXVI. Modo superest de sanguinis missione pauca effari. Profectò nunquam non noxia in hujusmodi febribus comperta hæc est; ab eâ namque atteri magis, ac deficere vires, quod unum præ cæteris magis funestum, ac certissimum impendentis jacturæ præfagiû observatum fuit, dejici animum, perfrigerari extrema, inque summum discrimen adduci ægros frequenti observatione adnotavimus. Quod mirari utique subest, tum maximè quod nullum aptius, nullum idem in hisce Regionibus (quod sanctè testari possum) tutius expertum præsidium sit, quam venæ sectio, sive ob Cæli hujusce natives qualitates, sive ob Subalpino- rum temperamenta huic climati, ac Cælo congrua. In hac autem Epidemicâ constitutione totum mutatum ab illo cruorem augurari licebat, & ad fluorem pronum magis, tum ob fervidissimam temporum præcedentium indolem, tum ob exlegem, Austrinam, consuetumque morem minimè observantem hyemem; ac proinde nil mirum improspere cessisse venæ sectionem, quin immò ab illâ cane pejus, & angue abstinendum; etiamsi, ut aurea Hippocratis affert sententia, qui in haud absimili anni constitutione sanguinis missionem (1) valdè quoque improbat, *morbis magnis sit, vigenisque ætate homo*, ne scilicet major

fibrarum cruoris dimotio contingeret, à quâ non nisi extrema quæque discrimina expectanda sunt.

XXXVII. Ne verò id gratis, aut Dictatoriè me pronunciaffe quis credat, decet paullò altiùs hujusce depravatæ sanguinis diathesis, ejusque ad fluorem potiùs ad concretionem tendentiæ originem, ac causas inquirere, quæ & eadem hujusmodi febrium, eisque affinium affectionum, quæ per ea tempora desæviebant, origo extitit, ac incrementum. Ac primò effingere lubet animo quidquid dissolvere, aut coagulare par est, illud idem agens quoddam esse valdè potens, quod prout vel ad acidum, vel ad acre magis accedit, coagulare, aut dissolvere aptum est, potestatemque induit obvia quæque fluida, aut ad concretionem, aut ad colliquationem inducendi. Hæc duo insuper diversa principia perpetuò nostris corporibus inesse fatemur, atqui ità simul æquilibrata, ac æquâ invicem proportione instituta, ut quo usque in mutuâ vicissimâ actione permanent, nec ab externo quopiam agente alterutrum ad motum urgetur, nulla exindè incommoda corporibus inferant, quin immò tutam, ac firmam servant cruoris massam, tum Vestalis Ignis nativos lares, & focum. Ubi verò à principio quodam extrinseco eorum alterutrum supra alterum efferri, ac dominatum acquirere contingit; tum obrutam penitus fluidorum massam cernere est, institutas æquilibrii leges minimè servari amplius; ad lentorem indè aut ad fluorem liquida vergere: prout acidum illud est, aut acre, quod prædominatur, & vim suam exerit, supra cætera principia elementaria evectum agens.

(1) l. 4. de rat. victus t. 19.

agens. Hinc patet quàm diverso telorum ictu, ac diversis penè dixerim artibus occurrendum sit, ubi scilicèt aut unū, aut alterum horum præpollet sanguinis diathesin immutare aptum, ac diversos proindè effectus inducere.

XXXVIII. Illud autem externum agens, quod intus latentem, ac veluti coercitum ignem laceffere, ac excitare par est, ab iis, quæ nos ambiunt, aut nobis imminent rebus, pendendum esse extrà omnem controversiæ aleam positum est; nec aliundè quidem profluere posse videtur, quàm ab aere nobis circumfluo, cui quandòque accedunt, atque ad excitandos populares morbos in unum conveniunt modò corruptæ, ac stagnantes aquæ: modò alimenta mali succi, & pleraque alia. Potissima verò, ut incolunitatis, ac salubritatis, ita morborum communis caussa aer est, vel rarefactus nimis, vel condensatus, tum particulis heterogeneis, extraneis, ac humanæ naturæ incongruis dives. Hæ namque sunt, quæ in rarefacto aere, magis, aut minùs exaltatæ, inque vitæ hospitia exceptæ vitiatam in fluidis diathesin inducere queunt, à quâ diversa morborum proles enascitur.

XXXIX. Neque autem de aere loquens, eum criminis reum esse contendo; At qui unà cum illo miscentur, extraneos, tum exoticos sales, hosce ego alterationum omnium, quæ ab aere profluunt, morborumque parentes agnosco. Aer namque elementum incorruptibile est, ac reliqua elementa, tum aqua potissimùm conservandæ, ac tuendæ hominum incolunitati illo haud minùs necessaria, ac opportuna. Si quam verò alterationem aer concipit aliquando, hanc utique

ab extraneis corporibus, tum heterogeneis particulis, quæ unà cum illo commiscentur, excipit, iisque inficitur, satis aptus idem easdem à se remove-re, atque protrudere, cum nullum obvium sibi obicem offendit, quo minùs illas à se expellere potens sit. Ut stagnantium, ac putrescentium lympharum in limpida quempiam amnem irruptio fluminis aquas confundit, ac turbidas reddit, atqui hæ pristinam iterùm puritatem redeunt perenni aquarum gurgite uberi alveo assidue decurrentium; Sic aer quandòque ab exoticis ventorum afflatu elatis salibus inquinatus, novo irruente vento iisdem liberatur, ac purus redit; neque enim etsi aliquandò majori cum energiâ iisdem agant, diù perdurare queunt, quin aut sensim fatiscant, aut tandem integrè abeant, ac dissipentur.

XL. Quæ quidem satis superque evincunt, cur infensos nobis experiamur Boream, & Austrum, atque iis potissimùm, quæ hisce præter morem perflantibus, suboriuntur, ægri tudinibus obnoxii sint Subalpini Incolæ. Enim verò cum nitrosi, acidique exotici sales à Boreali plagâ, secùs verò lixiviales, ac urinosi ab Australibus oris continuò profluant; atque hinc perflantes venti liberè per universum Agrum Pedemontanum discurrant, nullo, ut innuimus, saltem exiguo, quâ sævit Auster, interjecto obice, qui effrænem eorum motum, ac vim compescat; conijcere quisquis potest, quàm facili negotio irruentes venti extraneos hujusmodi sales ad nos vehant, iisdemque corpora inficiantur, eò quidem magis, quò diutiùs perdurant ejusmodi venti, aut alterius sibi oppositi silentio, eos à se protrudere

aer minimè par est, ac remove. Si quis interim modum scire cupit, quo aer extraneis, atque humanæ naturæ infensis particulis imbuitur, & quomodò is interdum per ventos huc, illucque transferatur; plenè id habebit à Fr. de le Boe Sylvio.

XLI. Ut verò ab nitrosis salibus, quos subacidos esse contendimus morbos omnes oriri novimus ab humorum fixitate, ac lentore progenitos, utpotè quod fluida quæque cogi ab acidorum præsentia, atque intercipi conspicuum est; ita ab lixivialibus, ac urinosi particulis ab Austro delatis eas potissimum affectiones, ac funestas passim ægitudines enasci experimur, quæ ab humorum colliquatione, ac fluore dependent. Ut enim figendi acida; sic dissolvendi facultatem acria, ac lixivialia præbent. Sic nunquam hiscere audentibus aquilonaribus ventis, tum superiori anno, tum labente hyeme, qui Australium assiduè perflantium ventorum vim frangerent, aut eorum saltem sævitiem compescerent; Nil mirum, ut hi acria corpuscula summè infensa vehentes secum, sævissimas illas febres induxerint, quæ se se novo oriente anno prodiderunt.

XLII. Hinc enim è salibus acribus præter morem elatis, stimuli que vicem agentibus commoveri sanguinis massa, turbari illa, accendi febris, mox sæva quæque symptomata ludere visa sunt naturalis humorum textura dissolvi, ejus vincula discindi, diffuere serosæ molleculæ; rutilæ, ac gelatinosæ à se invicè secedere celerrimo, præcipiti que tramite, ni quàm primū, antequàm totum illicò sanguinem pervadat, fermentum illud acre, irritans, hærens, evellatur, ejus vis, ac sævities

maxima infringatur, demulceantur spicula, imminens, aut jam ortus organismus coerceatur, temperetur impetus, præbeaturque tantumdem naturæ spatii, quo inire illa pugnam queat, animosè congregi, materiam morbi subigere, solvere, movere, secernere, excernere, verè illa *morborum medicatrix*, utque Hippocrates ait, *docta sine magistro.* (m)

XLIII. Quæ si quis omnia attentè perspiciet, conjiciet equidem, ac facili negotio concipiet, quæ fuerint horum malorum exordia: tum rationem, cur utilis extiterit acidorum usus? cur temperantia, nimium humorum impetum infringentia, modicè figentia, stiptica opportunè adhibita, utilia eadem, ac tuta? cur auspicata minùs, funesta, nunquam non noxia venæ sectio, ac vesicantia? cur turgente materiâ voto ex assè respondens purgatio, primis diebus, ab initio, statim instituta? cur excretionem per alvum, per vomitum, per macularum diffusionem ad habitum corporis in principio morbi lethales? cur exeunte ad judicationem morbo motus ad alvum, aut hæmorrhagia superveniens bonum? cur prostratæ initio vires, languidiores eadem, ac penè emortuæ? quæ ratio symptomatum omnium, quæ se se exordio, incremento, ac statu febris prodidere? Insuetus, ac minùs frequens Subalpinis, sæcùs ac Boreas, Auster est; neque enim sævissimo adeò flamine illum desævisse unquam, ut hisce temporibus diù compertum est; Hinc fortè ea, quæ profuisse olim didicimus, nocuisse nuper, ac funesta deprehendimus. In universum verò Austrum maximè, atque

que illi affines ventos malè passim au-
diri novimus; quin immò, quod fortè
peculiari quarundam regionum tem-
peramento tribuendum est harum
nonnullas is quàm immanissimè ver-
berare solet.

XLIV. Cur autem nitrosæ ab A-
quilone particulæ, lixiviales, ac sum-
mè acres ab Austro ferantur, nimis
prolixa res foret attingere; Neque id
ad institutum nostrum profectò attinet.
Equidem nullum ventum per se singu-
lari, & specificâ virtute, ac qualitate
pollere, nisi quæ à loci, undè ori-
tur, naturâ, nec non mediis, per quod
transit, indole derivanda sit, pro re
certâ habeo. Ex quacumque enim par-
te nivibus obsitâ, sive ad Austrum,
sive ad Septentrionem, Orientem, vel
Occidentem posita illa sit, frigidus per-
flantes ventos experimur, secùs ac il-
los, qui paludes, terrasque stagnanti-
bus aquis perfusas transeunt, aut qui
per arenosa deserta, æstu Solis adusta
loca perspirant. Cum verò Boreas ex
terris gelu constrictissimis, & à Sole
remotis assiduo flamine spiret, & ma-
re glaciale, ac altissimos montes per-
petuè glacie, nivibusque obsitos per-
vadat; Tùm ex adversò Auster ex
percalidis, & arenosis Africæ locis ve-
niat, Zonamque torridam, nec non
Mare Mediterraneum percurrat; Fa-
cilè hinc ediscere est exoticas ab utro-
que, ac summè infensas particulas ad
nos advehi, nitrosas quidem ab Aquilone;
volatiles, acrioresque ab Austro.
Norunt id planè, qui hisce magis
obnoxii sunt, quàm graves iis, sævos-
que morbos inferat tùm frigoris Pro-
mocondus Aquilo, tùm plumbeus Au-
ster. Quod enim juxta diversas Epide-
micorum morborum habitudines ex-

perimur, qui pro diversa temporum
conditione, diversis telorum ictibus
oppugnantur; præclarum id nobis do-
cumentum præbet, cur quæ Septen-
trioni magis subiecta loca sunt, aut
econtra, aut quæ Borealibus ventis
magis infestantur, vel Australibus,
peculiaribus illa morbis, ac unicuique
regioni propriis divexantur magis;
quæve e. g. profunt Anglis, eadem
fortè Romanis noceant remedia, ni
fortè toto mutato Cœlo, nova ingruat
morborum proles novo, ac diverso
more oppugnanda; adeò verum est
illud Celsi (n) differre pro naturâ lo-
corum; addam ego & temporum, gene-
ra medicinæ, & aliud opus esse Romæ,
aliud in Ægypto; aliud in Gallia; aliud
insuper sæviente Austro, aliud flante
Borea, aliud Euro. Cur verò Austri-
na hujusmodi constitutio diu adeò, ac
præter consuetudinem desævierit, ne-
que hiscere unquam auferint Aquilo-
nares venti, qui eorundem sævitiem
infringerent, quæsitâ quidem mihi est
ratio, num vero reperta fuerit, mihi
hæret aqua, ut dici consuevit.

XLV. Austrinos ergò flatus, ceu
præcipuos in hâc Tragœdiâ Actores
culpare licet, qui in massam sanguine-
am tales invexerint dispositiones, ut ad
excitandam hanc malignam febrim sa-
tis virium habuerint, silentibus ut plu-
rimum Borealibus ventis, qui nubila
detergent, & aëris impuritates eò re-
pellerent, unde decesserant, ad Aus-
trales scilicèt plagas, ex quibus omne
malum ad nos profectum suspicari fas
est. Nihil magis ac penè momento
temporis aeris statum immutare posse,
quàm flantem Austrum, ut ex ponde-
roso levior reddatur, jam dudum no-

vimus, docente Barometro. Quod denique præcipua hujusmodi mali moris febrium ratio ab Austrinis flatibus petenda sit, hinc conjectari licet, quòd ea salubriter degerent loca, ac veluti in portu aliorum spectarent naufragium quæ obverso multorum collum dorso protecta sævientes flatus eludebant, dum in hac Urbe, ac totò ferè circumjectò agrò exaratae febres grassarentur, ac desævirent.

XLVI. Sed quæ jam innuimus enucleatius repetamus, & clariùs. Austri-
na hyems, quæ pluvioso Autumno successerat, exaratis febribus occasionem præbuit, exoticis, acribus, ac heterogeneis particulis unà cum inspirato aere cruori admixtis, quarum præsentia, & miscelâ, ceu totidem sævientibus stimulis acriores molleculæ extricatae magis, sui que juris factæ totam invertere humoralis massæ texturam, ejusque vincula tandem discindere ausæ sunt. Equidem liquida ad fluorem potius, quam ad concretionem prona fuisse præter alia multa, quæ talem adfuisse sanguineæ massæ dispositionem attestabantur, id ipsum conjectari fas erat à manifestis notis, quas eductus è secta vena sanguis præferebat; semper enim roseus, ac purpureus, nihilque glutinosi præferens mihi, aliisque Professoribus apparuit, ac toto Cælo diversus ab eo, qui solet educi in quibusdam morbis, ut Pleuritide, Peripneumonia, aliisque affectibus interdum popularibus, in quibus manifesta lentoris vestigia cernere est. Quod ad exanthemata attinet, hæc etsi plausibili quidem ratiocinio Villisus, aliique coagulationis potius, quam fusionis humorum præludia esse contendunt ob fixiores sanguinis parti-

culas venarum extremitatibus hærentes; vero similiter magis crediderim, à fibris illa sanguinis dissolutis, è que suâ statione dimotis ob sal acre illud, & volatile sanguinem ad fluorem disponens, ortum ducere, quo pacto similiter effusus ab arteriolarum osculis cruor tenuiores sui partes dimittit, quæ hinc indè diffugientes, ac profugæ sui fortè erroris notas in cute designant.

XLVII. Hæc per hyemem gesta. Veris initio Cælum votis communibus respondit moderatis imbribus delapsis, quos novam, lætamque faciem periclitantibus rebus allaturos augurari fas erat, si qui totâ penè hyeme hiscere nunquam auferat, sævus Aquilo, silentibus tandem per interval-
la austris, erumpere tunc minimè visus foret, insuetumque frigus media inter primordia Veris inducere. Huic quandòque Occidentales Venti mitiore flatu adspirantes succedebant, recurrentibus mox Austris iterum, tantâ adeò varietate rerum, ut sæpè unius diei spatio, æstatis, hyemis, veris, atque autumnii vices contingerent, modò sereno, pacatoque Cælo, modò turbido, nubilo, pluvioso. Curiosum aderat Mercurii errores in Barometro adnotare, qui elatus modò, mox humilis, ceu nescius stare loco, incertas temporum, aerisque vices prodebat. Nunquam adeò tam infida, ac sibi invicem adversa diù visa aderant tempora, quæve tam longe ab instituto more deflecterent.

XLVIII. Nova hinc diræ indolis acutorum morborum proles sporadicè desævientium caput extulit, ac præcipuè spasmodicarum ægritudinum, quibus gliscentibus diuturniores ejus-
modi

modi aliæ se se prodere aufæ sunt. Inter cæteros verò quàm immaniffimè cruciabatur Podagricorum cohors, tùm qui Nephriticis, Scorbuticis, aliisque id genus affectionibus obnoxii passim aderant. Nec hystericae quidem mulieres immunes visæ; hæ siquidem spasmodicis cruciatibus diurnum in modum, ac diu magis quàm unquam consueverant, vexatæ sunt. Apoplecticos quoque plures, quàm unquam contigit, enumeravimus, conspirantibus una simul hemicraniis, vertiginosis affectibus, aliisque hisce affinis, aut consanguineis. Notatu dignum est, vix quempiam ab acutâ ægritudine omninò evasisse, quin in diuturniorem, ac inveterascentem morbum incideret; Vestalem novi in Monasterio *del Crociffisso* degentem acutâ feбри paullo post æquinoctium ægrostantem, quæ superatâ tandem feбри, pertinacissimo capitis dolore divexari cæpit, quo & adhuc (dum hæc ego scribo) illa sæviffimè plectitur. Ipsa superiori solstitio variolis correpta fuerat, quæ tunc temporis longè lateque sæviebant.

XLIX. Hisce vigentibus intercurrentibus morbis februm malignarum sævities remitti quidem, atqui hæ iterum, velut auctæ viribus statim ferè recrudescere visæ, ac magis, magisque debacchari, quibus plures per ea tempora satis defuncti sunt. Tùm præcipuè cum aut diuturnis illæ affectionibus succedebant, aut gravioribus aliis stipatæ irascebantur, inito simul foedere, quo truculentiores evaderent. Harum unum, atque alterum exemplum lubet recensere. Pia mulier tertio febris insultu, spasmodico pectoris affectu correpta, quarto obiit.

Sacerdos saniosis pustulis toto corpore diù scatens, quæ statis temporibus magis, aut minùs desæviebant, cum amico cuidam sibi obvio occurreret, fallente pedem vestigio, in terram incidit: mox obscurari lumina, sanguis ex utrâque nare profluere, ipse veluti oborto rigore contremiscere visus est. Postridiè mitiora omnia evasere; Nec ipse lecto sese affigi passus est, amicorum consilia, ac preces eludens. Undecimo febris acuta supervenit caligantibus oculis, deficiente voce, vix mente compos. Latæ maculæ densissimis examinibus totam cutim foedabant; Urinæ rubræ, per initia tenues, nihil subsidentes. Decimo nono ingenti oborto sopore, expiravit. Secto cranio pia mater cum vasis solito tumidioribus se nobis præbuit, tùm sinistri Hemispherii amphradus diloricati invicem, ac dimoti; Multum in utroque ventriculo serum; Sinus majores, choroidæus plexus, tùm cætera quæque sanguinea vasa copioso dilutoque sanguine tumentia; Diffusæ ad cutim maculæ latiores in cadavere apparebant. Dubium adeò, nùm à lapsu potius, nùm verò malignâ obortâ feбри decesserit; an utroque, junctis unâ viribus, quo citiùs ægrum perimerent. Frequentiores iis temporibus ephemerâs febres, quàm intermittentes, observavi.

L. Lubet hinc conjicere magis, ut quæ toties dicta sunt, iterum repetam, quæ fuerit Austri sævientis indoles, quæve sit Austrinâ vigente constitutione temporum, metuenda morborum proles? Quod si & ultrò pergeret quis velit, expiscari fas quoque foret, & magnorum virorum more magnam rerum fiduciam habentium decer-

nerere, quid ex adversâ, si quæ contingerit fortè, constitutione, annique habitudine prænunciandum? Profectò si rem paullo accuratiùs perpendamus, quilibet Annus semper aliquos affectus secùm unâ infert, qui reverà quid Epidemicum redolent, quos, etsi leves aliquandò, ac tenuioris momenti, haud ità facilè tamen curari cernimus, quin priùs à vulgari methodo discedamus, eaque iis præsidia adhibeantur, quæ, expenso ingruentium affectuû genio, profutura magis conjicimus. Labet hinc etiam ediscere morborum quorundam genesin, qui sporadicè passim, nulloque non tempore, quo Epidemici sæviunt, contingunt. Hosce quidem feliciùs aliquandò cedere novi, eadem methodo, ac iisdem ferè remediis, quorum olim eluserant illi vim. Id mihi haud ita pridem adnotandum, cum fortè fortunâ quidpiam de epidemicorum affectuum indole, à quorum utique studio, ac inquisitione nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse, ab illo sciscitarer, ac expendendum maximè Author adfuit, ac Præceptor idem, Ornatissimus vir, de Medicâ omni, tum literariâ re merittissimus Joannes Fantonus, Regii Subalpinorum Principis à cubiculo Medicus, ac Primarius in Taurinensi Archigymnasio Theoricæ Medicinæ Antecessor. Rectè scilicèt perpendenda est annorum constitutio, ut ex illâ, tamquam ex fonte, genuinum cujusque morbi genium repetere, tum æquam illi curationem adhibere valeamus.

LI. Equidem ephemeræ modò dictas febres, tum spasmodicos affectus, qui eâ tempestate percrudescebant, ad principem affectum reduci posse, unâ

que omnes ab eodem anne ortum ducere satis dilucidè innotescit. Atque id quidè rectè norit, qui quotquot in sanguine ex doctissimi Gulielmini calculo subeunt variæ, ac diversæ combinationes, quas ferè sexcentas olim recensuit Hippocrates, animo expenderit.

LII. Utque ab ephemeris febribus exordiar aliquando; Hæc quidem ab intermittentibus; nec genio tantum, sed re, ac origine toto Cælo differre neminem latet, si quis utriusque indolem, ac genesin attentè adnotaverit. Acidi mineram, quam nemo in ephemerâ febrî culpaverit unquam, seu pituitam præter modum viscidam, cui acidum fermentum magis, vel minùs irretitum hæret, intermittenti febrî præludere, vel stabulantem in stomacho, ut placet (o) Etmullero, vel ductus laterales Pancreatis obstruentem, ut (p) statuit Sylvius, communis Medicorum sententia est; Quæ quidem pituita, seu materies, in venas effusa, & partibus spirituosis sanguinis permixta potis est, tot excitare turbas, & febrilem, (q) ut aiebat Cartesius, *tempestatem ciere*. Quidquid scilicèt ad acidam discrasiam humores disponere par est, id intermittentibus febribus incunabula, ac focus præbet. Quod quàm longè ab Ephemeræ genio, ac more discedat, conspicuum est; Hæc namque continuarum simplicissima, quam habet accensionis febrilis causam, hanc minimè extra vasa hospitantem habet, ast intimè in universa liquidorum massâ ludentem. Simplex, ac levissima molecularum sanguinis commotio ephemeram febrim

(o) *De febrî. c. 17.*

(p) *Tr. 10.*

(q) *P. 1. Ep. 51. & 88.*

inducere apta est, quæ brevi compescitur. Nec ineptum omninò proinde foret conjicere, quas Auster diù sæviens attulerat acriores, volatilioresque particulas, sin minùs universum humorum massam in robustioribus corporibus inficere, saltem turbare illam exoticorum salium miscelam potuisse, obstatque ephemeræ febres inducere. Cur verò Peruvianus Cortex, quem ego superiùs salutarem extitisse in iis febribus, quæ in hâc exarata constitutione suboriebantur, adnotaveram, ob figendi illius, cogendique facultatem; cur idem ipse cortex in intermittentibus, quarum quidem indolem ex prædominio acidæ mineræ deduximus, cujus vis est cogere quidquid, ac figere; cur inquam in intermittentibus idem proficiusexperiatur, tutissimumque præsidium passim audiat, atque ajunt specificum Antipyreticum magnis adeò laudibus decantatum? Res nimis operosa foret decernere. Nùm ludere remedia, ut morbi, dixerim? Nùm me potiùs inanes conjecturas effingentem quis arguet?

LIII. Opus hîc esset exoticici hujus febrifugi naturam paullò fusius, quàm superiùs attigimus, explicare; Fortè, & magnificos titulos, magnaque illa elogia, quibus apud quamplures vocari illud etiamnùm solet, excutere; quòd tamen nec mei muneris esse scio; nec hujusce utique Spartæ, quàm exornandam ego, ac illustrandam suscepi. De illius abusu peculiarem, ac deciès legi dignum tractatum edidit Celeberrimus Ramazzinus, minimè veritus se quandoque, nec dùm cum juvenis adhuc foret, sed cum jam virili togâ incederet, illo familiariter usum fateri, proce-

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

dente verò ætate experientiâ edocium à priori sententia recessisse; Ita scilicet ait Vir doctrinâ, tum animi candore dignus inter magnos Viros recenseretur. Fortè alchali illud volatile, acerrimumque ab Austrinis flatibus delatis lixivialibus salibus, atque una cum aere inspiratis, magis evectum, inque sanguineâ massâ impetum faciens, quæ potissima fuit febrium, quæ in hac constitutione desævierunt, causa, alchali fixo Chinæ emendari, aut saltè cohberi contigit. Nec fortè etiam abs re erit suspicari, quæ quoque Clarissimi, atque amicissimi Viri A. M. Reina, Celebriorumque in hâc Urbe Medicorum sententia est, ex mixtione Chinæ Chinæ unâ cum acido prædominante in febribus intermittentibus, inque primis viis obvio, quid emergere febrilis fermenti (sit verbo venia) crasin invertere aptum, ac excitatos motus compescere. Ex solutionis vitrioli permixtione cum solutione Chinæ Chinæ speciem quamdam atramenti idem laudatus Ramazzinus, & alii adnotarunt.

LIV. Nunc cæteros affectus, saltè præcipuos, quorum tam discolor, & ingens sylva ab unâ radice succreverat, lubet expendere. Horum verò plerique ab ipso solidò malè affecto proficiscebantur. Adeò facile est, inducto semel in liquidis vitio, aut iis ab instituto more deflectentibus, solida quoque crimine culpari, quæ unâ cum illis invicem comparata sunt; Juxtâ namque id quod intimè latet in sanguine vitium, solida modò tendi, ac summè elastica fieri, modò laxa eadem, ac debilia prorsùs, imminutâ elasticitate; observamus, utraque dein inveterascentium morborum, diuturniorumque

incrementa ægritudinum. Equidem quos potissimum hac tempestate desævuisse adverti spasmodicos affectus, ab eodem illos genio, à quo acutæ febres prodierant, derivasse arbitror, ab illâ scilicet acrimoniâ in fluidis inductâ, cujus præsentia solida quæque diversimodè pungi, vellicari, ac irritari perspicuum est. Quæ namque desævierant diuturnæ ægritudines, hæ utique fibram admodum tensam, crispatam, rigidam nimis, ostendebant, plerumque effrænem.

LV. Mulierem novi hysterice affectibus jam dudum olim per intervalla obnoxiam, iisdem sævissime, toto anno divexatam, ac tandem fato defunctam. Stupendum equidem erat tot, ac tam diversas impetum facientis solidi incursiones, ac penè dixerim, explosiones cernere, ceu Protei in morem ludentis. Sæpè visa spasmis tota convelli, præcordiis valdè tumentibus, multa evomens biliosa, mordacia. Desinente Vere iisdem spasmodici affectus affiduo more irascebantur, mox in supremo quoque ventre, hæud absimilem scenam ab illâ, quæ in abdomine jam pridem egerant, ludere cæperant, quæ tandem in certam quandam amentia speciem degeneravit, cujus miratus sæpenumerò sum nullam ab Authoribus mentionem factam fuisse unquam, cum tamen hæud rarò diuturniores hysterice affectus illi proluisse adnotaverim. Sæpè in risum, & lacrymas effusissimas ridiculè erumpebat. Aliquando ditiolem quàm reverà foret, modò alteram è nobilioribus Reginae affeclis sese jactabat; Frons, oculi, vultus amentem fæminam redolebant. Accedente Autumno, sui que compos magis facta, sæviore more

hysterice insultibus vexata fuit, qui ab infimo ventre ad Thoracem propagabantur, ut ferè suffocationis periculum impenderet. Rarò visa febris, quæ nec typum, nec genium prodidit unquam. Sub initium hyemis adstringi sibi adeò fauces persenserat, ut vix quidquam deglutire par foret. Atque tunc temporis ad ipsam vocatus fui, ad illum diem usque ab Agyrtâ quodâ inconsideratè, inclementerque curatam; Cumque faucium affectio jam penè desierit, nedum tamen spasmodicorum causa deerat penitus; quin immò hi ferocius recrudescerent quandoque, tympanitidis in morem abdomen distendebant. Quâ de re in consilium quoque advocato Clarissimo, Doctissimoque Viro Jacobo Cicognino Augustæ Regis Matris Medico Primario, & Consil. , ejus sententiâ, & auctoritate celebriora quæque antispasmodica expertus sum, eaque omnia, quæ promptiora compescendis, coercendisque insultibus, tum quòd magni momenti aderat, emendandæ acrimoniæ humorû aptiora credebantur. Meliusculè habuit; Atqui hæud paucis patris in victu erroribus, tum ob sæva animi pathemata, hysterice spasmi pristino iterum more ludere, ac frequentiores suboriri, tumere crura, venter, præcordia, ac denique atrocius sævire omnia cæperant rursus; Ipsaque tandem paullo post hyemale solstitium defuncta est.

LVI. Nec longè ab eodem spasmodicorum tramite abludebant, ab acrimoniâ illâ scilicet Austrinis flatibus evectâ, atque ad activiorem sublimitatem elatâ, immanes, sævissimique progeneriti Podagrice, tum nephritice affectus, quorum ingens visa soboles, ægro-

rumque cohors, quàm acerbè ingemiscentium ob sævos, dirosque cruciatus, ac diurnam, quâ immaniter torquebantur, carnificinam, nullo pacto exorabilem. Valdè affines inter se geminas hæc ægri tudines arbitror; Utrique harum obnoxii valdè sunt Subalpini, quòd nativis fortè Cæli qualitatibus, aut generosioris vini potationi, lautiorique victui referri potest. Utramque verè spasmodicam, absque summè crispato solido profectam, facile erat conjicere, tum ab enormi cruciatu, quò vexabantur ægri, tum à cæteris, quibus utraque comitabatur, Phænomenis; Cernere namque erat nullum in nodis artuum tumoris vestigium, ut fieri solet, in quo tophacea materies plerumque reperitur iis, qui Podagrâ laborant, aut quidpiam aliud consimile, præter intensum nonnullis dolentis partis ruborem, adurentemque calorem. Nulla quoque in plerisque nephritide detentis, renibus, aut quâ aliâ cunque parte calculi impacti suspicio, aut ejusdem futuri prologia in urinis; nihil fere persentientibus ægris aliud, quàm tensionem violentam, acerbissimosque dolores fixos plerumque, ac prementes, ac si fibræ quæque nervæ spasmis rigerent, aut pressuram quandam, & coarctationem, ut ita loquar, experirentur; Utrique parùm profuerant remedia quæque adhiberi solita; Quæ solidum affectum demulcere, acrimoniam in fluidis elatam compescere, lixivialia spicula, acerrimosq; sales coercere magis apta erant, multis profuere; Diluentia, anodyna, emollientia tum internè, tum externè adhibita utramque paginam, ut ajunt, implebant. Longè tamen in universum miserius nephriticis Podagræ

gricorum profapia est. Hisce namque nec in hac modò constitutione, sed ferè semper, & olim adhuc minùs efficaciam, ac damnosam sæpè comperta sunt universa, quæ passim deprædicantur, medicamenta tam externa, quàm interna, quorum uberrimam segetem videre est apud Lucianum: Elegans est ac mirè jucunda, quæ apud illum Podagræ allocutio legitur ad illos, qui secreta quædam remedia se habere jactitant, quibus elidere ejus potentiam queant. Hujus aliquot versus è Græco sic ipse ego verteram olim.

Quis invictam me dominam dolorum

*Ignorat Podagram in terrâ mortali-
lium!*

*Quam neque Thuris vapor placat,
Neque effusus sanguis aras ad incensas,
Non templum divitiarum undique
suspensis ornatum donariis:*

*Quam neque Apollo Medicamentis expugnare valet,
Omnium Medicus in Cælo Deorum;
Non filius Apollinis Doctissimus Æsculapius, &c.*

Ea scilicet natura Podagræ est, ut omnibus æquè plorare illa imperet, eam verò irritantibus occurrere solet multò iracundior, diriorque.

LVII. Cæterum qui calculo sive renum, seu vesicæ jam diù laborabant, hi sæviùs omnes, atrociùsque vexabantur; Haud pauci ex iis mortui sunt; Libet hinc rarissimū ingentis calculi vesicæ exemplum narrare, quod mihi eo ferè tēpore annotare contigit. Sacerdos quidam Gallus Romam contendens, acerbissimis cruciatibus vesicæ, sævissimâque stranguriâ correptus, in Nosocomium SS. Mauricii & Lazari mense Julio se contulit.

Fatebatur olim hujusmodi doloribus vexatum fuisse Lutetiæ Parisiorum, cum adolescens adhuc foret, iisdemque liberatum celebris Lithotomi ope, exiguo feliciter extracto calculo. Adultior factus iisdem per intervalla recurrentibus affligebatur, nunquam tamen dire adeo crudeliterque. Septimo dein die mille inter conamina, ejulatusque expiravit. Secto cadavere, insignis in vesicâ repertus est calculus, perpolitus undique, & lævigatus, ponderis tredecim unciarum cum dimidiâ, durus adeo, ac revera Sciliceus, ut verè quid lapideum quis diceret è marmore resiliens. Renis dextri substantia penè exesa aderat, alter præter morem grandior, nigerrimus, ac ferè putridus; Vesica crassa valdè, ac ferè carnea; Uterque ureter solito amplior. In horum altero quâ in vesicam desinit, sex, vel septem exigui calculi occurrebant, taliter invicem impacti, & cuneati, ut præclusâ omninò viâ urinæ, enormiter expansus canalis, alterius veluti ideâ vesicæ rudiores deluderet, quasi re ipsâ, foret vesica duplex. Ac fortè in hunc crassum, atque supinum errorem Medicos Casauboni incidisse puto, dum viri tanti vesicam urinariam nobis geminam obtrudunt. In sinistro uretere nullos quidem calculos, at urinæ quantitatem summè o lentis, ac fætidissimæ comperi.

LVIII. Exaratis spasmodicis ægritudinibus meritò quoque accensebantur quotquot cæteræ per ea tempora defæviebant magis, ut hemicranix, vertigines, acutorum illæ morborum reliquæ, aut diuturniorum affectionum prologia. Unum scilicet harum omnium Parentem Austrum conten-

dimus; Una omnium scena; Unus idem ludendi genius, ac mos, etsi pro diversâ solidorum resistentiâ, magisque aut minùs adauctâ elasticitate eorumdem dispares adeo, ac discolores affectus subluderent. Qui Spasmodorum doctrinam intimè callet, vimque, & potestatem solidorum in corpore viventi sedulo expendit unquam; Is Vates esto. Revera quidem *id morborum genus*, ait Doctissimus Baglivius nulli in hâc arenâ secundus, (r) *ab spasmodicâ fibrarum oscillatione pendet, totiusque curationis scopus dirigi debet in eâ primò tollendâ, aut saltèmp compe-scendâ, deinde fluido peccanti incumbendum.* Diuturnâ olim hemicraniâ laborantem senem Paralyfi dein & artuum contracturâ correptû memini. Mulierem hysterica novî, cui quotiès insultus eminebat, sævissima illi pro-ludebat hemicrania. Amicus meus diris nephriticis doloribus per intervalla vexatus, hosce sibi impendentes præviâ vertigine, oculorum caligine, auditusque hebetudine didicit, eò atrocius sævientes, quo dirior Ausfer per-spirat. Novit id unû Magnus Senex, ac quantum solido infensi sint Austrini flatus, compertum Posteris tulit, *illo (s) inquit, auditum hebetari, caliginem visui offundi, gravari caput, tarditatem, & languorem induci.* Nec quis putet Hippocratem, nisi experi-entiâ priùs edoctum tam grande effatum, tam fidenter, & absolutè pronunciaffe; In libris enim Epidemio-rum Constitutionem habet Austrinam huic nostræ haud absimilem, cui magna etiam antecedentium temporum sic-
citas

(r) De fibra motrice specimen pag. mihi 231.

(s) 3. Aph. 5.

citas præcesserat, unde postea consimiles affectus hyeme, ac vere apparuerint. Equidem sicuti Aquilonaris tempestas spiritualibus organis infesta est, ob serosam colluviem, quam parum perspirantia corpora abundè cumulant, ita Austrinam capiti, quod Spasmi sedem præbet, ac incrementum, maximè infensam didicimus. (t) Ut verò in Imperiis, sic in corporibus gravissimum esse morbum, qui à capite diffunditur, aiebat Plinius.

LIX. Nec verò rarum adeò, ac incongruum forte quis credat spasmodicas ægrotudines ex aeris vitio observari? Quàm facilè ab aereo hocce, in quo degimus, Oceano, aut rectius ab exoticis particulis unà cum illo exeeptis, humani corporis liquida quæque inficiantur, fusè superius attingimus. Hisce autem inquinatis semel, stimuli que vicem agentibus, quàm facile unà invicem conspirantia solida afficiantur, irritentur, convellanturque, diuturniore, aut graviore Scenâ juxta individuorum diversitatem ipso quoque fluido hujusce turbationis causâ summoperè magis effecto, conspicuum est? Insolitum morbum spasmodicum convulsivum variis in locis Electoratus Saxonici, & Marchionatus Lusatiæ superioris nuper Epidemicè grassatum legimus apud Gælichium (u). Alterum huic haud ab similem affectû describit Sennertus sub nomine spasmi maligni, & Epidemii cum febre, de quo An. 1596. Facultas Medica Academiæ Marpurgensis consulta consilium Medicum impertita est à Gregorio Horstio, in Operi-

bus Medico - Practicis publicatum, & à Gregorio Leisnero denuo excusum. Simile quid etiam Parisiensibus olim, diù nebuloso existente aere, qualis revera esse apud nos solet flante Austro, evenisse refert Eruditissimus Fantonus (x). Id curiosorum ingenia dudum exercuit. Equidem pauci, ac fortè vix ullus visus est iis temporibus morbus, qui aliquid spasmodici haud præ se ferret.

LX. Sed ab affectibus spasmodicis divelli nequeo citra historiam unam, ac alteram. Vestalem vidi è Monasterio Cælestinarum Sanctissimæ Virginis Annunciationis, Scorbuto, Proteo illo scilicèt plurimorum symptomatum sindrome diu olim, tum quàm acerbissimè hoc anno divexatam, quæ sanato derepente cruris ulcere, quo totâ ferè hyeme laboraverat, miro quodam spasmo musculorum capitis, & colli correpta, ut os minime aperire potuerit, trium dierum spatio velociter obiit. Altera Historia haud ita recens est, sed Pæonio stylo notanda, ab Adversariis b. m. Venerandi Senis, Avique mei, Archiatrorum Comitum, haud exiguo bonorum, ac doctorum hominum mœrore non ità pridem defuncti, excerpta. » Vidi ego, ait, » Mulierem stupendo convulsionis » genere vexatam, in quo se se ne » per momentum quidem quietam » continere poterat, sedens in lecto, » & mentis omnino compos. Torque- » batur se se mirè ægrota, & mem- » bra cum capite in gyrum veluti con- » torquebat. Si quando aquam pete- » ret bibitura, necesse erat poculum

D d. d. 3. » ori-

(t) Lib. 4. Epistol.

(u) Exercit. subseciv. Francof.

T. 2. sect. 1.

(x) Dissertat. Anat. 13. de org. respir. 327.

» ori prudenter admovere, & ipsius
 » motui circulari obsequi, poculum
 » elevando circumducere, donec si-
 » tis esset sedata. Cùm autem bibisset,
 » fatebatur liquorem non recta def-
 » cendere, sed in circulum circum-
 » agi, & veluti per gradus, tro-
 » chleæ, aut helicis in morem, def-
 » cendere, usque dùm in ventricu-
 » lum delaberetur. » Feliciter tamen,
 quod ab illo audiisse memini, eva-
 sit.

LXI. Reliquum est de scorbuto, tùm subitaneis necibus pauca dicere. Quod ad illum attinet, veteribus minime prætervisum utique; Licet haud ita Subalpinis familiaris sit, ac gelidiori sub climate viventibus, ubi dirè sævit, illo tamen immunes omninò haud esse Italos, cæterosque Meridionales Incolas jam dudum novimus. Neque enim illum semper ab humorum stasi ortum ducere, vel ipsi Septentrionales Incolæ norunt; Quandoque scilicet ab cruorosi laticis fluore initium habet, sæviùsque miseros torquet. Hinc forte tolerabilior audit apud Danos, Norvegos, Batavos, ac totos divisos Orbe Britannos, quod ibidem magis ille ab humorum lentore pendeat, secùs ac apud calidiores oras, Austrinis flatibus magis obnoxias, acerrimis salibus cruori affusis dissolvere potiùs quàm cogere aptis. Utque rarò apud Septentrionales cacochymia, seu Scorbutus, (idem namque esse puto cacochymiam veterum, ac modernorum Scorbutum, saltem æqualia habere fata) ut, inquam, rarò apud Septentrionales Scorbutus occurrit ab colliquatione humorum, ita apud nos ab eorumdem

lentore ortus. Id ego olim tùm rerum usu, tùm longâ apud Anglos, ac Batavos morâ didici, haud exiguo ægrorum meorum emolumento.

LXII. Atque hujus potissimum indolis, qui modo hoc anno sævit, Scorbutum fuisse, adverto, tùm ob latices ad liquationem pronos, tùm ob Austrinam totius Anni constitutionem eò diriorem, quò acriores sales ob defectum humidi in tam ingenti siccitate temporum elati magis aderant, ac sui juris. Profectò temperantia quæque, lenitè refrigerantia, nitrosa, acida acrioribus cæteris fortioribus, abstergentibus, colliquantibus, orgasmum facile inducentibus, quorum tam magna seges, palmam præripuerunt. Ejus quippe genio, non nomini studendum erat, quod si quo in morbo, in hoc præsertim accuratè investigandum, & distinguendum monet Clarissimus Boerhaave. (y) Sedum vermiculare, cochlearia, trifolium fibrinum, sempervivum minùs acre, Zingiber, acerrima quæque apud Anglos commendata maximè scio; An hæc tuta æquè, ac ejusdem sint efficaciam apud illos, qui sub calidiore climate vivunt, judicent docti? Mihi quidem methodum placidam, successivam, continuam, quæ magis humores compefcit, quàm stimulat; Quæ-ve nostris nascuntur in hortis, indigenas plantas minùs acri sale præditas, Septentrionalium methodo, ac exoticis celebrioribus præferendas compertum est, exemplo monstrante viam. Notissima est observatio de memorato sedo vermicula-

(y) Aph. de cognosc. & curand. morbis n. 1153.

culari Actis N. C. inserta, quod scilicet in expeditione Danicâ multi per illud in formam decocti exhibitum, à Paralyfi scorbuticâ restituti sint, evacuato per vomitum mucos admodum viscido; An id hisce in oris proficuum æquè, profecto ambigo. Forte etiam nusquam visus est Scorbutus alteri similis, aut quorum eadem essent Phænomena; Sæpe vidi huic hecticam febrim accessisse; Sæpe illum memini in Asciten, mentiendo tympanitidem degenerasse; Utrique latæ maculæ rubræ ad cutim diffusæ, aut icterus multiplex sæpe prolusit.

LXIII. Exarata sanguinis ad fluxum tendentia subitaneis forte etiam mortibus occasionem dedit, quibus ab hyemali solstitio superioris anni ad æstivum usque, decem circiter intra Urbis mœnia ex tempore sublatis audivimus, tum viros, cum fæminas, puerosque. Illi scilicet toties memorati exotici, acerrimique sales ab pluvioso Autumno, Austrinâque hyeme ulterius fusi, ac eveci, inque se ipsis magis existentes, ut Hippocratis verboutar, occurrente fortè, aut prævio pravorum humorum apparatu paulatim collecto, aut peculiari alia quacumque dispositione, promptiores aliquandò, ac potentiores tum ad solida irritandum, scindendumque tum ad fluida dissolvendum redditi fuere, proindeque apti magis, præcipientes adeò mortes inducere. Cæterum frequentiores hujusmodi neces, cum maxime sævit Auster, satis quidem evincunt, earum plerasque ab humorum fusione ortum ducere; Quæ verò flante Boreâ persæpè etiam contingunt, hæc ab humorum lentore potius, aut ab organico vitio pendere.

LXIV. Ver igitur egimus Austrinum, insolens. Sub initium Maii æstuosum præter morem extitit Cælum, Sole in Occasu flammeo apparente, non secus ac Julio, aut Augusto mense. Huic immoderato calori proluserant,

Ætheris impulsus fremitus, Cælique fragores.

Remitti mox coepit ætus, quodve supererat Veris, satis beatè transegit. Pulchrum erat Mercurii lusus in Barometro, cum magna fortè impenderet tempestas, cernere; Is namque illicò ad extremos fines momento temporis descendere, moxque iterum restituta serenitate sursùm emergere videbatur. Cæterum cum Austrina extiterit totius ferè Anni constitutio, nunquam visus est in sublimiora loca ille se recipere, haud ausus unquam ultra vigesimam lineam evadere, quæ illius major excelsitas fuit. Præclare hinc, ac dilucidè pleraque explicari queunt Phænomena, tum quæ sita quare ad Austrinos flatus difficilis sit respiratio, ut de quadam veluti suffocatione conquerantur omnes? Cur Urinatores quidam, hominesque, penè dixerim, amphibii ad plures horas sub aquis degant? Cur, quod haud præter rationem, etsi paradoxum videatur, scripsit Th. Cornelius, aer crassis vaporibus refertus ad vitalia munera obeunda aptior sit, quam aer tenuior? Cur, in Phytis pulmonari, famosæ, & magnæ Urbes magis commendentur, quam Villæ, aut Oppida, quæ aere clarò, & perflato gaudent? Cur humidus, & minimè perflatus aer nulli salubris? quæ sanè omnia à majori, aut minori pressione aeris rarefacti, aut condensati magis, perflati, rari,

purioris, aut humidioris pendent, ut palam faciunt experimenta in machinâ pneumaticâ circa animalia facta; neque ob aliam causam in editissimis montibus gravem duci anhelitum credendum est, nisi quòd inibi minor sit aëris pressio, quàm in imis Vallibus. Sed è diverticulo in viam.

LXV. Exacto Vere Æstas succedit mox ab ingressu turbata ventis, lætior dein, amæniorque, blandè adspirantibus Etesis. Sæpè auditum circumfremere Cælum, ingentes resonare tonitrus, magno misceri murmure Æther, quin vel minimum plueret unquam, *Sole dies referente siccos*. Post caniculares, varia aeris temperies, Zephyrique, & Austri alternatio; Illo autem circa Septembris initia prævalente, plurima pluvia, & horridiuscula aura per aliquot dies infesta. Æstatis reliquum moderato ventorum flatu tranquillè peractum, felicioribus auspiciis arridente Æquinoctio.

LXVI. Fatiscere enim sensim adulta æstate exitiales febres, tum spasmodicæ ægri tudines observatæ sunt, facemque tradere intermittentibus febribus, quæ Augusto, & Septembri mense illucescentes, subque ipsum dein Æquinoctium vulgares factæ magis, stativa castra ponere cœperant, palmamque illis eripere, aeris procùl dubio ab æstivo fervore in autumnale frigus degenerantis pro ludia. Scenam quoque ingredi visæ continuæ quædam, aliæque ardentes paroxysmis interpolatæ, catarrhales tussi, & asthmate molestæ, quandòque & anginâ, oculorum, ac tonsillarum inflammationibus, quæ dein intermittentes migrabant. Mediâ æstate ob

fructuum fortè intemperantem ingluviem, & immoderatum aliarum illecebrarum gulæ usum, Diarrhœæ, ac dysentericæ comparuerunt; quæ difficilimè medicamentis compescebantur. Verminosa quoque spectata proles ludere, sævaque symptomata producere in adultis æquè, ac in teneriori ætate constitutis; Horum non nulli etiam si nulla dysentericâ, aut Diarrhœâ essent correpti, assiduâ desidendi cupiditate cum torminibus quibusdam conjunctâ vexabantur; Post frustrâ adhibita enemata lenia, evacuantia, humorem acrem demulcentia, balnea; tandem cum ab Ascaridibus malum foveri suspicio foret, majori cum successu anthelmintica enematis addita, perque os data fuerunt.

LXVII. Haud paucos etiam Colica dira corripuit; Nullum iis præstantius auxilii genus, quàm fœtus ex lacte recenti, additâ modicâ dosi Laudani liquidi. Mirum sanè ut concitatum dolorificum spasmus, sive is ab violentâ abdominalium musculorum contractione, quos ego Principem ludere in hisce diuturnioribus affectibus scenam arbitror; sive ut perperam visum est, à convolutione intestinorum pendeat, undè decantatus ille oritur antiperistalticus motus; mirum inquam, ut illum præfatus illico fœtus temporis momento compescat, contractasque partes pristino genio restituat, moremque ferat clysteribus, aliisque præsidiis opportunè institutis, convoluta, si quæ fuerint, intestina explicandi, aut veriùs in Thoracem illa ultrò propulsa fortè, in situm naturalem reducendi.

LXVIII. Ego quidem diù mecum animo expendens diros, acerrimosque do-

dolores, quos persæpè advehit hujusmodi affectus, quid altiùs subesse illi suspicatus sum aliquando; saltem non semper illum, aut sæpiùs sedem habere, ut vulgò ferunt, in Colo. Idem olim à Carolo Pisone, doctissimo sui temporis Medico excogitatum scio, qui forte in hâc eâdem arenâ Villisio præluxit. Uterque haud multum à vero aberravit; Quid enim utrique visum est, in nervoso systemate latens, quod nemo unquam expenderat. Sanè quidpiam minimè vulgare in hoc affectu proludere compertum; Nec opus quidem antiperistalticum motum, aut convoluta intestina effingere. Hujusmodi figmentum nuper (z) in Regiâ scientiarum Academiâ Lutetiæ Parisiorum à præclarissimo Viro strenuè explosum est. Equidem ut chylus tot inter molimina, tum ascensus, ac descensus momenta elaboretur, perficiaturque; Ut idem celerrime tramite lactearum oscula subeat; Ut alvinæ fæces, quâ datâ portâ, ruant, excernanturque, fibras intestinorum ita compositas adverte, ut oscillantes illæ, ac circumprementes invicem perenni ludant more, exaratis muneribus comparatæ. Isque ille est peristalticus, seu circumpressorius motus, rectiùs fortè vermicularis, dictus Anatomicis; Qui verò, cum, iisdem abludentibus fibris, ingesta sursum egeruntur, perque os ejici contenta quæque in ventriculo, ac intestinis cernimus, ut in Colicis affectionibus contingit passim, id opposito motu fieri contendunt, quem *Antiperistalticum* vocans, aut fibrarum structuram, ac leges minimè norunt,

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

(z) Vide Reg. Scient. Acad. Acta anni 1713. pag. 470. edit. Amstelod.

aut festivis appellationibus oblectantur. Si quis Enterocelen expenderit unquam, hujusque phænomena cum illis contulerit, quæ in Colicâ sæpè sublundunt, facile inveniet, quàm affinis invicem affectus uterque sit? Quo enim more prolapsa intestina, ni quamprimum doctâ manu reponantur, convolutum sæpè, ac mortem inferunt; ita & eadem in Thoracem ab violento musculorum abdominalium conatu adacta, perque septum abrepta haud impari ludunt discrimine. Ecquis autem in herniâ intestinorum, in quâ sæpè etiam Ægri fæces alvi evomunt, antiperistalticum motum effinxit unquam? Quòd si atrocissima quæque symptomata ab strangulatione intestinorum ob musculos abdominis validè meatum obstringentes, satis illa aptè deduci queunt; Quidni & colici dolores ab eorundem intestinorum, quæ ultrò in Thoracem adegit nitentium musculorum spasmus, ac vis, strangulatione ob septum transversum, meatum, per quod illa fortè abrepta fuere, constringens, totam proinde tam sævi, acerbique mali Theoriam, non à convoluzione intestinorum, atqui ab violentâ contractione musculorum abdominis deducere fas erit, quorum nifu per septum transversum abripiantur intestina, inque Thoracem adigantur, propellanturque? Est altera Herniæ species, quam cruralem vocant, cæteris longè sævior, sæpè colicam mentiens aliquando, in qua intestinorum portio intimè infixâ reperitur, quâ cruralia vasa eminent. In hâc & diris cruciatibus affligi miseros, & fœces per superiora ejici, constipatam alvum, tendique ventrem cernimus, immane quantum!

Num intestinum etiam aliquod, sive tenue illud fuerit, aut crassum, dilatato forte diaphragmate, obque ingentem contrahentium musculorum tensionem infixum ibidem, adactumque, quâ potissimum nervi intercostales emergunt, tum ab eodem diaphragmate penè dixerim, strangulatum eadem inducere haud poterit Phænomena, nullo præludenti antiperistaltico motu, ut in utraque allatâ herniæ specie contingit? Colicæ cujusdam memini apud veteres Medicinæ Principes sermonem haberi, in qua nedum intestina tantum unâ cum Omento, at Pancreas ipsum, Mesenterium, Lienem per Septum transversum, scissis retinaculis abripi ferunt; Chordasum hanc vocat Celsus, alii *Volvulum*, atit *Miserere*, cujus prolixam descriptionem, & expositionem egregiè tradidit Lindanus (a); Hinc intestinorum inflammatio eorundem sphacelo præludens; hinc affinitum viscerum, ac diaphragmatis præsertim labes in velocem gangrænam desinens, læthifero proludente singultu. Cæterum colicos hujusmodi dolores, sive illorum phænomena, sive sedem considerem, æstate populariter ingruentes, iis accensendos crediderim, qui verè potissimum sub diversa spasmodicorum specie ludebant, ab eâdem scilicet vulgari, communique causâ nervoso generi summe infensa productos; cujusmodi exempla videre est apud Æginetam, Zacutum, Cratonem, Ballonium, & alios quamplures.

LXIX. Nec abs re futurum arbitror quædam innuerè de Massiliensium Peste, quæ æstatis initio magnam in

illâ Urbe stragem edere nuntiatum est. Illius incrementi hæc fuisse ferunt: Navis oneraria ab Orientalibus Oris profecta, ubi dira Pests sæviebat, Massiliam appulerat infectis Mercibus dives, quarum contactu mox quidam extemplo è viventium numero sublati sunt; hinc semel orta labes ad miseros Cives propagata. Brevi temporis spatium illustris, copiosa, & florentissima Urbs, ac circumjectus ager ingenti clade deletus penè, ac vastatus magnum finitimis æquè, ac diffitis gentibus metum injecerat, ne foedo afflatu diu, ac longè manaret lues, adque affines ultrò pervaderet. Quas ideò præcautiones hisce in casibus humana solertia adhibere solet, eas provido consilio præoccupavit Invictissimus REX NOSTER, Italiæ totius incolumitati, cujus jam dudum ipse Patronus, ac Vindex est; dum suorum bono consulere, prospiciens. Ubi enim primùm de pestilenti lue, quæ Massilienses infestabat, rumor Taurinum pervasit, totum illicò ingentem Alpium tractum, quæ Galliam ab Italiâ determinant, numeroso milite custodiri jussit, ne cuiquam permetteretur ingressus, ullaque aura pestifera per eos, quos opposuit Natura Montes, ab infestis locis per aliquam secretam viam hæc Regiones adiret, inficeretque. Nec satis cautum existimans, non multò post cum externis, atque etiam finitimis Civitatibus commercia interceptis non tantum faciens commoda, & beneficia, quæ ex libero Mercaturæ commercio omnibus Civitatibus proveniunt, quantum publicam Subditorum salutem. Institutæ quoque sunt eodem tempore publicæ preces, ad iram Supremi Numinis

(a) Exercit. IV.

minis placandam, magno ad celebriora Urbis Tempia Civium confluxu, ut nunquam alias tantus in unum populi conventus fuerit observatus, tantaque erga Superos Reverentia, ac Pietas; IPSO AUGUSTISSIMO REGE unâ cum Piissimâ Regina, ac Regio principe magna suis pietatis exempla ferente, verè optimo, adque omnium nostrum felicitatem cœlitus demisso REGE.

LXX. In dies interim magis percrebescere auditum pestiferam luem, adque Aquas Sextias dein totius Provinciæ Caput, Tarasconem, Arelatum, Telonem Martium, ac finitima quæque Oppida longè latèque diffusam. Multi nullo proludente signo, è vestigio interibant. Nonnulli ut ab fide dignis hominibus accepimus, intra paucos dies, prævio vomitu, deliquis animi, prostratione virium, sævissimoque dolore capitis è vivis migrabant. Haud paucis carbunculi, exanthemata, maculæ, foedaque ulcera, apparuerunt, funesta prorsus. Quosdam ferunt, quibus Bubones rite proruperant, ex insperato servatos. Infanda nimis, luctuosaque res est singula quæque recensere; Nec profectò absque lachrymis legi potest sincera malorum Historia accuratè, fideliterque ab Doctissimis Viris Galliarum Regis mandato Massiliam missis, ut Medicam opem Civibus ferrent, inter mortes, ac funera exarata. Hanc recens in Italicum vertit, ac criticis notis erudito calamo illustravit Clarissimus Muratorius Serenissimi Ducis Mutinæ à consiliis, ac Bibliothecâ. Quædam enim visa sunt Sapientissimo Viro, quod ad Pestis naturam, ac ingenium spectat, parùm

vero similia, saltem congrua minus, nec satis apta, quibus vera, ac genuina Pestis Theoria inniti queat, ac explicari. Ediderat idem Clarissimus Vir superioribus annis elaboratissimum Tractatum, *Del Governo della Peste*, cum dira Viennæ ortalues, totâ Austriâ serperet. Eundem diversis in locis nuper, Mediolani, Brixiae, ac Taurini quàm elegantissimis Typis editum, nunc iterum Mutinæ apud Solianum cudi audio ab Doctissimo Authore magnam in partem adauctum, & locupletatum.

LXXI. Hac autem serie foeda adeò lues se se prodere visa est. Principio multis lingua, osque viscido, lentoque humore oppletum aderat. Nonnullis obstipata alvus; Haud pauci oborta Diarrhæa, aut effusione sanguinis, celeriter defuncti sunt. Vomitus, deliquia animi, ac sævus capitis dolor in singulis fere præluserant. Plures intra biduum, vel triduum alto sopore, alii Phrenitide correpti è vita migrarunt. Sæpè obvia verminosa soboles perniciosis symptomatibus stipata; Plerisque nihil hujusmodi proludebat. Cadaverum sectionibus maxima intus visa Phlogosis, ac intestinorum sphacæla. Dirius in pueros, ac foeminas sævitum. Cæterùm ab æstivo solstitio ad autumnale æquinoctium usque, plusquam quinquaginta hominum millia cujuscumque sexus, ac ætatis unâ in Massiliæ Urbe, ejusque agro interiire.

LXXII. Hæc funestæ adeò luis indoles. Quæ verò præcipua illius caussa extiterit, modestè inquit se illam minimè penetrare ausum Clariss. Chicoineau, ex iis, qui Massiliam

missi sunt, Medicis alter, (b) ratus utique, ac scitè conscius nihil attingi posse verosimile; quodve hùc usque quoad cùjuscunque Pestis genesin, ac naturam proditum est, hypotheticum esse, nilque prorsus ad ægrorum curationem conferre. Quamobrem sedulò idem admonet ad res magis evidentes advertendum. Quæ scilicèt fuerint pestis initia, quæ illius incunabula, quidve *originis principium*, ut Hippocratis verbo utar, animo, atque oculis expendendum. Utinam sanè Vir Doctissimus moderatè adeò de hujusce Pestis propagatione, tum præcautionibus adhiberi solitis effatus fòret; Ait enim Pestilentiam sese contactu minimè diffundi, ast verò miasmatum, seu corpusculorum ope ex infectis mercibus, Terræque abditis, aut è superiori quopiam fonte exhalantium manare, quæ per æthera inane dispersa dein, ac simul unà cum potu, ac cibo suscepta in sanguine ludunt, eumque inficiunt, quo pronus ille magis, aut labem suscipere aptus est, sive ob congestorum humorum colluviem, sive ob terrorem, aut metum animo injectum. Intrepidè ideò se se asserit ægris tulisse opem, nullà unquam contractà labe, omnia quæque remedia præservationis, aut præcautionis jure celebrata hæcenus noxia potiùs, quàm proficua esse contendens.

LXXIII. Velim ego attentius ad tam foedæ pestis, quæ Massilienses crudeli flamme etiamnum verberat, initia animum adhibuisset Vir Clarissimus; nec profectò crediderim inson-

(b) Vide opusculum inscriptum: Relation de la Peste de Marseille, &c.

tem adeò contactum infectarum rerù ab illo celebrari. Equidem pestifera quæque lues, ut de febris malignis olim eruditè agebat Præclarissimus Sydenhamius, non omnium morbus est, nec longè illa pergere potest, nisi alias, ac ut ita loquar, penas illi præbuerint homines. Novimus in recenti luctuosâ Boum clade quàm utile fuerit rem in tuto ponere, cumque infectis stabulis commercia quæq; intercipere. Idem quotquot de hominum Peste scripsere, consilium est; Idem Sapientissimorum Magistratuum institutum; Idem acceptus ubique gentium usus, ac mos. Neque aliud hæcenus aptius ad hujusmodi labem præcavendam documentum, aut præsidium scio, quàm terrâ marique ad fines, & loca suspecta idoneos viros mittere, qui solitis cautionibus ad rem tanti momenti assiduò invigilent, nullique, sive exterorum, sive Subditorum sine datis sanitatis vadibus, aut præviâ, ubi opus fuerit in designato quopiam loco, constitutis diebus, morâ, ingressum concedant. Hisce artibus unius ferè sæculi spatio magna Italiæ pars, tum præsertim An. 1656. cum dira lues Romæ, Neapoli, ac Genuæ quàm immanissimè desæviret, servata est. Iisdem nos tutos, ac sospites fore beneficentissimi REGIS curâ, & studio speramus, foreque Peti, atque omnem illi aditum ad hæc Regionem præcludere. Intrepidum quidem se se gerere summe laudo; Nihil in Pestibus perniciosius unquam, quàm injectus animis timor. Sola sæpè metus, ac terroris imago absque præsentia pestis graves intulit ægritudines. Ast cætera quæque præsidia, ceu noxia potiùs, contemnere, peri-

periculosa plena aleæ opinio est, absurda prorsus, atque ipsa, propè dixerim, Peste exitiosior; Utque ait laudatus Muratorius [c] *Da cacciarsi via colle pertiche, anche senza esaminarla, non essendo saviezza, &c. E tanto più poi, (d) inquit Vir Doctissimus, perche non si sa intendere, come mai venga ne pure in pensiero a persone, che riflettano alquanto ai passi d'una Peste, ch'ella non si comunichi per Contatto, ò Contagio. Stet quidem suus invicto animo honos; Stet sua illi gloria. Nec tamen æqua laudis pars auferenda est cautionibus cæteris ab Sapientibus Viris summo-perè commendatis, abque diuturno rerum usu probatis.*

LXXIV. Quod verò ad Pestis naturam attinet; Minimè reticenda est Doctorem quorundam virorum hujusce ætatis sententia, qui veneficam luem consistere aiunt in verminosâ quâdam putredine tot tantasque edere strages, seque vel proximè per contactum vel remotè per fomitem de infectis in sana corpora propagari aptâ. Ingeniosum utique excogitatum, ac fortè etiam admodum probabile, neque à recentioribus tantum vindica-

[c] *Osservazioni intorno alla Relazione della Peste di Marsiglia pag. 24.*

(d) *Ibidem.*

† *In id etiam strenuè incumbit Eruditissimus P. Saguens tot editis operibus celeberrimus, elaboratumque opus brevi se daurum luci, in quo causam pestis ab præfatis animalculis deducere nititur; ipse doctissimus Author nuper pollicitus est in literis ad Clarissimum P. Romam Regium in Taurin. Archi-Gymnasio experimentalis Philosophiæ Antecessorem.*

(e) *Avis de précaution contre la Maladie contagieuse de Marseille pag. 31.*

tum illud, excitatumque Ath. Kircherio, Fabro Chymiatro, Langio, Crogrossio, Vallisnerio, Corte, † ac pluribus conjecturis assertum, sed à prificis etiam gravissimis Authoribus diligenter scriptis commendatum; Et quidem huic ipse opinioni lubens, ut fieri debet, Sententiam meam adjungerem, si quæ omnia occurrunt Phænomena dilucidè explicari, quidve certi de hujusmodi argumento discerni posset. Atqui ut doctè advertit Eruditissimus, ac amicissimus Pestaloffius, (e) Celeberrimus apud Lugdunenses Medicinæ Professor, suos hujusmodi hypothesis, gravesque patitur Manes, nec dum adhuc extra omnem dubitationis aleam posita est. Enim verò, qui fiat ut in Urbe quâpiam, aut Agro, ubi longo temporum spatio nulla sæviit lues, eaque proinde infecta, aut peculiarium vermiculorum examina haud amplius aërem occuparunt diù, qui fiat inquam, ut horum progenies à remotissimâ plagâ advecta semel tam facilè illicò multiplicari; Ut brevi dierum intervallo universam Atmosphæram inficere, perque ora, nares, ac patentiores quasque vias intus excepta, tam difficiles morbos efficere, seque ad affines agros, ac regiones propagari possit, anceps hæreo; Equidem ut propriis nondum illa oculis, ita, &

E e e 3 inen-

mente assequi haud posse unquam tot minuta animalia crediderim, queis progigni semel, ac longè lateque dein manare Pestis queat, tamque sæpè diviso more proludere?

LXXV. Quod autem dicatur ab aliquibus in emisso ab affectis hominibus sanguine, aut etiam microscopio armatis oculis vermes inspectos fuisse; Id minimè satis esse ad hujusmodi hypothesein tuendam, vel ex eo deduci potest, quod nedum in affectis Peste, at vel in ipsis etiam sanis hominibus continuò hisce scateat cruor. Dein verò hi soboles potiùs, quàm Parentes, aut Pestilentiarum Authores esse videntur; Neque enim illos adeò minutos repertos unquam memini, cujus reverà exiguissimæ esse molis effingi debuerint, aut mente concipi. Cæterùm si minutâ hæc animalia in sanguine, aut fluido quopiam, ceu in proprio elemento degunt; Ut vivere illa diù, ac latere queunt extrâ propriam sedem? Ut sese recens excitare dein, explicare illa, ac suoapte ingenio è vestigio multiplicari? Crediderim potiùs (eòque fidenter magis id ego aio, quod solidioribus rationibus hæc mea sententia innitatur, & Magnorum Virorum nedùm inter exteros, sed & inter nostrates, quorum consuetudine, ac judiciis uti in hæc Civitate soleo, ac præsertim Illustriffimi, Ampliffimique Viri I. A. Manzini Regis Medici Ord. & Conf., Clariff. Jo. Fantoni, Cicognini, ac Parentis quoque mei Ven., quem silentio præterire nefas foret, Medicorum Regis Primarii, & Consilarii, suffragio comprobari illam noverim.) Crediderim inquam verosimiliter magis pestiferam quamlibet eo nomine

dictam luem, tum quæ præsertim Maffilienses tam dirè adeò, crudeliterque exagitat, ortam esse à peculiari quodam veneno, cujus inanime perpetuum seminarium in vastis illis Asiæ Regionibus effingere lubet, inque Europam advectum aliquando. Nec fortè incongruum erit quandoque veneficam hujusmodi luem hisce ab oris repetere, nostro illam sub Cælo natam, adultamque concipere, quod mediùs fidiùs mirum neutiquàm videri poterit reputanti, ut rem magis exemplis illustrem, tot passim morbos contagiosos intrâ nos ipsos sæpè progenitos, unde postmodùm obvia quæque corpora teterrimo afflatu inficiuntur. Neque verò novum est, ut olim de hydrophobiâ Cælius (f) Aurelianus tradidit, *in animalium corporibus peculiare venenum innasce, quod postmodùm cætera contagione corrumpat.* Quæ ab exotico hujusmodi veneno, aut fermento (nam quo alio usurpato à Medicis nomine clariùs nunc referam imaginam pestiferi illius principii, undè læthalis hæc labes exoritur, nequaquam invenio) producit Pestis, dirius sævit, quàm quæ ab nativo alio quopiam, seu indigenâ oritur.

LXXVI. Possem utrumque venenum illud, tum adventitium, tum nativum cum Arsenico, & Sublimato comparare, nam in solidis partibus reverà pares cum erodentibus venenis invenit effectus; Ab instituendâ tamen hujusmodi comparatione me lubens cohibeo, minimè ignarus innumeras & esse, & excogitari posse veneficorum miasmatum conjunctiones, undè variæ, difficilesque prodeunt nocendi artes.

(f) Lib. 3. acut. morbor. cap. 9.

artes. Neque id est hujusce loci exponere, cum præsertim id eos tantum ignorare accidat, qui hospites in chymicâ, & Anatomicâ arte non sine ingenti piaculo diverfantur. Cur autem, quæve actione fermentum illud, sive adventitium, sive nativum fuerit, sese sano in corpore insinuare, excitatumque semel sedem ibi figere, tum sese in alios homines propagare momento temporis queat, pulveris Pyrii exemplo satis præclare explicatur. Atqui sive animatum in sanguine feminarium, vel inanime prorsus miasma pro verâ Pestis causâ statuatur; Lugendum utique est, tum olim, tum nuper apud Massilienses nondum inventum fuisse verum, certumque præsidii genus, quo tam foeda, sævaque lues curari queat.

LXXVII. Ad Subalpinos redeo; Utque rem omnem in pauca contraham: Pluviosus Autumnus extitit: Hyems Austrina; Ver insolens; Lætior Æstas, temperata, amæna. Bombycum soboles exigua. Tritici, ac frugum ubertas copiosa satis. Puteales aquæ multo cæno refertæ. Inops

Flora. Mellis parca perceptio. Vini proventus ingens, quem nemo sperare auferit unquam initio Veris. Adeo fortè quæ tritico, ac frugibus haud læta omnino tempestas est, ipsa vine-tis, ac orientibus uvis, vitibusque secunda magis est, ac felicior. Erucæ, & Bruchi hortos omnes medio Vere depopulati sunt; Redierant hi Æstatis initio, at lenis aura ab Orientalibus oris adspirans citò in fugam illos convertit. Qui Hyeme, ac Vere proluserant Vulgares affectus, hosce adultâ Æstate fatiscere penitus, inque Scenam sese prodere intermittentes febres adverteram. Sævire quoque defierant Æstate, saltèm mitiore flamine perflare cœperant Austrini flatus. Nunquam amænioris Autumnus lætiora initia extiterant, aut felicioribus auspiciis propè visa splendescere Libra. Iis ego sequentem protinus telam exordiar, cæptumque semel opus pro viribus persequar, non exiguo quidem labore, nec tenui fortassis laude; Si quem Numina sinunt,

Auditque vocatus Apollo.

Constitutio Epidemica Taurinensis Anni 1721.

I. **I**nstituto meo inhærens prægressâ Constitutionem, qualiscumque ea fuerit, in fine cujuslibet anni describendi, eò libentiùs id exequor, quòd exacti nuper Constitutio anni ab eâ, quam superiori experti fuimus, toto penè cœlo diversa uberem explicet contemplationum segetem, quo nihil in re Medicâ tractandâ utilius unquam, tum rectæ medendi metho-

do, (quod Venerandi olim Senis, idemque Magni illius Angliæ Cancellarii votum fuit, consiliumque,) appositum magis, aut accommodatum: Satque prolixam dicendi materiam suggerat, quod alterum quoque magnam profectò rebus lucem, ac perspicuitatem afferre poterit aliquando. Deinde etiam animosum me effecerant magis, majoresque ad rem
ledu-

sedulo, alacriterque gerendam, ac munus quod mihi persolvendum quotannis constitui, ritè, diligenterque perficiendum, addiderant vires, ac velut impulerant Eruditi quotquot in Italia, tum extra Italiam degunt Clarissimi Viri de re omni medicâ, ac literariâ optimè meriti, ad quos prima hujusce Telæ stamina, primaque studiorum meorum incrementa pervenere.

II. Ut igitur, ubi superiore anno desit Oratio mea, inde initium ducam, blandiores unquam amœniorefque Autumni dies haud illuxerant diu, hiscentibus per intervalla ab Aquilonaribus Oris, tum ab iis, quæ ab gelidâ Arcto ad Orientem declinant, lætioribus ventis, qui temperato inducto frigore salubriorem temporum conditionem induxere, silentibus omninò dirorum morborum, quos passi sumus, Parentibus Austris. Plurima namque pluvia Septembris initio delapsa, mox subsequens horridiuscula aura, quæ superiore Autumno, perque hyemem dein, ac ante æstivam æstatem se se prodiderant, exitiales febres Variolarum, ac Morbillorum, quæ facem illis prætuleraut, vestigia insequentes ac morem, heu infandum nimis, in fugam verterat; ortumque dederat intermittentibus febribus, quæ jam tum proludere cæperant, lætiorumque, saltem funestam minus, Subalpinis futuram rerum scenam polliceri. Subirascebantur utique ac quandoque remigrare rursum, pedemque referre, ac subludere videbantur nondum deletæ illæ penitus, atque harum affectæ, comitesque, immanes, immitesque Colicæ, Nephritici, ac Podagrifici affectus, tum

Spasmodicæ ægritudines cæteræ superiore anno exaratae. Earum tamen vis nec diu quidem, nec imperiosè adeo sævire, nec præterquam ad paucostantum, unum scilicet atque alterum extendi visa; Quibus vel familiares jam diu aderant illæ, vel recrudescentes potius reliquæ, ac priorum morborum soboles; Ceu propè interitum, ac jam delinquens candelæ, aut ellychnii lumen per intervalla adhuc reviviscens dein omninò deficit, extinguiturque. Fortè etiam ob uberrimum vini proventum liberiore pede sibimet unicuique indulgendi concessa facultas, lætissimis Autumni diebus, ortum exaratis recrudescentibus ægritudinibus dedit, sæviendique adhuc imperium. Strenuus Miles, cum vespere cibo, ac recentis meri potationi nimis intemperanter indulserit, dimidiâ nocte diris ventris cruciatibus angicœpit, unâ cum vomitionibus inanibus, ac irritis desidendi conatu; Summo manè cum jam fere animam agere videretur, elato nimirum, ac tympani in morem protenso ventre, fotu, balneo, anodynis, ac oleosis plerisque opportunè adhibitis, feliciter evasit. Minus læta res obtigit Prænobili alteri, ac Præclaro Viro, qui cum unâ cum amicis ruri degeret, recentioris vini potu, etsi modum, ac sobrietatis limites minimè excesserit, Colicis doloribus, quibus obnoxius olim fuerat, extemplo correptus, celeri fato occubuit. Aperto cadavere abdominis musculos, tum obliquos præsertim, transversosque intensos admodum reperimus, atque adeo prærigidos, intentosque, ut perquam acuto cultro difficile adhuc foret illos abscindere: Ventriculus, ac Duodenum in-

testinum vacuum penitus occurrit, secus Jejunum, ac illi affine Ileum, quod utrumque flatu tumens, ac valde tenum se se intuentibus obtulit, adeo ut obliteratedæ ferè vix conspicerentur amplius in horum altero valvulæ, quas numerosas plerumque cernere in illo est *conniventes* dictas Anatomicis, rectius fortè *rugas*, aut *juga*: Rugarum enim hæc potius instar se habent ab pariete interno intestini efformatæ, ceu juga quædam præterlabenti liquido remoram modò, modò eidem per varios amfractus, ac orbes contendenti opem præbentia auxiliatricem. In externâ porrò Ilei facie ingens visum diverticulum paullò infra illius exordium, duos transversos digitos longum, ceu processus alter vermiformis, eadem quâ Ileum figurâ, latitudine, atque substantiâ, cumque ejusdem intestini tubo, lato orificio, communicans. Sæpè ego hujusmodi diverticula, seu processus, ut illa vocat *Verhejenius*, in Ileo reperisse, olim memini in cadaveribus præcipuè Virorum, quibus colicæ humores, ut ajunt Practici, frequentes obtigerant. An id quidquam lucis allaturum magis in re medicâ; An & hinc potius ortus ducat peculiaris affectus alter, de quo haud ita pridem meminerant (a) Viri Doctissimi in *Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis*, cum nempè haud ipse intestini tubus, sed ea dumtaxat diverticula intra herniæ facculum coercentur, exercitatoribus Medicis decernendum relinquo. Plura quoque de hisce Ilei, tum Recti diverticulis, herniisque, in quibus illa

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

(a) Vide *Comment. Reg. Scient. Acad. Paris.* 1700.

intercipiuntur, verba facit, ubi & suas itidem observationes addidit, Clarissimus, ac toto Orbe Celeberrimus *Morgagnius*, (b) Anatomicorum hujusce Ævi facile Princeps, cujus eruditioni, peritiæ, ac Doctrinæ levis nimis hæc est æqua laudis Præfatio. Optandum utique, quod *Bartholinus*, *Diemerbroechius*, *Verhejenius*, tum & *Riolanus* ipse (c) audacior æquo criticus, rerum Anatomicarum, ac Medicarum scientiâ insignis, qui laudatis viris facem tulit, idemque tria non nunquam hujusmodi diverticula, seu processus adnotasse ait, morborum historiam sincerè nobis, fideliterque exarassent illorum, quorum in cadaveribus id observaverant; Fortè enim quidquam ex hoc dilucidè, ac præclare magis nobis in hac re modò innotesceret. Sed de his aliàs: Neque enim fas est in ipso Orationis limine diutiùs extra orbitam divagari.

III. Prodigiolum verò, ut institutam semel Anatomicam cadaveris sectionem prosequar; Prodigiolum maximum, ac celeris necis causa penes Septum transversum latens in conspectum tandem sese prodidit, quod dilatatum aderat, immane quantum! Ibi potissimum quò intercostalis nervus ad imi ventris viscera abit. Per hunc namque ingentem hiatus, quâ datâ portâ viam sibi ultrò in Thoracem fecere Colon, Pancreas, tum Epiploï magna pars. Plurimum in sinistro Thoracis clastro effusi sanguinis ab disruptâ Pancreatis venâ conspiciebatur, ac sinister Pulmonis lobus totus penè sub scaleno musculo

(b) *Advers. Anat. III. animadvers. V. pag. 8.*

(c) *Anthrop. lib. 2. c. 14.*

altè absconditus, adactusque. Quæ quidem omnia eò libentius à me adnotata sunt, diligentèrque exarata, quò vera Colici sic dicti affectus Idea nobis elucescat magis, quæve tót sæculorum spatio Arabum mentibus excogitata invaluit, diu Antiperistaltici motûs doctrina, ceu fictitia, ac mechanicis legibus adversa omninò, tandem aliquando obsolescat, aboleaturque, facem ferentibus laudatissimis, tum in Angliâ, tum in Galliâ viris, qui detegendo in dies Vero unicè, ac gnauiter jamdudum incumbunt. Ad vulgares febres, quæ sub ipsum Æquinoctium, ac diù adhuc post ipsum toto Octobri, ac Novembri mense exeuntis Anni 1720. caput extulerant, me confero.

IV. Hæ quidem utut intermittentium indolem, ac morem toto sui decursu quodammodo prætulert, ingeniumque; Attamen quid insolentis, quodve reipsâ vulgare quidpiam, ac reverà *Divinum* inesse iis ominabatur, præ se ferebât. Neque enim diuturniores adeo extitere, quas quisque Medicorum jure meritò suspicabatur, quasve futuras, vel ipsa quoque Anni temporis conditio suadere poterat. Dolor insuper intensus capitis, idemque assiduus febrilis paroxysmi affecla, eique sæpè proludens; Oculorum rubor; Pulsus parvi, humilesque; Ingens corporis jaectatio, quid denique in ipso ægrotantium vultu, ac urinis facile conspicuum intuentibus, quid intimè latens, aut superioris fortè ludentis adhuc constitutionis residuum, aut illi quæ jam propè impendebat, antecurrens, quid inquam ab consueto intermittentium febrium genio, ac more diversum subludere significa-

bat. Jam tùm scilicèt cudebantur mox eruptura mala, aut propè orientia eadem anteire cœperant, ac elucescere. Atque hæc quidem potissima esse debet solertis, ac diligentis Medici cura, ingruentium nempe morborum excursus sedulò adnotare, vel minutissimas circumstantias, ac occasiones castigatissimo examine expendere, atque uno verbo *primam*, ut ajebat *Hippocrates*, *malorum originem* detegere; Unde futuros rerum eventus magnâ sui laude prædicere queat, iisque occurrere.

V. Nec equidem omen fefellit exitus. Propè namque ingens illicò, imminente solstitio, Erysipelatum numerosa cohors, tùm intrâ Urbis muros, tùm longe, lateque per universum agrum, atque ad finitimas usque regiones propagata est, silentibus tum temporis, aut saltem ferocitate depositâ parcius sævientibus, præfatis intermittentibus sic dictis febribus, diviso velut inter alterutrum imperio, ac facultate ludendi. Raræ tunc, ac infensæ minüs ægritudines cæteræ quæ appetente hyeme solent potissimum in Subalpinam gentem se se immittere. Omne adeò imperium sibi, potestatemque irascendi erogaverat præfata morborum progenies, infestâ initio multis, funesta paucis.

VI. Ejus namque aderant moris, atque indolis, ut ludere magis quàm sævire, laceffere potius, quam vincere velle viderentur. Favebat ludentibus læta hyems Austris perflata frequentibus, at qui mox subsequenti Subsolano, aut altero quopiam è gelidioribus ventis terga dabant victoribus. Ludere ventos reverà quispiam dixerit inter se invicem, se se vicis-

sim excipientibus Australibus modò, modò Orientalibus, immitique Boreâ, atque ita reciprocantibus imperiis altero alterius iram coercente, sævitiemque. Præ cæteris verò Orientales maximè ab medio circiter Januario ad finem usque Februarii lenissimè perflarunt, tranquillo, amæno, & sedato prorsus Cælo. Atque id quidem observare erat, quod cum primùm hi spirare cæperant Septembri mense, fugatis illicò Austris, qui heu luctuosè nimis sævierant diù, exarata statim febres intermittentes prodire, quæ quidem rursus hiscentibus iterum Australibus ventis immiui, aut saltem mitiùs ludere videbantur; Recrudescere hæ verò dein, cum silentibus illis prorsus, Orientales perflabant, aut gelidus Boreas, quorum utrique eadem fermè efficacia concessa est, quia eadem, similique ratione condensatum, ac frigidum aëra ex vicinis montibus adferunt. Sæpè etiam memini medio Vere, aut impendente propè Æstate in nostris regionibus, iisdem perflantibus, tum Orientalibus præcipuè, frigus plerumque recrudescere magis; Quòd evenire arbitror, cum nives in toto excelso Alpium, quæ ad Boream imminet, tum abrupto Apennini tractu jacentes, altiori Sole factò liquefcent, frigidasque partes in nostrum aerem vehunt. Quantum namque frigus immittat Atmosphæræ nix, vel glacies soluta præclaro experimento inde demonstrari potest, quòd Spiritus vini rectificatus nivi adfusus tantum gelu efficiat, ut liquor aqueus in propinquo mox in glaciem convertatur.

VII. Hosce inter ventorum, ac morborum lusûs cernere erat modò

Erysipelata, modò exaratas febres intra suum se se alveum condere, ac propè extingui; Nullus verò præfatis febribus, etsi ingruente hyeme in fugam verti viderentur prorsus, nullus inquam iis negaverit unquã omnium, qui labente anno erupturi erant, morborum principatum, ac veluti prædominium. Quisquis namque morborum circa æquinoctium autumnale maximoperè furit, is totius anni constitutioni nomen impertit suum; quod à Doctissimis Viris jam diù adnotatum scio: atque ob id fortè mos erat *Hippocrati* Constitutiones Epidemicas, quas sermone eleganti adeò, atque ad rei naturam apposito exaratas reliquit, ab Autumnali Æquinoctio inchoare, propè occidentibus Vergiliis. Nec insolita quidem res est Epidemicorum Principem, qui sub Æquinoctio Autumnali præ cæteris invaluit, initio hyemis mitiùs laceffere aliquandò, cum ex adverso, ut rectè advertit magni nominis Vir *Sydenhamius*, (a) *Epidemici inferioris ordinis, qui sub eo merentur, tunc temporis præsertim ingravescant, & rerum potiantur, donec dictus anni Princeps eorum vires frangat, & deleat nomen.* Hujusmodi aderant memorata Erysipelata, quæ ludentibus vix orta hyeme Austris caput extulerant. Cæperant quidem illa primò paucos tantum invadere; mox verò ceu *rupto aggere torrens* in apertum magis erumpere, hosque atque illos nullo discrimine aggredi, nec Civibus modò, sed & universis penè Subalpinis gentibus infensa, atque illis præsertim, quæ iis in locis degebant, quæ ab Australibus ventis verberari magis consue-

F f f 2 verant.

(a) *Morb. acut. sect. I. cap. 2.*

verant. Quod vel ipsa intra Urbis mœnia advertere erat: Eâ namque parte numerosiore agmine sævire illa visa sunt, quæ meridiem adspicit, *nova Urbs* dicta ab Immortalis memoriæ Principe CAROLO EMMANUELE SECUNDO inchoata, aucta dein, perfectaque ad Piissimâ, atque ad Magnarum Principum, ac Reginarû exemplar natâ MARIA JOANNA BAPTISTA, tum ab AUGUSTISSIMO REGE NOSTRO VICTORIO AMEDEO, præclarâ Domorum structurâ, eleganti Viarum amplitudine, editisque Templorum cervicibus nulli pulcherrimæ Urbium secunda. Ea scilicet ventorum indoles est, ut sive lenitè, mitique flamine spirent, sive ruptô ceu turbine, feraque miscentes murmura præcipites ruant, quidquid in altum tollitur, ac inane per æthera fertur, secum unâ ferant per mille id ipsum vias, ac itinera mille necem hominibus adferre potens. Uter verò in universum exitialis magis Boreas ne aut sævus ab alto ruens Aquilo, an circa terram serpens illi oppositus Auster? an qui ab ortu incumbunt, aut qui *vespère ab auro* confurgunt, decernere nemo ausus adhuc, cum læthiferos quisque effectus induxerit sæpè; tum maximè cum vel diù nimis, vel minimè servatâ temporum lege dirè, crudelitèrque defæviunt? Ediscere id quidem, ac prænoscere par ille unice erit, qui locorum positiones, temperiemque Cæli uniuscujusque Urbium propriam rectè expenderit, tum plures unâ invicem observationes, Astronomorum more, ac exemplo, instituerit diù, aut ritè contulerit institutas.

VIII. Utque erysipelatum morem, quo ea scilicet pacto eruperant, fusius, ac propius exponam; Plerisque illa absque ullo proludente signo in hac, aut illâ corporis parte inopinatò apparebant. Aliis vehementissima febris prodituro Erysiplati facem tulerat, eratque jam propè erumpere impendentis Erysiplatis indicium certissimum; ipsa remissa extemplò febris, deficientque. Ejusmodi aderant febres, quas reverà erysiplatosas dicere fas est, quæ superioribus annis, cum latissimè sævientes variolæ cumulatissimam edidere stragem, hisce præire consueverant, ac propè jam eminentes prænunciare. Eruperant autem in vultu potissimum; Non nullis humeri, aut crura obsidebantur. Statim verò ac detumescere videbatur facies, aut quælibet alia affecta pars; Conturbari hinc cæperat lenitè alvus, atque hoc pacto intra paucissimos dies morbus integrè solvebatur. Haud paucis hæmorrhagia primis periodis è naribus prorûpens felici sidere restituit rem. Huic proludebant Hypochondria dura, tumida, dolorosa, aut intensus capitis dolor, aut oculorum rubor, aut tinnitus aurium. Cæteræ quæque Crises, quas sæpè moliri Naturam novimus, iisque morbo exitum dare, aut impares prorsus aderant, aut illas experiri malum. Totum quod erat Artis opus, in eo innitebatur, ut ipsa Medicatrix Natura eò libenter contenderet, quò duci annuebat. Quòd si oneri ferendo impar foret, haud deerant Medentibus Artes, quibus labentem erigerent, ac sublevarent, quo læta dein crisis per eas, quas ostenderat illa vias, succederet.

IX. Et fanè haud paucos memini nullius Artis ope, solâ Medicatrice Naturâ fanatos: Haud exigua saltem spes salutis erat, totû concredere opus Naturæ, aut ejus motibus per opportuna remedia obsequi. Equidem ut in morbis omnibus, itâ in acutis potissimum, tum in Erysipelate præsertim, ac morbo omni inflammatorio haud exiguâ Medico opus est doctrinâ, prudentiâ, & sagaci cunctatione, imò religiosâ naturæ motuum observatione, aliter perniciosi nascentur errores. Magna utique Sapientiæ pars est mentem à præjudiciis liberam servare, nec dirigentis Naturæ motus per intempestiva Medicamenta prævertere. Novit id unum Magnus Hippocrates Jatricæ facultatis Parens, atque ex illo celebri Macrobii elogio fallere nescius, & falli, qui diversis passim in locis, tum præcipuè in libro de veteri Medicinâ, quâ summâ incumbendum sit prudentiâ, & circumspèctione in re Sacrà tractandâ, sic ille vocat medendi Artem, præclarè admonet Medicos, quorum plerosque jam tum temporis idem in se admittere noverat, quod imperiti Navigantes: Etenim, qui in tranquillitate,

ait, navim gubernantes delinquant, manifesti non fiunt; At si ventus magnus, ac tempestas ipsos deprehenderit, tunc conspicui fiunt palàm omnibus hominibus, quod ignorantie, & erroris sui culpâ navim perdididerint. Pervenustam, pulcherrimamque de hoc argumento Orationem olim in Patavino Lyceo habuit Clarissimus Ramazzinus, quam unâ cum cæteris ejusdem celeberrimi Viri operibus Genevenses Typographi superioribus annis edidere.

X. Atque hîc loci mihi de Erysipelate, tum in universum, tum in specie, ejus scilicet quod totâ in Urbe, atque Agro tunc temporis sæviebat maximè, verba facienti, in mentem subit Consilium Medicum quod Latino Carmine nunquam satis laudatus Vir exaravit ad præclarissimum nostri sæculi Poetam diro hujusmodi in cruribus Erysipelate laborantem. Quàm pulchrè, quàm eleganter, quàm doctè Divini Senis Oracula elegiacis versibus expressit, ac propè dixerim illustravit! Hos ego haud abs re futurum duxi Orationi meæ adnectere, ceu gemmam, aut monile quodpiam eximii fulgoris.



Ad Ill., & Rev. Dom. Abbatem

MICHAELEM CAPELLARIUM

Poetam Celeberrimum Erysipelate laborantem Consilium Medicum.

C Rura Tibi, ut scribis, dirum
Erysipelas adurit,
Vir bone, nec reperis qui levet arte
malum.

Plurima promittent Medici, namque
id Medicorum est,
Sed Tu ne fidas, nam dare verba
solent.

*A pingui, atque oleo, veluti cane
(a) & angue caveo,*

*Unguina succenso dant alimenta
foco.*

*Pinguia quin faciunt partem (b)
putrere perustam,*

*Nasceturque ulcus, quod cachoetes
erit.*

*Nec minus herbarum succos apponere
tentes,*

*Crura nec ut mos est, lacte fovere
velis.*

*Talia quippe nocent, coguntque re-
currere morbum,*

*Qui ex imo ad summum prolicien-
dus (c) erat.*

*Quid faciam ergò? inquis. Tu sustine,
& abstine, talis*

*Decubitus criseos est, mihi crede,
loco.*

*Interea in lecto recuba, & suffusa
rubore*

*Aere ab externo membra tuere pre-
cor.*

*Sic etenim poterit sensim expirare
quod urit,*

*Hæc sat nota Coi sunt documenta
Senis.*

*Tute ergò observa ac tristes animo
expue curas,*

*Sitque bene ut valeas unica cura
Tibi.*

*Noli dum langues, Musis, Phæbo-
que videri*

*Tam charus, quin sis charior ipse
Tibi.*

Aureum itaque hoc maximè præ-
ceptum in mentem sæpè revocandum,
tùm in Erysipelate curando præsertim,

(a) *Hipp. de affect. n. 57.*

(b) *Hipp. 7. aph. 20.*

(c) *Id. 6. Aph. 25.*

quod idem amico Poetæ laboranti
consulebat Vir Doctissimus: *sustine*
nempe, & *abstine*. Talis enim decu-
bitus Naturæ victricis conamen est;
ac criseos loco, quam si aliò avocare
contendis, *putredo*, ac *suppuratio* ex-
pectanda illicò, funesta quantum!

XI. Totum ideò, ut quæ semel
dicta sunt, iterum repetam, concre-
dendum aderat Naturæ opus, cum
præsertim, quod moliebatur, confi-
ciundo muneri par illa foret, nec ad-
ministram Medici opem efflagitaret.
Advocanda utique quandoque erat
in auxilium Ars, quæ quidem copio-
sâ celebratâ semel, aut etiam repeti-
tâ, si vires tulerint, Sanguinis missio-
ne è cubiti Venâ, aut è Saphenâ,
ubi opus adesset, hoc uno plerum-
que subsidio *utramque*, ut ajunt,
paginam adimplebat, tum apparente
nondum, aut propè jam eminente
Erysipelate, tum etiam ipso jam adul-
to pene, nedum tamen remissâ peni-
tùs febri, aut alio quopiam adhuc
perseverante, quod urgebat magis,
fero, immitique Symptomate. Hæc
una aderat potiôr solertis Medici cu-
ra; Quod reliquum erat faustè id ce-
leritèrque absolvebatur quiete, victu
tenui, liquido, antiphlogistico, potu
simili, medicamentis diluentibus, &
refrigerantibus simul, vel singulari
dote acri specifico oppositâ præditis.

XII. Hostile namque acre illud
Austrinis flatibus elatum, quod idem
superioribus annis diras pepererat æ-
gritudines, id ipsum, si quid ego hic
judico, nedum subactum penitus,
diversi tamen generis particulis com-
mixtum, quas gelidus Boreas supe-
riore Autumno præmaturè adtulerat,
cruoris rubri arteriosi, inque minimis
cana-

canalibus stagnantis attritum efficere par erat, atque hinc *phlogoses* inducere, vel in finibus arteriosis, vel in vasis lymphaticis arteriosis, dilatatis osculis, admissos globulos rubros per fines transmittere non potentibus. Quidquid enim erodendo, crispando, adurendo vasorum extrema ita arctat in Conicis, Cylindricisve, ut diameter aperturæ fiat diametro Sphæræ Sanguinis minor; Quidquid cruorem aut lympham cogit ut coeat, aut eidem violentum motum præbet, quorum utrumque ab acriorum corporum præsentia explicari sat aptè potest; quemcumque id inflammatoriû morbum, Ignem, ut aiebat *Hippocrates*, aut *phlegmona*, qui omnes ob causæ, & effectuum similitudinem ab Igne nomen habent, gignere fatis est in minimis æquè arteriis, ac Lymphæ ductibus. Ut enim in cruore rubra, sic in lymphâ alia est forte pars crassior reliquis.

XIII. Quoties verò inducta semel stagnatio liquidi in vasis est, sive acre illud specificum, sive aliud quodcumque sit quod lympham aut cruorem cogat, finesque vasorum urat, erodat, aut distrahat; Acti adhuc ab superstite vitâ cruoris vis, eos ipsa effectus inducere par est, erupturi, aut propè jam erumpentis, aut erupti tandem Erysipelatis, aut phlegmonis proludia, ac incrementa: Arteriæ namque primò minutæ, vixque visibiles obstructæ jam à Sanguine distendente augentur; Hinc tumor ruber, sive prima Erysipelatis Scena. Vasa mox lymphatica arteriosa antea pellucida, & invisibilia eadem patiuntur; Unde augmentum rubedinis; Distenta dein vascula rupturæ propin-

quant in fibris minimis, ac valdè invicem compinguntur liquida, & solida; Hinc dolor punctorius, durities, renixusque partis adulto jam propè Erysipelate, adauctoque. Cætera hinc repetenda Phænomena, rubedo splendens, calor, æstus, debilitas, molestia, febris, ab attritu partium liquidi inter se in solidum, tum solidi in illas, ab rubro accumulato, ab irritatis fibris, ab celerius per aperta viarum acto sanguine, Mechanicis hæc eadem omnia legibus præclariora, atque illustriora.

XIV. Exorientis hæc adultique Erysipelatis proludia. Posteriores illius Scenam exegerat Natura, quod incæperat illa opus, absolvens. Id verò resolvendo potissimum assequabatur, qui idem lætissimus ac tutior modus est, quo morbi inflammatorii exire solent. Obque id præcipuè Artis Magistri, ac Principes Viri ab oleosis ac pinguibus, tum topicis, quæcumque ea sint, refrigerantibus, anodynis cavere jubent, ne aut pinguior factus humor, ac spissior, effusus idem, tum glutinosus magis suppurationi præbeat facem, qui alter modus est quo terminatur inflammatio; aut retropulso forte, inque parte affecta hærente adhuc atroque facto magis, *gangræna*, aut *Scirrhus* oriatur, tertius illa, hic quartus abeuntium inflammationum finis. Hinc ubi sæpè occulta manent Erysipelata, atque intima illa obsident delubra, in acutas, aut lentas ægritudines desinunt; Velocis eadem aut lentæ mortis causa, cum scilicet, aut in sphacelum, sive ut ait *Duretus* Subalpinorum Medicinæ decus eximium, in *Systrophem phlegmonicam* abeunt inflammatæ partes ut in typhiria febris, seu, ut
illam

illam vocat *Baglivius*, *Erysipelate* alvi; aut coacta eadem forte in glanduloso tuberculo iners materies in Scirrhum tandem degenerat, qui ut Sphacelo, gangræna, carcinomati idem, seu cancro à similitudine sic dicto, præludit inevitabili fato, ut in diuturnis obstructionibus glandularum contingere sæpè videmus, post assiduas febres neglectas, aut malè curatas, atque earum præsertim glandularum, quæ liquorem facilius inspissandum obtinent, vel ratione loci stagnare plus cogunt.

XV. Mihi equidem numerosam adeò tunc dierum latissimè oberrantium Erysipelatum cohortem vix ingruente hyeme extemplò editam adultamque animo reputanti, haud inanis utique metus subiit ne forte appetente Vere acriora facta spicula, sævientibus maximè atque unà invicem assiduo more inter se confligentibus Australibus, ac Borealibus ventis, dirioribus malis ortum præberent, ac incunabula, quibus jam tum proludere illa videbantur. Metuendum scilicet ne hujusmodi *Systrophes phlegmonicæ* intrà pulmones tandem, ceù in Principe Theatro subluderent aliquando; Statim atque hyberno exacto frigore, ac novo concitato tumultu in liquidis aptior foret præfatis, exoticis particulis aditus, quo intra eademmet liquida eâ, quâ pollebant diù, crudelitate sævirent; Notum jam tum scilicet erat perspectumque mihi, quàm mala cubaret in præcordiis labes. Nec vanum utique, atque inanem prorsus metù effecerat ventorum unà ludentium indoles; Utriusque enim flatus sæpenumero Subalpinis potissimùm exitiosi extitere, tum

maximè, cùm se se vicissim excipientes, atque alterno ludentes flamine varias, ac discrepantes inter se invicem alterationes aëris gignunt. Cùm verò aëreo hocce fluido nobis circumfluo, tum liquida, cùm solida æquilibrii perennitatem illius acceptam ferant, quo vita ipsa cæpit semel, ac servatur diù; Sitque inter duo hæc nostri corporis componentia, liquida nempè, & solida ipse aer veluti libræ *canon*, atque *examen* cui utraque parent, ac obsequuntur. Conspicua res est alterato libræ *canone* servatura eadem haud amplius esse instituti æquilibrii legem, ac proindè tot inter discrimina rerum jure meritò suspicari fas esse imminente propiùs vere nova oritura mala, quibus nigram facem jam tum præbuerant ludentia passim Erysipelata, tum pronus heù nimium hoc anno ad *Stasin* cruor, tum quæ *Epidemici primi Ordinis*; seu anni Principis Morbi dignitatem sibi comparaverant exortæ paullò ante Arcturum febres, quas etsi intermittentium plerasque morem servasse meminerim, quid tamen *Sacrum* ac re ipsâ ingens inesse iis, solertibus Viris jam tum visum aderat, perspectumque.

XVI. Sanè ut ab Erysipelatum narratione ad exaratas febres gradum faciam, exercitationibus utique haud imposuerant illæ, vel primo sui initio, quippe eam, quam prætulerant primo adspectu faciem, facile conjicere erat simulatam esse, subque eâ Larvâ, ac simulationis artificio magnum latere aliquid se se manifestiùs ostensurum aliquando. Enim verò cum nihil hujusmodi unquam superiore anno contigerit, eruere erat statum li-

quidorum toto jam penitus Cœlo discrepare ab eo, quem ipsamet liquida dudum obtinuerant: Ad *Stasin* scilicet magis illa vergere, eaque proinde præcavenda mala, quæ ab prono ad concretionem sanguine ortum ducere novimus. Atque hanc quidem novam rerum Scenam induxerat nova anni *Constitutio* apparente *Librà*, statim atque hiscere cæperant ab gelido *Aquilone* Septembri mense flatus, qui *diathesin Aeris* extemplo prope immutarunt.

XVII. Memini equidem me pluries tum temporis de iis quæ *Subalpinis* propè impendebant currentis decursu anni, ægritudinibus, sermonem habuisse cum celebrioribus *Artis Magistris*, quos eximiæ mihi laudi foret debitâ honoris præfatione singillatim recensere, si prolixiorem me esse sine-
ret dicendarum rerum magna seges, ac dignitas. Edoctum fecerat ante acta superioris anni *Constitutio*, quæ ab sanguinis fluore, quæ ex adverso ab eodem ad fixitatem ac lentorem properante, quæ rursus ab hac vel illa æris crasi timenda magis, ac prævidenda sunt. Ecquid autem perspicuum magis, quam ab tendente ad concretionem *Sanguine* ea quidem prænoscere, ac prænunciare, quæ ab minus velocitramite progredientibus liquidis, hinc ab consueto eorundem more abludentibus solidis necessario subsequi, atque expectanda esse *Mechanicæ* nos leges docent, quibus tum liquida, tum solida inter se invicem eleganti ludunt spectaculo? Ut exacto anno prodierant mali ingenii febres, tum quæ sub iis merebantur spasmodicæ ægritudines cæteræ, illæ ab sanguinis fluore ortæ, hæ ab exoticarum parti-

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

cularum spiculis, quas unâ secum invexerant dirè, ac diù sævientes *Austri*; Novâ modò rebus inductâ facie à priori diversâ prorsus, nova quoque morborum proles caput extulit, quos anteire, ac ceu prima acies celeritate vincere visæ fuerant recens enatæ *Autumno* febres. Tantum scilicet adhuc intra liquida res erat brevibus circumscripta finibus, propagatâ nondum ad solidas partes labe. Et sanè ut parva sæpè scintilla magnum excitavit incendium, novæ hinc, totque ortum duxerant ægritudines, quæ omnes quidem ab uno fonte progerminarunt, unâ omnes, ac eâdem methodo profligandæ, etsi pro diversâ, quam induerant, larvâ inter se invicem differre quodammodo videntur.

XVIII. Enim verò si præfatas febres attentius expendit quispiam, si harum ortum, ac incunabula, morem, ingeniumque, otiosè singula, & consideratè perpendimus, atque hæc omnia in animo verè cogitamus, nullam prorsus illas inter ac febres intermittentes, ita vulgò dictas, originis affinitatem comperimus. Sic quidem illas vocare lubet ab intervallo paroxysmi interjecto, ut morem *Præcticis* veteribus geram, quibus olim appellationes febrium, quibus dignoscuntur, à quâlibet sanguinis alteratione, vel symptomate particulari desumere satius visum fuit, quæ diversæ speciei febribus pari jure possunt competere. Quidquam tamen inesse iis peculiare, arcanæ anni *Constitutioni* referendum, nilque penitus cum intermittentibus vulgò dictis commune, aut hisce proprium tum ipsa febris indoles, tum quæ sub illâ ludebant per

G g g hye-

hyemem Erysipelata, ad quorum ad-
spectum sese illa toties abscondere visa
est, tùm quæ deinceps proximo Vere,
ac æstate sese prodiderant ægritudines
apertè satis ostenderant. Nec quid-
quam vetat *Erysipelatosas* nuncupare,
ant si mavis dicere, *Igneas*, ab uren-
te sensu caloris, inductâ in liquidis
stasi; *Hemitritæos*, sive *Semitertianas*
dixere Veteres, de qua febre doctif-
simum vide *Duretum*, in *Coac. &*
suum, quem ita benè commentatus
est *Divinum Senem* 1. *Epid. com.* 3.
aph. 5. Neque enim abs re erit hæc
febres concipere, ceù accensionem
quandam erysipelatosam cruoris ad fi-
xitatem vergentis, qui idem statim ac
perflantes Austri rarefactum magis
aëra effecere, ante acti lentoris vesti-
gia in hac, vel illa externâ corporis
parte deposuit; Ubi verò denuò his-
cente Boreâ constrictus magis, con-
densatus ac compressus aër evadebat,
docente Barometro, eadem iterum
redibant febres, intra ipsamet liquida
rursùs sese condente igne; Qui idem
aut Phrenitides plerumque, aut fune-
stas huc illuc *systrophes* ludens pepe-
rerat.

XIX. Ac revera intervallum illud
Paroxyfmi interjectum larva erat, seu
simulationis integumentum, quo in-
cautiores aliquandò hujusmodi febres
fefellerant. Cernere erat in hoc apy-
rexiaë statu, si modò ita dicere fas est,
ægros non ut mos est in cæteris fe-
bribus, penè omninò sublevatos ple-
no inter duos quoque paroxyfmos
intercedente intervallo, ast potiùs
vexatos penè dixerim magis, anxios,
pervigiles, siticulosos, ore, oculis,
ac fronte turbatos; Pulsus aderat par-
vus, humilis; urina impensè rubra;

tensivus capitis dolor, dirus, ac im-
mitis prorsùs, æquè ac sub ipso febris
statu, ac incremento; Nullus quoque
tùm accensionis initio vomendi cona-
tus, aut ullum vel levioris nausæ
vestigium, quod hærentem in primis
viis mali fomitem ostenderet, quàm
citissimè removendum; tùm declinan-
te paroxyfmo emergens sudor, quo
apparente solent intermittentes febres
per vices desinere. Summa namque re-
rum, ac potissima morbi causa ab
Phlogisticâ liquidorum crasi, ac pro-
indè turbato eorundem progressu re-
petenda erat. Quod quidem probè
distinguere, tùm probè noscere opus
aderat, ut inde curativæ indicationes
ritè dirigerentur; Aliter exulcerabatur
magis res, stupente Medico, ac morbi
malignitatem perperâ accusante. Neq;
etiam, ne quis me immemorem prorsùs
credat, ac rerum, quas sub oculis habui-
mus nuper, oblitum, eadem aderat sin-
gulis æqua rigoris accessio. Quidam
enim exiguo horroris vestigio; Ple-
rique valde sensibili rigore corripie-
bantur. Non nullis primo tantum
accessu, ac febris aditu, haud pau-
cis ad singulas accessiones, ac vi-
ces idem rigor, ac horror super-
venit. Horum plurimi toto appa-
rentis Apyrexiaë decursu molesto
quodam frigoris sensu detinebantur,
pulsu vix elato, ceù exquisitâ ter-
tiana laborantibus aliquot ante acces-
sionem febris horis contingere solet.
Quidam etiam properante ad exitum
morbò, unâ cum judicatione majori
horrore obriguere. Sæpè id latentis
diù vomicaë inopinatò disruptæ præ-
ludium extitit; Autumno quidem,
ac per hyemem omninò pauci: Ve-
re, ac æstate longè plurimi. Vix quem-
quam

quam novi absque sanguinis è nari-
bus, aut ab hæmorrhoidalibus venis
profluvio sanatum. Utrique horum
conturbata sæpe alvus prolusit, aut
quod inchoaverant opus, absolvit.
Quibus nihil hujusmodi obtigit, Phre-
nitide per hyemem, ac Veris initia
correpti sunt, quorum neminem ser-
vatum vidi. Orto autem Vere ple-
rique lætâ pulmonem suppuratione,
dummodò in docti, ac solertis Medi-
ci manus inciderent, incolumes eva-
sere. Quæ quidem sequentibus ægro-
rum recensitionibus illustriora efficere
pergam.

Æger Primus.

Sutoris Uxorē, propter Regias Ar-
chigymnasii Ædes degentem, quas
superioribus annis vix confecto bello,
Magno ac Rege digno sumptu è fun-
damentis erexit, atque hoc ipso Anno
MDCCXX. XIII. Kal. Decembris
festissimâ pompâ, omnique lætitiæ
apparatu, Musis referavit INVIC-
TISSIMUS REX, ignis ut *Hippo-
cratis* verbo utar, hoc est vehemen-
tissima febris cum rigoreprehendit.
Huic inter exordia intentus capitis
dolor contigit, lumborumque, ac
præcordiorum dextrorum, quæ qui-
dem mox fluentibus mensibus allevata
sunt. Sexto die rursus suborto rigore
exasperata sunt omnia. Somnia non
aderant, extremâ frigida, pulsus par-
vus, sitibunda erat, adusta alvus pau-
ca demittebat. Septimo pulsus elatior,
urinas reddidit impensè rubras, levius
habuit. Octavo rediit rigor, capitis
lumborumque dolores intensi magis,
lingua sicca, urens, fuliginosa. No-
no quievit; Undecimo sub noctem

conturbata est alvus, multaue pro-
diere cum biliolo affluxu. Decimo
quarto perturbatâ iterum alvo perfe-
ctâ judicatione adsoluta fuit.

Æger Secundus.

Mulierem quamdam gemellas la-
boriosè enixam, cum non admo-
dum partus purgamenta processissent,
primû quidè febris corripuit horroris
sensu haud exiguo; Mox capitis, &
cervicis gravitas non sine dolore te-
nuit. Postridiè molestè habuit, non
dormivit. Tertio die repetiit unâ cum
rigore febris, pulsu parvo, humili
prorsus, abjecto, præcordiorum an-
xiètatè magnâ, siti multâ, inordina-
tè quidem, & inconstanter perturba-
tâ, rursusque consistente alvo. Septi-
mo paullo elatior pulsus; sub Vespere
febris rediit, exiguo præludente
rigore. Octavo lochia repentè fluere,
atque uno, eodemque temporis mo-
mento latis pustulis subrubris scædari
visa cutis, quæ ad tertiam usque vi-
cem sese ostenderant, condebantque
vicissim. Capitis mox, ac cervicis do-
lor remiserat. Quievit. Undecimo
copiosè adhuc fluentibus lochiis inte-
grè convaluit.

Æger Tertius.

PRæsul dignissimus, qui juxtâ Dia-
næ Templum, nunc Sacram
Confraternitatis Sancti Spiritus ædem
decumbebat, febris acuta correptus est
cum rigore. Lingua resiccata erat,
siticulosus, bile abundans, somnium
non cepit. Postridiè vix horum vesti-
gium aderat. Tertio, quinto, ac septi-
mo per vices repetiit febris unâ cum

intenso dolore capitis, qui interjecto paroxyfmi intervallo augebatur magis, quin etiam vix elatus pulsus toto Apyrexiaë tempore percipiebatur. Nono in sinistro femore splendens rubedo apparere visa in Orbem veluti, ceu lata macula paulò supra femoris articulationem cum Tibiâ, quæ citò priorem deferens locum in superiori femoris parte sese prodidit, mox in ejusdem lateris Tibiâ haud longè ab malleolo interno, Thaleri Imperialis magnitudinem haud multum superans, *Erysipelas volaticum* appellant. Decimo quarto copiosa è naribus hæmorrhagia superveniens morbum feliciter absolvit. Huic alvus ab initio continenter biliosis liquidis multis diffuebat, aut si consisteret, fervida, & cruda dejiciebat. Urinæ per totum morbi decursum rubræ admodùm sublimè quid in medio suspensum habentes.

Æger Quartus.

Nobilissima Mulier, quæ prope Collegium Patrum *Societatis Jesu* habitabat, ubi filiam enixa est, nec purgationes irent, eam tertio die acuta febris cum horrore corripuit. Octavo deliravit, statimque ad intelligentiam rediit. Undecimo per intervalla soporis quâdam specie detinebatur. Sub noctem extrema paulùm perfrixere, sed mox recaluit: Mente non nihil mota est mediâ nocte: Duodecimo sub tempus matutinum latenter obiit. Aperto cadavere plurimum grumosi sanguinis in cavo uteri repertum, tùm vasa quæque uteri sanguinea distenta valdè, ac ferè varicosa; Intestinarum externa

facies atro suffusa colore; Hepar prægrande admodum. Potissima verò mortis causa in dextrâ uteri tubâ sese prodidit, ubi disrupti recens tumoris vestigium aderat, ac inundantis adhuc materiæ albæ, fædæ, teterrimæ. Plura mihi quoad morbi historiam, tùm anatomicam cadaveris administrationem scire haud licuit ab Medicis, qui tùm curationi, tùm sectioni intererant. Sanè ejusdem, ac reliquæ, quæ tùm temporis sæviebant febres, indolis hanc fuisse, quâ nobilissima Mulier fato cessit, fidem fecerat indubia *Archigenis* conjectura, tùm quæ illam sequebantur Phænomena, tùm quæ in cadavere obviam venerat puris copia, disruptus Tubæ abscessus, vasorumque per uteri substantiam repentium varicosa tensio, ab lentescente cruore, unde phlogistica primùm labes, mox suppuratio ortum tulit.

Æger Quintus.

Adolescens tùm illustri stemmate, tùm morum candore, ac probitate præclarus, qui propè Templum *B. V. Angelorum*, decumbebatur cum ejusmodi Erysipelate, cujus supra memini *ægroto tertio* per Autumnum laborasset, quo crura modò, modò pubes, ac finitimæ Scroto partes infestabantur; Mox auriginosus exemplò factus, acutâ dein febris; extremâ hyeme, quæ cum exiguo rigore primùm, mox absque ullo rigore per vices repetiit, correptus fuit; Pulsu vix elato, qui idem per totum morbum permanerat, magnâ capitis gravitate, siti ingenti, adustâ alvo. Quod postremum quidem in omnibus ferè hujus-

hujusmodi febribus ægrotantibus adnotare erat. Reliqua, quæ ad morbi decursum pertinebant, cum ea distinctè unquam scire mihi concessum haud fuerit, reticere magis lubet quàm exarare. Sextò ingenti oborto stertore celerrimè periit, enatâ fortè, ut ego suspicor, ac propagatâ ad pulmones labe, quæ tùm per hyemem simulatè incedens proximo mox Vere larvam abjecit.

Æger Sextus.

Jurifconsultum juxta *Theatinorum domum*, quâ ad forum itur Olitorium, febris à cœnâ vehemensprehendit; Noctem laboriosam transegit. Postridiè per totum pedem ad talum usque tumor subruber, ac tensus valdè apparuit, cujus in centro atrum quid aderat, ac subnigrum. Infantiâ correptus est; Ex alvo merè biliosa plurima processere. Paullò post convulsionibus à capite subortis celerifato interiit. Ingenii erat tetrici admodum, atroque vultu, abque hominum confortio omninò alienus, ceu *Misanthropos* alter.

Æger Septimus.

Pari quoque etsi veloci minùs facto sublatus est piissimus Sacerdos *Congregationis Oratorii Divi Philippi Nerii*, mihi amicissimus; Is cum initio hyemis diro cruris Erysipelate laborasset, paullò post, medio scilicet Januario desipere leviter cæpit, mox in furorem repentè agi unâ cum febris acutâ stasis vicibus repetente. Urinæ aderant pallidæ, decolores, tenues, atro quodam in iis

suspensio, quod in acutis plerumque morbis Phrenitidem præfagire solet; Oculi protuberantes, trucesque; Facies tetra, vultuosa, horrenda adspectû; Lingua nigra, pulsus durus, respiratio rara, & magna; fæces albæ; collectio floccorum. Præcesserant hisce somni turbulenti, Stillicidium narium, oblivio subitanea, alvus suppressa diù, ac mæror ingens tùm propè imminentis, tùm præsentis mali præludium idem, ac comes. Rogatus ego unâ cum Parente meo, ut ægrotanti opem præberem, ejus sententiâ, & auctoritate nihil præsentaneum magis visum fuit, quàm ea citissimè validissima remedia adhibere, quibus tolli posset inflammatio ad cerebri arterias orta; Missiones nempe sanguinis repetitas, diluentia ex decoctis antiphlogisticis, nitrosis affatim exhibita, pediluvia, Epispastica, Cucurbitas, clysmata, & his similia, quibus ex voto obtigit ferocitatem morbi compefcere, apparente iterùm ad crura Erysipelate, cujus præsentia, ceu læto enitente sidere exarata symptomata quæque mitiùs extemplo laceffere, ac dein sese subducere prorsùs visa sunt. Hæc unanquamque salutis spes erat materiam morbificam, ut cum Practicis loquar, in parte Principe dirè ludentem, quam vincere prorsùs haud poterat Ars, ad crura revocare, quò illa primum erroris sui notam reliquerat. Atqui evanescens brevi recens ortum Erysipelas, omnemque deindè eludens Artis opem sævioris mali omentulit. Facta namque ad pectus indomiti humoris metastasi, inque exiliipulmonum membranâ, ac tenellis vasorum reticulis obortâ phlogosi,

lethalis Peripneumonia impedito sanguinis trajectu successit, quæ nullum faciendæ ampliùs Medicinæ locum reliquit. Nil melius *bonâ crisi*; Nil pejus, & mortiferum magis, quàm prava metastasis, vel egressionis progressus ad pessimam *Epigenesin*. Mala enim orta magis gravissima inferunt mala, quæ sunt veluti soboles quædam tum *Phlegmones*, tum qualitatis malignæ, & partium oppressarum.

XX. Atque hæ sunt selectiores Ægrorum historiæ eâ, quâ passim in adversariis festinante calamo exaratae fuerant, styli perspicuitate, ac brevitate, quòd in historica narratione potissimum expetitur, conscriptæ. Quæ quidem haud exiguam lucem afferent, tum iis quæ superius attuleram, tum quæ adhuc dicenda manent plura, per Autumnum, ac hyemem gesta, perque totum dein currentis anni decursum. Enim verò, ut de harum postrema tantum eloquar, quantum ab hac una lucis in morborum successibus dignoscendis, præcavendisque, quam sibi illustrandam, exornandamque Spartam constituerat seriore Libitinâ dignus Illustris *Baglivius*; Quantum inquam lucis, claritatisque eniteat nemo non videt. Equidem magna hæc est Sapientiæ laus morborum conversiones, non leves illas utique, & parvi momenti, quæ frequentissimè occurrunt, & succedendi progressum, ac normam constantem servant, at quæ vel solertioribus sæpè negotium facessunt Viris, futuras nosse, ac velut è specula prævidere; Sæpè hinc novum orientem, aut recens ortum morbum vel ipsa inter exordia reprimere contigit auspiciatò.

XXI. Timendas morborum successiones scitè non minùs, quàm doctè admonuit ex *Galeno Ballonius*, ac diu olim, qui utrique præluxit, Magnus Artis Dictator *Hippocrates*; Timendas utique, atque eò magis considerandas, quòd hæc inter conversiones, ac transmutationes morborum multa passim symptomata contingant, quæ bonis, & eruditis Medicis ob similitudinem, & fallaciam sæpè imponunt, & novi morbi tamquam rediviva soboles, ex aliis subindè consequantur, atque repullulent. In universum verò calamitosior est morbus, qui alteri succedit per metastasim materiæ morbificæ in Partem Principem fractis jam viribus. Nemo namque dubitat, quòd materia prioris morbi mitior sit, quàm secundi per metastasim nati.

XXII. Nec difficile erat conjicere tot inter nova orta mala imparem, ac propè effætam Naturam haud posse ampliùs diu ludentis impetum eludere, illius vim, feritatemque compescere. Simile quid olim Panormi obtigisse memini Præclaro Equiti *Triremium Præfecto*, cui ad tertiam usque vicem enormem *Tragœdiam* dirum luserat in crure *Erysipelas*, totidemque illud vicibus gravior alter morbus exceperat, quò tandem, nùm auxiliatricis Artis ope, an Naturæ potiùs victricis auxilio incertum adhuc, utriusque saltem beneficio, conturbata spontè alyus, tum copiosa contingens ab hæmorrhoidalibus venis sanguinis evacuatio, desperatam jam penè rem opportunè restituit. Nihil autem hujusmodi, quidquid molita fuerit Ars, Piissimo Viro contigit; Errabūda namque materies vix erroris monu-

monumenta prodidit; Magnum profectò lentoris argumentum, quo ceu compede obstricta liquida haud poterant amplius in libertatem adigi, ac certanti Naturæ obsequi. Neque enim Criseos loco erat, aut imparem potius Naturæ conatum ostenderat recurrens ad crura Erysipelas, quod lethali tandem Peripneumoniæ *lampada* præbuit; nil namque paulum criticum unquam. Pro morbi verò magnitudine impar heu nimis aderat Erysipelatis in crure vestigium; Ita *Temeni Nepti* (a) apud Senem Magnum, in acuta, & magnâ febre metastasis facta est ad digitum, & mortua est, *cum non sufficeret ad suscipiendum* exigua adeo pars, quidquid expellere Natura tentaverat. Cœperat ipsa quidem, nec potis fuerat inchoatum motum absolvere, infausto prorsus judicio, exituque infelici: Ceu cum exhibitum olim venenum post multos annos, de repente exorto in parte aliquâ externâ dolore homines celeriter extinguit. Atque tunc ego quidem cum recurrere vidi Erysipelas absque ullâ aliâ manifestâ crisi, dirioris mali omen adstantibus haud sine magnâ Artis laude prænunciavi (b) *Avicennæ* consilio edoctus, cujus utique fraudis, & inemendabilis doli infinita propè exempla legere est apud *Hippoc.* & *Galenum*, aliosque Medicinæ Principes, atque Antesignanos. (c)

XXIII. Dignaque fanè quæ attentius expendatur, hæc ipsa aderat tot invicem morborum conversio, atque

successio. Erysipelati namque, quod primùm in crure proluserat, Phrenitis successit, hinc alterâ vice Erysipelas, atque huic postremò Peripneumonia, quâ tandem vitâ defunctus est æger. Totidem malorem successio- nibus totidem quoque cernere erat ludentis unâ tempestatis mutationes obsequi. Cum primò enim Erysipelas præluxerat, Austrina Constitutio vige- bat, quæ ad plures dies propè appetente Solstitio perduravit. Successerat hinc gelidus mox ab Aquilone flatus, ac tùm quidem in Phrenitidem factus est transitus. Dein ve- rò repetentibus Austris, Erysipelatis iterum in crure vestigia graviori morbo prælusere; Novo namque induc- to repente frigore, Borealium ven- torum afflatu, postremum Tragœdiæ actum absolvit inopinatò oborta le- thalis imâ intrâ præcordia *Systrophe*, quâ tunc dierum plures celeriter è vita migrarunt, atque hos inter Se- nes potissimùm, tùm qui serosâ ad pectus colluvie conflictabantur diu. Tot scilicet malorum transmutationes ab diversâ Aëris Diathesi, quod *Di- vinum* illud est, ac reverà Sacrum Mortalibus, proficiscebantur, impen- dentium morborum proludia, ac in- crementa.

XXIV. Propè namque imminebat prævisa diu nova malorum Soboles, quorum præcipua Scena intrâ Tho- racis delubra parabatur. Prodire qui- dem jam tùm per hyemem cœperant exitiales pectoris ægritudines, at er- rantis potius in morem nedum aufe- rant

(a) Sect. 1. lib. 2. Epidem.

(b) 2. 4. tract. 1. c. 29.

(c) l. 4. Epid. tract. 81.

Id. l. 3. Epid. tract. 2.

Id. l. 1. Prorrhetic. sect. 2. com. 17.

Petrus à Castro sect. 4. §. 44.
& seq.

Bagliv. Pract. Med. lib. 1.
pag. 51.

rant adhuc sese palam, apertoque Marte prodere. Nondū enim larvā abjecerant penitus exortæ Autumnō febres; Quin imō attollere hæc magis caput properante Vere visæ sunt, novo recens, atque acerbissimo oborto frigore, quod luctuosam rerum faciem ipsa inter Veris exordia reddiderat. Denso hinc agmine visæ foras erumpere Arthritides, Hemicrania, Angina, atque una cum toties exaratis febribus ultrò, citròque ludere, quibus illæ ceu ingruente hyeme Erysipelata, ac Epidemici inferioris sublellii famulabantur. Uno in Monialium Cœtu *Divæ Mariæ Magdalena* omnes ferè Vestales anginâ correptæ, extremos morituræ hyemis conatus dirè pertulerant. Quidam quoque è Civibus, cum magis ingravesceret frigus, repentinâ morte sublatis sunt. Quosdam etiam memini hosce inter tumultus repentè insanientes, quibus nil tale unquam contigerat. Plerisque ulcera per hyemem prodire maximè in pueris, & præcipuè pedibus, digitisque eorum, nonnullis etiam in manibus. Rubor cum inflammatione mediocri aderat. Haud paucis pustulæ oriebantur, dein exulceratio, Prurigo modica, dolor ingens; Multis humor exibat, sed non admodum, qui referre, vel pus, vel saniem videbatur. Dira æquè iis quoque extitit hyems, quos diuturniores ægri tudines dudum vexaverant; Plerique horum namque ad interitum justo celerius forte properarunt, atque hi potissimum, qui Scorbutō, Phtysi, aut Hydrope laborabant dudum. Hos inter Scorbuticis præcipuè frequentissimæ obtigere hæmorrhagiæ lethales ex ipsa

cute externâ non apparente vulnere, quod, mirabile dictu, observatum fuit in Pictoris filio septenni propè *Collegium Nobilium Patrum Jesuitarum*; In Cauponis uxore ad *Forum Carolinum* jam quinquagenariâ propè, tum in Quæstoris famulo haud longè ab *Foro Castri* dicto; Potissimum verò ex labiis, gingivis, ore, naribus, utero hujusmodi excretiones obtigerant. Memorandum Mulieris exemplum adhuc subit lethali hujusmodi ex raninis venis hæmorrhagiâ brevi temporis intervallo peremptæ. Cæperat illa diu olim Scorbutō dirè vexari innupta adhuc. Nupta dein sævius per vices recurrere sæpè malum consueverat, quod quidem ingravescere magis, ac *vires acquirere eundo* ostenderat difficilis magis, anhelosa, ad motus vel paucos ferè deficiens respiratio; Dolores varii, ac vagi per omnes internas, externasque corporis partes mira producentes tormina Colica, Hysterica, Iliaca; Rubræ modò, modò flavæ, ac violacæ maculæ in cute apparentes; Crurum tumor accedens, recedensque; Oris fætor; Gingivæ tumentes, adque minimâ pressionem evomentes cruorem; Dentium vacillatio, ac nigredo; Quodque funestissimum aderat, varicosi annuli ad raninas venas, quibus inopinatò referatis lethalis oborta est hæmorrhagia, cui obsistere nulla Ars potuit unquam. Huic Soror aderat, quæ atrocibus æquè conflictata malis haud absimili prorsus fato biennio ante vitam cum morte commutaverat. Utrique harum cum tenellâ adhuc ætate forent dira scabies, ac improba ulcera futuri incrementa mali præluserant, quibus sicca dein ac lenis Elephantia-

phantiasis successit.

XXV. Horum alteri, quos tùm temporis repente è vivis sublato memini, latæ admodùm maculæ, ut ab Chirurghi ore didici, qui inspiciendo cadaveri accitus fuit, ut quæ celeris adeò, citæque necis causa fuerit ad eos, ad quos id spectat, renunciaret; latæ inquam admodùm maculæ in universo corporis ambitu conspiciantur; colore violaceo, ac ferè subnigro, tùm quæ præfertim præcordia, cruraque, ac totum vertebrarum tractum occupaverant. Magnæ id quidem inductæ in liquidis stagnationis monumentum. Id namque est exiguas inter, quas *exanthemata* Græci vocant, ac latas maculas discrimen, quòd illæ fusionis, (a) ut superiore anno adnotavimus; hæ coagulationis potiùs, ut ajunt, præludia sint, quod idem mihi assidua per sexdecim ferè annos apud Subalpinos praxis edocuit. Illæ febribus continuis, mali moris, exitialibus morem gerunt, hæ diuturnioribus passim malis, ac Scorbuto potissimum facem præferre visæ, tùm persæpè etiam repentinam mortem prosequi, aut illi proludere, ut in repente denatorum Cadaveribus cernere est aliquando. Illæ rursùs rubræ magis occurrunt ob tenuiores quas effusus ab arteriarum osculis cruor dimiserat, profugas, ac diffugientes hinc inde partes; Hæ verò subnigræ, ac sublividæ prorsùs ob fixiores sanguinis particulas venarum extremitatibus hærentes, ut ait *Willisus*. Illæ sanguinis Phænomena coire amplius haud potentis, hæ futuri, ac propè imminentis lentoris exordia. Hæc inter postremas, quæ sublividæ sunt, proli-

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

(a) *Constit. Epid. 1720. pag. 64.*

xioribus illæ malis, quæ nigræ verò subito, aut celeri fato præludere solent. Nuper desideratus omnibus, dum hæc scribo, celeriter obiit Amicus meus, qui ad novum Urbis ambitum *apud Portam Secusinam* habitabat, cui perquam latis hujusmodi maculis summo quodam manè, cum aliàs sanissimè degeret, interstincta illicò cutis apparuit: Vespere cum ad coenam lætus accederet, è vivis repente excessit. Nuper etiam diuturno confectus morbo ad plures abiit Piissimus Vir propè Templum *Divi Francisci de Paula*, cui biennio ante sublividæ maculæ Veris initio, mox sædus Icterus nullâ proludente febre inopinatò obtigit, prædurius diù, ac tensis admodùm Hypochondriis; Aperto Cadavere vel minimam bilis copiam in cystide, ac nigerrimam prorsùs, atramenti ad instar observavi. Idem olim in mortuis derepente adnotavit *Fernelius*.

XXVI. Atque hoc quidem sensu ajebat *Duretus*, livores pejores esse quàm nigredines, in Chronicis nempe affectibus, ubi illæ è malis veniunt per mala; successione veluti, ac conversione unius morbi in alium; metuenda quantum. Secus utique in acutis, in quibus *palindromes*, ac *gangrænæ* propè jam factæ indicio nigredines sunt. Sive verò sublividæ, sive nigræ sint ad cutim maculæ; Utrisque diuturna jecoris ægritudo aut vehementissimus dolor præludere consuevit. Hinc sublividis potissimum Icterus sæpè, aut illæ Ictero fatali proludere. In hac ego Icteri specie ab visciditate, & ab amurcosa bilis qualitate ortâ tartareis, veluti pro secreto, uti soleo, & aquâ Nucelianâ Sa-

le admixto prunellæ, repetitâ per duas, vel tres vices purgatione alternis diebus ex Rhabarbaro, quod olim jure meritò *Patrem Hepatis* ob' specificam ejusdem ad plerosque Hepatis affectus curandos virtutem dixere *Arabes*; Deinde ad Serum lactis veniendum cum marrubio bullitum, & singulo inanè calidè dandum; Quod si nimiùm fuerit amurcosa bilis circa jecur impacta, aut magna ejusdem viscidæ, nigræque prorsus copia, addi poterit cum sero in maceratione drachma una hellebori nigri præparati alternis diebus vel cochlear unum, aut alterum *Syrupi cachectici Fernelii* cum helleboro, qui syrupus magnarum est virium in Chronicis; Et demùm omni bile hac methodo expurgatâ, (hic primus curationis scopus prudentis Medici esse debet) chalybeata, & roborantia usurpanda, nunquam infelici successu.

XXVII. Neque enim raræ omnes Icteri species tantùm, quotquot recensentur à Practicis, tùm hujusmodi exarata modò, cui sublividæ sæpè maculæ anteire solent, sed Chronici ferè morbi omnes ab malè affecto Hepate ortum habent. *Tantæ* scilicet *molis* adest hæc una haud immeritò Princeps pars inter cæteras, quas præclaro quodam munere in œconomiâ animali fungi novimus; Ut contabescant hæc sensim necesse fit illâ laborante, ac pereant tandem, ni ab imminenti exitio quàm citissimè tueatur. Hystericis, Calculosis, Colicis, Scorbuticis, Lienosis, Asciticis, Tympaniticis, ac innumeris id genus aliis nunquam observatum incolume hepatis, quin imo ab hoc uno malorum

fomes, ac origo sæpè repetenda, obstructo scilicet, inflammato, aut schirrhoso, quæ tria duritatis nomine vocat *Hippocrates* (a); Quod autem horum aderit, stercorosæ dejectiones ostendunt.

XXVIII. In hac perturbatione rerum, totque inter exaratas ægritudines diuturnas, quæ impendente Vere, aut ægros ad interitum celerius fortè quàm par foret, ducere, aut exacerbari magis visæ fuerant, obviam veniunt peculiare Virginum affectus, qui, si dirè crudeliterque unquam, tùm per hyemem maximè erga infantes Puellas tyrannidem sævissimè exercuere, ab copiosiore liquido iidem potius stagnante, ac pressis nimiùm proinde vasis orti, quàm ab effæto eodem, pravo, ac vappido, ut etiamnùm ferunt exercitissimi Viri. Proderat hinc iis magis, quàm celebriora quæque chalybeata usurpari solita, iterata venæ sectio in pede. Ipsa dein vasa à plethora nimis debilitata adstringentibus opportunè roborando, ac confirmando. Quibus confestim ad Martialia properatum est, magna iis repentè excitata Phlogosis graviora intulit mala. Ars quippè erat iis consuetam Artis opem haud adhibere, quod quidem ab Constitutione Anni ediscere est, ejusque Principis ingenio Morbi, cujus imaginem sæpè etiam referunt diuturnæ quotquot eo tempore sæviunt ægritudines cæteræ.

XXIX. Haud paucæ quoque Mulieres visæ fluore albo per hyemem laborantes, tùm subsequenti potissimum Vere, ac Æstate; Atque illæ quidem præsertim, quæ hystericis olim

olim insultibus vexari consueverant. Ars quoque iis erat non equidem effæto, pravoque cruori suæ restituendo indoli, non fermento ulli uterino emendando, aut exaltatæ bili demulcendæ incumbere, aut erodentibus salibus coercendis, inutili remedium apparatus; Ast potius, ut ego arbitror, profectum ab universali causâ malum, antequam radices ageret, aut adhæresceret magis, elidere; Radicatum verò si quod foret, ac missis stirpibus firmatum proprio in solo, ac delubro reprimere. Utor ego frequentissimè in hoc morbo, quo potissimum Nosrates Mulieres laborare solent, ter quaterve purgato corpore (si hysterica fuerit bis purgasse suffecerit) injectione alicujus liquoris appropriati.

XXX. Quod ad hujus fluoris scaturigines attinet, in obscuro adhuc res latet. Nemo sanè, quod sciam, acu illam tetigit hætenùs. Crediderim ego haud aliunde petendas esse illas, quàm ab iisdemmet mensurorum fontibus. Nec profectò ab verosimili prorsùs aliena hæc hypothesis est. In quotquot enim, quæ hujusmodi profluvio diù laborantes è vitâ migrarunt, nihil in utero comperum memini, præterquàm feri aliquod in ejus fundo effusi, quodve adhuc exiguâ copiâ premente digito ab hiantibus fortè vasorum orificiis guttatim profiliebat, ceù in iis quoque intueri est, quæ inchoante fluxu menstruo, aut penè jam peractò, defunctæ sunt. Quammobrem ut satis est ea foramina, per quæ uteri sinus cum hujus cavea communicare Clariss. Viri observarunt, propè imminente menstruo fluxu à vi erumpentis sanguinis tantùm

diduci; quò sanguis subindè effluat periodo nulli ignotâ, desinens idè fluere, mox ac imminutâ vi, tùm quantitate liquidi, quæ unica est periodici ejusdem fluxus potissima causa, sese contrahentibus circumjectis fibris, exarata foramina occluduntur, aut saltem tantùm patent adhuc, quantum satis est exiguo sero jugiter transmittendo, quo uteri cavea humecta fervetur. Ita laxatis fortè fibris, aut iisdem à nimio sanguinis affluentis impetu debilitatis feri fluxum contingere puto magis, aut minus diuturnum, quò major, aut minor est fibrarum laxitas, quove magis illæ aut minus sese restituere queunt, inque proprios systalticos nisus consurgere. Rarò, ac vix rarò quidem puellas, aut virgines hujusmodi affectu correptas memini, sæpè equidem nuptas, tùm quas hysterici insultus frequentissimè laceßere consuevere; Plerasque etiam novi ab difficili partu in hanc ægritudinem incidisse, non nullas post assiduam uteri hæmorrhagiam; Neminem unquam quinquagenariâ majorem, aut quibus menses defecerint. Quam facile verò laxari vasorum uteri fibræ, quàm levi de causâ ea foramina diducta semel haud occludi penitùs dein, quàm celeri tramite per tot implicatissimos uteri sinus affluens liquidum, tùm gravitate suâ, tùm fortè etiam copiâ, uteri vasa distendere, villosque delere repetitis arietationibus, & gravitationibus queat, neminem latet! Obscurior res est quænam illa sint, quove more se habeant exarata foramina, per quæ ab erumpentis sanguinis impetu diducta leviter, aut diducta semel, nondum penitùs occlusa ampliùs, tùm mensurâ evacuatione

tione cruor, tùm ferum diuturno fluxu secedit. Nùm villi illa fortè arteriarum uteri evanescentium, seu venarum ejusdem primò nascentium, vel earum limites? Sed de his pro instituto factis. Ad Arthritides modò, Hemigranias, Anginas, quæ ruente ex alto Boreâ Veris initia præcesserant, mea sese convertit Oratio; Ne quid per hyemem gestum prætermittam. Neque enim tantùm juvat delibare rem, sed & amplius lubet excurrere, quo ve illa omine præluxerit, aut obtigerit, expendere.

XXXI. Una eademque aderat harum omnium ægritudinum curationis ratio, si modò ad Principem ludentem affectum mentis acies dirigebatur. Sive enim ad fauces, sive ad artus, sive ad involucra cerebri, sive ad oculos, (Ophthalmiæ namque plurimæ sub id quoque tempus proluserant,) præcipuam ageret Scenam Morbus; Unus idemque erat vincendus hostis, idem omninò curandi scopus in singulis, idem pariter, si ab hoc quispiam Medicorum tantisper abluderet scopo, expectandum ægro- tantibus fatum, *Ostendit autem sanatio*. Neque enim purgantia, neque anodyna, neque alia quæque hisce olim conducentia auxiliorum genera, profuisse visa, præter venæ sectionem, quæ feliciter sæpè restituit rem, tum ea unà simul exhibita remedia, quæ aut præsentis Phlogistico affectui compescendo, aut impendenti liquidorum præcavendæ labi, ex qua hujus, vel alterius Partis Principis imminens aderat Sphacelus, *Natura monstrante viam*, citius occurrerent. Princeps namque ad Principis morbi vim reprimendam, coercendamque, cujus ima-

ginem referebant exaratae omnes ægritudines, Princeps inquam præsidii genus id erat, quod stagnationem, ac lentorem liquidi eluderet, hoc uno affecti crimine, nimiam scilicet sui copiam, ac pondere, quo lentescere idem in valis opus erat, aut saltem si non omninò adhuc lentescere videretur, ad concretionem, ac fixitatem celeri gradu contenderat; Huodque idem ob prægressas Constitutiones annorum magnè ex parte Australium id amiserat sui, quod illud poterat perenni actum in Orbem more tueri, abque propè impendenti exitio, ac jacturâ vindicare.

XXXII. Agebatur siquidem de sanguine, qui mole suâ sibimet ipsi erat noxæ, ac detrimenti; Nullus hinc proinde cunctationi locus. Timendum enim, *ne dum Romæ consuleretur, Saguntus expugnaretur*. Si qua in re periculum fecit mora, aut *Præceptis*, commonente (a) *Hippocrate*, visa occasio fuit: In hac equidem illa eluxit maximè. Ipseque ego quod sanctè assero nulli ex iis, qui per ea tempora ægrotaverant, aut Arthritide, aut alio quopiam ex prænaratis affectibus, tùm aliis plerisque diuturnioribus, inauspicatò cessisse hujusmodi præsidium memini, dummodò opportunè administratum, *dum præsens aderat indicans*, ut Practici ajunt. Ejus namque erant hujusmodi omnes affectus indolis, ingenique, ut liquido gravitate peccanti morem gererent, cui haud lætius unquam, ac feliciore fidere occurrere Ars novit, quam venæ sectione repetitâ, quo usque ita ad solidorum libellam se se haberent fluida, ut restitutâ invicem

præ-

(a) I. Aph. sect. I.

præclarâ æquilibrii, ac conspirationis lege, facta, tectaque res, foret, supremum heu subitura propè discrimen! Cur verò lentore peccans cruor meninges modò, modò fauces, oculosque, ac artus laceffat inermes, modò infantes aliquando pulmones, quod sæpissimè obtigit, haud ita implicata res est, ut Dædali ingenio opus sit ad id revelandum, demonstrandumque? Excelsa profectò magis eadem, ac digna Philosopho *originis principium* harum ægritudinum, quas præsens currentis anni Constitutio in Scenam tulit, tum earum genium, ac morem propiùs inquirere. Cur eadem Arthritides, quæ tam dirè adeò crudeliterque superiore anno sub Principe ludente affectu militaverant diù, diversum ab iis, quæ modò per hyemem potissimùm extulerant signa, toto cælo præsidium expeterent? Cur illæ spasmodicis cruciatibus molestæ magis, hæ nihil hujusmodi prætulerant? Cur raræ hoc anno hysteriæ mulierum affectiones extiterant, quæ olim paucis pepercerant? Cur nullæ prorsus, aut vix paucæ ephemeræ visæ febres, aut diariæ, ut vocant, quartanæ, ac hujusmodi aliæ ægritudines cæteræ, quæ nullo non tempore proludere solent, tum ultrò citroque ire nullius in servitutem redactæ?

XXXIII. Cæterùm ab lentore sanguinis, tot omnes etsi discrepantes invicem ægritudines prodiisse ipsè extractus è venâ cruor colore, habituque apertè satis manifestabat. Quidpiam namque instar pelliculæ, aut exilis membranæ in ejus superficie conspiciebatur, quæ disrupta viscosus, ac nigerrimus sanguis in fundo vasis

supererat. Sæpè alterâ, ac tertiâ vice opus extitit sanguinem mittere, imperante morbo quantum demendum aderat cruoris, non equidem illius colore, aut habitu, ut adhuc plerique autumant *Celsi* (a) autoritate suffulti, qui ait, *cum sanguis profluit, colorem habitumque ejus attendere opus est; nam si is crassus, & niger est, vitiosus est, idèdque utiliter effunditur*: Quod quidem idem *Celsus* accepisse videtur ab *Hippocrate*, dum dixit in Pleuritide sanguinem esse mittendum, donec melior, aut ex nigro ruber appareat. Sanè hujusmodi sententia, ut ut improbanda omninò non sit, reticere tamen haud possum hinc sæpè decipi Medicos; eamque nullo unquam in morbo curando satis esse constantem, aut sufficientem metam, & periculo non vacantem superflua evacuationis, aut suspicione diminutæ; Perinde ac vetustissimam alteram *Galen*i ævo percelebrem ad animi usque deliquium. Habent id quæ à Majoribus tradita nobis oracula sunt cum cæteris rebus commune longâ vetustate præclaris, ut illa frequentius in medium afferri soleant, quam rectè intelligi, & convenienter usurpari. Non enim quia purus, aut quia mutatio in meliorem non fit, semper continuanda est missio; Neque quia mittitur, supprimendus est: Sed donec aliqua utilitas appareat, aut confertim, aut per vices educendus est, maximè in acutis morbis, & suo initio, quo, (si particulares sunt, ut Pleuritis, Phrenitis, Peripneumonia, Angina, & aliæ inflammationes internæ, quibus suppuratis necessariò ut plurimùm mors sequitur, aut etiam

non raro suppurationem præcedit) dempta in tempore morbi materia, quæ in venis est, maturè etiam cesset discrimen à morbo. Quod similiter in ardentibus febribus, & synochis faciendum est. Detrahendus scilicet sanguis non sumptâ metâ à colore, & substantiâ ejus, sed à morbi magnitudine, statu, & Patientis viribus. *Leonard. Bottallus de curat. per sang. mission. cap. 27.* Nihil sanè Artem Medicam æquè conjecturalem facit, quàm medicamentorum quantitas, quæ, ut habet *Galenus (a)* neque dici, neque scribi, neque definiri omnino potest.

XXXIV. Detrahendus verò statim aderat sanguis, ac febrilis Scena exordiebatur, aut præfatæ particulares ægri-tudines, proludebant; Ut desistendum illicò, ac conjicere erat parem fore Naturam obeundo certamini. Hæc meta, is scopus erat mittendi sanguinis, *servare vires*. Equidem raro ullus gravissimus morbus, ut *Cynanche*, *Peripneumonia*, *Phrenitis*, *Febris ardens*, cujus fortè genium prætulerant exortæ Autumno febres, ne quid de cæteris dicam, non citissimè, & felicissimè curantur, dummodo opportunè convenienti remedio illis succurratur. Atque hanc utique opportunitatem, seu occasionem, aut tempus conveniens albo signandum lapillo iidemmet morborum motus indicabant, potissimum quidem per horum initia, sæpè etiam sub eorum decursu, aut illis jam ad exitum properantibus. Nulla namque expectanda unquam remissio febris, quæ si obtigerat aliquando, haud læti omnis erat; Nullus hinc advocandus die-

rum numerus, aut exoranda Crisis. Ejusmodi quidem aderant exarata ægri-tudines, quas ipse olim *Galenus (b)* tradiderat, in quibus nihil tale quidquam attendendum esse ajebat, imò quocumque die mittendi sanguinis scopum in laborante inveneris, in eo auxilium illud adhibendum.

XXXV. At urget, ajunt hinc loci quam plures, urget in hac parte, *Celsi* sententia dicentis (c) quòd si vehemens febris adest, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est. Fateor id ego quidem, nec quidquam Magni Viri laudi demptum velim unquam, quem ego tam præstantem doctrina fuisse reor, ut paucos ei anteponendos Latium protulisse censeam: Atque is fortè Magnorum Virorum instar multa maluit feris Nepotibus in obscuro relinquere. De his proinde suspicari fas est locutum esse febribus (d) purissimum Scriptorem, ac propè dixerim (e) Medicorum Deum, quæ certam observant intermissionem, aut saltem per vices impetum remittunt, etsi semper durent. *Intermittentes* illas dicimus, has *continuas remittentes*; Quamvis etiam tunc vel in ipso impetu majore febris nocere nunquam, sed potius juvare venæ sectionem compertum sit.

XXXVI. Secus equidè censendum de iis, quas *Causos*, seu *Ardentes* vocant, ob frequentiam, discrimen, sanandique laborem funestas sæpè: Ejusmodi aderant, quæ Autumno primum se se prodiderant, ac toto ferè

An-

(b) *Lib. de cur. rat. per sang. miss.*

(c) *L. I. cap. 10.*

(d) *Vossius de Vit. sermon. I. cap. 16.*

(e) *Casaub. ep. 29.*

(a) *Meth. Med. 7.*

Anni decursu ultrò citròque oberrant. Et sanè ut *famulante Naturâ* brevi solvebantur copiosâ narium hæmorrhagiâ, ut plerisque eo tempore obtigit, aut eâdem *Naturâ* Duce, opportunè celebrata. Phlebotomiâ quàm citissimè per initia, atque in ipso earum impetu jugulabantur; Secus aut ultimam rebus jacturam celeri nece adtulerant, aut in diuturnos affectus diros admodum, ac graves quamquàm minus calamitosos abiere. Quibus postremis quidem nihil præsentaneum magis, aut opportunius unquam, quàm sanguinis detractio; Atque hæc quidem per hyemem, Autumnumque. Orto autem jam Vere in Peripneumonias desiere lethales prorsus. Hæ namque ut mox addam, aut velox inducto Sphacelo factum, aut lentam ægritudinem factâ suppuratione tulere; Cui imminenti exitio, antequàm scilicet sive Sphacelus, sive abscessus propè esset, nil præstantius unquam docuit Ars, quàm sanguinem demere lato vulnere, ac repetitis vicibus, dum vires ferant. De febribus loquor, quæ ab *stasi cruoris* proficiscuntur, cujusmodi potissimum aderant, quæ exaratâ Constitutione viguerant, iis ferè consimiles, quas tum olim *impetuosas* vocaverat memoratus *Galenus* (a), quasve idem prolixâ sanguinis missione sæpissimè, subque ipso earundem impetu, exortu, ac incremento jugulasse fatetur. Hosce inter, quæ copiosa narium hæmorrhagia morbum absolvit, pueros præsertim hac ope servatos vidi. Adulti verò, aut proveciores ætate Viri, quibus id copiosè minus contigit, haud pauci in

Arthritides, ac Hemicranias incidere graves admodum.

XXXVII. Nec citrà operis pretium fore puto, si quod accidit mihi vidisse, hic enarravero, quod ad exaratos affectus, qui unâ cum ardentibus febribus longè latèque sævierant, præsertim attinet, atque Arthritides potissimum, tum Hemicranias. Anginæ enim, quæ novo repente exorto frigore facem præbuerant cæteris, brevi constitutos sibi fines persolverant; Adque primos mitiore flamine adpirantium ventorum flatus omninò desierant. Utque ab Arthritide initium feram: Ejus hæc aderant moris ut Vertebrarum tractum, tum anteriorem Thoracis partem, ipsasque adeò Costas, earumque interstitia lacefferent magis, quàm Illia, extremosque Artus. Præcipuus namque hic ludebatur Tragœdiæ Actus, cum maximè haud convenienti tempore, aut venâ remediorum farragine orientibus malis succurrebatur. Plures fefellerat nempè confuetus hujusmodi ægritudinum mos; studebantque admodum cum eludere illas cætera quæque usurpari Practicis solita remedia videbant, ac contumaciores effici, delato mox ad universos Artus Malo, quod hanc primò, aut illam tantummodò partem occupaverat; quodque præcavere utique poterant præstantis auxilii genere, quod ludentis morbi indoles initio suaserat, suadebatque adhuc pari securitate, ac fiducia.

XXXVIII. Hisce artibus affini meo, cui dira Arthritis hos modò, ac illos artus crudeliter divexabat, opem attuli, ac incolumem illum citius fortè, quàm ipse sibi spem fecerat,

(a) *Meth. Med. c. 4.*

cerat, reddidi. Huic sub finem hyemis febris occurrit, quæ tertio die initiùs lacefferè statim coepit: Atqui ferus universam Spinam, imaque occupans præcordia, mox ad omnes ferè artus delatus dolor acerbiorè intulit ægritudinem, cui frustra lenientibus, purgantibus, diureticis usque adhuc opitulabatur. Rogatus ego, malorumque origine, ac successione sedulò exploratâ, jussi sanguinem detrahi ad uncias decem; Diætam quod attinet, juscula hordeacea, avenacea, panatellam, atque ejusmodi alia de more præscripsi, tum ptisanam ex hordeo, ac rad. liquiritiæ, acetosæ in aquâ fontanâ incôctis, pro potu, ac denique Sydenhamii consilio, ut æger per aliquot horas singulis diebus lecto se se abstineret, præceperam, cum calor jugi decubitu, ut citatus Author ait, morbum sæpè promoveat, intendatque. Die sequenti sanguinis tantundem detrahi jusseram; mox tertio dein, ac ultimo, uno alterove die interjecto. Plerisque memini quarto, ut plurimum, venæ sectionem hujusmodi affectu ægrotantibus nunquam infelici exitu adhibitam; Rarò tamen obtigit ultra quartam vicem venam incidisse, nisi vel regimen justo calidius præcesserit, vel medicamina calidiora ægro præter necessitatem fuerint exhibita. Paregorica, sive *anodyna* quæque valere omninò jussi, ut ut sæviret dolor. Noveram enim illorum usu morbum magis figi, neque tam facilè dein venæ sectioni cedere, quæ ideò ob hæc ipsa medicamenta officiosè nimis exhibita sæpiùs quàm par erat opus, celebranda fuerat aliquandiù. Neque enim arbitror eam illa, quam titulo pollicentur, *analge-*

sian præstare. Mirum equidem, ut his ritè peractis, mox potionè cathartica è lenitivis exhibitâ ægri dolores imminuti fuere, quò tandem refarcitâ, quam fecerat sanguinis detractio, jaçturâ virium, Veris beneficio quod opportunè occurrerat, omninò evanuerunt.

XXXIX. Arthricos alios quamplures novi per ea tempora diris cruciatibus divexatos, quibus ortum, ac incrementum præbuit prægressâ febris contrario modo, ac pustulabat, tractata, hoc ipso more feliciter sanatos. Nec atrociter minus sæviebant Hemicranîæ, quæ modò unâ cum feбри comite, modò etiam absque feбри subludere videbantur. Harum magna pars copiosâ effusione sanguinis, spontè è natibus obortâ ludere desiit extemplò. Huic propè erupturæ, aut pleno erumpenti alveo prælusit sæpè hærens diù, quâ Sagittalis Sutura per capitis longitudinem rectâ pergens supra coronalem ad angulos æquales incidit, ferus dolor, proficiente sanguine paullatim desinens. Pluries hinc mihi animo subit, nùm eligenda fortè in hoc affectu curando peculiaris vena tum origine, tum vicinitate præclara, quæ opus feliciter magis absolveret; Occurrebant ejusmodi plures ad Tempora potissimum, mediâ in fronte, secus Aures, ad Nasum, ac *Jugulares* præsertim, quæ iis omnibus ortum præbent; Atque ab hisce quidem tutò fuit auspicia desumere, sive quod pleniore fluente, quod unum expectabatur magis, exitus concedebatur cruori, sive quod ab Jugulari, tum externâ, cum internâ, citior aderat expectanda *Derivatio*, tum *Revulsio*, quàm ab reliquis me-

memoratis venis, quæ illius propagines sunt. Evicit inquam præ cæteris Jugularium Sectio, ac magnum fuit periclitantibus subsidium. Visus namque illicò mitescere capitis dolor, ac ferè penitus desinere; Non nullis, quibus id præsidii experiri, horroris erat, etsi nihil omninò fuerit extimescendū, affixæ Temporibus hirudines haud imparem attulere opem, etsi modicò velociter minūs, ac in ipso præsentis discriminis articulo opus aderat, quod unicè sperari poterat ab apertis Jugularibus. Consultius erat huic sanguinis missionem præmittere è Brachii venâ, aut si urgeret opus, è longinquiore alterâ in Pede. Hacque methodo haud paucis quos atroces hujusmodi Hemisphericæ dirè vexaverant diù, penè extemplò subventum est.

XL. Cæterùm ne ultra suprâque quàm sit æquum in his moram faciam, meminisse lubet peculiaris cujusdam mirum in modum ludentis Hemisphericæ hisce artibus feliciter curatæ. Jurisconsultus, qui in eâ Urbis parte habitabat, quâ supremum Arcis Propugnaculum eminent ab *Emmanuele Philiberto* olim ad Regni tutelam, defensionemque excitatæ, ac novis subinde munitionibus, cuniculis, aggeribus, operibusque tum ab Successoribus Ducibus, tum ab Inviçtissimo Rege VICTORE AMEDEO iustructæ, quibus obsidentium Gallorum superioribus annis impetum elusit ac vim. Is inquam cum summo quodam mane ad forensis Palæstræ negotia obeunda è lecto surgeret, gravi admodum capitis dolore vexari cœpit in sinistrâ parte ad Tempora usque: Quem quidem haudquaquam magni fore momenti ratus ad plures

dies æquo animo adversam valetudinem invictè sustulit. Quo usque tandem cum mihi quâdã die forte fortunâ haud longè ab foro occurrerit, auxilii à me quidquam rogavit lubens omnem mihi referens mali historiam oppidò raram. Narraverat enim se horâ circiter octavâ matutina alternis diebus hujusmodi dolore perquam acuto corripì, qui ad quartam usque Pomeridianam perdurabat, quo tempore collecto animo, ac re omni compositâ se se paullatim recipiebat, adque consueta sibi munera redibat, ceù nihil hujusmodi obtigerit unquam. In ipso autem aditu Paroxyfmi, ut ita loquar, magna Capitis gravitas proludebat futuri prænuncia doloris, exeunte verò paroxyfmo, quod præcipuè etiam adnotandum subit, modico sudore perfusa Tempora aderant, quo doloris Scena terminabatur. Addiderat sibi ab Amico propositum Occipiti admoventum vesicatorium, tum ano Hirudines, quod utrumque præsidii genus experiri ait sibi vetitum hætenus ab gravi, quo premebatur, rerum onere; Se tamen jam modò negotiis omnibus valedicturum prorsus, nec amplius perpeti diutius posse Mali acerbicatem. Quamobrem omni cunctatione abjectâ sanguinem detrahi jubeo è Brachio, mox altera vice intermissionis die lato vulnere è Jugulari sinistrâ, quibus ac balnei u'u, fotus, diluentium, quiete, ac æquiore victus ratione, brevi convaluit. Idem Pistoris uxori contigit, juxta Sacram *Divi Dominici* Ædem, Bibliopolæ filio septenni, propter *Turrim publicam* excelso vertice præclaram, Mercatori ditissimo propè Tem-

plum *Divi Rochi*; Adolescenti Juris studioso in vico *Divi Thomæ*; ac plerisque aliis, quibus recensendis haud immoror. Neque enim huic persolvendo muneri tempus suppetit.

XLI. Sanguinis ex Jugularibus mittendi mos est satis antiquus, utcumque inter paucos obtinuerit, de quo si perbrevis historia præmissa sit, haud illam puto legentibus fore injucundam omninò. Sunt, qui *Galenum* secuisse Jugulares tradunt; Ille tamen ni fallor non sectionem ipsam imperare videtur, sed si casu aliquo fecentur, curationis modum præscribere. In *vivorum Anatomie*, qui sanè perridiculus liber est, & ab Arabe quodam, ut videtur confictus, atque adeò perperam *Galeno* adscriptus, *Jugulares aperiri jubentur in principio Lepræ, & Anginæ, angustique anhelitus, in Asthmate acuto, in raucedine vocis, in abscessu Pulmonis, in spirandi difficultate, & in Splenis, & laterum morbis.* Eadem prope memorat *Sorani Ephesii introductio*: Sed cum hoc itidem opusculum planè commentitium sit, cumque *Cælius Aurelianus*, qui se in omnibus ferè *Soranum* sequi profiteretur, de hac re omninò sileat; nihil hinc quod ejusmodi Medicinæ antiquitatem probat colligendum est. Sufficiet itaque has venas secandi originem (a) ab *Alexandri Tralliani* temporibus repetere, qui Jugulares à se sectas esse scribit, maximèque profuisse. Hanc ut quibusdam familiarem ævo suo curationem refert (b) *Actuarius*, quam itaque in Catoche, & Phrenitide deprædicat. Eam in omnibus morbis capitis adhiberi jubent

(a) *Lib. 4.*

(b) *Lib. 3. c. 1.*

Arabes, neque in iis solum, sed in *Leprâ*, acutisque Thoracis affectibus: Unde fortè consuetudo illa ad *Ægyptios* manavit, quam apud eos etiam tum, cum *Alexandriæ* esset, viguisse perhibet oculatus Testis *Alpinus*: Post Arabum tempora, nisi in *Bertruccio*, & *Arnoldo Villanovano*, qui hoc ex iis ad verbum exprimunt, (uti ferè ex Græcis Arabes) vix ulla est de hujusmodi venæ sectione mentio, donec anno circiter 1500. Anatomes studium penè intermortuū revocavit *Jacobus Carpensis*, modumque incidendi Jugulares fusè descripsit. Quo quidem seculo à pluribus pleno ore laudatur hoc curandi genus; Sed longè abfuit, ut in consuetudinem venerit; Quippè *Botallus*, qui circa annum 1570. scripsit, disertè dicit se neque hoc unquam à Medico præscriptum, neque à Chirurgo tentatum vidisse, adeoque aut nunquam in usu fuisse, aut esse tum penitus exoletum: Et quamquam ipse primus venæ sectionis usum in Galliam induxerit, venamque quamlibet in quocumque ferè morbo secuerit, fatetur, quod in jugularibus id experiri minimè ausus sit, *reformidans (a) ne propter illius magnitudinem, & magni trunci vicinitatem non satis citò, neque tutò sanguis cohiberi possit.* Imò *Riolanus Pater*, qui recens à *Botalli* ætate fuit, de *Apoplexiâ* locutus in hæc verba prorumpit, *Jugulares ausi sunt quidam secare pro extremo remedio.* Etiam *Fabricius Hildanus*, qui *Ophthalmiis, Hemicraniis, cerebrique inflammationibus* hanc à se Medicinam cum efficacissimo subsidio sæpius adhibitam esse prædicat in *Epistolâ*, quam

(a) *Curat. per V. S. cap. 40.*

quam (a) ad Doringium 1614. exaravit, perpaucos tamen Medicos, qui sectionem harum venarum approbaverunt, sibi innotuisse scribit, eamque periculosam agnoscit, nisi expertus affuerit Chirurgus. Quin imò in scriptis eodem anno editis Julius Guastavinus Professor Pisanus, has venas non sine periculo secari posse pronunciat. Ita plerosque ab hoc auxilii genere deterritos fuisse constat, sive quòd Jugularium vulnera aliquando lethalia esse observaverint, perperamque sibi persuaserint idem ex earum sectione eventurum; Sive potius, quod ut sæpè fit, facta hæc à manu imperitâ sectio, parùm feliciter cesserit, notamque infamix experimento inusserit. Hoc nimirum usu frequenter venit, ut quod remedii genus ignorantia semel notaverit unius incitiam, dignitati suæ vix restituere queat scientium universa consensus. Utcumque verò ea res se habuerit olim, nullum est in Historiâ Medicâ exemplum, ubi ritè peracta sectio aliquid adtulerit mali: Imò sæpissimè usus ostendit morbis compluribus, atque iis præsertim, qui caput attingunt, nullo modo melius succurri.

XLII. Quod quidem, cui scilicet fundamento innitatur facta in capitis, ac cerebri potissimum morbis Jugularium sectio, tum hujusmodi venarum, tum arteriarum, quarum ope sanguis per cerebrum, ac caput ultrò citròque comeat, structuram, & distributionem penitus ex Anatomicis delibanti cuique facili Marte elucescit. Enim verò Jugularis vena vel externa est, vel interna: Quarum hæc multò grandior uti eam post Nicolaum

Massam (a) accuratissimè descripsit Fallopius (b) licet in Brutis, à quibus harum venarum figuras apud Vesalium (c) expressas habemus, contrarium prorsus reperiatur. Externæ ramusculi extremi ab ore, à faucibus, à facie, ab oculorum tunicis, ab universâ denique capitis cute atque musculis nascuntur. Interna, quæ multò altiùs delitescit, quamquam aliquandò partibus jam memoratis furculos aliquos impertiat, ad imum cranii recta assurgit, inque duræ matris sinus laterales immergitur. Ità ut jugularis externæ propagines extremæ, arteriæ Carotidis externæ ramis inserantur: Interna itidem Jugularis, ac Carotidis interna vasculis duræ matris intervenientibus jungantur, ac confluant. Sæpè etiam vidi utriusque venæ ramos aliquot opposito tramite, externæ scilicet ad ima cranii, internæ ad maxillæ glandulas, ad fauces, atque externas quasque partes deduci; Quod à nemine usque adhuc præterquam ab prælaudato Fallopio visum, compertumque ego quidem superioribus annis coram Chirurgis Taurinensibus in Theatro Anatomico, cum ibi jubente, ac annuente Rege Prælectiones Anatomicas, alterâ vice haberem, attentius hujusmodi venarum distributionem inquirens apertissimè ostendi. Jam tum scilicet altè infederat animo hujusmodi auxilii genus ad praxim utiliter revocandum aliquandò.

XLIII. Equidem Artis cum sit Naturæ ductum sequi; cumque sanguinis è naribus eruptio (ne extra

Iii 2 oleas

(a) *Introd. Anat.* 62.

(b) *Observ. Anat.*

(c) *Lib. 3.* 7.

oleas digredi videar) uti maximè naturale, ità præsentissimum nuper visum fuerit vitæ præsidium; Conspicuum erat in hujusmodi rerum angustiis nihil præsentaneum magis fore quàm easdemmet venas; aut ex eodem derivatas alveo aperire. Quænam autem scalpello tam opportunæ aderant, quàm ipsæ (unde cæteræ omnes per caput dispositæ exoriuntur) *Jugulares*? Sivè revellendi, sivè derivandi gratiâ incidi illas opus sit. Utrumque enim horû assequi earundem sectione fas est. Quod sanè etsi Paradoxû videri queat nonnullis, doctè tamen, ac scitè admodum recens persolvit Vir doctissimus (a) *in aureis de Febris commentariis ad lib. I. & 3. Epidem. Hippocratis*. Est namque ubi Derivationis loco, ut ubi Revulsionis causa hæc aliquando obtingit secare venas. Quæ quidem vocabula, licet satis antiqua sint, tamen nemo unquam intelligere poterit, nec proinde secandi leges in alterutro genere rectè statuere, nisi accesserit accurata de vasorum structura, motuque sanguinis cognitio. Hocque verissimum esse facile agnoscet, qui Scriptorem qualemcumque ante ostensam sanguinis circulationem, atque adeò *Harveii* ætate superiorem perlegerit. Neque alia ratione Saphenæ sectio modò Menses deducit, modò eadem inconsultius facta eosdè potenter supprimit: æquè ac medicamenta discutientia, quæ tempestivius adhibita tumorem prorsùs dissipant, seriùs admota excitant, atque attollunt, & in Pus demùm resolvunt.

XLIV. Derivando equidem magis quàm revellendo præstitam nuper ab hisce opem novimus; Usus namque, & ratio ostenderat, priùs (a) *Jo. Freind. pag. 23. comment. 2.*

tundendam fuisse in brachio, aut aliâ quâpiâ parte venam quamlibet, quàm Jugulares; Sic enim humorum impetu, atque ardore jã elanguescente enata ad extrema vasorû obstructio revelentibus labefactata levior tandem negotio derivantibus funditùs tolli poterat; Eadem planè ratione ac tumoribus cum inflammatione subortis occurrere Practicis mos est, præmissis scilicet ex aliâ parte longinquire revellentibus, antequàm derivantia adhibeantur. Hinc in illustri illâ historiâ quam de gravi Oculi dextri inflammatione ad hunc modum sanata narrat memoratus *Hildanus*, primo die vena in brachio dextro secta dicitur, proximo exhibitum Catharticum, tertio demùm Jugularis aperta. Eodem fundamento nititur consuetudo illa, quâ ingravescente Anginâ post revellentia felicissimo successu Jugularem internam circa inferioris maxillæ angulum incidimus; Neque enim irrisione tam dignum est, quàm *Cælio Aureliano* (a) videretur, quod de venis mammariis in eodem morbo secandis scribit *Hippocrates*; (b) Nam & istæ quemadmodum primus docuit *Fallopianus* (c) originem aliquandò à Jugularibus ducunt.

XLV. Sivè autem Jugularis interna, sivè externa sit, sivè temporales, sive aliæ quæpiam hisce affines venæ, perinde est. Usus quidem edocuit citiùs, securiùsque rem absolvi apertis Jugularibus, in quas tanquam in communem alveum omnes illæ venulæ exonerantur. Tutius fortè etiam, ac citiùs temporalium arteriarum sectio idem persolveret, propter eum, quo sanguis effunditur, impetum, si (a) *Lib. 3. 4.* modò.
(b) *De Morbis 3. II.*
(c) *Observ. Anat.*

modò pleno flumine exiliat; Atqui hæc feſtio, ut feliciter cedat, non nihil difficultatis habet: Etiam aliquandò cum periculo fit; Quare vix auferim eam in medium afferre, niſi hujus olim *Galenum* meminiffe noverim, ejuſque abſolvendæ modum tradere. Secuiſſe olim arterias, idque ſatis frequenter Veteres conſuevere; conſuetudinemque eam ita apud *Ægyptios* invaluiſſe ſcribit *Alpinus*, ut has illi haud rariùs, quàm venas ſcinderent. Nuperrimè memini Præclaram *Veſtalem*, cui diuturnâ *Ophthalmiâ* laboranti pleraque paſſim adhibita fuerant præſidia, nullo aut vix exiguo prorsùs levamine, affixis tandem me jubente *Temporibus* hirudinibus mirâ celeritate reſtitutam. Harum quippè altera cùm ſe ſe ita arteriæ *Temporum* fortè fortunâ agglutinaverit, ut vix inde auferri poſſet, plurimum effudit cruoris magno impetu proſilientis, qui ve ægrè admodùm cohibere, nec abſque magno labore potuit. Huic reſtelligentia quæque, tùm cætera *Artis* ſubſidia, quorum prolixam ſeriem ferunt *Præctici*, diù ante uſurpata poſtremo huic præſidio adhibendo illuxere. Nec longè quidem ab hujusmodi auxilii genere abſtudent inſtitutæ aliquandò in vetuſtis hujusmodi affectibus ſcarificationes juxta ima, atque ad eorundemmet oculorum latera, tùm propè ſummitatem *Nafi*, quâ ejuſdem vena ignoto plerique tramite pergit. Antiquiſſimum id erat præſidii genus, cujus ratio & modus unam habent univerſalem cauſſam, nempe ut pars, cui infliguntur, exoneretur. Venulæ quippè plures vix conſpicuæ ſub univerſa cute feruntur, quæ hoc more ſectæ celerem aliquandò opem

præſtitere, quam vix ſperare erat ab alia quapiam majoris venæ ſectione; Sive quod illæ arteriarum finibus propiores ſint, ſive quòd arteriolæ pariter, quibus ſumma inſtructa refertaque cutis eſt, unà invicem ſcindantur, incidanturque; Sive quod ibidem fortè, in exilibus nempe vaſorum meatibus, ac propè eorundem fines lentefcere primò incipit cruor, dirarum hinc sæpè ægritudinum ortus, ac incunabula. Quoad adminiſtrandi modum, duplex is eſt apud *Oribiſum*; vel enim *Catà Phlighin* fit, id eſt verberatim, & punctim, vel *Catà Sirmon* h. e. per tractum, & cæſim, qui poſtremus modus magis in uſu *Italici* eſt. Atque hæc quidem ad *Æquinoctium* uſque geſta.

XLVI. Haud lætiora minùs extiterant initia *Veris*. *Orientali* namque, ac *Boreali* invicem diù ludentes venti ad aliquot dies adhuc dirè perſtarunt, ſilente tùm temporis, ſuaque in clauſtra recepto *Auſtro*. Eruptis tandem leviter, perque totum deinde quod ſupererat *Veris* reliquum, ac *Æſtatem* mitiſſimo flamine perſpiravit, ruente viciffim per intervalla *Borea*, cujus gelido afflatu sæpè repente viſa recurrere media *Æſtate* hyems. Conſueto hinc nivali vellere defraudata tellus, inopes aquis fontes, infeſta præmaturæ rubiginis veſtigia, magna ubique ſiccitas, ac perturbatio rerum. *Rupicapras* ipſas, quæ ſilveſtris, & montana *Fera* eſt, ſumma *Alpium* faſtigia perpetuò inhabitans ſpecie ac mole vulgaris *Capræ*, ſed paulò celfior cruribus, quam eſſe ſolet caprinum genus, (per ſubjectam planitiem excurrere aſſertum propter inopiam lympharum. In animalis hujus

ventriculo reperiuntur sæpenumerò globuli quidam adeò cardiaci, & alexicaci, ut lapides Bezoardicos virtutibus longè antecellant, si credimus *Welschio*, qui peculiarem de iis scripsit tractatum titulo de *Ægagropilis*. Sæpe quidem Aprili menſe exigua viſa pluvia, at quæ vix Colonorum votis ſufficeret; Quo uſque tandem Majo uberiùs pluit, novaque, ac lætior rebus affulſit ſpes. Kalendis Junii hora quarta circiter pomeridiana, nitido exiſtente Cælo, Sol viſus extemplò coloris ferè cuprei, quo uſque occiderit penitùs; Sequenti die ater idem præluxit ad octavam uſque horam circiter; Mox fragores auditi protinùs, ac horrendis tonitribus circumfremere, ceù diruptis nubibus Cœlum. Æſtas hinc temperata ſucceſſit, ac lætiſſima prorsùs ſi procellis commota minùs extitiſſet, aut furentium ventorum immodicis flatibus. Nunquàm enim majoribus grumis grandinare perſpectum, frequenterque adeò ab omni parte Cœli emicare repente fulgura, nunc intermittente luce, nunc condita. Sæpè etiam fulmina cecidiſſe viſa, hucque ac illuc ludendo prorumpere. Appetente Autumno Grues ingenti exercitu aëra ad plures dies obumbrarunt. Ferri autem hæ videbantur magnis itineribus ab Oriente ad Occidentem, ſublime editèque admodùm, ac cum ſilentio volantes, quod ſerenitatem præſagire ajunt, ſecùs ac ſi obſtreperis vocibus frequentiores ſufurros excitent. Pulchrum erat integras cohortes cernere modò in cornua diſiſas, modò in unum collectas triangulum efficere circumeunte Duce, ceù exercitùs Præſide, ac Rectoris. Viſa & Avis quædam Subalpinis ignota, ſubnigra

roſtro, ſubruba pectore, ſubflava alis, ſubviridis pede, mole Turturis inſtar, *Garrulus Bohemicus* dicta *Gefnero*, de quo mira ſcribunt, tam quoad internam viſcerum conſtitutionem, quàm quoad ingenium; Rectiùs fortè *Rubicella*, ſeù *Pyrrhula*, aut *Ampelides Aldrovandi*. Seriùs quàm olim advenerant Hirundines, tum ſeriùs etiam diſceſſere. Inſecta quoad attinet, horum numeroſam adeò extitiſſe progeniem haud meminimus unquàm, ac eorum præſertim, quæ *Coleoptera*, ſeù *vaginapennia* nuncupantur, quod alas ſuas velut in vagina recondant; Hæ inter novum quoddam ſpectatum animalculum albis nigrisque maculis tam pulchrè variegatum, ut Veſtem Damascenam Phrygia acu intertextam jurares. Medio Vere, cum floſcere primùm cæpit frumentum ſecundarium, (*Secale* vocant Noſtrates,) ſummo illud manè exoriri, perque aëra vehi denſo examine viſum; Veſpere dein ſeſe ſuper ſpicea ferta colligere, ac mori inſeſto prorsùs aculeo; Hæc namque cernere erat ſequenti manè exuſta prorsùs, ac ferè abſumpta. Odore teterrimum aderat; Fortè *Scarabæus minimus*, ſeù *Fullo Charletoni*, ſi molem, ac veſtem vario artificio fulgentem ſpectamus: *Ephemeræ* verò ſpecies potiùs, ſi vitæ illius brevitatem reſpicimus. Erucarum ac Bruchorum magna ſoboles; velox interitus, ut & animalculi cujuſdam vitibus ſummè inſenſi, Italis *Talia-dizzo*, Græcis *Ips*, ab *Ipto*, i. e. *Blapto*, *Noceo*; Quia proprium ejus eſt in vitibus verſari, eaſque erodere; Hinc vini proventus modicus, cui tamen tum aëris fortè, tum ventorum ſævitias, ac inclementia haud parùm tulit.

talit. Vix pauca per Æstatem obfrepere auditæ Cicadæ. Subdulce mel, & subaquosum. Fæni exigua perceptio; Serici haud ingens; copiosior Tritici. Hocce in horreis collecto sobolescere visa insecta quædam non alata illius summitates diro spiculo depascentia instar Teredinis. Toto deliquit anno Mercurius, nec unquam visus ultra 20. lineam ascendere, ceu constitutam sibi metam, ultra quam pergere vetitum.

XLVII. Ad Morbos venio, qui reliquo hocce anni decursu subluserant. Hos inter Variolæ visæ extemplò, adque primos Ventorum Meridionalium afflatus proludere, perque universum agrum errantis in morè huc illuc divagari, haud exiguo percussis timore Civibus, eam nempe, quam hæ superioribus annis ediderant cladem, adhuc dum animo expendentibus. Vix auferant illæ tamen Suburbia ipsa, nedum Urbem attingere. Citiùs etiam quam credebatur, se se subduxerant; Nec diræ adeò, atrocisque, cujusmodi extiterant olim. Insolentiùs quidem intrà Urbis mænia debacchabantur recens ortæ ægritudines, quæ sanè etsi diversæ ab iis primo intuitu viderentur non nullis, quæ exacta hyeme, ac Autumno sævierunt, haud absimile tamen ingenium, irascendique morem præbere; Quod rem attentius consideranti facile erat decernere. Enim verò vix mitior arriserat Veris Constitutio; Vix leniores perflaverant Venti, ut illicò erumpere visæ foras pleno velut agmine Pleuritides, rectius forte *Peripneumoniæ*, atque una simul ruere iis comites assiduæ febres, ardentisque. Sæpè etiam caput attollere videban-

tur Erysipelata, hosque ac illos indiscriminatim laceffere, at ludentis instar potius: Aut enim præludere hæc exaratis affectibus, aut iis obsequi magis, quam sibi quidquam addicere, perspicuum erat. Lusus illa reverà aderant, quibus morbifica huc illuc pergens materies, aut jam fortè vitalia claustra obsidens, etiamnum incautiores fefellerat. Præcipuè enim hosce inter rerum fluctus metuendum erat de vitali Theatro, ubi dein ceu ablato Sipario postremus plerumque ludebatur Tragoediæ Actus. Id unum solerti prudentique Viro prævidendum erat, ac totis viribus enitendum maximè, ne *fractò aggere* ad pectus illaberetur errabunda materies, vel illabens illa, aut jam fortasse elapsa, quam citissimè illinc revocaretur. Hæ Medico erant artes, queis vindicanda, ac servanda erat res.

XLVIII. Et sanè de iis tuendis potissimum partibus agebatur, à quibus prima vitæ stamina proficiscuntur. Huc tota Belli moles incubuerat; Huc pugnæ locus, huc prælii campus, huc denique rerum summa gerebatur, heu funesto plerumque exitu. Nunquam frequentiores obviæ Vomicae, ac dira pectoris mala; Quodve mirere magis, cernere erat haud paucis vomicae penè ex abrupto sese prodere nulla proludente febre, aut alio quopiam signo, quod sæpè latens intrà præcordia quidpiam prænunciare solet. Non nullis vix una, ac altera febris accessio præcessit. Plerisque anxietas maxima, febris acuta, Tussis, sæpè etiam dolor lateris punctorius, pulsus mollis, velox, ac inæqualis, præcalidus spiritus, seu ingens in spiran-

spirando fervor, sputa per initia liquidiora, cruenta, fæda, lingua urens, turbata alvus, sanguinis stillæ è naribus, extremorum frigus. Hæc prior mali Scena, cui nisi initio statim occurrebatur, inevitabile erat inducto velociter Sphacelo fatum; Sæpè hinc congesto in parte aliquâ pectoris pure, Vomica tandem in apertum suo tempore prodibat felici plerumque omne. Quamplures hæc viâ per æstatem lætâ suppuratione evaserunt.

XLIX. Atque hinc luce meridianâ clariùs patet, quàm falsò Pleuritidis nomine id mali genus tum temporis indigaretur; Siquidem nec *Tussis*, nec *sputorum excretio* inter signa, quibus fecernitur Pleuritis, recensenda minimè veniant, quæ potius ad alium morbum huicque in multis dissimilem *Peripneumoniam* nimirum pertinent. Mirabar ego Celebriores Viros in hunc errorem incidisse, hancque pectoris ægritudinem, quæ nihil commune habebat cum Pleurítico affectu, Pleuritidem nullo discrimine appellitari. Hinc tot auditæ per Urbem sævire Pleuritides, quæ æquiore jure Peripneumonix dici debuerant. Aderat & perennis altera, ac constans harum nota, quæ nullo modo Pleuritidi unquam competit: *Magnus scilicet in spirando æstus*, ob turbatiorem ac magis festinatam respirationem, oppressis magno onere Pulmonibus. Scio inventa Practicis vocabula quædam, quibus id ipsum explicant; Ast si fas est, quid ipse sentiam, apertè dicere, asyla hæc potius sunt ignorantix Medicorum, atque eorum quidem, qui, ut rectè olim agebat *Verulamius*, *singunt simul, creduntque*; *Neque unquam nobiliores*

animos erexere. Quantum verò conferrat in re Medicâ præsertim rem unâ ab aliâ fecernere; Quantum inde Arti laudis, ægris emolumentum accedat, nemo non videt? Legitur apud *Dodonæum* historia Peripneumonix popularis, quæ tunc temporis, annis nempe 1557. & 1565. grassata est, huic nostræ haud absimilis: Atque is quidem ad extremum narratiunculam suam sic claudit, quod scilicet *morbum hunc non Pleuritidem, sed Peripneumoniam fuisse mortuorum corporum dissectiones coram ostenderant*; & hoc utique innuere modestè videtur Vir Doctissimus Medicorum sui temporis errorem, qui fortè de eo tanquam de Pleurítico affectu iudicium fecerant.

L. Nec difficile quidem erat conjicere, vel ab ipso unice pulsu nihil hujusmodi ægritudinem affine habere prorsus cum eâ, quæ a Pleuræ inflammatione oritur, etli *Tussis* adfuerit, ac dolor lateris punctorius. Nunquam enim aut saltem compertam paucis memini pulsum duritiem, quod quidem ultimum inter proprietatis notas malim reponere, quæ Pleuritidi conveniunt, quàm cum *Galeno* *Tussim*. Cujus sanè sententiam uti sæpiùs datâ operâ aspernari, & respuere hominis esset valdè arrogantis, ita in omnibus sequi velle, superstitiosi est. Neque enim Authores in Medicinâ faciendâ, sed rationis momenta quærenda sunt. Confusa hinc ac implicata, & à veteribus, & à recentioribus tradita huc usque est utriusque hujus morbi descriptio. Etenim si veterum scripta perlegimus, hi quidem eos inter se distingui scribunt, sed easdem utrique notas assignant: Idque facile animadvertere licet,

licet, quod quæ apud illos de Pleuritis character habentur, ad Peripneumoniam meliore jure referenda sint. Recentiorum verò plerique vix ullum inter hos morbos discrimen ponunt, gradu tantum dissimiles esse volunt. Non nulli etiam Pleuritidem dari haud contendunt, quæ Peripneumoniam non habuerit conjunctam, ac vicissim inflammari haud posse Pulmones, infonte Pleurâ; Quod tamen & ratio, & historia Medica falsum ostendunt. Multa namque Pleuriticorum cadavera secta sunt, in quibus Pleura corrupta integro Pulmone reperta est; Secus quidem, si unâ cum inflammatione Pleuræ vitium quoque in Pulmonibus, sive quod idem redit, Peripneumonia adfuerit; cujus utique, ut quæ toties dicta sunt, iterum repetam, cujus inquam propria, & minimè eminentia signa sunt unâ cum acutâ febris *Pulmonum gravitas, Tussis, sputorum excreatio, atque ingens in spirando fervor; Illius verò, Pleuritidis nempe, anhelitus difficilis, pulsum durities* (Quod caput est maximum,) *Febris, pungensque ac vehemens lateris assiduus dolor.* Equidem nedum magna, sed omnis, ut ita loquar, Medicis lux ab Arte Anatomicâ petenda est, quâ morborum plurimorum, & proprias Sedes eruere, & signa legitima discernere queant. Eam ob causam factum arbitror, ut *Celsus* elegantissimam illam humani corporis descriptionem curandi præceptis inseruerit: Utque eadem vestigia persecutus breve quoddam de partium structurâ commentariolum morborum Historiis præmiserit *Aretæus*.

LI. Et sanè tota hinc, ausim dicere, pendet curandi Ars: Ut enim in Pleuritide liberior sanguinis extractio sola sæpè absque alio quopiam subsidio morbum absolvit; & hæc quidem, at majori circumspeditione instituenda in inflammatione Pulmonum est, cui oleosa omnia, quæve ad sputa elicienda idonea habentur, suum & quoque calculum ferunt; potiore quidem titulo, ac æquiore jure, quàm in Pleuritide verâ. Exemplo est *Anaxion*, cui haud veritus est *Hippocrates* magnâ sui laude octavo die sanguinem mittere, de remediis, quæ sputa extruderent parum sollicitus. Quamquam enim nomen morbi in hac memorabili Historiâ reticeatur, haud difficile tamen est illum pro germanâ Pleuritide agnoscere. Est quid utique reverà *Divinum* in Peripneumoniâ, quod nunquam, aut rarò in Pleuritide occurrit. Etenim intra parietes Pleuræ arteriolæ multæ à ramo intercostali deductæ effunduntur, quæ levi sæpè de causâ nimium distentæ obstrui solent, inflammationemque pariunt; Ast Peripneumoniam quod attinet, hujus sæpe numero parens extitit, qui idem

graves morbos mortalibus affert Multimodè.

LII. *Nec vana loquor*: Eadem namque, quæ superiore Autumno, ac exactâ nuper hyeme eas induxit ægritudines, quas superius retuli, ipsa eadem adhuc dum vigens causa hujusmodi Peripneumonias Vere ortas, perque Æstatem dein latè sævientes intulit, quæ plerisque in Vomitas haud inauspicatò desiere. Is namque unicus aderat mali exitus, in quo nonnulla saltem posita spes erat adhuc. Curiosum erat processum omnem mor-

bi in suppurationem abeuntis adnotare, cum scilicet inflammatoria materies ab ipsamet Natura resolvi non potens, nec Arte emendari, blandior tamen, stagnans eadem, calens, pulsaque, coercentia latera extendendo, vel rodendo abscessum vomicaeve formabat. Futurum id clarissimo argumento declarabat ipsa morbi indoles satis quidem acris, nec tamen acerrimi, tum minimè superata adhuc fera symptomata, quodque potissimum aderat, sputa liquidiora, nec criticis diebus evacuata per ordinem, qui sanationem doceret. Fieri autem jam propè abscessum ostendebant leves, vagæ, sæpè repetentes, sine manifesta causa horripilationes, stillæ sanguinis è naso, genarum rubor, sitis, pulsus debilis, ac mollis, febricula; Quibus, formato dein tumore, seu abscessu, Tussis unà aderat comes pertinax, sicca, ad partum, motumve aucta; respiratio difficilis, parva, anhelosa, strepens; decubitus in affectum latus tolerabilis; sudor nocturnus, maximè circa jugulum, & frontem; urina spumosa; pallor, macies, debilitas summa. Proximè hinc impendebat tumoris disruptio, cui aut imminenti propè, aut sæpè etiam sub ipso disruptionis puncto, ac temporis articulo, præludebant deliquia,urbationes alvi, stertor, hæmorrhagiarium, suppressa penitus sputa, moxque uberiore eadem copiâ educta, sanie commixta, foeda, teterrima. Sæpè purulenta jam facta materies repente intrà pulmonales venulas resorpta, ac sanguini permixta aliò ferebatur, ceu Præclaro Juveni contigit decumbenti ad *Portam Eridani*, quem ortus inopinatò ad sinistram autem abscessus

extremo, quod propè aderat, eripuit fato. Quotquot in cava Thoracis, inque Mediastini dilatata vacua abiisse illam, aut ad hepar verti novimus, omnes periere.

LIII. Una scilicet spes salutis erat, si disrupto abscessu sputa bonis avibus ejiciebantur, suasque illa Phases, ac mutationes obibant *Præcticis* notas. Haud paucos hac viâ servatos meminisse, quorum exempla aliquot hoc in loco perscribere haud puto alienum.

Æger Primus.

Comes juxta Templum *Divi Francisci de Paula*, temperamenti atro sanguinei, habitus strigosi, adque bilem generandam, ut aiebat *Hippocr.*, idoneus, medio Vere acuta feбри corripitur cum dolore lateris punctorio, Tussi, gravitate *Pulmonum*, pulsu celeri, elato, valido. Idem superiore hyeme diro in facie Erysipelate laboraverat. Sæpè etiam olim Pleuritide vexari consueverat, initio Veris. Postridiè exacerbata sunt omnia; ferus magis doloris sensus, intensior febris, sitis magna, pulsus duriusculus. Quartò stillæ sanguinis è naso; turbata levitèr alvus; Urinæ subrubræ, atque suspensum in iis quidpiam; Somnus nullus; Sputa liquida, pauca; Summa corporis per intervalla frigida. Hactenus ad quatuor vices secta in cubito vena. Quintò Clarissimorum Virorum sententiâ nova imperatur Sanguinis missio, ac dein lenis exhibita potio ex Mannâ. Vespere calor vehementiùs excanduit; Parum adhuc Sanguinis è naso proflixit. Spiratio magis difficilis, pulsus velocior. Iterum ex brachio missus est

Sanguis ad uncias decem. Sexto lateris quidem dolor cessavit, ac fere ex toto evanuit, at sævior adfuit Tuffis, magnaue corporis jaëctatio; Multa per alvum demisit biliosa. Septimo molestè magis habuit, nam & intendi magis febris, & infestare Tuffis, & spiratio ingravescere visa. Conclamata propè res erat gravi præludente stertore; Tùm quidem novus repente obortus horror, commotaque spontè alvus, ac penè sub idem tempus copiosus ex utrâque nare effusus sanguis spem fecit lætius quidpiam hosce inter tumultus rerum elucescere. Exhibita sunt è vestigio cardiaca, oleosa, sputum moventia, inter quæ ego floribus Belzoin palmam defero; Paullò post multa cæpit, & concocta expuere. Allevatus est; Undecimo Sputa faciliore conatu eliciebantur; lenior febris; Turbata adhuc dùm alvus ter, quaterque per diem concreta pauca demittebat probæ indolis. Sæpè etiam per vices ab disrupto abscessu Sanguis visus è naribus proflire ad aliquot uncias. Victu tenui utebatur, potu melleo, *hydromeli* vocant Græci, quod liquoris genus est ex purissimâ aquâ, & melle temperatum. Decimo quartò remissa penitus omnia; In urinis alba, multa subsidebant; Sine siti erat; Benè spirans. Trigesimo quartò absoluta prorsus suppuratio est felicissimè. Sæpè per id temporis accendi iterùm visa febris, ac excandescere magis Tuffis, at citò id, aut uberiore urinæ profluvio, aut commotâ alvò, aut sputò liberiùs elicitò omninò evanescebat. Forte id etiam exigui alterius formati tumoris, aut alterius exiguæ vomicæ extemplò disruptæ prælu-

dium aderat. Vix paucis obtigit septimo die læto omine prodiisse vomitam, perque totum morbi decursum affiduo lusu Sanguinem è naribus profluxisse, ac unâ simul turbari repente alvum; quæ quidem omnia amplissimam præbent contemplationum segetem, quò nihil Arti majoris compendii extitit unquam, ac præstantius idem.

Æger Secundus.

SAcerdos *Congregationis Oratoriæ Divi Phil. Nerii*, cui flaccidi diù pulmones, ac sæpè morbis conflictati, tùm propè imminens senectus, ex febris tertianâ duplici appetente Æstate decubuit. Comes huic aderant sputa improba, pulmonum gravitas, pulsus intermittens, ac leves animi per intervalla defectioes. Opem illi initiò tulerat Pater meus; At qui cum ipse paucis post diebus ab Urbe abesse coactus foret, gravioribus curis distractus; Ægri tutela mihi relicta est; Cùmque omnia sedulò, ac diligenter expenderim, erupturam propè diem vomitam ægrotanti, ac adstantibus detuli. Die sequenti cùm summo manè ægrotantem inviserem; disrupti noctu abscessus notam prætulit sputum sanie permixtum, tetrum olens, copiosum. Ipse media circitè nocte quid insolens persenserat sub imo pectore, ac penè animam agere visus; Diù ante incerti doloris vestigia in utroque Thoracis latere occurrerant, quibus unâ sicca, ac fera admodum Tuffis proluserat. Selectioribus balsamicis, Traumaticis, Rhypticis in usum adhibitis ritè peracta res est, ac omnis rescissa penitus mali origo.

Æger Tertius.

Reverendissimus Abbas *Congregationis Reformatæ Divi Bernardi*, gravi olim Orthopnæâ diù detentus, ex aliquot dierum itinere, cum sæviùs quàm unquam perflaret Boreas, in febrim acutam incidit unà cum magnâ spirandi difficultate, Tussi, dolore lateris punctorio, pulsu languido, ac inæquali. Mox intensiùs adaucta febris; Spiratio ingravescens magis; Facies, oculique, emortui hominis instar; Mens emota; Sputa initiò liquidiora, viscida modò, ac cruentis lineis interstineta; Urinæ per initia tenues, nihil subsidentes, copiosæ. Brevi ad extremum redacta erat res. Decimo quartò subitæ defectiones animi, vacillans pulsus, frigida repentè extrema, propè erupturæ Vomicae præluserant; Prodire mox visa sputa puris instar, graveolentia, exiguo conatu, fæda. Septimò & vigesimò obstricta dudum alvus biliosis multis perturbata est, nec pauco tempore talia multa processere; In totum autem tum febris reliquerat, tum sputorum excretio lætissimè desit. Cruenti quidpiam ab hæmorrhoidalibus venis sub morbi decursum effluxit. Secta bis initiò in cubito vena, mox alterâ vice in pede; Hirudines quoque ano affixæ semel; Disrupto tandem apostemate appropriatis remediis opitulatum.

Æger Quartus.

Pistorem propter *Portam Urbis Victoriam*, an potius *Victoriam*? Per illam namque INVICTIS-

SIMUS REX; unà cum EUGENIO PRINCIPE, ac cæteris fæderati Exercitûs Ducibus Urbem memorandâ illâ die ingressus est, quâ fractis, & profligatis Hostibus obsesam trium mensium obsidione Civitatem solvit, Italiæ libertatem asseruit, Europæ securitatem restituit; Pistorem inquam febris acutaprehendit cum dolore lateris punctorio ad dextrum usque Hypochondrium, ac Regionem umbilicalem propagato. Magna abdominis tensio, ac totius corporis lassitudo; Facies mox ab initio subfusca ferè, pulsus humilis, mærentes oculi, respiratio gravis, anhelosa, difficilis. Quartò mitior dolor, pulsus intermittens; commota alvus; Urinæ flagrantæ: Sputa pauca, subflava, improba; Nox laboriosa. Septimò delinquens per intervalla è vestigio pulsus, vacillans idem, vix elatus; Paucus sudor circa caput prodiit; Nihil ab alvo dejecit. Nonò sudore per totum corpus diffuso læta sputorum excretio obtigit, quæ ad vigesimum usque diem probâ expurgatione perdurarunt. Huic ob virium jacturam, cujus certissimus index erat pulsus humilis propè, deficientisque, semel tantum parçâ dosi missus fuit sanguis è brachio. Utramque tutiùs paginam implère Cardiacâ, balsamici, Traumatica. Magnam præstitit opem in principio Morbi Theriacâ cum vino exhibita, tum quandoque etiam unà cum aquâ Scabiosæ, ac Syrupò de Papavere erratico; Hoc enim more cocta magis sputa liberiore viâ ex pulmone prodierant; Valentior itidem pulsus, ac validiores vires rediere. Vesicantia quoque bina admotâ humeris, fatus, moxque ab effrac-

to apostemate Rhyptica, abluentia, consolidantia feliciter usurpata, inter quæ Terebinthinata quæque, ac balsamica cætera principem locum obtinent.

Æger Quintus.

OLitoris Uxor juxta Hortos Regios decumbens foedâ per hyemem scabie longo intervallo vexata, medio Vere febris acutâ ex levi occasione corripitur cum rigore, ac dolore Capitis, anhelitu difficili, cui postridiè sese una comitem addidit Tussis, sitis, ac dolor in dextro Pectoris latere per vices repetens. Tertio die febris rediit, mox dirior Tussis, abjectus omninò pulsus, sputa atro colore prædita, pauca eadem; ac summè viscida. Vespere sincerus ex dextrâ nare exiguâ copiâ sanguis effluxit; Alvus autem stercora probè demisit. Quartò rigor repetiit, sopore aliquantulum detinebatur; Biliosa, flava, multa vomitione rejecit, paullumque intermittens, virulenta; Pulsus debiliior, ac inæqualis; Facies ab ipso morbi exordio vultuosa; Sputa liquida; Vires abjectæ prorsus. Refici hævisæ sensim, ac recreari, atque unâ simul erigi pulsus, sputaque uberius ac probè elici, exhilarari vultus ab exhibitâ per vices Theriacâ in aquâ è toto Citro, aut Scabiosæ unâ cum modicâ dosi hircini sanguinis. Gemina quoque admota Tibiis vesicantia. Undecimò febris reliquit penitus. Trigesimò quartò exiguâ iterum proludente febris, ingenti oris salivatione correpta est, magnâ diu noctuque exundante feri copiâ, tenuis, fætidâ, acescentis. Quod quidem postremum

repurgato corpore, tum sero lactis destillato ad aliquot dies præscripto in totum desiit. Huic Genitrix septuagenario major, ac Soror aderat natu minor, occulto utraque cancro pectoris dudum vexata.

Æger Sextus.

ALteram ex abortivo fætu circiter quintum mensem febris acuta corripuit cum exiguo horroris sensu, lumborum dolore, & gravitate capitis. Tertiò inaugebantur magis dolores; Respiratio difficilis aderat, pulsus debilis, inæqualis, extremitates frigidæ, intus exæstuans, jactabunda, urens. Quintò sudor paucus circa caput, ac summum pectus dimanavit; Per vices visa delirare, confestimque rursus ad intelligentiam redire; Sputa sublivida; Urinæ paucæ, tenues, nigrescentes. Septimò sub tempus matutinum è vivis migravit. Alvus huic per totum morbum recrementis multis, crudis, ac tenuibus fluxit.

Æger Septimus.

FAber Ferrarius Athletici habitus propè *Xenodochium Charitatis* ex febris assiduâ decubuit cum dolore lateris gravativo, Tussi, pulsu vix elato, inæquali. Sputa per initia liquida, cruenta, pauca; Respiratio laboriosa; Oculi micantes; Facies atro colore suffusa; Siticulosus; Insomnis. Tertiò extrema livida ferè, & frigida; Præcordiorum contentio submollis utrinque; Pullus propè deficiens. Quartò mens perturbata fuit, aliquantulum insudavit. Multa per alvum dejecit improba. Quintò obiit.

Aperto cadavere præduros pulmones Hepati substantia, ac colore con-
similes comperi, plerisque intimè al-
bicantibus lineis interstinctos, è qui-
bus purulentus, aterque humor prodi-
bat graveolens. Plures insuper intrà
cordis delubra exigui Polypi occurre-
rant, atque horum alter prolixius ad-
modum in pulmonali arteriâ, perque
illius ramificationes, ac majores trun-
cos eleganter dispositus. Mirum sanè,
(quodque idem maximè lentescens
liquidi, tum solidi haud amplius in
propriis systalticos nisus consurgere
potentis argumentum extitit;) Ut tam
exiguo tempore tanta pulmonibus la-
bes accesserit, tam citò hi suppurari,
atque hinc intrà horum sinum, ac
profundiores recessus tanta congeri po-
tuerit, fæda, ac purulenta materies!
Hujusmodi exempla præter multa, quæ
à nobis afferri possent, sexto videlicet,
septimo, nonò die denatorum, in quo-
rum cadaveribus pulmones sanie undi-
que scatentes reperti sunt, legere est
apud Bonetum *Anat. Pract. l. 2. c. 4.*
Ballonium, Riolanum, Hollerium,
Zacutum, &c. Idem quoque in Ca-
davere Illustris Viri Ludovici Gon-
zagæ sexto morbi die defuncti obser-
vasse refert *Cardanus (a)*, cui nempe
omnia vasa pulmonis ex triplici genere,
magis tamen asperæ arteriæ rami
erant pleni sanie simili lacti, adeò ut
nullus adesset prorsùs sanguis. Pleris-
que horum, qui celeri adeò fato sub-
lati sunt, nigroris unà simul vestigia
conspiciebantur, imminentis illa,
aut fortè jam facti Sphaceli proludia.
Conjicere autem erat propè adesse id
ab doloris carentiâ, aut minùs ex-

quisito illius sensu, quod quidem ut-
rumque Sapientes nunquàm fefellit.

LIV. Neque id sanè arduum con-
ceptu est, ut unà simul suppuratio-
nis, ac Sphaceli indicia occurrerint.
Nec illa iis prorsùs habenda fides,
qui ut id ipsum concipi queat, mini-
mè edocti, hujusmodi nigroris, seu
Sphaceli notas in pulmonibus obvias,
cadaveris corruptelæ adscribendas
malunt. Cur namque ejusmodi nigro-
ris vestigia in omnibus passim haud
reperiuntur? Cur in pulmonibus illa
potius, quàm in intestinis, quæ ob
fæcum colluviem citiùs quàm ulla
alia pars corrumpi, ac in Sphacelum
abire debuerint? Cur denique in uno
tantum, aut altero pulmonis lobo,
reliquâ illius parte infonte penitùs,
ac integrâ? Equidem mali hinc po-
tius culpanda sævities, & suppuratio-
nem, & Sphacelum inducere celeri-
ter apti, ut præclare idem explicat
laudatus *Ballonius Epid. & Ephem.*
lib. 2. pag. 165. Inclytæ Reginæ
Joannæ exemplum afferens, quæ
sexto die defuncta est, inque illius
cadavere pulmones unà simul multa
sanie plenos, ac Sphacelo obfitos
deprehendit.

LV. Isque aderat omnis sævien-
tis morbi processus, quem quidem
dum mihi adhuc ab oculos pono, ac
mecum tacita cogitatione perpendo,
præclare video, tum luce meridia-
na perspicuum magis elucet, quàm
opportunum fuerit labentem hæc in-
ter discrimina Naturam erigere, tue-
ri, vindicare; Quàm ex adverso
periculosa plenum opus aleæ diversam
ab hoc tramite viam insistere. Nul-
lus hinc enim sudorificis locus, aut
catharticus, cum maximè in præci-
piti

(a) De providentiâ ex anni Con-
stit. pag. 1052.

piti res erat; Quin imò ipsamet cautè adhibenda remedia, quæ recreandis, confirmandisque viribus dirigebantur. Quot equidem recensere ego possem è medio sublatis, quos hisce artibus, atque adminiculis servari posse evidens erat, ac planè conspicuum; Si modò in doctum ac prudentem Medicum incidissent? Quot *Orco* dedit præceptis unius hominis audacia, qui eò temeritatis evasit, ut indiscriminatim singulis decantatum quoddam sudorificum in ejusmodi pectoris ægri tudinibus exhiberet, ceu Polychrestum, ac Divinum propè auxilium? Oh quàm perutile foret Reipublicæ hujusmodi pestiferam hominum sobolem de humano Corio impunè ludentium proscribere! Oh quàm miseris ægrotantibus proficuum in solertis ac probi Viri manus devenire! Quantum verò expediat Medico, quæ exhibenda sunt remedia, maturè expendere, eaque pro morborum indole, atque ingenio Exploratoris instar discernere; Ipse Peruvianus Cortex, ut de hoc uno loquar, ostendit. Is namque, qui superiore anno voto feliciter respondit, *Cane* modò pejor, & *Angue* fugiendus nedum in exaratis sævientibus pectoris affectibus erat, sed & in cæteris ferè, tum potissimum in ipsis, quæ mox Autumno præluferant, quæve dein toto decursu anni sævierant passim, febribus; Evidenti quidem indicio, stimulo magis, quàm freno opus esse, secus ac præterito anno, quo tota humoralis massa ad orgasmum heu prona nimis, ac *nescia stare loco*, coercenda erat potius, ac ceu injecto compede suos intrà fines, ac limites, ne diffugeret illa prorsus,

compescenda, quod quidem mirè utique præstare potens est memoratus Cortex, ut Doctissimi Viri adnotarunt. Eandem ob causam pariter vesicantia, quæ Superiore Anno noxia valdè extiterant, ac nefasta prorsus, haud exiguum hoc labente anno ægrotantibus opem attulere; Ut & sanguinis missio, quam propè dixerim princeps potissimumque extitisse in hac Constitutione præsidium, ut superius ostendi. Equidem ut apud Geometras *curvum* norma sæpè est ac regula recti; fas est exinde decernere, quibus in morbis proficua sit, quibus econtrà noxia venæ sectio, tum vesicantia, ac cætera quæque consueta Artis præsidia. Profectò si ab *Hippocratis* ævo ad hæc usque tempora hisce vestigiis institissent Medici, optatæ perfectionis apicem jam dudum attigisset Ars, quæ conjecturis & adhuc jure meritò foeta illis videtur, qui haud sciunt errores non Artis esse, sed Artificum.

LVI. Omne scilicet, ut ad exaratas pectoris ægri tudines me conferam, intrà Thoracis claustra intimè latebat malum; Quod quidem, si Erysipelatis morem, incrementa, exitum, quibus id ipsum se se perspicuum præbet aliquando, ac recens præbuit, attentius expendimus, ac utrumque horum invicem comparamus, nihil omninò diversum, ac discrepans reperimus; Quin imò fateri opus est ejusmodi exaratas pectoris ægri tudines nil aliud reverà esse, quàm *Erysipelata Pulmonum*, quæ in gangrænam dein, aut suppurationem, aut in utramque tendebant. Febrim quod attinet, ejusdem hæc ipsa erat indolis, ingenique, ac

illa, quam jam tum comitem sibi adsciverant Erysipelata superiore Autumno orta. *Crymodem* vocabat *Aetius*, ut eam ab *Thyphode*, ac *Lypiriâ* secerneret, quæ obfesso Erysipelate hepate, aut ventriculo oritur. Ut autem ad pectus potius, quam ad aliam quamlibet partem præcipiti gradu rueret morbifica materies, ibidemque phlegmonis modò, modò *Systrophes*, aut abscessus more subluderet, totque diras adèò ægri tudines gigneret, haud abstrusa res est intellectu. Quandoquidem huc, qui per universum corpus perenni lege fertur cruor, totus pleno alveo pertransit: Huc mirriplacatis generis vaforum textura præclaro invicem ordine ludentium conspicitur; Huc denique aeris alterationes quotquot effingere, aut cogitare animo quispiam potest, vestigia sui relinquunt. Hinc solidis, ac liquidis propagata labe; hinc Phlegmona, hinc *Systrophes*, hinc enati ad pectus abscessus, quarum omnium ægri tudinum parentem causam lubet ab aère ipso deducere.

LVII. Et sane ut is *acrioribus moleculis* dives superioribus annis, cum affiduè adèò perflarent Austri, ad fluorem liquida coegit, ac dirè admodum si quis unquam, adversus solida se se præbuit, eadem crispando, vellicando, erodendo, ut tot palàm fecere spasmodicæ affectiones, quæ tum temporis immaniter populabantur: Ut idem *subacidis*, ac *nitrosi Salibus* onustus, quas Boreas vehit, eadem sæpè liquida ad fixitatem deducit; nec solidis parcens ea ab proprio sui elatere cogit recedere, inque sistalticas reflexiones abripi haud finit ampliùs; Num vicissim ruen-

tibus Austro, ac Boreâ, cujusmodi hæc ipsa extitit labentis anni Constitutio *neutrum* quodpiam corrumpere aptum, ac figere abs re foret excogitare *salinum principium*; quod *in aère ludens* hæc intulerit ægri tudines, tum à fixitate, ac *stasi* liquidorum, tum ab putrefactivâ eorundem, ac solidorum unâ invicem conspirantium labe pendentibus? Quot enim ludere in mores salia novimus? Quot illa formas induere? In quot se se larvas effingere? Quis omnes horum species recensuit unquam, quot nec *Proteus quidem lusit*, nec *coloratus spectatur Camæleon*? Quis intimiora hujusmodi Naturæ abdita penetravit? Ut acidum, austerum, acre, & sexcenta alia in Sanguine latent inconspicua, ita in aère innumera ludunt, quæ homines *multimodè* afficiunt, ac tot diversa inferunt mala. Equidem in ejusmodi rerum trepidatione, totque inter ventorum oppositos flatus æquum erat internoscere insolitum aliquid *per æthera inane ferri*, quo semel affecta liquida, ac solida fixitatem illa, hæc labem, utraque necrosin, ac gangrænam susciperent.

LVIII. Ejusmodi itaque exoticis salibus imbutus aër obvium quidquid, ac suscipiendæ labi aptum magis inficit, ac lædit. Quæ quidem salia cum diversæ adessent naturæ, diversas quoque affectiones induxerant, *Phlegmona* nempe, *Systrophes*, *Sphacelos*, *Apostemata*, prout figendo, & erodendo apta, aut horum alterum, aut utrumque sæpè pepererant. Nunquam autem Sphacelo obsita ulla visa pars, quin huic inducta in liquidis stasis proluserit, ortumque dederit, ac incre-

incrementum. Num verò exitiales ejusmodi moleculæ ob spirantium ad-
verso invicem flamine ventorum con-
cursu, nùm ab alia quâpiam fortè
causâ repetendæ sint, decernere ne-
mo ausus unquam, ac revelare? An
Terræ motibus quidquam tribuen-
dum, jure dubitat (a) Clar. Gagliardus
quod idem observationibus longâ an-
norum, locorumque intercapedine
diffidentibus, institutis, ac collatis
invicem comprobare nititur. Ast &
id ipsum gravibus adhuc laborat dif-
ficultatibus, quas quidem prævidit
laudatus Author, haud tamen pro rei
dignitate persolvit.

LIX. Hæc inter læthiferas par-
ticulas liquidis, ac solidis æquè in-
fensas, exitiosæ, ac perniciosæ ma-
gis erant, quæ gangrænosam labem
inducendo pollebant magis. Hinc
enim enato celeritè Sphacelo velox
discrimen, ut ægroto *sexto, ac sep-
timo* obtigit, aliisque non nullis, qui
quarto plerumque, quinto, ac sexto
die defuncti sunt. Nosse erat hujus-
modi figentis veneni vim, (sit verbo
venia,) vel ab ipso ore, vultu, ocu-
lisque ægrotantium, perturbati ins-
tar hominis, attonitique, sero heu,
trucique obtutu; Lingua iis urens,
ingensque in spirando fervor aderat,
ac præcordiorum æstus, sitis Tanta-
lea, dejectiones alvi nigrescentes, ex-
trema frigida, pulsus per totum mor-
bi cursum vix elatus, ac penè delin-
quens idem deficientque. Atque iis
quidem magni subsidii extitit The-
riaca recens unâ cum cardiacis assum-
pta, cujus beneficio haud pauci eva-
sere. Nec exiguam quoque opem at-

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

(a) *Relazione de' mali di petto
dell' anno 1720. p. 33.*

tulere vesicantia initio admota, ho-
rum quippè auxilio ad loca remo-
tiora protrusis lethiferis, exoticisque
salibus, seù, ut Præfici ajunt, mor-
bifica materie producta, atque ibi-
dem exonerata, non omnes passim
enecabantur, quam plurimi etiam su-
perstites fiebant.

LX. Nec verò quis me fortè putet
inconsideratè adèò Theriacam in hu-
jusmodi Phlogisticis, ac mali moris
pectoris affectibus adhibuisse. Ec-
quid enim ex ingenti remediorum fe-
gete usu præclarior, ubicumque in-
ternæ viscerum corruptionis, ac Spha-
celi metus est, quam Theriaca, quæ
lethifera spicula eludat, putredinem
arceat, cruorem ne effractis vincu-
lis in fluorem totus abeat, coerceat,
ac mobilissimas illius partes retineat?
Nùm in Pestibus, quarum Natura in-
tenuissima, celerrimaque putredine
maximè versari, vel ex eo clarum fit,
quoniam nullus morbus illis æquè est
contagiosus, præsentissimum hæc ipsa
auxilium est, cæteris longè præstan-
tius? Narrat (b) *Forestus plerosque
Hagæ Comitum anno 1580.* cum ejus-
modi ægritudines dirè ibi crudeliter-
que sævirent, *se ipsos tum alios abs-
que Medici præsentia curasse assum-
ptâ Theriacâ.* Quod tamen auxilii
genus, ut potè vulgare, ac comparatu
facile haud ipse omninò probare vide-
tur, ait namque idem, *præstare magis
ea omnia adhibere, quæ vera methodus
curandi docet, quàm uno calipodio,
ut calcearii, aut uno medicamento
omnes curare.* Nunquam enim fortè
noverat adhuc Vir eximius specifi-
corum usum in Medicina, aut quod

LII

illius

(b) *Obs. 3. de febr. cum morbo
Epid. grassant. p. 152.*

illius ævi mos erat, crediderat ipse sanari haud posse tutò ægri tudines, nisi peregrina, ac pretiosa remedia comparentur, quæ

Lucis in ortu

Indus, Arabs, Syrus, divesque Sabæus Vicino sub sole legit, quæ præbet Orôtes, Eximia ignoto mittit quæ Nilus ab ortu. vanam scilicet ac futilem Medicinam esse, quæ remedia proponit, ut *Plinius* loquitur, parata vulgò, inventu facilia. Heù quàm miserabilis aderat illis temporibus Reipublicæ nostræ facies, quotve nobilissimam Artem erroribus implicarunt ingenia Arabum?

LXI. Ubi verò inflammatoria materies in suppurationem abierat, perque illam sputum expurgari cæperat, summa erat nitendum ope, ut ritè id leniterque prodiret, tutaque dein, ac subita ulcerosi loci depuratio contingeret. Subit hìc loci, atque in memoriam redit miræ in præclara Vestali curationis exemplum, cui hujusmodi abscessus in Pulmone diù latens erupit tandem, ipsaque unà cum sputo folliculum ipsum (mirabile dictu) quo purulenta materies includebatur, ejecit. Erat is cystidis instar efformatus, inque ejus fundo purulentus humor conspiciebatur ejusdem coloris, ac substantiæ, cujusmodi aderant sputa, quæ jam diù ante prodierant. Vesiculam adfuisse crediderim in hunc morem protensam ex iis, quibus totus undique Pulmo eleganti artificio componitur, in qua ceù in folliculo, aut cystide pus continebatur, atque earum quidem, quæ majoribus Tracheæ ramis proximiores sunt, quo faciliùs assiduis tussiendi conatibus omni, quò adnectebatur, soluta compede aëreos tubulos, quorum ad fines exiguæ

ejusmodi vesiculæ appenduntur, subire potuerit, perque os dein protrudi. Equidem folliculatas, ut ajunt, Vomicas seù hujusmodi Pulmonum abscessus, qui propriam sibi Cystim comparant, nil aliud esse arbitror, nisi vesiculam quamdam hoc pacto extensam, purulenta in illam materie è finitimis vasis secedente, atque ibidem collecta, quousque tandem ob sui copiam, aut nimiam acrimoniam effractò claustro in asperam arteriam, aut in cava Thoracis effundatur, Anatomica Pulmonum administratio perspicuiorem rem efficit: Quippè sanguifera vasa, quæ per totum Pulmonem innumeris propaginibus disseminantur, quæve admirabilem ibidem contextum explicant, ad universas vesiculas pergunt, juxtà quas illa variis amplexibus, ac gyris unà invicem ludunt, ac desinunt. Ecquid autem conceptu obvium magis, quàm tenellis desinentibus arteriarum, aut venarum orientibus ramulis disruptis, in vesicularum sinus sanguinem sensim effundi, ibidem colligi, ac dein in pus verum abire? Hinc enormes aliquandò ejusmodi Vomicae, aut plures unà simul eodem tempore, aut successivè erumpentes. Videmus in statu præternaturali aneurismata passim, ac varices ab dilatatis arteriis, aut venis efformari, ac diversas passim glandulas laxiores evadere, intumescere, inque magnam molem consurgere. Num æqua ratione vesiculares pulmonum cellulæ extendi magis, ampliores effici, ac dilatari haud poterunt, subque folliculi imagine mintis in Anatomicis peritos erudere? Num & eadem fortè hæmoptifeos incrementa, ac incunabula, totque dirarum pectoris ægri tudinum?

LXII. Altera Vomicae species recensetur, quam tamen vix ego Vomica dixerim: Quando scilicet in pulmonibus foveam unicam, aut fortè binas efformari quandoque contingit, easque circum circa parietes callosos obtinere, ita ut materies ibi collecta in massam sanguineam minimè transferatur, sed quotidie tota, copiâ licet ingenti, expectoretur; Hi satis sani degunt, benè respirant, comedunt, & dormiunt incolumes, aut saltem in modico corporis habitu persistent, & non rarò peresescunt. Hinc non nulli dicuntur Phtysin per 30. aut 40. annos habuisse. Vivit apud nos Mercatoris Uxor quinquaginta quinque annos prætergressa, plurimum liberorum mater, è quibus unus ante biennium Phtysicus obiit: Illa habitu phtysico ab annis plusquam viginti merè purulenta expuit, skeleton referens, & quamquam à catarrhis in pulmones crebrò decumbentibus, præter frequentes ex liene ægri tudines, fato sæpè fuerit proxima, nostraque cura liberata, periculo tamen semper defungitur, ut in illam quadrare queat, quod eam mulierem, de qua *Hippocrates: Quinquies mortua est.* Quemdam olim secui tabe extinctum, cujus dum pulmones inspicerem binas utrinque cavernulas avelanæ capaces, non tamen exactè rotundas, aut æqualiter cavas reperi, sed quasi laceras, ac si à muskela vel à glire frustulatim portiuncula avulsa pulmones exesi fuissent. In harum altera ulceris callo recens obducti vestigia adhuc supererant. Sæpè is sanguinem tussiendo expuerat, tum paucis ante obitum diebus magna copia ejecit atri, spumosi que.

LXIII. Utque rem in pauca contraham: Ut nullam absque folliculo, seu cystide vomica concipio; Ita harum quotquot occurrunt, sedem, ac locum in vesicularibus pulmonum cellulis statuendum autumo. Hinc purulenti, ac puris discrimen; Quæ namque ab effracto apostemate expuitur materies, verum illa ac genuinum pus est. Quæ vero purulenti instar se habet magis, hæc nullam prægressam, aut præsentem vomica, aut aut flaccidos natura pulmones, aut eosdem nimio onere oppressos significat. Quod sanè ritè est secernendum, ne sæpè quamlibet aliam pectoris ægri tudinem pro vomica accipiamus. Utriusque, purulenti videlicet ac puris distinctionem præclarè assignat *Divinus Senex lib. de alim.*; Enim verò ut haud concipi unquam potest ullum fieri posse pus absque suppuratione, quidquam sanè inter hoc, & purulentum intercedere opus est, quòd nempe ad purulentum tantummodò sufficiat sanguinis vitium, secus ac in pure generando, cui & solida suum quoque calculum præbent. Adversus *Hippocratem* stare videtur *Galenus* ex sanguine pus fieri ratus, quòd in phlegmone in abscessum abeunte sanguis extrà vasa effusus in pus vertatur. Atqui haud advertit ipse suppurationem haud fieri unquam posse absque carnis erosione, quod sanè indicat sinus post puris evacuationem sæpè relictus; Sanguis enim fusus, & calefactus, ut antiquissima Verba usurpem in hac parte, humidam, & calidam carnem, quam attingit, corrumpit, ex qua carne, si Natura robusta fuerit, verum pus nascitur, cui non rarò admiscetur aliquid puriformis

ex sanguine, & humoribus extra vasa effusis. Ego quidem totum, quod adest inter pus, ac purulentum discriminis ab ipsis humoribus petendum existimo: Vel enim sanguis est, vel lymphæ, quæ in pus abit. Utrumque enim horum per proprios sibi demandatos ductus uberi gurgite excurrit. Utque ab illius vitio verum pus, sic ab lymphæ pituitam illam putrem, seu purulentum illud, quod à vero pure secernitur, generari puto; Ad utriusque verò generationem solida æquè concurrunt; Discindi hæc namque, erodi, aut quocumque alio modo lædi opus est, ut inde ab receptaculis suis, per quæ vehitur, sanguis, aut lymphæ secedat, inque pus abeat, aut purulentum. Atque hinc e folliculatis vomicis verum pus, secus verò ab iis, quod foveas dumtaxat, aut cavernulas in pulmonibus obtinent, exire cernimus; Quòd illæ ab sanguine per ima quotquot Delubra pulmonum discurrente, atque in vesiculas exundante enascantur. Hæc verò ut plurimum in extima pulmonum parte conspiciuntur; Lymphatica namque vasa superficiem tantum pulmonis attingunt, perque illam assidue lusu feruntur.

LXIV. Ceterum quodcumque illud sit discrimen, quod inter purulentum, ac verum pus intercedit; Idem illud facere videtur, quod & alterum. Utrumque enim sæpè inevitabili fato prolusit. Rursus in hoc etiam differunt, quod pus malum sit ut signum, & ut causa; Ut signum quoniam abscessum, & inflammationem systrophicam præcessisse declarat; Unde consumptio partis pulmonis sequitur: Ut causa quia nisi ex-

eat, febrem lentam fovet, rigores inæquales affert, & corrumpit partem, & in qua manet, & contagio vicinam. Pituita verò putris, seu purulentum, malum est ut causa tantum, quoniam afficit Pulmonem ipsum morâ, nisi exitum habeat. Sic in tussibus aliquandò cum pituitâ excernitur, & sputum album, & semiputre, atque ut aiebat Hippocrates, simile puri. Quæ huic succedit Phthisis diuturnior, ac propagari aptior alterâ est, quæ ab vomicâ provenit.

LXV. Verum illuc, unde capi; Ejusmodi pectoris ægri tudines propè comitabantur anhelationes, quas Græci Asthmata vocant, Tusses, raucedines, capitis dolores, ventris tormina; atque è chronicorum classe Hydropes, æque pectoris potissimum, Tympanitides, Tabes, Arthritis, Scabies, postremaque hæc pueris præsertim, ac fœminis. Quædam etiam per ætatem gliscere visæ, febres mali ingenii, eoque illæ peiores, truculentioresque, quò Canis instar rabidi hos, atque illos absque latratu lacebent; Hisce se se addiderant verminosæ aliæ, hæcque inter non nullæ, quæ incerto plerumque circuitu, miti, placidoque vultu ludabant, quæve diriores, inclementioresque evadebant, si quis illas consueto more expugnare tentaverat. Obesiores in universum, quibus

*Pinguis aqualiculus propenso se-
qui pede extat,*
sæviùs, crudeliterque magis vexati; Tum qui antiqua in Cruribus, aut Tibiis ulcera, aut peculiarem quampiam ægri tudinem diù fovebant. His namque inopinatò arefcente ulcere,
aut

aut vetere sanato malo, pectus illicò afficiebatur infausto successu. Hoc pacto sublatum initio veris Romanum Pontificem CLEMENTEM XI. audivimus, delatis mox Ecclesiæ clavibus Generis nobilitate, ac moribus Spectatissimo Viro *Michaëli Angelo* Cardinali *de Comitibus*, qui nomen sibi assumpsit INNOCENTII XIII. maximo totius Christiani Orbis gaudio, ac plausu.

LXVI. Invalescente Æstate frequentiores adhuc, quàm unquam vomicæ extitere, quæ quidem, etsi pari felicitate absolverentur, non eadem tamen initia, ac incrementa observabant, ac quæ anteacto Vere proluserant. Plurimis namque levissimâ de causa vomica erupit, nullo sæpè prævio vestigio doloris, aut horum quopiam, quæ sive futurum, sive jam factum abscessum, sive propè impendentem illius disruptionem prænunciare consueverant. Sæpè hos inter fluctus ventorum Variolæ, ac Erysipelata se se prodere conabantur, vix tamen quidquam memoratu dignum edidere. Quidam etiam mediâ Æstate subito fato tum in Urbe, tum in Agro erepti sunt. Desinere tandem, saltem hæud ita frequentiores occurrere appetente Autumno cæperant memoratæ vomicæ, ac tum rursus quidem, dirèque magis foris prodire exarata febres, quarum tamen vix ullam cernere erat absque comite Pectoris labe, sive hæc illis præcurreret; sive in hanc illæ exierint sæpè. Vix pauci per Æstatem Dysenteriâ laborarunt.

LXVII. Primis Augusti diebus magna caloris vis extitit, mox triduum tonitruosum, pluviosum, ac

quandoque grandinosum successit. Immotus per id temporis Mercurius constitit diù; Visus hic ima repente petere, ac veluti in Perigæo degere, cum propè impenderent tonitrus, *Cælique fragores*. Sæva hinc exarata alvi Tormina accessere, quæ etsi primo intuitu lenitè laceffere viderentur, in contumacissimas dein, periculosas, ac plerisque læthales ægri tudines accedente Æquinoctio degenerarunt. Ingens quoque hæc loci commemoranda subit Puerperarum clades, quarum plurimæ abortivos fætus edidere. Fortè id nedum liquido ad lentorem totiès memoratum proclivi, quin, & solido quoque nimis debili, ac laxo maximè tribuendum; Utrumque ab arcana, ac inexplicabili aëris constitutione, undè & cæteri effectus prodierant, repetendum.

LXVIII. Equidem, ut verbo me expediam; Vereor namque ne in magnam nimum molem excrescat Pagina; Si quotquot hoc anno regnarunt, ac longè, latèque sæviere, malorum indolem, ingeniumque, atque originis principium attentè perspicimus, nedum video lentoris crimine redarguenda liquida, quin & forte maximam vitii partem solidis tribuam nimiâ laxitate peccantibus. Ecquid enim tot vomicæ, ut unam instar omnium ægri tudinem in exemplum afferam, ecquid inquam tot hoc anno vomicæ, quot nunquam auditæ olim? nisi ab solido in crispaturas suas, ac proprios nisus deduci hæud potente amplius, ac penè dixerim, deficiente? Annè fortè quis adhuc, frustra declamante *Petronio* (a), in eo

est, ut totum liquido opus nihil in œconomia animali solido velit adscribere, ignoratione potius pertinaci, atque inani sectæ amore, quam ratione aut consilio? Juvenem nuper secui ex febris acutâ vigesimo morbi die defunctum, cui omnes Peripneumonix notæ aderant; Huic universa Pulmonis substantia in strumas veluti composita conspiciebatur, quibus apertis ingens puris copia profiliebat. Quidam quoque diuturno affectu catarrhali vexatus, qui mox in ascitem degeneravit, cum vesci amplius haud

potuerit, inediâ necatus periit; Aperto Cadavere summè flaccidos Pulmones, ac multâ sanie repletos, tum viscera quæque imi ventris laxa admodum, ac ventriculum præsertim, comperi occluso penitè Pyloro, ut nec Stylum quidem admitteret. Nùm id fluidis potius, an solidis adscribendum? Nùm & ultrò toti erimus in expendenda *liquidorum intemperie*, Principis illius intemperiei, quæ in solidis est, immemores prorsus, earum ignari rerum, *per quas vivimus?*

Constitutio Epidemica Taurinensis Anni 1722.

I. **A**nni Historiam perscribere aggredior ab superioribus duobus, qui hunc præcessere, annis parum, ac vix, toto sui decursu dissimilis, sive adspirantium ventorum indolem ac morem spectamus, sive ingruentium morborum sobolem, ingeniumque. Venti namque, ut ab iis ordiar, qui, ut verissimè ait *Argolus*, *in animantibus salubritatem unicè ingenerant, suscitantque?* totius anni curriculo, assiduo, nec unquam interrupto flamine diù perspirarunt ab Hyperboreis modò plagis, modò ab Australibus oris erumpentes. Varia hinc, ac incerta omnino tempora; Præmatura modò hyems, immitisque; lenis eadem modò, ac Veris potius imaginem referens, ac vicem: Prout nempe aut ruens ab alto Boreas, sævusque Aquilo, aut turbidus Auster perflabat. Recurrere sæpè visa mediâ hyeme æstas; Floraque ubique in agris ludere, lætaque prodere initia veris. Labet autem altiùs ab autumnali æ-

quinotio, ubi superiore anno desii, initium ducere, antequàm ad hyemem ac anni reliquum festinante calamo properet Oratio mea.

II. Autumnus itaque, quæ quidem anni tempestas Medico maximè diligenterque expendenda est, utpote quòd sub id fermè temporis nova plerumque soleat morborum cohors in scenam prodire, toto deinde anno longè latèque regnatura; Autumnus, inquam, statim ab initiò horridiusculus ad plures diès præluxit, præcipiti ruente Boreâ. Atqui redire protinus, auctusque velut viribus perspirare iterum, ac sævire magis visus Octobri Auster, quo usque dein validiore impetu erumpere denuò abeunte librâ cæperunt ab Orientalibus primò, mox verò ab Aquilonaribus terris horrentes gelidique flatus obscurato æthere, effusisque super Alrium cacumina, perque subjectam Planitiem, finitimosque agros, vix tertio ab Urbe lapide, ubertim nivibus præcocem

cocem heu, asperamque hyemem portendentibus. Unius adeo mensis spatio urens modo aestas, modo rigida hyems saevit, extremosque utraque conatus edidit, pugnantibus invicem, ac velut de summâ rerum, quis nempe horum prior terga daret victori, palmamque alteri victus cederet, certantibus inter se ventis. Vicit utique, vicit, diuque ludentium australium iram, saevitiemque tandem omnino fregit iis oppositus Aquilo; Novaque extemplo, etsi mitiore quidem imperio, morborum legio se se palam ostendit, inque apertum prodiit, quorum vestigia, ac penè dixerim, prologia nosse erat appetente æquinoctio; cum primùm scilicet horridiuscula aura, silentibus ad aliquot dies, suaque in clausura illicò receptis Austris, dire perflavit.

III. Cernere quidem erat recens ortas novæ indolis febres per id temporis subcludere ab iis, quæ antea æstate, ac superioribus annis ultrò citròque debacchabantur, primo adspectu omnino discrepantes, intermittentes videlicet, aut intermittentibus analogas, iisque comites, ac pedissequas veluti, statim ac ruere Boreas coepit, plerisque passim ægri tudines, Asthmata, Lippitudines, Hæmoptoses, Paralyfes, Dolores vagos abdominis, Pancreatis, Mesenterii, aliarumque per ima ventris latentium utriusque generis glandularum Obstructiones, contumaces quantum, ac consuetâ hætenus Practicis Methodo invictas prorsus! Utque omnem morborum Iliadem, qui, ceu ab Trojano Equo denso agmine Milites, ab uno omnes fonte progerminarunt, brevi sermone complectar; Dolores acerbissi-

mos artuum, Nephritides, Apoplexias, quibus diurnæ Hemicranix, aut suppressa consueta quæpiam de more evacuatio præluferat. Addere hisce fas est lugendam, ac deplorandam adhuc *Puerperarum cladem*, earumque præsertim, quæ abortivos foetus pepererant. Senes in universum, diurnisque malis confecti postremum subiere fatum, quamve diu eluserant mortis vim, hanc tandem obire, ac communem omnibus aleam experiri coacti sunt. Phtysici quoque omnes brevi tempore sublati, ii scilicet, quibus aut hæreditaria labes pulmones obsederat dudum, aut adventitia eadem recens obtigerat post prægressam vomitam, aut aliud quidpiam in imo pectore latens, abditumque. Equidem invalescente hyeme, redeuntibus demùm in scenam Austris, sese condere hæc visa propè; Ac tum quidem Variolæ, morbilli, acutæque febres, quæ sub intermittentium larvâ primo, aut altero accessu delitescabant, moxque dein in subcontinuas mali moris celeri pede migrabant, torrentis in modum hos atque illos nullo discrimine aggrediebantur. Id tamen minimè quidquam officit, quin totius anni imperium, potestatemque morborum exaratis intermittentibus febribus, aliisque præfatis ægri tudinibus, quæ sub illis militare videbantur, dominatum inquam, præcipuamque iis sedem tribuamus.

IV. Totius hinc decursu anni præter modo dictas febres intermittentes, dolores potissimum abdominis, immanes iidem, saevique admodum præcæteris saeviere; quodve peculiare aderat, ac notatu dignum, videre erat stas plerumque horis exiguo præ-

præludente rigore, aut nullo quandoque etiam prævio horroris vestigio, ejusmodi dolores recurrere, statisque pariter horis evanescere. Non nullos quidem sine ullâ intermissione iis vexatos memini, atqui ceû in febribus subcontinuis observare est, quædam aderant novæ exacerbationis indicia, ac certa veluti proludia novi, ac dolorifici, ut ita loquar, repetentis paroxyfmi. Sed de hisce in præsentiarum fatis. Præstat modò, quam exorsus sum, tabem absolvere, rectoque dein tramite, quo unusquisque memoratorum affectuum sese prodiderit, vultum, quem servaverit, typum, quamve præ se tulerit, indolem ac genium explicare.

V. Medio circiter Octobris Orientalis aura non alterove die læto flamine adspiravit. Mitescere hinc non nihil æstus cœperat, quem revivifcentes iterùm Australes flatus adtulere, insuetumque paullò post frigus erupit, gelido Aquilonis afflatu, cujus vim, feritatemque, nedùm Incolis, Arboribusque, ac plantis, sed & ipsis etiam infontibus aquis præmaturo gelu concretis, ceû sub rigidissimâ hyeme, vix orto Autumno, insensam adnotavimus. Quod quidem nullâ hæctenus hominum memoriâ Subalpinis unquam obtigerat. Obscurum hinc sæpè cœlum, varium idem, incertumque; mox serenum, atque præclarum, prout Orientales modò, modò Aquilonares venti perflabant. Sæpè etenim visum, ac diutinâ experientiâ compertum, obscurum nubilumque autumnò cœlum reddi Orientalibus ventis spirantibus, serenum verò, nitidumque idem evadere instante Boreâ. Postremum Octobris

diem impetuosus is maximè, præcepsque ruens obsignavit.

VI. Felicioribus auspiciis sese prodidit subsequens Mensis. Lætior namque ab Occasu adspirans Africus sin minimè sævi Aquilonis iram omninò retudit, illi saltèm morem imposuit, vimque, ac sævitiem ejus maximam, magnam in partem, coercuit. Saluberrimos utique, lætissimosque Subalpinis occidentales ventos jam dudum novimus; quod quidem ego adnotare operæ pretium duxi; cum primum morborum quot annis apud Subalpinos sævientium historiam, quot annis & illam, quandiù vitam mihi, ac vires huic oneri ferendo pares dederit Deus, persolvendam conficiendamque daturus; Augustæ Urbis, quæ tótius Regni caput est, Regumque inclyta sedes, agrique ejus, ac universi Subalpini tractus, qui ad Alpium radices insidet, conspectum ac positionem, tum cæteras aëris & alimentorum qualitates, quæ Urbium cœlum constituunt, descripseram. Furere hinc denuò Boreas visus ad aliquot dies, novo tum rigente gelu tellure, concretisque suis in alveis indomito frigore aquis. Quod supererat mensis reliquum, tum Decembris initia Auster iterùm funestavit. Observatumque nunquam, sive is, sive alter quispiam ventorum perflaret, perspirare illos cœpisse, quin obscurari è vestigio, cœlum videretur, ac inopinato propè tempestas impenderet. Ad Solstitium hæc usque gesta.

VII. Exordia hyemis tum modicus effusus imber, tum uberi dein copiâ delapsæ cælo nives fœdarunt. Veris illa potiùs, quàm hyemis primordia dixisses. Magna hinc temporum subse-

subsecuta tranquillitas lætaque rerum conditio. Mite prorsus, placidumque cœlum, lenibus per intervalla obsecundantibus ventis ab occasu modò, modò ab meridionali piaga proficifcentibus. Haud minus læto omine Januarius illuxit, qui & idem ad postremum usque diem permansit, hujusce felicitatis, lætitiæ, ac serenitatis Autoribus unicè Occidentalibus flatibus affiduo, lenique flamine è propinquis, atque excelsis Alpium fastigiis perspirantibus, quæ illorum, si quid infensum iis manebat adhuc, coercebant. Mirum utique nos iis plerumque ventis serenitatem debere, cum ex adverso impetuosus hi maximè ac infalubres Galliæ occidentalis regionibus sint. Atqui si vastissimum illum tractum mare inter atlanticum, ac Alpes, quæ nobis ad occasum imminet, animo metimur, si suprema Alpium fastigia, ac præcellos harum vertices intuemur, ità quidem compositos comparatosque, ut infensum quidpiam, magnoque impetu ruens compefcere queant, ac inhibere; mirum haud videbitur ampliùs, ut lenes ii ac temperati dein Subalpinas hæc regiones benigno afflatu pervadant. Uberrimam namque vaporum aquosorum copiam, quam hi secum ex Oceano adferunt, magnâ ex parte suo in itinere dimittunt, tum si quid adhuc retinent, antequam Alpes attingant, omninò deponunt. Norunt id quidem Allobroges, ac finitimi iis incolæ, qui trans Alpes degunt, quibus secus ac Subalpinis, nubilum ac pluviosum aërem ejusmodi venti adferre solent. Id scilicet beneficii Alpibus debemus acceptum, sic una dispositis, ac collocatis, ut non nisi

placidos pacatosque ventos ad nos appellere ab ea parte sinant, perque patentes campos discurrere. Secundâ Januarii die cum advesperasceret propè, primoribus nempè noctis tenebris, obscurus quidam auditus cœli fragor, & passim cadentium fulminum species visa, violentissimo è Boreali claustro ruente turbine meridiem versus, contremiscente veluti, ac commoto Solo: Citissimè tamen id desuit, nec ultra horæ quadrantem perduravit. Manè sequenti serenum iterum, ac sedatum cœlum, idemque totius fere mensis spatium præluxit.

VIII. Priores Februarii dies foedi admodum mœstique extitere, obducto nubibus sole, densoque velut si-
pario, ac caligine obvelato; Lætiores hisce successerunt ad æquinoctium usque, occidentalibus iterum per intervalla hiscentibus ventis, qui itidem ad austrum modò, modò ad Boream accedentes pulcherrimam modò, modò lætam minùs rerum scenam effecere. Ediscere erat, ac veluti prænoscere ejusmodi ventorum, aërisque vicissitudines inspecto Barometro; quandiu enim perspirabat ab occasu lenis aura, videbatur in media veluti statione Mercurius detineri, unoque tantum alterove gradu ab illa discedere, humilis ille, aut elatus, prout ad Austrum modò, aut ad Boream venti declinabant. Propè appetente Æquinoctio varium iterum, incertumque cœlum extitit furentibus Austris; Pluviosum mox idem, nubilumque; quo usque tandem nitidus ac lucens Sol in ipso veris limine, è tenebris velut, quibus obvolutus aderat diù, emerfit lætus, beatissimosque dies incolis tulit. Beatissimi utique,

que, lætissimique dies, quos præclariores inter aureoque signandos lapillo, jure merito recensere fas est; quippe qui Regiæ Celsitudinis CAROLI EMMANUELIS Pedemontium Principis Augustam Sponsam ANNAM CHRISTINAM LUDOVICAM, è Regio atque Imperatorio Comitum Palatinorum Rhæni Sanguine ortam nobis dedere, magnò civium, ac subditorum omnium, exterorumque plausû, lætitiâque. Insonant etiamnum auribus meis publicæ voces hilaritatis obstrepentium passim bombardarum tonitru exaggeratæ. Versatur ob oculos festorum ignium splendor. Occurrit animo triumphalis ingressûs Majestas, ingens omnium ordinum alacritas, confertissima populi multitudo: dubium ut esset, an hæc una in Pedemontio Civitas, an totum in hac Civitate Pedemontium contineretur. Proh superi quàm festa, quàm augusta pompa gaudiorum! Nec exigua quidem laus est Medicos hosce fastos tam benè auspicato, fortunatissimoque connubio, ceû præclarâ quâdam, felicissimâque Epochâ obsignare. Annuat Deus populorum votis, ac precibus, Patrique, Avo, Proavisque simillimâ concessâ Prole, omnigena hoc uno collata nobis, quod idem maximum est, præcipuumque, beneficia compleat, æternetque.

IX. Mitem adeò placidamque hyemem, ut è diverticulis in viam redeam, secus ac portendere videbantur autumnii initia, transegimus, vix unâ aut alterâ vice spirante Boreâ, sæpè quidem Occidentalibus ventis, quibus australes etiam aliquando, reciprocantibus invicem Imperiis, ob-

sequebantur. Die Martii vigesima sextâ, cum Sol ad occasum vergeret, horrendis tonitribus æther circumfremere auditum, absque omni cœli parte emicare visâ fulgura, nunc intermittente luce, nunc conditâ, effusâ mox torrentis instar pluviam grandine comixtâ. Sævissimus hinc, qui diù siluerat, furens Boreas, adque plures dies perdurans luctuosissimam rerum faciem, media inter gaudia, ac jucundissimi veris præludia, quæ amæniora haud extitere diu, reddiderat. Languere enim omnia illicò vidimus, prætaque, agros, ac nemora sidereo veluti afflatu ustulata, quæ paullo ante virentia undique, lætisque decorata floribus cernebantur. Luctuosum utique ac deplorandum spectaculum omnium oculis erat canentia circumquaque arva intueri, glacialibus usta pruinis, rigidoque horrida gelu.

X. Aprili mense iidem assiduo, ac diro flamine perspirarunt Boreales venti, obscuro plerumque ac procelloso aëre, sparsa quoque subinde pluviam nivibus mixta nimbofis, cum potissimum mitius rueret heû tot parens malorum Aquilo. Eadem Majo ac Junio scena si quosdam tantum dies excipias vernâ serenitate, ac spirantibus quandoque etesiiis, quasi æstiva temperie, commendabiles. Sic veris speciem hyems tota Austrina exhibuit, cui postmodum ver successit hyemis naturam veluti mutatis vicibus referens. Eodem modo subsequuta æstas est usque ad caniculares dies, quo tempore satis curiosum fuit luscinias audire pro cicadis arbuta rumpentes.

XI. Nefastum sanè, & insalubrem annum nemo non præviderat, tum ob

apparentia in mororum foliis signa uredinis, quæ sterilitatis Prodroma est, tum ob pertinacissimam siccitatem telluris, arescentibus ob inopiam humidi plantis, oleribusque. Illarum pleræque mediâ ferè æstate honore frondium orbatae, cùm appetente hyeme, videbantur. Etsi enim ver pluviosum potiùs signare obtigerit, quàm siccum; detrimenti id tamen magis agris fuit, quàm utilitatis; Nocturno namque gelu madens adhuc tellus gelido velut rore insper a manè conspicietur. Intemperatum adeò, ac ex legem omninò annum experti sumus, nullâ ex illius partibus legitimam ac propriam temperiem servante, sed unâ alterius subeunte vices, funesto prorsus discrimine. Æstatis reliquum nunc lenes, placidique anniverfarii venti, nunc spirans ex alto Boreas lætum modò, placidumque, perfrigidum modò, ac procellosum, tonitribus intermixtis, cœlique fragoribus tulit.

XII. Antequam verò ad morborum historiam me conferam, lubet pauca delibare leviter, breviterque percurrere, quæ quidem explicandæ illustrandæque morborum indoli, comparandæque eorundem genio accommodata esse videntur. Sic enim recto velut tramite unâ properamus ad metam, quæve inferiùs dicenda manent, conspicua eadem magis evadunt, ac præclariora.

XIII. Quæ altera emiserat folia Morus, (ut ab Principe arborum exordiar, quæ haud exiguas incolis opes præbet,) exusta, ac veluti absumpta cernere erat, rubigine illa ne, an flavedine potiùs anceps hæreo; Flavedinis enim vestigia ubique aderant,

seu rubiginis minùs intensæ, atque ad flavum colorem vergentis. Cæteræ ferè arbores, tum frugiferæ, ut Armeniaca Malus, Cerasus, Ficus, Nux, Olea, Pirus; tum steriles, ac infelices, cùm Cornus, Fagus, Oleaster, Salix, Tilia, Pinus, Abies, ipsa dein virgulta, arbutaque, fruges, ac hortensis universa familia haud obscura Epidemicæ hujusce (sit venia verbo) rubiginis indicia præbuere; Uvarum quoque proventus, qui veris initio aureus sperabatur, ob eandem causam nonnisi parcissimus extitit.

XIV. Quoad insecta, nunquam adeò exiguus spectatus horum numerus, tum eorum, quæ primo vere, tum quæ invalescente æstate ludere quotannis cernimus, perque aera densò agmine circumferri; *Noctilucas* præsertim; quæ vespertinis horis quasi tot Phosphori æstate potissimum erumpere solent, vix paucas omninò prælucere observatum. Nec dubium Borealibus id ventis tribuendum maximè, à quibus nitrosas particulas magnâ copiâ advehi comperitum est. Et sanè quo in loco hujusmodi insecta advolant, hæc ipsa sulphuris ibidem, quod aptissimum eorundem pabulum videtur, præsentiam comprobant, quod & insuper foetidi odores, quales ex sulphure & sale unitis percipiuntur, tum endemii iis in locis, aut per ea tempora morbi ultrò confirmant, ac docent. Atque hinc quidem fit, quod in Russia, & novæ Angliæ quibusdam partibus, ubi tum hujusmodi animalcula, tum Cantharides, Scarabæi, Locustæ, Formicæ, Scorpiones, ac Pediculi alati, tum alia pleraque hu-

jusce modi infecta rarò, aut nunquam visuntur, ex vix ægritudines sæviant, quæ apud nos solent adultâ per sæpè æstate caput attollere, ac debacchari magis. Locustas inter nulla frequentior Subalpinis *Gryllo-Talpâ*, horrendo visu infecto quadruplò maximam superante cantharidem, præcipuè ætate si fuerit provectiori. *Gryllum* hanc appellari puto, quia eundem fortè cum *Gryllo* stridorem nocte appetente facit; *Talpam* verò, quia terram continuò fodit. Est & altera species Locustæ, cujus præ cæteris magna visa hoc anno soboles, *Italica*, seu *Mantis* dicta, vel quia suo adventu ver præfagit, ut *Anacreon* cecinit: vel famem prædicat, ut *Cælius* annotavit: vel quia anteriores pedes, veluti manus, supplexes semper tenet, atque elatas, vatum more, qui eo gestu orationes ad Deum fundere solebant. Tam Divina censetur bestiola, inquit *Rondeletius*, ut puero interroganti de viâ, altero pede extenso rectam monstrat, atque rarò vel nunquam fallat. Pulcherrimæ aliæ locustarum species in Apulia, ac Sicilia reperiuntur, quarum altera *Italicæ* magnitudine, & formâ similes, alium tamen ex naturæ locive dono colorem accepit: Habet enim cornicula saturatè lutea, hyacinthinum ocellum, alas ex luteo fusciscentes, corpus reliquum amethystinum. Gracilis altera quinque uncias longa, cucullata, capite pyramidali, è cujus penè vertice duo cornicula latiuscula unciam ferè longa sese erigunt, galerumque illum Turcicum biplumem, quali Janissarii utuntur, superbientem repræsentat.

XV. Prolixa esset res ea omnia re-

censere infecta, quæ hisce in oris sobolescere quot annis solent, quorum quidem alia periisse brevi, alia verò ne in scenam quidem produsse hoc anno visa; Hæc inter Erucæ potissimum enumerandæ occurrunt, quæ ceu nocendi artis oblitæ prorsus, ac veluti immemores, inertes passim per agros, ac ferè emortuæ ludebant intactis frugibus. Exigua mole animalcula infecto plurimum aculeo, *Erucæ* sic dictæ, vel ab erodendo, quòd erodant olera, & pampinos: vel ab hærendo, ut *Apuleio* placet, quod pertinaciter adhærescant: vel à rugis quibus se se vicissim corrugant, erugantque. Distinguuntur à *Mouffeto* in Eterogeneas, sive affines à Papilionibus, & aureliis fatas, & Autogeneas suâ ex tribu profectas; Utriusque innumeræ sunt species, ut innumera extant herbarum genera, quibus vescuntur; quælibet namque herba peculiarem alit erucam sui vastatricem.

XVI. Ab Erucis ad Bombyces, ac Apes progredior. Præclarum utraque infecti genus, nec exigui incolis emolumentum. Aliquot illud hebdomadarum spatio albæ Mori frondeâ saginâ sartum, idoneâque ad lanificium materiâ instructum edere deinceps desinit, ramulumque sibi objectum inscendit, ubi ovata figura membranaceum effingat folliculum, circumque eum bombycia stamina ordiatur, factus *Bombylius*. Neque hic prodigiorum finis. Post exhaustam lanificii materiam ejusdem folliculi cavo se abdit, oclusâ omni ad exitum viâ; paulloque post factus *Necydalis*, hoc est, cornutus, & alatus *Papilio*, nisi maturè præfocatus fuerit, perforsâ membranâ, conscissoque stamine sibi exitum,

molitur. Haud minùs exquisito artificio alterum *dulci distendit neclare cellas*, *Apis* sic dictum, vel quòd se pedibus invicem alligent apes: vel quòd sine pedibus nasci primò videatur. Pro priori ratione facere illud videtur *Virgilii*, 4. Georgicon.

Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent.

Pro posteriori militat illud ejusdem, *Trunca pedum primò, mox & stridentia pennis*

Miscentur.

Deplorandum utique utriusque fatum! E bombycibus enim vix pauci *nitidum de pectore filum*, pretiosaque stamina edidere. Haud modica etiam pars imperfectum opus reliquit. Apes verò cernere erat incertis huc illuc erroribus ludere, favos veluti suos despiciere, & *frigida tecta relinquere*; seram increpitanter æstatem, *Zephyrosque morantes.*

XVII. Haud minùs aquaticis quoque, ac terrestribus insectis infestus annus fuit; (sua etenim aquis animalcula adsunt, ut terrestria Solo) sive id ab eadem universali, ac propè inexplicabili aëris constitutione repetendum sit, sive potius ab aquarum inopia, amnibus, fluminibusq; ipsoque etiam Pado Fluviorum Rege, exhausto fere aquis, vixque eâ superstite quantitate lympharum, quæ ferendis navibus sufficeret. Magna hinc piscium egestas, quorum penuriam lacustres affatim compensarunt, tum è vicino advecti littore. Fluviatiles inter frequentiores extant Subalpinis Trotta, Mullus, Timallus, Lucius, Anguilla, Mustella vulgò *Botta*, seù quòd utrius similis sit, seù quòd capite ranas referat ut *Cardanus* deduxit; *Lampetra* à

lambendis petris sic dicta: Nobilissimus semper tum à veteribus, tum à modernis habitus Piscis, & Apiciis esui mirè expetitus. E lacustribus principem sibi vindicat locum *Umbla Allobrogum*, quasi umbra, seù quòd haud exiguam cum umbra pisce fluviatili similitudinem habeat, seù quòd tergus præ multo livore opacum, & veluti umbrosum appareat; *Rondeletio* Salmo lacus lemani, quòd corporis specie, pinnarum numero, situque, & partibus internis Salmonem referat. *Umble Chevalier* communiter dicitur, fortè ob magnitudinem, præstantiam, & robur.

XVIII. Fabulosa non minùs quàm ridicula de Anguillarum ortu, ac propagatione nobis tradidere tum veteres, cum recentiores. Incertum diu, saltem nec exploratum fatis, an viviparæ forent viperarum ad instar, an revera, ut cæteri pisces, oviparæ; quòd postremum haud ita pridem felicissimo conatu detexit Doctissimus ac Præclarissimus *Antonius Vallisnerius*. Comparatum id, ac proprium veluti est magnorum Virorum, cum verum retegere se haud posse nôrunt, fictitium aliquod in scenam promere ac fabulosum. Sic Jovis hæc filias nonnulli olim credidere referente *Athenæo*, ut Deorum munera *fungos* alii, & *tubera* pronuntiarunt; Haud aliter quidem ac Magnates, aut Reges, quibus vel brevi terminata ævo, vel incerta origo est, consecrare illam, adque Deos autores, aut Heroum quempiam remotissimæ ætatis referre consuevere. Abjecta ex adverso quidam iis incubula dedere, limoque ac cæno ortas putarunt; *Quid enim fecundius illo?* Sed hæc, & his similia, ut & ea

quoque quæ hac in re ridicula prorsus appofuit *Aristoteles*, ut ut antiquitatis laude præclara, haud in magno equidem ponam discrimine. Mirari id magis subit, ut eruditi alias, ac per celebres famâ viri, vel nuperrimis hisce temporibus viviparas illas adhuc decernere auferint, suâque Posteris figmenta commendare. Quodve mireris maximè, exiguam nobis vesicam in abdominis cavo locatam, in quâ sæpe vermes latent, quamve in omnibus fere piscibus, avibusque, imò & in canibus aliquando, ac plerisque brutis videre est vermiculis confer-tam; hanc inquam vesicam pro utero Anguillarum, vermesque ibidem latentes pro anguillarum foetibus imposuere. Atque hæc libenter etiam concedam; Nec etenim refutandis hisce fabulis tempus suppetit. Danda hæc vitro venia, quod præjudiciis occupatas quorundam mentes, *Leeuwen-oeckio* Duce, ac antecessore, densioribus potuit tenebris obvolvere, vel dum clarius, ac dilucidè magis perspicui ab illis credebatur. Quod verò quidam asseruerint se in prægnantis anguillæ utero undecim anguillas exsecuisse singulas suis secundinis inclusas, ut *Charletonus* affirmat, sive ut *Elsnerus* ait, in diversis membranis involutas; id ego haud patiar unquam Posteris impune tradi. Aut enim quod sibi effinxere animo, ceû visum, ac perspectum oculis nobis dederunt; aut si ejusmodi revera anguillulas in abdominis cavo intueri est aliquando, vermiculos eas quidem fore crediderim, minime verò unquam veros fæ-tus anguillarum. Quod vel ipse quidem *Aristoteles* adnotavit, nec tamen inquam in mentem subit Viro, si il-

lius ævi caliginem, barbariemque maximam perpendimus, verè doctissimo, præfatos vermes pro anguillis agnoscere, quin imò adversus illos, qui hosce veros ac genuinos esse anguillarum fætus contendebant, acriter admodum infurrexerat; In quo sanè haud exiguam promeruisse laudem videtur. Id ipsum quoque eleganter non minùs, quam doctè adverterat Præclarissimus *Redi* Hetruriæ suæ si-dus fulgentissimum in aureo tractatu: *Delle osservazioni intorno agli animali viventi, che si trovano negli animali viventi.*

XIX. Adverterat sanè præfatus Author, atque è viviparorum classe rejiciendas anguillas contendit; Earum tamen ovaria nemo ante prælaudatum *Vallisnerium* vidit unquam, aut revelavit. Manebat enim Sapientissimum Virum, ac naturæ arcanorum perscrutatorem solertissimum, Philosophos inter ac Medicos hujusce seculi celeberrimum, ac jure merito Principem, honos ac laus, quæ ad hæc usque tempora latuerant ovaria Anguillarum, in lucem vindicandi. Manebat inquam doctissimum Virum inventi gloria, eò præclarior illa, quò obscuriora, ac cænosiora, ut ita loquar, adsunt earundem anguillarum primordia, ac incrementa. Cernere est hæc ipsa ovaria secùs Spinam porrecta adiposis ubique striis circumtexta, tenuissimâque membranâ obvelata, quâ detractâ ovula occurrunt, ceû totidem exiguissimi, ac lucidissimi Uniones, suo singula annexa pediculo, per quem nutritii roris vectigal suppeditatur. Præclarius id, ac illustriore modo spectatur in prægnanti anguillâ. Quæ cum rarissimè occurrat, quod tum temporis,

ris, ut Cl. Vir observavit, ima petat aquarum; haud mirum hinc quod tot hætenus magnorum eluserit ingenia virorum, obscurumque id, abditumque magis obscuritas ipsa originis fecerit. Laudato utique *Vallisnerio* nostro *Paulinus* præluxit, huic in eadem arenâ *Severinus*. Is genuinum anguillarum uterum primus vidit. Ille etsi ova haud inspexerit unquam, ex iis tamen illas nasci, naturæ legibus edoctus, contendit: Nos, sic ille ait, ut omnia animalia ex ovis, seu seminis suis, sic etiam anguillas ex iis nasci dicimus, licet *Plinius*, *Aristoteles*, *Joh. Vossius*, *Schottus* cum aliis pluribus ova, semenque deneget, clamantes ullam nunquam captam esse, quæ aut semen genitale habuerit, aut ova. Hætenus de Anguillis.

XX. Exacta vix hyeme adveniant Hirundines; citius quoque, quam olim consueverant, eadem discessere. Cæteræ ferè aves, tum quæ statis temporibus redire solent, tum quæ totius anni decursu hæc inhabitant oras, raræ admodum extitere. Rarior præ reliquis visa *Ficedula*, exigua avis, ficubus, ac uvis victitans, ut pulchrè his versibus testatur *Martialis*.

Cum me ficus alat, & pascor dulcibus uvis,

Cur potius nomen non dedit Uva mihi?

Idem pariter canoris fatum avibus, iisque præsertim, quas vocant *insectivoras*. Secus coturnicibus obtigit, turturibusque, quarum ingens omninò copia conspiciebatur, ut & reliquarum ferè avium, quæ plantis vescuntur; Has inter postremas, si colorem,

pulchritudinem, ac elegantiam spectamus, meritò superbit *Pavo*; Si *Apiciis* credimus, Principem sibi comparat locum, ac dignitatem *Urogallus*, seu *Phasidis ales*, sumpto fortè ab *Colchidis* anne nomine, ad cujus ostia illos frequentes convenire à Græcis proditum est; unde mox citatus *Martialis* in *Xeniis*:

Argivâ primùm tum transportata carinâ,

Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Horum duas habemus species, quarum altera major vulgò dicitur, ac toto ferè corpore nigricat; Minor altera nuncupatur, ac cinereis maximam partem plumis vestitur. Maio mense spectata hinc illuc obvolare Avis, ignota prorsus incolis, mole *Turturis* majoris ad instar, fulgentibus plumis, ac prope subflavis. Visa, & altera invisa hætenus properante æstate, rostro contra omnium avium morem ab utràque parte recurvo: colore juxta collum subviridi, reliquo corpore subobscurò, brevi pede, alisque, ac caudâ exiguâ: *Loxiam* crediderim *Gesneri*, seu ut alii vocant, *Curvirostram*. Ignotas ejusmodi aves unusquisque ferè annus, ut morbos, producere solet, quæ statim ac se se circumvolando produnt, citissime effugiunt, atque distitas longè oras emigrant.

XXI. Neve intactum quidquam præteream, quod ad illustrandam, exornandamque morborum historiam quoquomodo facere videtur; numerosa hæc subit haud reticenda Leporum, ac Cuniculorum spectata hoc anno progenies, *Glirium* itidem, *Alpinorum*que *Murium*, *Talparum*que; Ne scilicet defuisse fortè videretur in

omnibus Natura; aut quod, idque ego putarim magis, toto existente anno magnâ sui parte impluvio, dehiscente præ ingenti siccitate solo, ejusmodi animalibus, quæ aliâs cuniculos sibi fodere in agris, ubi lateant tum æstate, tum hyeme, solent, haud ita facile fuerit cubilia sibi condere; proindeque excurrere illis pro lubitu necessum extiterit, perque arva, *camposque patientes* è propriis velut expulsa sedibus ludere, ac oberrare. 5. Ventriculi janitor lineâ quadam transversâ veluti ligatus atque distinctus. 6. Larynx qualis in testudine terrestri; 7. Mutum enim animal. 8. Panniculus carnosus totus, & mirè commissus cuti. 9. Pro Optico nervo fibrilla; quæ secta guttam unam, atque alteram aquei humoris, ceu roris effudit; eaque insuper, non è consueto loco, quo exire solet Opticus nervus, sed à perreptantibus per cerebri meatus vasis, egrediebatur. Atque hæc quidem in *Talpâ*. In *Marmotâ* verò, seu mure alpino frequentia cernere est: Cæcum peramplum, internè asperum, & reticulatum, in quo valvula insignis introrsum externè; Hepar septenis lobis distinctum; Testes aliquantulum superiores; Splenem longum hirundinis majoris modo; Ureteres non recto ductu descendentes à renibus, sed dorso adherentes, & exiguos. Verùm de hisce satis.

XXII. Neve diutiùs in iis, quàm par est, recensendis, immorer, utque omnia in unum recolligam, *velaque, ut aiunt, traham, & terris festinem advertere proram*: Lætissima, ut adnotavimus, exordia Autumni extitere; lætissimus hinc quoque futurus annus, si quem, *rupto ceu aggere torrens, ruens*

immitis, ac sævus Aquilo vix orto Autumno haud funestasset. Præmatura hyems, ac extemporanea prorsus; Mitiior eadem, ac Veris temperiem redolens, cum magis sævire debuerat. Ver illi successit imbriferum, perfrigidum, luctuosum, quò dein furentibus præter morem, appetente solstitio æstivo, nunc ab Austro, nunc ab Arcto ventis, reliquum anni ad æquinoctium usque, ingens, ac pertinacissima diù vigens siccitas memorando ac penè infausto eventu persolvit. Obsignare hinc licet, *nigroque cortice* adnotare annum præ nimîâ siccitate telluris, ventorumque ludentium indole exlegem, penitus, præbente naturâ, quod exiguum nobis dedit, indignabundâ veluti, ac tanquam dirâ novercâ, quæ rerum olim sedula Parens dici gaudebat. Quæ sanè haud arduum erit conjicere, si quæ allata hætenus sunt, tum quæ adjiciam deinceps, scitè diligenterque expendamus.

XXIII. Ad morbos me confero, quos vulgares appellare lubet, non equidem, quod in vulgus sæviant, ac infimæ tantum fortis, ac notæ homines laceffant magis; sed quia vicissitudines temporum, ac discrepantes invicem annorum tempestates referant potius, ab iisque procedant. Ac primò febres occurrunt, quæ omni depositâ ineunte Autumno larvâ, intermittentium reverà typum, ac morem præ se ferebant. Luserant namque illæ diù superiore anno sub intermittentium personato vultu, quò tandem omni abjecto fuce se se tales jam modò ostenderant, quarum ingenium olim simulaverant. Quin imò plerosque horum, quibus acutæ ægriitudines in chronicas sensim fatifcente æstate desie-

fierant, orta repentè Autumno febris è tertianarum genere brevi restituit. Lætam hinc augurari fas erat Taurinensibus rerum scenam, si hanc extemporaneis flatibus erumpens Boreas, aut huic per intervalla succedens, ac sævissimè ludens Auster haud immutassent.

XXIV. Et quidem vix hos, ac illos indiscriminatim benignis intermittentibus exaratis febribus correptos adnotaveram; vix novam rebus faciem illucescere adverteram; Ut mutatam hanc iterum extemplò vidi, ac veteres primo adspectu reviviscere morbos, qui recens elapso anno longè latèque regnarunt. Atque id sanè probè expendendum Medico est, antequam quid statuatur decernaturque ad curationem morborum conducens; Nùm scilicet reviviscens morbus, aut eandem ferè cum iis, qui superiore tempestate luserant, referens imaginem, iisdem vincendus sit artibus, eodem ac qui præcessere, subigendus more: Nùm verò quidam potius habendus respectus sit ad id ægritudinum genus, quæ novissimè in apertum prodierunt; quibusve jure ac meritò vulgarium totius anni morborum imperium debetur, ac dominatus. Sæpè ego in hâc incertus arenâ extiti; ac tandem rationem habendam esse mecum ipse decrevi ad novam, quæ in scenam emergit, morborum sobolem, etsi hæc non omninò adhuc sese revelaverit, suumque omni relicto simulationis artificio vultum haud explicaverit prorsus. Eo quidem consilio, quòd nempè novâ ortâ tempestate, quam inter, ac superiorem magnum inest discrimen, novus hinc quoque fluentibus per abditas corporis scaturigines, ac profundissimos recessus liquidis, solidisque

unà ludentibus, ac conspirantibus invicem, novus inquam vigor accesserit *totus mutatus ab illo*. Ut proinde etsi redire quandoque, ac remeare gradum iidem videantur adolescente Autumno morbi, qui exactâ æstate sæviere, quid tamen latere intus æquum suspicari sit, quod doctiores sæpissimè fallit, ni ea omnia, quæ mutatis invicem tempestatibus emergunt, attentè expendantur. Quod quidem, quantum intersit Medicis nosse, & observare, jam suo tempore agnovit, graviterque inculcavit *Hippocrates*: dùm ita librum suum de aère, aquis, & locis auspiciatur. *Quicumque artem Medicam integrè assequi velit, primùm quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat. Non enim simile quidquam in illis existit, verùm differunt invicem propter varias, quæ in illis fiunt, mutationes.*

XXV. Sanè si rectâ mentis lance ingruentium Autumno ægritudinum indolem perpendimus, facilè erit conjicere, quænam harum toto vertente anno regnatura sit, ad quam scilicet cæteræ omnes, quæ subinde vagantur, sese referunt, ac sub illâ quodammodo militare videntur, ceu stipendio conducti milites. Ejusmodi aderant affectus ii omnes, qui tùm per Autumnum, hyememque, tùm vere, ac æstate subluserant, agmen ducentibus, ceu Epidemicis primi ordinis, quasve ob id Epidemicarum hoc anno ægritudinum principes meritò salutare lubet, intermittentibus febribus jam explicatis, tùm fusè modò, diligenterque explicandis. Ut enim ad eas cæteræ omnes, ceu inito inter se invicem pacto referebantur, facemque

hæ tulerant reliquis; Sic hæc primò describere æquum est, ac sub oculos ponere, quò præclariùs deinde reliquarum ingenium elucescat.

XXVI. Vix itaque Libram æquis itineribus subierat Sol; Ut illicò tùm qui per ante ætatem ægrotaverant diù, tùm qui ægrotabant adhuc, incertisque passim ac diuturnis morbis conflictabantur, quales superiora tempora adtulere, tùm qui ægrotare tùm cæperant primùm, inque morbos incidere: hi omnes ferè ejusmodi indolis, ac familiæ febribus decubuere. Visi namque tùm plures quidem inopinatò è diuturnis malis, hujusmodi oborta auspikatò febrì, convalescere, ceù cùm Thaumantis, & Electræ filia pulcherrima Iris post diuturnos imbres, nimbosque perennes, præfulgere tandem nubes inter, atrumque cælum videtur, futuræ serenitatis prænuncia

*Mille trahens varios adverso
sole colores.*

XXVII. Sperare fas erat Iridis instar ejusmodi febres post tot exaratas, quæ superiore anno dirè admodum, insolenterque debacchabantur, ægritudines læto omine elucere tandem, pacemque, ac tranquillitatem rebus, sedato malorum turbine, allaturas. Nec sanè vota omninò fefellit exitus. Etsi enim sese abscondere quandoque viderentur, ac propè extingui; Haud difficile tamen erat, cernere lusum id esse, jocumque, quo sæpè solent vulgares hujusmodi affectus, quibus incunabula præbet Autumnus, ac potissimùm horum Princeps, Medicorum artes eludere, ut doctè advertit Sydenhamius Anglorum Hippocrates. Videbantur si-

quidem modò Asthmatis larvam præ se ferre, modò Arthritida simulare vultu, nunc etiam sæpissimèque sub fictâ doloris Colici imagine dirum in modum ægrotantes divexare; Ut infinitas nocendi artes præteream, quibus hos atque illos nullo discrimine aggrediebantur. Ars hinc erat Medico occultum hostem, insidiasque struentem, vel ima inter delubra, sanctioresque lares appetere, oppugnare, subigere, iis quidem telis, quibus præfatæ febres subigi consueverunt. Quos namque simulata illa, ac dolosa mali facies plerosque fefellerat, ægrotantes hi suos aut inevitabili fato dederunt, aut graviora iis discrimina adtulerunt, celerrimamque jacturam. Adeò sæpè

Delirant Reges, plectuntur Achivi.

XXVIII. Si quâ tamen sub larvâ subcludere hæc febres frequentius advertimus, dirioresque in morem miseris ægrotantes exercere, vagus ea quidam, ac incertus dolor abdominis aderat, sævaque tormina, quæ statim sæpè etiam horis, ceù ludere periodicas febres videmus, recurrebant, eundem prope typum servantia, ingeniumque, ac eadem ferè tempora, quibus præfatæ febres circumscribuntur. Ac quidem meminisse obiter juvat exarata ventris tormina, quæ dirè modò, crudeliterque sæviebant, jam tùm *Julio*, & *Augusto* (ann. 1721.) mense per ætatem prodiisse in lucem, quibus tonitruosus cœli status, procellosus idem, ac sæpè etiam grandinosus, subfrigidusque ad plures dies proluserat; qualem deindè appetente *librà*, ac toto passim Autumno experti sumus. Cudebantur scilicet jam tum illa, quæ postmodum sese ostenderant, mala, cæperantque foras erumpere,

pere, ceu impatiens moræ hostis præceps ruit ad pugnam, aut nullâ vi coercitus torrens oppositas extemplo moles, tum obvia quæque repagula disjicit, atque disturbat. Pagina mihi deficeret, si quotquot ejusmodi ventris cruciatibus divexatos memini, recensere velim, quos tamen facile erat, ac prodigii instar, ab imminente exitio vindicare, ea adhibendo præsidia, quæ comitem, aut latentem febrim respicerent, Practicis usitata. Hujusmodi ventris dolores hujusce indolis febribus succedentes, aut iisdem complicatos jam pridem adnotaverat Vir Doctissimus *Carolus Piso* pro Colicis habitos; quorum causam aëris constitutioni *calidæ* impensè, & *siccæ*, qualis reverà hæc ipsa nostra, Autumno præsertim, ac hyeme, toto proinde anno, si modò ver excipimus, extitit, idem adscribit.

XXIX. Equidem si prægressam tot annorum siccitatem adhuc dum vigentem, constantemque hætenus, tum certantium invicem ventorum, qui tum ante actâ æstate, tum Autumno, ac toto deinceps anno adspirârunt, vim feritatemque animo metimur; Conjicimus utique, ac dilucidè nobis innotescit, quænam extiterit ejusmodi febrium, ac ægritudinum, tum harum præsertim, quæ abdita imi ventris loca obsidebant, origo, ac incrementum; atque ut rectius loquar, quodve sedulò inquirendum, adnotandumque Medicis præcipit Magnus senex, *occasionis initium*, à quâ omnes hæ ægritudines profluxere; Ecquid enim ab inertibus liquidis, sero utpote ferè omni defraudatis, nec liberè ampliùs in orbem agi potentibus, solidisque hinc quoque pari modo la-

bentibus expectandum erat, quàm *internæ viscerum Systrophes*, atque in iis potissimum locis, per quæ aut inertiora suæ indolis liquida excurrere solent, aut eadem magis feri præstantiam efflagitant, quo faciliùs circulum suum, ac munus absolvant? Genuina hæc, ac potissima febrium intermittentium, quæ toto hoc anno ultrò citròque progrediebantur, causa, quæ & eadem quoque cæterorum morborum fuit, qui memoratis febribus præluxere, aut hæ illis lampada tradidere.

XXX. Et fanè uno omnes ore quotquot hætenus in hac arena infudarunt, febrium periodicarum incunabula in Ventriculo, ac primis viis, Pancreate, Mesenterio, finitimisque, ac per imòs quosque recessus discurrentibus vasis posuerunt: Uno verbo mineram febrium intermittentium, sedem, ac *Principem*, penè dixerim, *aram*, ut *Sylvio*, ut *Villifio*, ut *Sacho*, ut universo ferè Medicorum cætui placitum est, ipsa eadem organa suppeditant, comparant, præbent, quæ cõficiendo, ac distribuendo Chylo famulantur. Quandiù enim Ventriculus, Intestina, Hepar, Lien, Mesenterium, Pancreas constitutum sibi quæque munus ritè persolvunt, sive excoquendis illa, retinendisque alimentis, quo usq; in massam chymaceam abeant, & quâ datâ portâ secedant, exprimanturque, dicata sint; sive perficiendo ulterius perque revolutos anfractus, ac *itinerà mille* ferendo, devehendoque chylo; sive quosdam peculiare succos elaborando inserviant, quorum effectus varii, ut varia horum indoles est, ac ingenium; Quandiù hæc omnia inquam ritè peraguntur in corpore, *sarta tectaque* res est, ac incolis.

lumis. Ubi verò, aut exarata organa idonea minùs evadunt comparato sibi absolvendo muneri, aut emanantia, perennique alveo influentia in cavum Duodeni liquida, tùm quæ ipsa intima superficies intestinorum minutissimis undequaque glandulis obsita jugi fluore extillat, inertiora manent, spiffiora eadem, aptaque minùs sese unà cum præterlabente Chylo commiscere, vias expedire, mensruui adeò, ac vehiculi munere fungi, fibrasque motrices stimulare, acria salina obtundere, coagulata dividere, *fermenti*, sit verbo venia, vicem gerere, cruda coctis assimilare; Quis quæso erit aditus Chylo lactearum oscula subeunti: quis illius per *galaxiam* iter; quæ ejusdem ad *receptaculum Pecqueti*, adque Thoracicum ductum, ac subclaviam tot inter oppositos aggeres, atque obvia passim molimina profectio, excursus, meta? *Chyli*, inquam, *Chyli*, si enormem illam temporum siccitatem expendimus à nativa sui qualitate degeneris prorsùs, eà nempè orbatì portione feri, qua sine nec miscibilis ipse cruori, nec ire, ac remeare vias par est, per quas excurrere debet, ac pergere.

XXXI. Effingat sibi quisque magnum antè oculos amnem, è quo innumerabiles rivuli exoriantur, qui in alios subindè exiguos amnes, mox in unum tandem unà omnes, ac majorem alveum coeant, exonerenturque. Ut pulchrum, ut jucundum visu est, purissimos modò, ac limpidissimos latices cernere ingenti flumine præterfluere, suborientes hinc rivos circumjectam planitiem amæno spectaculo irrigare, variisque flexibus, nullo interposito obice, illabi, quò in unum

deindè amnem unà omnes evadant, ubique fontibus suis similes. Fac cænosum quidpiam leniter labentibus aquis commisceatur, aut aliud quodpiam solidioris naturæ, puta, trabes, ligna, saxa, quod placidè manantium lympharum alveum turbet; Ut illicò aut exundare aquas in oppositã ripam, aut eadem ad diversa amnium divertia sistere veluti gradum, ac stagnare videbis, exfurgente lacu, ubi antea tellus erat, ac viride Solum. Idem prope obtingit Chylo, ubi crassioribus moleculis refertus, deficiente ut potè sero, quod crassa diluat, eumque sanguini miscibilem reddat, ineptus, ac impurus idem obvia subit ostiola, ac degener omninò factus Thoracico ductui sese insinuat. Quot enim concipere est futuras tot inter vasorum plexus, ac angusta viarum præterlabentis liquidi stases; quot in tam prolixo itinere remoras, obicesque.

XXXII. Hæc una quidem, ac præcipua febrium intermittentium causa; Una hæc, ac genuina crudelium adeò ventris cruciatuum, totque passim ægritudinum, quarum sub larvâ, ac simulato vultu ejusmodi febres ludebant, incunabula, ac incrementa: Uno proinde iis omnibus eodem ense, ac more subigendis, ac edomandis. Ut ab probò, ingenuoque Chylo probus, ac ingenuus sanguis efficitur; Sic ab improbo eodem improbus quoque cruor emergit, ineptus scilicet, cùm perennando circulo, tùm nutritioni partium, quæ summa sanè res est, ac reliqua inter œconomix animalis munera præclarum magis, & majoris momenti. *Tantæ* adeò *molis erat* tam ingentem instrumentorum apparatus effingere, quæ tanti

tanti ponderis opus absolverent! Non hic quippe advocandum ullum in scenam *acidum*, non *pituita* præter modum viscida, non *fermentum* aliquod, aut *duumviratus* humorum, non *Archæus Helmontii*, aut *Lemures indignati Dolæi*; Quæ quidem pituita, seu materies in venas effusa, & partibus spirituosis sanguinis permixta potis sit tot excitare turbas, ac febrilem tempestatem inducere? Hæc & similia aberrantis ingenii somnia *Etmullero*, *Sylvio*, *Villifio*, *Dolæo*, eorumque affeclis sibi pro lubitu effingenda, ac excogitanda facilè concedam, ut potè qui ea tantum mihi retinenda dudum constitui, quæ in magno Naturæ libro ediscere est; quæ rationi, & *experientiæ rerum magistræ* consentanea video, minimè verò ea, quæ vanæ hominum mentes somniarunt. Veram utique intermittentium febrium, multarumque hinc ægritudinum, quæ aut illis præludere, aut iis obsequi advertimus aliquando, caussam, ac genuinum fomitem in ventriculo, ac intestinis tenuibus colloco, tum cæteris, quæ iis propè adjacent, partibus magno Chylificationis negotio inservientibus; Quin *acidum*, aut fermentum quoddam mihi effingam ibidem hærens abditumque, decantatum adeò, invisum hæctenus. Tantum nimius sectæ amor, condendorumque systematum inanis ambitio potuit suadere malorum!

XXXIII. Profectò si liquida expendimus in maximâ illâ siccitate temporum sero orbatâ, æstuantemque adhuc intrâ præcordia cruorem animo cogitamus; si memoriâ recolimus ante actas superiorum annorum ægritudines ab præfervido sanguine ortas; si luctuo-

sam illam rerum facièm calidam impensè, ac siccam nobis iterùm ante oculos ponimus; Si alimenta denique, queis vescebantur incolæ è terræ sinu deprompta, olera, ac fruges, tum ipsas animalium carnes præ ariditate Soli exsuccas veluti, ac penè aridas in mentem revocamus: Liquidò constat magnam jam tum impendere liquidis jacturam, majorem longè illam futuram ad primos inclementis Boreæ flatus, statim ac obstipatâ penetrabili Aquilonio frigore cute captiva intus fluida, adque *concretionem*, ac *stasin* heù prona nimis, hyemis acerbicatem sensissent. Ni fortè, quod secùs evenit, adproperans Autumnus, madefacto lætis imbribus Solo, mitioreque reddita aëris temperie temperamentum quoddam perichitantibus rebus præbuisset; quo minus occurrerent, quas timebamus, feri jam prope inertis, ac viscidi congestiones in vasis lymphaticis, venarumque extremitatibus; Nacta hinc libertatem liquida, ac soluta vinculis, cumque illis vicissim consentientia solida datas æquilibrii leges ad amissum obtinerent, ac observarent.

XXXIV. Secùs tamen, ut dicebam, evenit prorsus; Autumnus namque successit, nunc ingenti inopinato æstu, qualis ne superiore quidem æstate sævierat, præfervidus maximè, nunc repentino extemporaneo frigore pergelidus admodum, quanto heù fluentium per corporis abdita, *cæcosque meatus*, dispendio liquidorum! Quanto itidem solidorum unâ conspirantium detrimento! Vestros revocate animos Subalpini Medici ad præteriti nuper anni, tum præcedentium duorum annorum memoriam,

quorum ego historiam fin minus eleganter, ac doctè, summâ saltè fide, ac diligentia, quod in historica potissimum narratione expeditur, conscripsi. Expendite cujusnam indolis aderant tunc temporis liquida, quoque eadem more ad Hyperboreas præmaturò flamine erumpentes auras sese habitura forent: Conjiciet hinc nempe vestrum quispiam, quæ aut tùm cudebantur erupturæ brevi, aut sævire jam tùm cæperant per universum Subalpinorum tractum, ægri tudines; Atque hinc etiam præsidia facile adinvenire erit, quæ proficua extitisse dein temporis eventu adnotavimus. *Sapientis est* afferre malis remedia; Futura prænoscere, ac velut è specula prævidere, *Divinum*.

XXXV. Æquum est modò ejusmodi febrium expensâ intimè, ac perlustrata genesi, earundem ulterius genium, ac typum delineare paucis, tùm quibus usi sumus, auxiliorum genera ad illas profligandas, abigendasque enarrare; Antequàm ad cæterorum affectuum historiam progrediar, quorum ut idem cum exaratis febribus ortus, eadem quoque aderant, saltè vix discrepantia, phænomena, quibus manifestabantur. Statim hæ igitur, ac prima ferè accessione, intermittentium morem, ac vultum præ se ferebant, si postremum tantummodo stadium excipias, quo eadem solent quâlibet vice, ingenti oborto sudore, judicari. Non nullis de tertio in tertium diem, Plerisque ad singulos dies febris recurrebat, plenâ tamen inter duos quosque paroxysmos intercedente apyrexia. Quandoque etiam continuas æmulari videbantur ob longiores, & duplica-

tos paroxysmos; Vix paucis per autumnum in acutas periculosas desuisse visæ; Per hyemem verò, & reliquum anni multis, ac potissimum æstate. Lingua omnibus ferè alba; Urina turbida, & impensè rubens; Dolor capitis ingens, atque assiduus cum inquietudine quadam totius corporis; Pulsus lenis ac obsequens, nec inchoante febris citatus nimis, nec properante ad statum illa elatus magis; Vix exiguus sub finem accessionis sudor; Tormina quibusdam abdominis læva admodum, dirio remque, ac ipsamet febris, tragœdiam ludentia, nec facile desinentia eadem, quin imò exhibitis anodynis, oleosis, purgantibus invicta magis, atque iracundiora. Nullus initiò vomendi conatus, nullum vel levissimum nausæ vestigium, nulla prorsus oris amarities, consueta olim febrium prologia, earumque comites. Non nunquam commutabantur invicem quotidiana intermittens, ac tertiana simplex sic dicta, subludabantque vicissim. Atque tum quidem, cum hoc illæ pacto errassent dudum, in acutas demùm Vere plerumque, ac æstate degenerabant, celeri ægrorum fato, nisi in doctum, prudentemque Medicum bona sorte patiens inciderit.

XXXVI. Sæpe hinc memini hæce, ut malignas, statim, ac omnimodam continuitatem simulare videbantur à plerisque tractatas fuisse, cujus imaginariæ, & commentitiæ malignitatis de causa, innumera hi præscribentes alexipharmaca, calida, volatilia, & mille id genus inter se pugnantia remedia, quod præcavere crediderant, periculum advocabant. *Quot heu simiola hæc malignitatis, ut ver-*
bis

his utar Clarissimi Baglivii, jugulavit, quos facile erat ab interitu vindicare inspectâ mali origine, ad quam, tanquam ad Polum, ac Cœli verticem dirigi omnis debuerat Medentis cura! Naturæ scilicet oraculis, & Magni senis præceptis auscultandum, quæ si attentius excolerent Medicorum filii, haud equidem eveniret unquam illos adeò turpiter hallucinari, naturæ morbi tribuendo tot gravia passim symptomata, quæ rectius soboles sunt depravatæ methodi, tracto nimirum in consortium necis, qui idem insons etiamnum erat, sanguine, præpostero usu remediorum.

XXXVII. Sanè si earundem februm tum maximè, cum intermittentes esse desierant, inque acutas migrabant, indolem propiùs spectabamus, & morem; quidquam adhuc observare erat, quod etsi intimè latens, occultumque prorsus, prioris morbi ingenium referebat, ut ferè idem adhuc oculatioribus videretur alterius larva ludens, cujus ille personam induebat. Videre erat sin minus in oculis, ore, ac vultu ægrotantium, in ipso saltem febris circuitu quidpiam, quod præsentem adhuc veterem febrem significabat, eodem illam confodiendam gladio, quo hætenus subigi ejusmodi febres solent. Quodve mirere magis; nedum exaratae febres, tum quæ typum intermittentium toto sui decursu observarunt, tum quæ in acutas abiere, aut ejusmodi ab initio extiterant, aliqualem adhuc tamen præfatis intermittens moribus gerentes, iisque quodammodò obsequentes, hac methodo felicissimè tractabantur: Sed & ipsæ quoque, in quibus nulla ferè intermissionis vestigia unquam præluxere,

hoc eodem more citissimè, ac tutò jugulabantur. Citissimè quidem, quævis namque hac in re mora, aut dilatio periculosa, quæ perniciosos sæpe effectus protulit.

XXXVIII. Postremæ hujusce indolis aderant, quæ Januario, ac Februario mense prodierant, deletis tum penè, saltem delitescentibus hætenus memoratis febribus, quæ antea cto Autumno subluserant. Hisce primò tantum, aut secundo accessu levissimus horror præcesserat. Sæpe etiam nullo, ac exiguo quidem præludente horrore irascebantur, atque ita decurrentes quasdam tantummodò diebus imparibus exacerbationes sustinebant, ut reverà quid in iis tertianarium circuitum redolens suspicari fas esset, etsi primo adspectu nihil omninò hujusmodi appareret. Nec difficile quidem erat harum originem explicare memoriâ recolenti, quæ foret liquidorum per Autumnum conditio; quis unà invicem oscillantium solidorum status? Nil inde mirum, si quæ vidente frigore intermissionis tantum signa protulerant, silente mox Boreâ, ac præmaturo æstu excandescens, intus cohibitis diù, obque ingentem resolutionem propriæ humiditatis, ut antiquissimo verbo utar in hac parte, exultis succis, ac bile præsertim, quæ sanè in naturalis Oeconomix Theatro principem vicem obtinet; eadem ipsæ læmet febres in acutas dein abierint, aut tales sese ab initio ostenderint, ceù fieri passim videmus media ætate,

Arida cum sitiens excoquit arva Leo.
Observare erat subcontinuas hæc febres, (sic illas vocare lubet ob continuitatem paroxysmorum) etsi nullo
ple-

plerumque horroris præeunte vestigio subluderent, quidquam tamen præ se ferre molestum ægris, quod quidem citissimè evanescebat, ingenti succedente æstu, qui idem & sese celerimè expandere videbatur, & intimiores quotquot recessus, atque ipsa adeò præcordia momento temporis pervadere; ceù pici, & resinæ evenire novimus, dum succenduntur, quæ licet crassam habeant compagem, ocysimè inflammantur.

XXXIX. Idem erat tùm harum, tùm quæ iis proluserant, febrium ortus idemque apparatus, etsi pro varia aëris temperatione intermittentium modò indolem æmularentur; modò intermissione paullatim deperdita ad acutas tenderent; modò omni relicta intermissionis effigie sub continuarum morem præ se ferrent. Utque brevi me expediam; Exarata succorum crassities, ut focum, ac incunabula intermittentibus febribus, quæ primò in scenam prodierant, præbuit, eadem cæteris incrementa dedit, cum primùm remitti frigus hyeme cæpit, verisque hæc potius, quàm hyemis speciem referre. Totum adeò quod metuendum erat maximè, ab crassitie, ac inertia succorum, ac bilis potissimum, ut hanc unam pro cunctis afferam, vitellinæ ut ajunt, prassinæ, æruginosæ pendebat, cujus haud obscura vestigia petere erat ab ipsis excretis, jam tùm quidem, cum coercita hæc adhuc ab ambientis frigore, nec irasci potens, ac suoapte ingenio excandescere, febres tantummodò intermittentes adtulera. Quantum verò ejusmodi humorum excretio, sive sincera, sive variegata sit,

Medicis faceffat negotii, norunt Practici; Quotiescumque enim apparuerit illa, dat semper ansam suspicandi aliquam pravitatem subesse, quæ morbum reddit non contemptibilem, etsi alioqui mitem, quod & Hippocrates docuit.

XL. Mites utique aderant, quandiu intra intermittentium limites consistere, etsi minimè contemptibiles memoratæ febres facili tùm Marte superandæ; Ubi verò sævientibus inopinatò Austris in subcontinuas eadem degenerabant, aut ab ipso statim sui exortu toto penitus cœlo ab intermittentibus distare videbantur: Quibus hîc quæso artibus enitendum, quibus occurrendum præfidiis, vi quorum ægri ab imminente exitio tuto possent evadere? Nullus hîc induciis locus; Nulla hîc Fabio spes, quâ cunctando possit restituere rem. Talis siquidem adest ejusmodi succorum natura, & conditio ut nullam ferant, advertente Mercato celeberrimo suorum temporum Viro, & duorum Hispaniæ Regum Philippi Secundi & Tertii Protomedico, in exhibendis auxiliis moram, cum certum sit nullum posse beneficium, gratiam, aut coctionem à natura recipere; imo, ut inquit Averroes 3. collect. corrumpant formam specificam illius. Magna cæterùm remedia ex mente laudati Authoris, qui perniciosarum hujusmodi febrium ab crassis, adustisque succis originem ducentium descriptionem æquè, ac curationem distinctam pro viribus illius seculi incomparabili sedulitate complexus est, hic nullum ferè locum habent; Etenim si de purgatione sit fermo: cautè id facies, inquit Vir doctissimus, sive enim purges,

ges, sive secus, periculo res non caret; Quippe scimus vel levissimis pharmacis gravissimas accersiri dysenterias, quod si has effugias, contabescet laborans. Quod utrumque nos in diversis passim ægrotantibus nuper adnotavimus, ac speciatim in nobilissimo Fratrum pari ejusmodi ingenii febribus eodem tempore laborantium juxta templum *Divæ Mariæ Consolatricis Patrum Reformatorum Sancti Bernardi*, quorum alter natu major exhibito pharmaco purgante, quod idem horrendas paucis ab illius exhibitione horis secum catastrophes tulit, in habitualement febrem incidit nullo deinceps auxiliorum genere exorabilem, decennis alter gravi ac diuturno alvi fluxu cōflictatus est, unā cum magnis, sævissimisque ventris cruciatibus, à quibus tandem variis adhibitis remediis, ac præsertim acidularum potu *Iaveni* haud procul ab Alpibus limpidissimo fonte emanantium, summæ in hujusmodi dysentericis, cæterisque alvi affectibus ægrotantibus utilitatis, ad quod etiam ipsa mutatio soli haud parum tulit, incolumis evasit. In his febribus (ab hippochondriis ortis, ac Mesenterio) *Barbari etiam, qui cæteroqui facile purgantibus utuntur, à purgationibus abstinent.* Matth. *Giorgi* Ration. Med. pag. 141. Idem prælaudatus *Piso, Ballonius, Duretus*, alique plures adverterant. Si verò de Sanguinis missione loquamur ægrotantes hujusmodi subdit supra memoratus *Mercatus, tale præstidium non innoxie ferunt, & plerumque à sanguinis missione continua evadit febris.* Ego quidem hanc adeò noxiam minimè expertus sum in iis præsertim febribus, quæ continuarum

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

morem magis æmulabantur; quin imò largâ dosi, plenoque fluente emissus sæpè initiò sanguis auspiciatissimè cessit, nec quempiam novi hoc remedii genere, opportunè, cūmque illud natura exposceret, celebrato, sublatum. Sæpè etenim parandus hac methodo erat aditus auxiliis cæteris, ac horum Principi, quod mox proferam, si quâ anni constitutione, quoque in morbo expetitur magis, in hac sanè opportunum maximè, ejusque indolis febribus accommodatum.

XLI. Equidem uno *Peruviano cortice* (Is scilicet erat præstantius auxiliū genus) tūm quæ primò illuxerant, intermittentes febres, tūm ab iis ortas, aut iis analogas cæteras, quæ caput passim extulerant, subigi penitus, nec reviviscere amplius memini, congruâ quidem dosi, tum debito more, administrato. Verè *aureus arbore ramus*, qui furentē sparsis quaqua versum fluctibus torrente procellæ impetum sisteret, excandescens succos compesceret, vimque morbi retunderet, ac cohiberet. Verè *Polichrestum*, ac prope dixerim, *Divinum* remedium, cui utinam simile quidpiam ad alios morbos possideremus. Sed paucis demptis, ut ait Vir Clarissimus, ac toto orbe celeberrimus *Franciscus Torti*, Serenissimi Ducis Mutinæ Archiater meritissimus, quorum virtus certa est, & utilitas evidens, ars nostra medicamentis superfluis alioqui ditissima, bonis, certisque, quæ innotuerint, caret, imò forsitan ob hoc ipsum est inops, quia inutilibus superfluit.

XLII. Magnam sanè hisce Paginis laudem, ac lucem Præclarissimi Viri nomen impertit, cui & ego, quòd peramanter me diligat, meaque

ab illo primitias studiorum, quæ in lucem edidi, commendari plurimum sciam, ac summâ humanitate excipi; & omnis unâ mecum universa litteratorum Respublica multum debet. Atque eò quidem magis me illi obstrictum profiteor, quòd me minùs olim doctè sentientem de hoc admirabili febrifugo, imò forsan & injuriosè nimis de illo locutum, utpote qui *in verba Magistri* omninò jurabam, benignissimis literis, tum muneribus ignotum ac immeritum hominem profequi dignatus est, atque omnibus benevolentiae officiis complecti; Quò tandem, tum propriis observationibus edoctus ipse, tum ingenti rationum pondere convictus, quibus laudatus Vir Corticis innocentiam adversùs quosdam meticulosos, vel præjudiciis imbutos, quibus, pauci sint licèt, suspectus etiamnum redditur chinæ chnæ usus, tuetur; errorem ipse meum agnoverim, ac ultrò fatear modò: Incertus, cujus in laudem potiore jure effundi debeam, corticisne, an illius Patroni, strenuique propugnatoris. Quædam scilicet laudis pars est, errasse aliquandò, confiteri errorem, inque viam reduci magnorum virorum consilio, ac doctrina!

XLIII. Ne verò quis me putet vana loqui, lubet methodum, quâ cum ego, tum alii plures præstantissimi hujusce Civitatis Medici in hujusmodi naturæ febribus curandis usi sumus, fusiùs exponere, eamque non nullis curationum historiis, ac practicis animadversionibus illustrare. Utque ab iis ordiar, quæ ingruente hyeme perniciosum characterem induerant, utpote quæ nedum securitatem præsidii, sed celeritatem exposcere

videbantur magis, quàm cæteræ, quæ superiore Autumno proluserant: Consultum iis erat, Corticem ab initio protinùs exhibere; febrile hoc more fermentum, ut cum vulgo loquar, quodcumque illud sit, vel exiguum prorsùs, ac inconspicuum, vix editum illud edomando statim, ac subigendo penitus, ne elatum magis, evectumque nimis, ac furens ingentes deinde tumultus induceret, quibus compescendis nulla postmodum artis præsidia sufficerent. *Quodcumque* aio fermentum illud sit, tum quoque in angulo latens, occultumque. Non enim hìc tot inanes conjecturas repetere subit, quas hac in re innumeras excogitatas scio, ac quotidie adhuc excogitari ab iis, qui artem suoapte ingenio ab vulgi studiis abhorrentem incertis & plerumque falsis opinionibus fædarunt. An *stagnans* aliquid, quod egeat moveri; Num *fixum* quidpiam, quod expetat exaltari; An quidquam *exaltatum*, quod exigat deprimi; Num quid intempestivè *influens*, quod debeat inhiberi; An denique *obstructum* quid, quod indicet referari? An *intrà* sanguinem rursùs constituendum illud sit, vel *citrà* sanguinem, vel *ultrà*? Nos hæc linquimus agitando iis, qui lites amant, nubemque hinc sæpe (Dispereat hìc quidem obtrektor ille, cui ea displicent, quæ politioris literaturæ cultoribus arrident magis) *pro Junone amplectuntur.*

XLIV. Illusit mihi aliquandò, cum Icaro ausu febrium intermittentium causas exquirerem, illusit inquam mihi Phantasma quoddam (sic ego voco ludentis ingenii aereos incertosque volatus, medio sæpe in itinere col-
labef-

labefcentes) quod quidem, utcumque somnium fortasse videbitur nonnullis, referre haud piget hic loci. Num scilicet in toto potius *Mesenterii* ambitu, aut illius centro constituenda foret hujusmodi minera februm, ubi tanquam in emporio quodam, proprioque delubro delitescant, statim subinde horis erupturæ, magnas secum una afferentes turbas, *catervamque malorum*? Si Cartesio immortalis Viro, ejusque affectis placuit incorporeum, ac immateriale principium nobis Divino munere concessum, verè *Divinæ auram particulæ*, nullis illud obstructum corporum legibus carceri mancipare suo, captivum ducere, inque vincula conjicere; Æquiore ne jure haud licebit principium materiale illud, februm authorem, atque parentem, uno verbo, focum, ac materiam febrilem eo in loco constituere, ac collocare, per quem omnis generis vasa discurrunt, perreptantque, milleque effingunt gyros, *itineramille*, viarumque flexus innumeros? Num aptior hæc februm scena, quam alia quæpiam hæcenus excogitata? aptior utique illa cæteris, ac convenientior; sive intra sanguinem cum *Villifio*, sive extrà illum cum *Sylvio*, sive denique in nervoso latice cum *Guil. Cole* earumdem fodina contineatur? Huc venæ, huc arteriæ, huc lymphæ ductus, huc lactea, huc inspersæ ubique glandulæ, huc nervei funiculi, aut si mavis dicere, nervorum rivuli eleganti ludunt spectaculo. Num quod de *Pancreate* suo commentus olim est *Sylvius*, idem nobis comparatum de *Mesenterio* effari, longè profectò faciliore, & clariore suo, quam ibi, tum symptomatum om-

nium, etiam infrequentiorum, tum ipsorum quoque circuituum explicandorum ratione! Haud exiguam sanè hisce lucem, si quid ego hic judico, præbere videntur memorata illa ventris tormina, quæ toto ferè anno unà cum exaratis febribus, quandoque etiam nulla comite febre, quodve mirandum magis, periodicarum februm instar recurrentia, longè latèque sævierunt, cunctis invicta telorum ictibus, præterquam uno *cortice Peruviano*.

XLV. Videmus ab ulcere, & abcessu *glandularum Mesenterii* febres lentas & continuas fieri, quæ prius glandulis iisdem tumentibus tantum, & obstructis intermittentes extiterant. Videmus suborto in pede tuberculo, & tumefacta subinde glandula in inguine diariam febrim exoriri, quæ dubio procul periodica fieret, si periodice recurreret ejusdem glandulæ tumor: Quidni igitur per analogismum quendam haud licitum erit eruere, aliquam ex glandulis mesentericis insignioribus ita viscido infarctâ glutine, ut omnem, vel ferè omnem chylo, & lymphæ illac fluentibus ultra se cisternam versùs progressum inhibeat, totum vas illud lacteum, quod ab intestinis ad glandulam illam protrahitur, chylo stagnante intumescere, pariterque lymphaticum inferens integrum, quod in eandem inferitur, ab exortu suo usque ad eundem terminum, lymphæ sic similiter stagnante, utpote exitum non inveniente, repleti; Exoriri hinc febrim, ac statas quasque periodos, ceu ad regulam quandam, emetiri, prout nempe glutinosæ hujusmodi obstructionis alterna reclusio, atque occlusio contingit, cujus mechanica ratio non est hic loci.

Quantum verò visciditatis, glutinis quantum perreptans, cum ubique per abdita corporis, tum in hac potissimum parte lymphæ, atque hinc cætera quæque fluida humani corporis hac tempestate contraxerint, obvium est animadvertere recogitanti cuiuspiam, ac recolenti animo, tum superiorum anorum, tum labentis indolem, ingeniumque. Quam facile hinc per diffusa locorum, viasque varios in gyros convolutas contendens influens quicumque humor, si aliquo lentore peccet, iidem in locis obstructionem producere potest, lentoremque, ac stagnationem mutuam ceteris per eosdem trames decurrentibus liquidis impertiri? Quot quæso nascentibus morbis huiusmodi glandularum mesentericarum infarctus prolusit, aut eosdem diu latentes, occultosque, idem fovit, condiditque sinu, quo usque, cum disjecto aggere, foras eruperint, eò vividiore conatu, quo diutius iidem delituere? Num præcipua hæc ipsa sedes hysteriæ insultuum, affectuum hypochondriacarum, Phthiseos chylosæ, cuius exemplum unum atque alterum observare mihi hoc ipso anno contigit, Rachitidis, Scorbuti, Atrophicæ, ac sexcentorum ferè morborum; quorum fera Symptomata novimus, incunabula verò nos omninodè laterent adhuc, nisi hæc illustriora, ac præclariora in dies efficeret magister in morborum causis eruendis optimus culter Atomicus? Nec Indorum morbus à Jac. Bontio descriptus, hicque familiaris omninodè retinendus, eos ad atrophiam deducens, in quibus post sectionem aliquando totum mesenterium occurrit absumtum. Referenda & huc quoque fortas-

sis est *tabes Anglorum* ab calidorum, ac spirituosorum nimio abusu, quibus summoperè rebus Natio illa toto divisa orbe oblectatur, proficiscens.

XLVI. Equidem, si harum febrium tum intermittentium, tum subcontinuarum minera, ut ajunt, in primis viis, cum plerisque videbatur, extitisset, haud video, cur repetitis illa catharticis haud obsequeretur, eductâ hinc purgante medicamento materiâ omni exoticâ, quæ febrim pepererat. Atqui ab purgantium usu contumaces hæc magis evasisse compertum, quandoque etiam ex intermittentibus in acutas periculosas migrasse, quas dein aut diuturnus alvi fluxus cruentus, aut diarrhœa sæpe chylosa unâ cum totius corporis emaciatione subsequeretur, proludentibus passim diris ventris cruciatibus; Qui iidem si diutius perseverabant, *Phthisin* brevi inducebant, de quâ superiore paragrapho verba fecimus, præfatæ diarrhœæ, aut alvi fluxûs filiam, quo in limine conclamatum erat: ut nos in duobus ægris adnotavimus, quorum alter juxta *novas ædes Fratrum Carmelitarum*, alter propè *forum olitorium* decumbebat, quâ fornix viæ antiquissimus spectabatur, cui *rubri coloris* nomen, nuper in triumphali Nuptiarum Regionum Pedemontii Principum apparatu, ne inter nocturnos festivos ignes Aulæ prospectum Fori, Foro prospectum aulæ invideret, ut in præclaro monumento legitur Posteritati commendato, ab Providentissimis Patriæ curatoribus dirutus, ac solo æquatus. *Phthisin* illam voco, quod si ægrotantium habitum, ac faciem inspexeris, vix illos ab iis, qui verè *Phthisici* existunt, aut ne vix quidem distin-

distinguas: vera autem morbi causa, ac præcipua sedes in *Mesenterio* potissimum delitescit, infarctis universis lentore glandulis, ac propè jam in strumoso statu degentibus.

XLVII. Elucet hinc Sole meridiano præclarior ejusmodi febrium tum præcipui illarum, quod idem sæpè etiam iis absentibus subludebat, symptomatis, dirorum nempe abdominis cruciatuum fomes primarius, ac propè dixerim, natalis locus. Harum olim meminerat *Ballonius* Vir Doctissimus in morborum notis explicandis, eorumque origine, ac *occafionis* initio revelando nulli secundus, quæ in diros ventris cruciatus *colicos dolores mentientes* plerumque designabant; Nec diffitetur idem procul ab mesenterio quærendam haud esse illarum sedem, ac fomitem. Sæpe adeò nosse est prioris morbi indolem ab symptomatis naturâ ac ingenio, quod aut illi præludit, aut unâ cum illo sævire videmus diviso velut inter utrumque imperio, ac potestate irascendi. Neque inficior sæpe etiam ab aliorum quoque viscerum, Jecoris v. g. Pancreatis, Lienis, glandularumque omnium per inum ventrem, ac universum tractum intestinorum denso agmine delitescentium infarctu intermittentes febres ortum ducere, haud tamen infonte unquam *Mesenterio*, in quo scilicet tanquam in ampliore Theatro ludere suo Marte queunt ejusmodi febres, ac quam hæc cumque velint larvam induere. Conspicuum id magis fiet, si quem illi usum, ac manus tribuit Præclarissimus, ac amicissimus *Morgagnius*, mente recolimus; videlicet, ut sanguini per mesentericas venas ab inte-

stinis ad hepar ascendenti multas in transitu ex iis, quibus copiosè ornatur; adiposis cellulis particulas oleosas pro separatione bilis admisceat. Confirmant assertum cadaverum lustrationes, in quibus plerumque bile atroflavâ turgida vesicula fellis occurrerat, defectu nempe illius olei, quod in statu naturali unâ cum sanguine per mesentericas, quæ sese in portam exonerant, venas hepatis suppeditatur; Non nullis totam lapillis referatam invenimus intus forisque ita nigricantibus, potius ut carbones, quam calculi esse viderentur. Hosce quidam ex iis, qui præsentibus aderant, aderant autem quam plures rerum Medicarum, ac Anatomicarum studiosi; observationis confirmandæ percupidum, nùm hi scilicet igni admoti flammam conciperent, adque extremum usque alerent, lucernæ admoverant, sed leves quidem crepitus edidere, flammam autem non servavere, quod peculiari vitio ejus, in qua concreverant, bilis accidisse arbitròr. Nos equidem id ipsum olim aliquoties experti sumus, ac penè totos comburi advertimus, quorum plures etiamnum in Musæo inter rariora mea conservo, qui & flammam alunt & omnia ac olim observanda adhuc post multos annos præbent. Subit hæc historia satis curiosa viri cujusdam Religiosi, qui præcedentibus acerbissimis ventris cruciatibus quatuor demùm exiguos ejusmodi calculos per alvum dejecit; quâ de re, cum varii varia proferrent, quidve essent, & unde essent, haud facile intelligerent, ego illos è choledochoductu in duodenum delapsos, atque hinc per alvum favente motu peristaltico exturbatos contendere, quod

igni admotos comburi illos adnotaverim, teste *Bidloo*, tùm aquis immerfi iisdem innatarent, docente *Fernelio*, secùs ac iis, qui de vesicâ urinariâ extrahuntur, cæterisque, qui passim variis in locis generantur, lapillis contingit. An autem Jecur primò affectum fuerit, an Mesenterium, ipsa morbi indoles, ac ingenium manifestabit; Qui namque morbus à Mesenterii vitio proficiscitur, rarò Catharticis cedit, sæpè etiam, ut adnotavimus, exacerbatur magis, tùm tormina secum unà adfert, ac cruciatus ventris immanes, inque atrophiam tandem, ni caveatur, degenerat; Qui verò à jecore procedit, non nisi catharticis frequenter usurpatis expugnatur, nullo ferè, aut viæ exiguo ventris cruciatu stipatur, inque colluviem plerumque ferosam, si diuturnior extiterit, desinit. Sed tamen fortasse de hac re fusiùs loqui continget aliquandò. Nunc verò ad aliud caput transeat oratio, quæ perquam satis in hisce immorata est.

XLVIII. Hos inter rerum fluctus præstantius, ut retulimus suprâ, subsidii, genus ac sacra, penè dixerim, anchora *cortex* erat, sive intermittentis toto sui decursu typum febris retulerit, sive in acutam migraverit illa, sive eadem subcontinua ab ortu extiterit, sæpèque hinc obscura inter simulati velut circuitûs vestigia Medentes eluserit; sive denique nullâ præfenti febris toties exarata alvi tormina tantummodò desævierint. Nulla hîc advocanda sui generis materia, quæ catharticum suaderet, aut expectanda Medicorum scriptis celebrata adeò humorum cõctio; ne fortè dum hisce totus incumberet Medicus vota

ferens *Naturæ*, evacuato purgantibus, quòd adhuc reliquum aderat, fero, aut datis inani cunctatione morbo induciis, altioribus actis radicibus malum ingravesceret, ac ut plerisque obtigit, in lentam febrim, ac in maciem denique infausto exitu transitum faceret; præcluso nempe omni itinere chylo, aut si quis adhuc aditum sibi per oppositos aggeres aperiret, viscido eodem, lento, ac inertì propè sanguini occurrente, nullo prorsus pacto misceri apto cruori, inque nutrimentum rorem secedere. Duas scilicet ob causas extenuari sensim corpora videmus respectu succi nutritii, cùm is nempe aut liquidus minùs, quàm par est, alendæ parti occurrit, aut exoticis moleculis refertus, quo fit, ut ineptus nutritioni, seù minimè assimilabilis idem evadat; defraudatæ hinc æquo alimento partes emacientur sensim, ac contabescant. Etsi enim idem ipse nutritius humor in *rorem*, *gluten*, ac *cambium*, ut veteres aiebant, facessat, opus sit, totque adeò subeat *metamorphoses*, antequàm nutriendæ parti affimiletur: glutinosus proinde evadat necesse sit, ut firmiter magis adhærescat, ac solidi vim, ac robur obtineat; Si verò is minùs jam naturâ fluxilis ad partem, cui comparatus est, accedat, conicere est, non eum amplius acquisiturum glutinositatis gradum, qui necessarius est ad hoc, ut parti similis fiat.

XLIX. Quod si impar idem obvios superare obices, perque infarctas lentore glandulas, obstructasque vias excurrere, regurgitare hinc, ac mutato itinere, revocare gradum coactus erit, perque eadem, quæ jam subierat ostiola, sese in intestinorum cavo reci-

recipere, & qua data portâ unâ cum alvinis fæcibus exire, unde diarrhoea plerisque chylosa, mox phthysis inevitabili fato successit. Huc scilicet tandem casura morbi alea, ni periclitantibus rebus opportunè cortex subveniret. Ut latens venenosior in herba anguis, ita & majus in mora periculum.

Ægrotus Primus.

Eximius Jurisconsultus initiô Autumnii corripiebatur tertianâ simplici, cum paucis tamen rigore invadente; declinante febre conatus mox ventris acerbissimi subludebant, toto demum Apyrexia intervallo perseverantes. Exhibito medicamento purgante tertianæ duplicis typum febris obtinuit, visaque ventris tormina exasperari magis, ac diriora eadem evadere. Fetus adhibiti ex lacte, clysteres emollientes additâ theriacâ recenti, diluentia, paregorica mitiora, & his similia. Monebam ipse, ut statim cortex præscriberetur, quô sine magnam impendere ægrotanti viro jacturam prævidebam. Difficilem tamen assensum præbebat Medicorum alter, qui ægrota- tioni præerat; Cùm verò omnia in pejus ruere cerneret, sponte tandem, cùm fortè illum sub vesperam inviseret, corticem semel, atque iterum exhibuit modicâ dosi. Manè eâdem, quâ consueverat, horâ febris repetiit, lenior tamen, tùm mitius sævire cœperant alvi tormina, quo dein corticis usu æger perfectè convaluit.

Ægrotus Secundus.

Judæus post febrem primò validam,

mox lentio- rem, atque diuturnam, in- super diarrhoeam contraxit, quæ post- modum in dysenteriam migravit, eâ- dem durante febriculâ. Demum dy- senteria rursus in diarrhoeam conver- sâ, cæpit simul febris typum mani- festum acquirere tertianæ duplicis in- tensioris. Hæc autem febris in inva- sione sua soporem simul adscivit admo- dum profundum, quo circa declina- tionem accessionis evanescente stupi- dus, attonitus, & immemor ad plures horas æger remanebat. Quæ cum ego sedulò animadvertissem, jussi Medicò curante annuente admoveri occipiti vesicatorium, ac mox corti- cem Peruvianum largâ dosi exhibe- ri. Et ecce statim imminuto paroxys- mo, oblationem validiusculam corti- cis subsequente, alteroque prorsus in- hito, symptoma ipsum soporis si- mul evanuit, quare brevi à febre, à lethargo, & à diarrhoea liberatus est Æger.

Ægrotus Tertius.

Sacerdos jam proximè octogena- rius febrem tertianam patiebatur adeò absconditam, adeòque latentem, ut ea potius ex acerbissimo ventris cru- ciatu cùm obscura quadam extremo- rum frigiditate, quàm ex ullo caracte- re magis proprio distingueretur. Diù ipse incertus hæsi, an symptoma istud pro vero morbo haberem, eique oc- currerem appro- priatis remediis, non- dum scilicet propè conscius periodi tertianarii. Atqui suspicans simul quic- quam aliud latere ob insignem pulsus inæqualitatem, insuperque observans hujuscemodi cruciatus nihil habere commune cum colicis ita dictis dolo- ribus

ribus præter doloris sensum, facile deprehendi doloris originem aliam esse ab illa, quam mihi effinxeram. Quâ de re ad corticem Peruvianum protinus confugiendum esse existimavi, pro inhibendo dolorifico, ut ita loquar, propè imminente paroxysmo, eò metuendo magis, quo debilis æger, ac senio velut confectus, par haud erat amplius diù mali sævitiem ferre; Libentissimè annuit, qui unâ mecum aderat Medicus, ac statim propinato Cortice per ebullitionem in aqua Card. Bened. parato, brevi integram ægrôtans valetudinem recuperavit. Huic quoddam furditatis, cum jam è morbo convalesceret, vestigium supervenit, quod idem unâ cum febre evanuit omninò.

Ægrotus Quartus.

Primarii Regis Architecti famulus ejusmodi ventris doloribus laborare cæpit, unâ cum febre subcontinua, diarrhœa, siti magna, urinis subrubris, ac velut igneis, pulsu celeri, æstu, ac vigiliis intensis. Contractum manu abdomen percipiebatur, quidve in profundo latens ægri relatu, quod sedem ipse mali vocabat, ac centrum doloris. Ad septimum usque subcontinuæ morem febris obtinuit, quæ nec repetitis sanguinis missionibus cedens, nec diluentibus, fomentis, nec cortici ipsi postremò administrato, quin imò ad omnium tam continuitatem malignanter tendens delirium fecum unâ adtulerat, feroceque artuum convulsiones, quarum haud obscura quidem indicia in carpis observare erat post quartam accessionem, cum adhuc scilicet subcontinuæ genium

febris fervaret. Adstricta post septimam spontè alvus, irritata eadem vix pauca demisit, variegata, sincera, improba; Urinæ pallidæ, turbatæ, pulsus intermittens. Dimisso Cortice Vesicantia humeris, ac Tibiis admodum, diluentia iterum adhibita, camphorata, alexipharmaca, fodus, sectaque iterum vena. Quibus nihil proficientibus medios inter acerbissimos ventris cruciatus, membrorumque subsultus, lecti fimbrias diducens, & floccos vellicans, sæpe etiam per vices singultu correptus è vita decessit.

L. Plerosque hujusmodi casus recensere possem, quibus denegatus cortex, aut dimissus idem, cum adhuc largiore illum dosi exhibere opus erat, rem permisit in deterius abire. Ut ut enim vesicantia, ac sanguinis missio, quæ duo haud diffiteor tutiora extitisse hac constitutione post corticem præsidia, in iis potissimum febribus quæ acutarum indolem æmulabantur; viderentur recta adversus morbi genium pugnare, ut & repetita diluentia, ac fodus, quorum eadem fermè ratio. Ea tamen nihil, aut vix parum quidem, nisi unâ cortex administraretur, adversus morbi causam profecerant, quæ id namque præsidii efflagitabat, quo vegetior Chylus, vegetiore hinc quoque facto solido, impervia viarum facili marte pervadere, imosque recessus adire posset: uno verbo, properantia ad stasim, seu ad concretionem liquida, deficientia hinc pariter solida, fluorem illa, hæc vim, ac robur amissum reciperent, ad flatas utraque æquilibrii leges redigerentur, vindicarentur ab infarctu glandulæ, expedirentur ab obstructionibus viæ, præcaveretur suprema, quæ imminabat,

bat, jactura; quod unum sperandum erat à *Cortice*. Equus indomitus, & effrænis, liceat mihi allatum hinc loci ab præclarissimo, nec unquam satis laudato Viro exemplum, tum ipsamet illius verba usurpare; Equus indomitus, inquit, quandoque est febris. Ab eo hominis vita trahitur, velut currus, quò fata finunt. Medicus moderator est, Aurigæ instar, lora tenens. Si vulgari utatur hic methodo in curatione febris, id aget tantum, vel studebit agere, ut medium furens Equus teneat iter, ne in foveas hinc inde paratas obliquus feratur, Currumque, vel Hominem perdat; non verò impedit, quin cursum suum Equus expleat, usque quò illi suppetunt vires, & furor, non sine gravi metu, quò dum

Fertur equis Auriga, nec audit currus habenas,

Offendat ille tandem ad obicem aliquem, ad quem allisa, malè consistens facilè frangatur machina. Quod si chinâ chinâ utatur Medicus, id aget, ac si retracto magistrâ manû convenienter fræno, Equum vi sistat, aut retrogradum faciat, & hoc pacto totius incerti cursûs declinet pericula.

LI. Plerosque utique casus recensere possem ægrotantium, quibus malè cessit res, sive ludens adhuc tertianario circuitu febris derèpentè in acutam transierit, sive haud deleto morbi fomite in lentam abierit, diuturniore quidem, at æquè infelici exitu, quod utrumque discrimen eludere erat exhibito opportunè *Cortice*. Dixi *haud deleto morbi fomite*; Quotquot enim hoc more lentâ ægritudine occubuerunt, secto Cadavere, Mesenterium compertum est summè putridum, plerisque etiam penè totum absumptum;

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

non nullis fordido ulcere, aut exiguis adhuc abscessibus scatens, ceu totidem latentibus Vomitis, quæ procul dubio diuturnam febrim, ac mortem tandem adtulerant. Horum unum, atque alterum exemplum lubet commemorare.

Ægrotus Quintus.

Mercator quidam in *Vico D. Thomæ* florenti adhuc ætate, alvi torminibus exeunte hyeme vexari cæperat: inque dies magis, magisque dolor vim capiebat: tantumque aberat, ut hujusmodi doloris abditæ causæ comprehendi possent, ut numquam ullis remediis tolli, aut saltem levari hoc malum potuerit. Comes aderat febris, quæ intermittentis diù vultum retulerat, atque tandem nullam ampliùs circuitûs legem observabat, modò etiam crudelior reviviscere videbatur; Quò urgente magis adhuc, quam ut tolerari posset, dolore, extenuato propè, ac macie confecto corpore è vita discessit. Cadavere secto sana omnia reperta viscera, præterquam Mesenterium, quò præcisò, materia multa nigra, fætensque profluxit, encausto sutorio similis.

Ægrotus Sextus.

Honestâ Virgo hospitalis Puellarum domûs, vulgò *dell' albergo*, in dolores Colicis similes, ac pro talibus habitos supremâ hyeme incidit, contra quos cum nullum remediî genus valeret, misella, febri quotidie cum rigore insigni repetente doloribus jam dictis associatâ, paucos post menses marasmo consumpta est. Dissecto

ventre ingens copia puris, quo totum mesenterium refertum, ac quasi turgidum erat, erupit. Hoc Natura per renes evacuare frustra tentaverat, urinis valdè purulentis profluentibus: Cùm renes interim integri, omnique labe carentes conspicerentur, quos nonnulli ulceratos suspicabantur, idque non immeritò, cùm puris miētus diuturnus teste *Galeno* 4. Aph. 75. renum, aut vesicæ exulcerationem significet. Verùm doloris circà renum regionem absentia suspitioni huic non attestabatur.

LII. Cæterùm nec in Mesenterio tantùm, etsi præcipua ibi extiterit morbi scena, sed & in finitimis huic quandoque partibus, hujusmodi infarctus occurrerant, quorum exempla recensere haud vacat. Tentabat siquidem Natura per ejusmodi abscessus in hac, aut illa parte erumpentes morbum solvere; At cùm hi in abdito adèò loco, imoque delubro contingerent, sequebatur hinc ab eorumdem disruptione totam unà partem putrescere, ac velut absumi. Febris hinc intermittens incunabula repetenda, nedùm factò, aut tentato abscessu; Ejusdem in acutam migrantis prologia, inchoato propè, ac confecto ipso; lentæ itidem, ac unà simul sævissimorum alvi cruciatuum incrementa, disrupto tandem, ac finitima quæque loca exundante. Primo in stadio facile erat propinato Cortice ulteriorem morbo progressum inhibere; Haud ita facile in altero, ni exiguus foret abscessus, aut glandulosa pars, in qua is delitescerat, haud ita diffita ab intestinorum tramite, ut in eorumdem cavo facili ne-

gotio posset exundans materies vasorum famulatu exonerari. Difficile omninò, ac penè impossibile in tertio, ac supremo morbi statu; sive hujusmodi concretiones in Mesenterio, ut plerumque obtigit, sive in Pancreate, aut Hepate, sive quod in *Ægroto Sexto* suspicari fas erat, in renibus occurrerint. Renes hoc pacto exulceratos, ac ferè absumptos omninò mihi in Viri Cadavere diuturna ægritudine confecti haud ita pridem ostenderat solertissimus, ac ingeniosissimus adolescens *Octavius Calastrus* in majori Urbis Nosocomio assistentis Medici munus diligentissimè persolvens.

LIII. Morbos abscessu solvi satis vulgare est, qui frequentissimè quidem febribus, & variolis supervenit, maximè circà aures, atque inguina; non nunquam & toto corpore diffusa excrescunt tubercula, quæ in pus aliquandò resolvuntur. Idem ubique Naturæ laborantis conatus; etsi impar illa sæpè haud queat, quod tentaverat opus, absolvere, sæpè etiam ob partis longinquitatem, per quam nempe partem, seu emunctorium haud ita facile est congestam materiam evacuari, ac foràs protrudi. De abscessibus Hepatis feliciter peractis innumera monumenta habemus apud Scriptores, quod quidem per Choledochum ductum, amplum satis, ac per mille illum rivulos collectam in jecore materiam in Duodeni cavum deferre aptum, si præsertim congruo in loco abscessus fiat, facile is erumpere queat, ac totus exonerari. Præclarum Hepatici hujusmodi abscessus hoc pacto felicissimè curati exemplum Parenti olim meo obtigit in Serenissi-

mo Principe N. N. à Sabaudia, cùm illius ægrotationi præesset. Ejusmodi ego alterum in Pancreate in nobilissima Muliere hoc more sanatum vidi, diuturnis, dirisque hysteris insultibus divexatâ, cujus adhuc vestigia, eâdem decem fermè post menses defunctâ, cùm filiam peperisset, inspexi, ac Medicis, qui unâ mecum curationi aderant, ostendi. Nosse erat abscessus sedem, ac locum ab doloris vestigio, abque visibili tumoris in eo situ, quo propriè Pancreas latet, præsentia, qui dein evacuato sensim per alvum pure imminuebatur.

LIV. At verò nullum adhuc curationis feliciter peractæ exemplum legi latentis in Mesenterio abscessus, vix unum aut alterum latentis ejusdem in renibus, aut vesicâ, perque urinæ meatus suppurati; cujusmodi historia illa *Pithionis & Hippocrate* in principio *tertii Epidemiorum* descripta. Mirum sanè, quantum in hujus explanatione hallucinentur interpretes, qui uno omnes ore, ac unanimi consensu morbi liberationem urinæ copiosius effusæ tribuerunt; Neque enim ad urinæ quantitatem, sed ad qualitatem potius, utpotè quæ fuerit purulenta, referri sanitas debet. Neque leve est, quod *Hippocrates* his in libris sæpius observat, urinam quoties materia illa purulenta per vesicam abducta est, cum difficultate & dolore reddi consueffe, ita ut stranguriâ laboraverit ægrotus. Proferam hîc, quod mihi olim adnotare contigit curiosum satis, huic *Hippocratis* exëplo planè respondens: ita tamen, ut hoc intersit, quòd utcumque factus abscessus suppurationem obierit, æger tamen sanitati minimè restitutus sit.

Atque eò lubentiùs id proferam, quòd sub hac plerumque imagine juniores non modò, sed senes aliquandò decipiantur, ac si calculus reverà adesset, qui tamen nullus postmodum reperitur.

LV. Sacerdos è Cappucinatorum familiâ, & ingenio peracri, & studio flagranti, & doctrina eximia, & memoria singulari excellens, anno ætatis sexagesimo sexto, circa Veris initium valetudinem amisit. Urgebant viscerum dolor, flatus, & quasi quædam convulsio: languescebat admodum stomachus. Post autem aliquantò desidendi aderat, mingendique cupiditas, stranguria, dolor juxtâ inguen, & glandem permolestus, præcipuè post extremam mictionem gravissimus; In Perinæo ad vesicæ cervicem pondus; atque hæc omnia, & nova, & repentina. Urina primùm difficilis, atque intercisa; deindè magno cum impetu, & sonitu quodam, quasi ventus aliquis erumperet, excreta: In quâ quidem, color inerat naturalis, nihil tamen subsedit. Dolor aut resupinato, aut inclinato, aut etiam cùm distenderetur vesica, levior. Atque hæc inter mingendum molestiæ ad vitæ usque finem perdurabant. Accessit interdum sitis. Hoc ferè modo ad medium Majum traxit: quo tempore dolores statim exacerbescere sensit, siquid paullò calidius hauserat: Perbiduum omnia rejecit vomitu; Cruciarum sibi intestina, & abdomen vehementiùs tendi querebatur. Dolor hinc inter meiendum acerrimus; febris cum siti satis acuta: quæ tamen, die tertio elapso, aliquantulum remiserunt. Arenulæ aliquot asperæ, quæ magnitudine caput aciculæ æquabant,

ejectæ. Colos urinæ saturatior: in qua subsedit plurimum mucii glutinosi, & subflavi, sanguine hinc inde, aliquandò etiam carunculis, ramentisve respersi. Paucis exinde diebus recruduit dolor; Obortus hinc quoque rigor, totumque horrore corpus intremuit. Pulsus celer & depressus; Lingua arida. Urina sanguine plurimum tincta; quam quidem non nisi in lecto cubans excernere potuit. Postremò tandem dolorum requies, seu potiùs sensus obtusior. Caput quippe tentari cæpit. Febris, singulis diebus vesperi ingravescere sueta, tandem ferè prorsus elanguit. Spiritus paullo difficilior: Urina mordax, planeque mali odoris: pus eâ largitate profluens, ut urinæ copiam propè excesserit. Huic malorum moli paulatim accessit sensuum stupor. Ita in hoc pessimo Virò ille animi motus, quo nihil celerius, aut acutius esse poterat, veterno tandem obtorpuit. Quis autem non jure beatum illum dixerit, vel quod vitam doloris expers tandiù produxit, vel quod, cum diutiùs haud sine dolore vivendum esset, vivere desiit? Aperto Cadavere Urinæ iter accuratius pervestigatum est. Nam ad sectionem ita animo parati accessimus, quasi qui calculum essemus inventuri. Sed neque in vesica, neque in ureteribus, neque in renibus ipsis, ullum omninò sabuli, nedùm calculi apparuit vestigium. Dum ulteriùs viscera scrutamur; Colon ita pertinaciter vesicæ adhærescere animadvertum est, ut ne cultro quidem facillè dividi posset. Quæque in parte adhærescebat: in conspectum venit diametri quasi sesquuncialis ulcus rotundum, quod non

modò Coli ipsius tunicas penitus absumpserat, sed etiam vesicæ membranam extimam perederat. Hinc via per tunicam vesicæ mediam, sive musculosam perforata est, quæ penam anserinam reciperet: Unde continuo pus ab ulcere intrà vesicam defluxit, aditusque patuit, quo in urinæ ductum ab intestinis commigrarent flatus; de quibus quidem, dum viveret, ægrotum somniasse perperam credidimus.

LVI. Sed ut ad *Mesenterium* revertar, quod *scenam* constituo sævientium hoc anno malorum; atque ut uno omnia claudam paragrapho: Ars medentis erat, præsidium, quod credebatur præstantius, citò adhibere, antequam enatæ hic loci passim concretiones serosæ phlogosin inducendo febrim efficerent intensiorem, aut erumpente abscessu febris inde habitualis emergeret. Sive autem in substantia ad instar electuarii, sive levi ebullitione in aqua appropriata paratus, atque unà cum balsamicis commixtus Cortex exhiberetur, perinde erat; Quamquam & hinc maximè quædam sit Medico cura, ac verè dixerim prævidentia, quæ definiri non potest, multò minùs edoceri. Equidem cum præcedentium annorum, tum quæ hoc anno sæviebant, ægri tudines mihi ante oculos pono, lympham ubique in motu peccantem video; Ut nihil inde mirum videri debeat, quòd pulmones modò, lentescens hæc passim, ac fistrophes ubique inducere apta, pectusque, ut superiore anno adnotavimus, modò imi ventris viscera, ac *mesenterium* præcipuè occuparit. Quotiescunque verò, in hac siccitate temporum, tot emortuas huc
illuc

illuc plantas circumspicio, defectu humidi terræ centralis, quod iis pabulum præbet; dilucidè mihi occurrit febrium, ac cæterorum affectuum, qui unà eruperant, ratio; curve hi potius in *Mesenterio*, quod ager est, campusque patens, insignibus glandulis, rivulisque majoribus refertus, per quem vitalis succus identidem percurrit, ac remeat, cruori aliquandò miscendus, quàm in alia quacumque parte tentoria castra posuerint.

LVII. Exactâ hyeme, eadem visæ febres proludere, novo tamen symptomatis genere distinctæ, ut in *Ægroto 2.* adtulimus; sopore scilicet gravi, ac profundo, imbrifero tùm, ac summè perfrigido existente cœlo, nocturno etiam sæpè gelu concretis ubique per circumjectam planitiem fluentibus aquis. Cernere erat novum hoc symptoma easdem, ac febris, phases obire, cum eadem scilicet crescere, statum attingere, ac demum illâ declinante, declinare sensim, restitante, ut plurimum, aliquâ in soporem propensione, etiam tempore intermissionis, quæ affectum paullatim radicari, & ad Idiopathicum tendere præmonerat. Non nullis quidem intermediâ apyrexia nullum aderat soporis vestigium, ejusque loco cruciatus ventris prodierant, eo more recrudescentes, ac in intermittentibus autumnalibus, apyrexia tempore, iidem irasci consuevere, evanescentes hi dein, repente febrî, quæ soporosam affectionem secum unâ comitem adferebat. Sæpè coævus febrî sopor, interdum illi posterior, diarrhoeâ passim, dysenteria, aut memoratis alvi cruciatibus proludentibus. Enim verò etsi in capite agi videbatur Tragœdia, morbi

tamen fomes, ac incunabula adhuc in imo ventre delitescébant. Atque hinc quidem, cùm accesserat sopor, ex intermittenti tùm sæpè in acutam degenerabat febris, eadem protinùs & ipsa methodo profliganda, antequam *Palladis Templum*, lacramque aram intimè magis morbus pervaderet. Ominosum erat, propinato Cortice febrim intensiorem adhuc evadere; Ut victoriæ signum certissimum eandem denuò in intermittentem desinere, quo usque tandem continuato corticis usu omninò profligaretur. Plerisque memini loco soporis cardialgiam in principio accessionis supervenisse, paucâ ut plurimum, vel inani vomituritione. Lethale heu prorsus symptoma, atque eò funestum magis, cùm febris intermittens adhuc persisteret, ac vim illa eluserit præsidii, ferius fortè etiam, quàm par foret, administrati. Quæ cùm ego memoriâ recolo, ac versicolore hujusce imaginem febris Vere potissimum, ac æstate ludentis adverto, animo subit Proteiformis illa, cujus ingenium, ac morem accurato penicillo adumbravit *Mortonus*, vim unâ simul eximiam Peruviani Corticis pro tanto debellando hoste summè commendans.

LVIII. Nunc ad intercurrentes affectus me conféro, quibus curandis, sanandisque, etsi nihil prorsus cum vulgaribus morbis habere viderentur affinitatis, haud exiguam tamen lucem iidem præbuere. Adeò scilicet nedùm, quæ sub Epidemicarum Principe ludunt, ægritudines, haud impari, ac illam, methodo vincere tutum est, sed & quæ ab ea toto penitus cœlo discrepare videntur, nullum-

que omninò cum illis foedus habent, atque consortium. Has inter recensenda primò locò *Asthmata* veniunt, quæ si olim unquam, hòc potissimùm annò, ac tùm quidem, cum læviret ab alto Boreas, frequentissimè proluferunt, atque ejus præsertim generis, indolisque, quæ *convulsiva* vocat *Vil-lifus*, seù *sicca*. Plerosque horum me-mini solo Cortice Peruviano sanatos, anodynis unà commixto, quæ aliter per se sola usurpare, perniciosa res erat. Proficua quampluribus venæ sectio, ac quidem *Jugularis*, cujus beneficio haud pauci inopinatò eva-tere. Miræ curationis exemplum hu-jusce ingenii Asthmatis enarrare ju-vat, quod lucem fortasse Practicis hac in re feret, quò citiùs tutiùs-que idem, sive recens illud extiterit, sive diuturnum, compescatur, evella-turque radicitùs. Sartoris cujusdam *Galli (de la Ruë)* Filius, decennis circiter, in *vico novo*, qui rectà ab ædibus Regiis ad Portam, quæ vul-gò *nova* dicitur, ducit, diuturno hu-jusmodi Asthmate flatulento, ut ajunt, seù periodico laborabat. Rogatus ego, ut opem illi præberem, haud libenter, quod ingenuè fateor, curam suscepi; Nihil enim sperabam mihi ex ea lau-dis accessurum, aut ægro emolumentum. Tentaverant siquidem id ipsum pleri-que alii, sed frustra. Invitus denique, ac precibus Parentum indulgens, ju-beo, venam in cubito manè sequenti secari, altero die potionem ex Manna obtuli, nullo, vel exiguo ferò leva-mine. Sæpe mihi in mentem venit Corticem exhibere, vel ex eo maxi-mè, quod unum inter, ac alterum Paroxysmum plenissima sæpe inter-missio succederet. Quem tamen præ-

scribere distuli, mali diuturnitate per-territus, ne scilicet infons alioqui re-medium eventùs ambiguitati, ac pro-pè dixerim, fortè subjicerem. Oxy-mel itaque Asthmaticum *Floyery*, Viri Doctissimi, ac qui multum gloriæ in hac Provincia sibi comparavit, aureo tractatu de Asthmate, in quo nihil ferè desiderandum reliquit. Oxymel inquam Asthmaticum *Floyeri* præ-scripsi, manè, & vesperi sumendum. Leniri hinc malum visum, saltem pa-roxysmos haud adeò frequenter occur-rere, ac repetere antea consueverunt. Properante hyeme ingravescere illud, ac irasci magis iterum cæpit. Jubeo sanguinem è Jugulari lato vulnere emitti, ipseque locum sectioni aptum Chirurgo designavi; Totum tramque recentibus scrophularum vestigiis obsi-tum undequaque collum aderat, qui-bus vel ab incunabulis correptus æ-ger fuerat. Eadem mox die, ac se-quenti benè se habuit Puer; Proximâ huic nocte, cum Parentes somno pla-cidissimè tenerentur, ingenti exaudito strepitu expergefata Mater filium re-perit humi prostratum, ac penè animam efflantem. Me diris increpat, quod in-auditam rem, sic namque vocabat illa recens factam in Jugulari sectionem, in filiolo tentarim; Atqui vanas hujusmo-di Muliercularum querelas parvipen-dit vir Prudens: Parochum exemplò advocat, qui morienti Pueri supre-ma munera administraret. Dum hæc agerentur, sedari visæ sensim convul-siones, altusque sopor ingruere, qui perennem rebus securitatem adtulit; Ex eo namque tempore pacata sunt omnia, nec ullum vel leve mali ves-tigium superfuit. Incolumis brevi post Puer unà cum Parente, domi pares mihi

mihî pro munere grates lætissimè egit.

LIX. Sæpè ego ejusmodi asthmatâ in pueris ab obesitate nimia, seu intumescencia Thymi ortum ducere haud inani conjecturâ suspicatus sum; Sivè ejusdemmet Thymi situm, munus, hac habitudinem vividâ mentis acie perpenderim, sivè enata inde symptomata quæque diligenter ad trutinam revocarim. Pondus addiderat conjecturæ meæ demortuorum Puerorum sectio, quibus frequens id mali genus extiterat. Cùm enim quædam olim mecum ipse meditabundus cogitarem noxa propè, ad Thymi usum hætenùs ignotum prorsus, conducencia, inque lucem edenda aliquando; Quotquot hinc foetus, tenellique infantes mihi occurrerant quopiam morbo denati, hosce omnes curiosè perlustrabam, ac Thymum potissimùm, quem obesum, ac inflatum magis, ac ætas postulaverat, in iis omnibus deprehendi, quibus quædam aderat ab ortu anhelitûs angustia: Ad foetus verò quod attinet, cùm aer nondum bronchia repleverit, prægrandis utique Thymus in iis conspicitur, qui demum in adultis sensim decrescit, ut in Senibus ferè idem vix inveniatur. Suspiciabar autem quod cùm Thymus nutritium succum, qui ab sanguine è magnis, ac proximis vasis affluente, magnâ copiâ ibidem derivat in foetu, non equidem, ut sibi effinxit *Cl. Beltingerus* per excretorios ductus ad oris confinia juxtâ linguæ radicem deponat; At, ut ego propria observatione edidici, rorem illum nutritium in ipsius œsophagi cavo, exiguis osculis, breviorè itinere conferat, unde in ventriculum, ac intestina delabitur, vasaque lactea percurrit, quin foetus

ore assumere alimentum cogatur, quod improprium, ac minimè conveniens vel ipse olim *Hippocrates* censuit: Suspiciabar, inquam, quod idem Thymus, edito jam in lucem foetu, nimiam oppletus succi quantitate, nec exonerare hanc potens in proximo infundibulo, obstructis ab ampliato post natiivitatem œsophago hiantibus in illum ostiolis, eam tandiù in sinu suo detineat, quandiù à propioribus vasis absorbeatur; absorpta dein eadem, cùm maximè delituerit diù, aut fortè hæreditaria labe acorem contraxerit, tot unâ excitet turbas, totque illa parens sit ægritudinem, quas pueris sæpè contingere videmus, difficili Marte sanandas. Atque ob id sanè plerisque usitatum est fonticulum in occipite puerulis utiliter inurere, aut setaceum, Derivationis gratiâ, cùm maximè eâ ætate pueri gravi soleant stertore premi, qui nullimodè ab ullo pulmonum infarctu, at potius ab nimia Thymi obesitate proficiscitur.

LX. Ab eodem, ac memorata Asthmata, fonte ortum unâ, ac incrementa susceperant Paralytes, Apoplexiæ, Hæmoptoes, improba Scabies, Podagra, Nephritis, Phthisis, ac universi propè affectus, quos præsens constitutio anni in Scenam tulit, quibus & meritò accensendi occurrunt fluores albi Mulierum, tum pallidi Virginum colores, affectus Hysterici, infandaque Puerperarum Clades; Ab liquidis scilicet, aut præ nimiam glutinositate coercitis, aut æqua feri portione defraudatis, quo egent, ut sibi comparata munera obire queant, ac constitutas sibi leges servare. Qui hæc omnia seriò mente revolverit præterita, aut tum quidem revolvit, ex-

penditque diligenter, cum impenderent prope; Is vates esto; ac *Magnus Apollo*. Hæc inter peculiare non nullas historias feligam, quæ Medicinam facientibus haud inutiles omninò erunt, aut injucundæ legentibus. 1. Præclara Vestalis Octobri mense, cum intenso præter morem æstui rigida hyems è vestigio successit; Paralyfi dextri lateris unà cum insultibus hysteris perculsa, dirum in modum ludentibus, laboriosam vitam totâ hyeme duxit; Vere appropriatis remediis pristinum valetudinis statum integrè recuperavit, quadam tantummodo superstite tarditate linguæ, per novium maximum. Autumno dein sequenti eadem die, ac momento ferè temporis, quo superiore anno in Paralyfin incidit, pleuritico dolore correpta intra biduum decessit. 2. Vestalis altera, cum fluentibus menstruis, in aquæ frigidæ balneo diù morata fuerat, internarum partium omnium paralyfi extemplo obruta & adhuc luget infelix amissum membrorum usum; Atque hinc sanè explicari posset phænomenon illud gravitatis, seu spasmii, quo in aqua diutiùs morantes plerique corripiti solent, ac se se velut à Spectro quodam ad fundum trahi existimant. 3. Mercatoris filia, cui prægrandis diù in abdomine enatus tumor, quâ cæcum intestinum ad dextri renis confinia delitescit, Colicos sæpe dolores, ac sævos admodum inducere consuevit, in paralyfin subinde ejusdem lateris desinentes, quæ citissimè solvebatur; ab utroque jam modò affectu Thermarum beneficio immunis, atque incolumis degit, remanente antiqui tumoris in eadem parte vestigio, qui malorum author

extiterat. 4. Quidam ex hepatis, & vesicæ bilis obstructione in tertianam notham, deinde in colicam passionem incidit; paulò post paralyticus reditus, sex ferè menses inermis vixit, ad extremum delirio, ac epilepsia correptus occubuit. Paralyfis à principio occupavit brachiorum superiores partes, sensim ad extremitates manuum, ultimò ad crura descendit: Æger atrophiam contabescebat, deque ventriculi ardore, siti, appetitûs edendi prostratione, alvi difficultate, & dolore Ilii sinistri tensivo, gravique (sentire enim sese aiebat in illo loco pondus aliquod grave, tanquam plumbi massam) conquerebatur. Aperto cadavere Jecur reperimus pro corporis ratione nimis magnum, obstructioneque minimè vacans; Vesicam bilis crassâ, ac nigra bile turgidam; Ventriculum humore viridi plenum, atque extensum: Colon intestinum malè, ac præter naturam conformatum. Siquidem ubi Cæcum situm est, & ubi Colon ventriculo annexum erat, valdè laxum aderat, flatibusque expansum, reliquis in locis ad rectum usque, angustum, fæcibus crassis, durisque in globulos concretis infarctum: Eodem modo conformatum vidi Colon in multis. Reliqua viscera tam naturalia, quam spiritualia erant illæsa, & integra. Ex cerebri substantiâ inter disseccandum effluxit aqua tenuis, ac colore subrubicundo, quod vasorum sanguineorum incisioni adscribendum est: nam aqua, quâ omnes ventriculi scatebant, fuit tum tenuissima, tum limpidissima, ac pura, nihil verò pituitæ in ventriculis cerebri vidi. Totum spatium, quod in Sacrà fistulâ inter tenuem, & duram membranam est, & ubi nervorum funiculi

funiculi nervos constricturi à spinali medulla recedunt, simili aquâ plenum extitit. Ex qua quidem historia, & symptomatibus, quæ præcurrerunt, conjicere fas est omnium malorum scaturiginem ab Hepatis obstructione prodiisse. 5. Virum novi resolutionem ex mœrore, multa sollicitudine, & inedia expertum: deinde sumpto Cathartico, adeò læsum, ut totus ipse immobilis fieret, & propemodum interiret, nisi in contrarium mutatus fuisset, & humectantibus omnibus, tum potionibus, tum cibis, & aliis hujusmodi usus fuisset, maximè verò balneis, unktionibus, mutatione aeris temperati, & omni hilaritate. Etenim tristis erat, & ad iram proclivis. 6. Miles ætatis 30. annorum, exeunte Januario, derepentè inter prandendum cum suis Commilitonibus, mortem subit. Consuevit longo antea tempore de dolore pressorio in radice frontis, & de perpetua narium, ac faucium siccitate conqueri. In aperto post obitum corpore observata sunt sequentia: Pulmones utrinque cohærentes cum Pleurâ expansi, & turgidi sanguine, dexter

tamen lobus minùs sinistro, absque ulla substantiæ labe; Cor flaccidum, Hepar præmagnum. In capite autem propior hærebat hujus inopinati eventus causa; Processui nempe falciformi, ubi intra radicem frontis cum osse Ethmoides firmiùs connectitur; accreverat conspicua magna portio instar induratae, scirrhusæ, & conglomeratae glandulæ, quæ fronti in isto, quo hanc respicit, latere firmiter cohærebat, ut digito violenter separari opus habuerit. Proxima Cerebri substantia erat siderata, putida, & eliquata; Reliqua illæsa. * Optandum sanè, ut exquisitiorem historiam prægressi morbi, aut adversæ saltem valetudinis hujus Viri habere potuissemus, ast nemo aderat, qui talem subministrare potuerit. Analogum huic casum olim ab Cl. Terraneo, nunc Beato, adnotatum memini in Viri cujusdam capite subitâ morte interempti, in quo magna occurrerat fungoso glandulosa, ac fibris distincta portio, anteriora versus usque ad os frontis, à dextris ad os temporum, à sinistris verò ad duplicaturam Menyngis usque protensa, tres libræ

Th. Sydenham Oper. Tom. II.

Qqq

quartas

* Rariores sunt hi casus, ubi officina Mentis, & Rationis turbatur per talem prægrandem excrescentiam. Placuit Carolo Fracassato in Diff. Epistol. ad Alphonsum Borellum tales excrescentias, etiam hic locorum Polypos medullares appellare, quam appellationem etiam secutus est Lancisius Tract. de moribus subitaneis; ubi comparem ferimè casum recenset lib. I. cap. 2. §. 6. Quemadmodum enim Polypi cordis sanguinis progressivum motum, & omne inde pendens vitæ interesse confundere, imò sufflaminare solent: Ita Cerebrini medullares isti polypi, quatenus liberum illud ventriculorum spatium, ac vacuum præternaturaliter explent, confundunt motus in hoc vacuo existentes, repræsentativos, reflexivos, collectivos, & discretivos, ut maxima inde anomalia redundet quoque in motus vitales. Ita Lancisius paralytica, & aphonæ mulieris repente mortuæ caput aperuit, & invenit sub cerebello ad internum principium Spinalis medullæ, Glandulam scirrhusam, de Mort. subit. l. I. cap. II. §. II.

quartas pendens. 7. Jurisconsulti Uxor, propè Collegium Clericorum Regularium Divi Pauli, diro, ac diuturno capitis dolore vexata, appetente solstitio æstivo, obortâ febrî acutâ, è vivis inter copiosissimos capitis sudores excessit. In hujus capite ingenti feri copiâ subflavi, viscidique, utrumque ventriculum anteriorem refertum comperimus, ac glandulam juxta pituitariam disrupti recens abscessûs vestigia, pure adhuc exundante teterrimo, fætentique. Tota Cerebri substantia corrupta veluti videbatur, ac coloris subnigri; Nihil econtrâ in Cerebello à naturali alienum. Biduo ante obitum facies, atque oculi intumuerunt; Ipsa verò pavoribus sæpè sub somno, obliviositate, lancinationibus per aures, plerumque etiam molestâ oculorum caligine, spasmo cynico, ac involuntario salivæ effluxu per intervalla diù ante mortem corripiebatur. 8. Vidua quædam conquerebatur de Cephalalgia singulis auroris tanta cum atrocitate invadente, ut futuræ capitis quasi dehiscerent. Hactenus præsidii illusit omnibus. Mutato demum consilio suasi pediluvium; Unde factum est, ut aura frigidissima, sic illa aiebat, cum horrore totius corporis à capite ad pedes descenderet, ægraque bis vel ter idem administrando, planè convalesceret. 9. Illustris Mulier recens connubio juncta ex Mensium suppressione, fastidio ciborum, nauseis crebris, & vomitibus, ventris elevatione, aliisque similibus indiciis cum se gravidam crederet, plaudebat sibi ob felicem hanc conditionem. Quarto circiter mense dolores invadunt parturientium doloribus similes, ac paullo post corpus edidit informe prorsus,

duorum pugnorum circiter magnitudinem adæquans, ac vesiculis conflatum, quarum maximæ ovum columbinum mole, ac figura exactè æmularantur; minimæ verò vix pisi magnitudinem superabant. Aderant autem centum ferè humore limpido, & seroso repletæ, ac inter se invicem colligatæ, membranosi cujusdam involucri ope, ceu altero quodam peritonæo, involutæ.

LXI. Plerasque alias recensere subit, quæ aut abortivos foetus, aut molares hujusmodi conceptus edidere; Plerasque etiam, quæ maturo edito feliciter partu, paucis post diebus, latentèr occubuerunt. Cautum iis erat, appropriatis cardiacis laborantem naturam tueri, tum diluentia pleno poculo exhibere; quibus tum sanguinis fervor quodammodo compesceretur, tum fluxilis idem magis redditus per consuetas inde vias faciliori negotio educeretur, obsequentibus ab repetito diluentium usu factis fibris, quarum nimia sæpè tensio funestos plerisque exitus tulit. Tota scilicet malorum ilias ab unâ, ac eadem universali causa pendebat, ab ea nempe siccitate temporum, ut quæ toties dicta sunt, iterum repetam, quâ & fervidior intus cruor, & cætera quæque liquida, ad stasim heu prona nimis; Crispata hinc, ac tensa præter modum solida, sæpè unâ Matrem, ac Foetum inopinatò sustulerunt. Huc quoque enumerandi hysterici insultus, huc cæteræ quotquot referendæ ægritudines, quæ hoc potissimum anno sequiorem sexum dirum in morem exercuere.

LXII. Dum hæc intrâ Urbis mœnia agebantur, haud dissimiles passim affectus Colonos infestabant. Variolæ præ-

præfertim, ac morbilli totâ hyeme inclementer sæviere, adultosque hæ maximè adoriebantur, ac edita magis loca, quàm pueros, ac humiliora oppida. Comites iis aderant crurum, ac pedum erysipelata, sæpè etiam internæ viscerum Phlogoses, Pleuræ, Pulmonum, Hepatis, Intestinatorum, Menyngum, Oculorum, ac Faucium. Salassios, Canapiciensem Agrum, Vercellas, Lumellinam, Comitatum Alexandriæ, Universam pene Liguriam, ac Montisferratensem ditionem pertinax alvi fluxus occupavit. Idem Niciensem tractum, Provinciam, ac superatis Alpibus, Delphinatum, Sabaudiam, Lugdunum usque obtinuit, perque æstatem potissimum sæviit. Febres hinc visæ è Phlogisticarum censu memoratos affectus comitari, ac ultrò citròque ire, suoapte marté, ac ingenio. E Chronicis morbis Hydropes in universum, ac Tympanitis maximè, Arthritides, Phtyses, tetraque ulcera Pagos, ac rura fædârunt. *Alladii*, quod præclarum oppidum est *Comitum Sanmartinorum*, Febres Januario vagatæ sunt mali moris, quarum historiam ab Cl. Viro exaratam hîc subnectere æquum duxi, in spem veniens, incitamento id futurum subinde aliis, ut sedulò hinc, diligenterque morborum, quotquot huc illuc per annum sæviunt, seu popularium, sive intercurrentium observationes describant.

Illustrissimo, Doctissimoque Viro

CAROLO RICHA

Joannes Thomas Guidetus S. P.

Quod annales Morborum Vulgarium processus eruditissimis animadversionibus contextos, & graphico stylo feliciter exaratos, publico juri elargiris, Vir Amplissime, tibi pluri-

mum debet Medicina nostra Subalpina. Hæc enim in te suum videt restauratorem, quæ à Majoribus tuis Archiatriis meritissimis decus habet, & gloriam. Ad perutilia isthæc indigenæ praxeos monumenta locupletanda uno corde, unoque pede contendere deberent omnes Medicinam facientes in nostra hac Pedemontana ditione, suas quisque appendens observationum schedas, ut olim tabulas in Æsculapii templo appendi usitatum. Hujus ego instituti, tuique consilii optimè conscius silentio ulterius præteriri non patiar historiam ægritudinum nonnullarum Epidemicarum, quas ineunte Januario proximè elapso datum est observare in Alladiensi oppido unâ cum præclarissimis Viris D. D. *Bardeſono* Patre, ejusque Filio doctissimo, illic in Patria gloriosè Medicinam profitentibus, ac in tota Salassiorum Provincia de re Medica optimè meritis. Esto itaque.

Cùm Divini Verbi Præcones in præfato oppido prædicationi suæ optimum finem imploraturi sacram instituisent liturgiam, ea fuit hominum accurrentium turba, ut horum conventu inter Ecclesiæ Majoris angustias nedum exæstuaverint corpora, sese arctè foventia, sed & ipsi exudarint parietes præ halituum emanantium affluentiâ. Complures viros, atque mulieres sudore manantes frigidus aer excepit, hinc popularis morbus, haud multo dato intervallo, grassari visus est cum ægrotantium languore, febris, raucedine, nausæâ, linguâ viscidâ, & amurcosâ, pulsu tenui, mentis hebetatione, vaniloquiis &c. Mox accessere deliria, surditates, aphonix, gravesque sopores ad lethargum ducentes.

Eructabant in aliquibus stillæ sanguinis, cæu levis hæmorrhagia è naribus; in quampluribus pètechia exiguæ brevi evanescentes, in omnibus borborismi, & lumbricorum excretiones per superiora, & inferiora cum fecibus graveolentibus. Febriles exacerbationes, nocturnis horis catarrhalium more, absque intermissione, clanculum repetebant. Nullus præcedebat rigor, nullus succedebat æstus ingens, exigua sitis. Urinæ à naturalibus vix abludebant, Sanguis extractus in principio morbi coccineum servabat colorem, aptamque consistentiam, nullo ægrotantium levamine. Sæpè diarrhœa superveniens commodum tulit, ut & in aliquibus sudores. Interea plerique quinto, vel septimo morbi die non sine magno populi terrore migrabant ad plures.

Harum ægritudinum indole, caussis, symptomatibus, atque inde eventibus seriò consideratis, deduximus unanimes has esse in sua origine febres de genere lymphaticarum cum vermibus, acutas tamen, & malè moratas ex coagulatione lymphæ primùm, exinde sanguinis. Primariam coagulationem exhibebant rauces, linguæ visciditates, membrorum torpor, nocturnæ periodi, aphonix, alvus pigra, intestinorum murmura, & inde excreti lumbrici. Posteriores considerationem elucidabant, reliqua enarrata symptomata perniciem accusantia. Totam denique complebat ætiologiam notitia morbosorum in lymphæ apparatus à prægressis tempestatibus, quas tu nobis scitè admodum diligenterque comparasti, repetenda; Ob id maxime, quòd æstas antea acta, atque Autumnus mites fuerint, ac Borealibus

ventis perflati, unde nulla, vel modica facta est sudorum effusio, alioqui nostro sub Cœlo consentanea quotannis. Quòd si iis addas pravam alimentorum conditionem, fructuum præcipuè corruptelam, nec non aquarum putealium sæculentiam ab inclementia cæli contractas, erues profectò genuinam lymphatici lentoris, & cachochiliae caussam simul, ac genesin lumbricorum.

Cur autem à violenta adeò procatarsi febres hujusmodi, non verò pleuritides, peripneumon., anginae, erysipelata interna, aliæve hujus farinae ægritudines emerferint; ex hoc factum puto, quòd scilicet hujus Brumæ Constitutio non satis rigida, catarrhales concretiones, stasesque in glandulari systemate, rivulisque lymphaticis congregare apta nata sit potius, quàm systrophicas collectiones, ac phlogoses in intimioribus viscerum flexibus. Veruntamen sufflaminata hoc pacto lymphæ lubricantis irrigatione, & intercepto illius ad sanguinem commercio, reliquum est ut & cætera torpeant fluida in suo circulari motu, unde secretionum, excretionumque suppressio, progeniesque malorum. Et siquidem levioribus aliis de caussis inter hybernas vicissitudines visa sunt pectoris rheumata in acutas peripneumonias degenerare, ita nec mirum, si in datis prædispositionibus, & momentis, expositæ febres à catarrhali exordio in exitiales abierint. Ignotum haud est Medicis praxin excolentibus perniciosas sæpè emergere febres, velut inopinatò, à lymphæ lentore pedetentim collecto, ut probè advertit Doctissimus Baglivius lib. I. de febribus malignis & mesentericis, §. I.

Porrò ex centenis ægrotis, quos bi-
 dui spatio invisimus, vix paucos eva-
 suos fore sperandum erat, nisi oppor-
 tunis extemplò adhibitis præsiidiis fuisset
 opitulatum; Utque singulis indica-
 tionibus successivè satisfieret: Sta-
 tuimus primùm alvinas vias solemni-
 ter expiare, emeticis, clysteribus, aut
 catharticis, servato ægrorum delectu.
 Secundò lymphæ fluorem promovere,
 ductuque obstructos referare diluen-
 tibus calidè pitissatis, non omitendo
 anthelmintica cardiacis mixta, & ve-
 sicantia artubus applicita. Tertiò viam
 sudoribus sternere, vel saltem adia-
 pneustian delere frictionibus, & cu-
 curbitulis, ut imposterùm exhibitis
 diaphoreticis cutanei pori obsequeren-
 tur magis. Phlebotomias rarò, nec
 nisi in Plethoricis celebrandas duxi-
 mus, potiùs de saphenâ, quàm de su-
 perioribus venis. Reliqua sub finem
 morbi adhibenda problematicè sunt
 proposita, juxtà opportunitatem, &
 exigentiam.

Nec nostra nos fefellit opinio, quan-
 doquidem tali observato regimine vix
 unum, aut alterum ex præfato ægro-
 tantium numero deinceps interiisse
 retulit per literas ultimò datas lauda-
 tus Doctor, cognatione, & amore
 mihi devinctissimus, *Bardesonus Ju-
 nior*.

Accipe itaque, Vir Præclarissimè,
 breve hoc observantiæ meæ argumen-
 tum; Intereà Spartam, quam susce-
 pisti, exornare iterum, iterumque ne
 desinas; Meque tibi multis de nomi-
 nibus obstructum pergas amare. Non
 enim me præterit, quàm multa jam
 tibi debeam ob munera, dulcemque
 consuetudinem, quâ me humaniter
 excipere toties dignatus fuisti. Nec ulla

unquàm ætas conticescet, quæ à Majo-
 ribus tuis accepi, honores, ac beneficia.
 Taurini pridie Nonas Febr. 1722.

LXIII. Sed ut aliquid de Chirurgia
 dicamus, in qua Magnos olim, ac
 percelebres Viros, & nunc adhuc Pe-
 demontium, obtinet; Neve quid-
 quam intactum hâc quoque in parte
 relinquatur, aut imperfectum; Pauca
 manent de *tumoribus* potissimùm ex-
 plicanda, qui auxiliatricem Chirur-
 gi dexteram efflagitabant; Hos inter
 Atheromata præ cæteris, & Melice-
 rides eminebant, quæ duo quidem tu-
 morum genera, vel in eo maximè con-
 veniunt, quòd in folliculo fluctuet
 humor. Descripsit ea omnium optimè
Actius, atque è recentioribus *Severi-
 nus*: Atheroma tumor est figura ob-
 longus, & sublatus, qui ad compres-
 sionem digitorum ob humoris crassitu-
 dinem tardè cedit, tardèque iis ablatis
 revertitur, à quo Meliceris differt,
 quòd & rotundior sit, & humoris
 essentia tenuior, & hinc ad digitorum
 compressionem celerius cedat, & ce-
 leriùs etiam revertatur. Non autem
 hæc ita discerni posse videntur, ut
 certò omnia affirmare liceat, quin po-
 tiùs, quid intus habeant, ut conjectu-
 râ præfagiri possit, sic ex toto cognos-
 ci, nisi cum ejecta sunt, non posse,
Celsus monet, quod tamen non prop-
 ter humorem, sed alia quædam simul
 ibi contenta ita fieri apparet: ait enim,
 in his, quæ renituntur, aut lapillis
 quædam similia, aut concretos con-
 fertosque pilos reperiri: Officulorum
 recens exemplum est legere in Ephe-
 meridibus. Nec minùs notabile, quod
Petrus Marchettus in Meliceride se
 vidisse, ipse testis est: in ejus nempe
 folliculo alium ejusdem generis tumo-

rem, sed minorem delituisse, sua & ipsum membrana inclusum. Ubi quis cum ranis Æsopi apud Phædrum exclamandum putaverit:

Quid futurum est, si creavit liberos?

Hujusmodi tumores articulos præcipuè occupant, ac inferiores potissimum, eò diriores, quò impliciti magis, ac tendinibus musculorum, quorum ibi magna seges, intricati. Nobilissimi Equitis jacturam universa Civitas deflet adhuc, qui, dùm inter Chirurgo de secando crure lis ageretur, ob hærentem in rotula ejusmodi tumorem, omnem curationem, ac artis præsidia renuentem, febri lenta in dies ingravescente, macie confectus obiit: altè sepultà, adque totam liquidorum massam propagatà labe.

LXIV. Multis etiam *Ganglia* hos, ac illos artus obsidebant: Durissimum tumorum genus, nucis avellanæ magnitudinem haud superans, doloris expers, manuum juncturas, & talos frequentius occupans, rarius cubitum, & caput. Quo pacto oriatur, non liquet: ex succo nutritio nervosarum partium fieri, *Klopton Havers*, nuperus Scriptor conjectat. Videri posset lymphaticus humor, qui partes nervosas alluit, nescio quo spiritu Gorgonico afflatus, congelari, nisi sensim exeresceret; ex quo apparet per appositionem novi liquoris quotidie augeri, ubi sensim cæpit, & subtilioribus evaporatis, indurari. An vasculum lymphaticum supra modum expansum, ubi vel ictu vel aliâ violentiâ illatâ urgetur humor, qui intus vehitur, non patet. Haud magni cæterum momenti tumor: hoc enim habet beneficium, quod ruptâ membranâ evanescat. Ad hoc expedire *Helvetius* inter Batavos celebris, utebatur malleo ligneo, corio obducto, quo percutiebat tumorem. Hinc etiam forti manû allisione, ut oritur, sic & tollitur. Sive autem ab externa quapiam causa, sive ab interna oriatur, potest emolliiri primùm, deinde vi dissipari externa, à Chirurgo compressus, quam elegantem rationem apud *Aetium* videre licet. In eo resolvendo quod Hydrargyrum valeat, *Joh. Lossius* mirabili eventu expertus est, ut libro de podagra perhibet, ubi emplastrum addit à *Zacuto Lusitano* sibi communicatum, quod nodos podagricos quoque dissolvat, de quibus, si quis sit sollicitus (constant autem ex iisdem, ex quibus *Ganglia*, & quasi rasæ cartilagini, ut cum

Celso loquar, simile quid obtinent) is vel solus optimè satisfecerit. Vidi quemdam, cui uno, ac altero horum dissipato, unum, ac alterum è vestigio alio loco oriebatur, quò dein improba progenies, meo consilio, Mercurii ope omninò deleteretur.

LXV. *Ruricolæ*, atque ex iis potissimum, qui ad Alpium radices degebant, strumis in universum laborarunt. Mulieres præsertim, ac pueri, eò curatu difficilioribus, quò non in collo, ubi hæ prodibant, sed altiùs fortè in ipso Mesenterio earum fomes latebat. Neque novum est tam altè strumas exoriri, quod equidem post alios nuper *Cl. Bartholinus* nepos advertit, ex *Riolano* Sapiens, qui Scrophulas in corpore numquam erumpere asserit, nisi Mesenterium strumosum fuerit: Hic verò ex *Guidone*, & *Ingrassia* id potest didicisse, qui idem tradidere. Quodve obstupescas magis; utque anni, ac morborum ingenium ediscas una, adnotare erat, vix paucos *Bronchocele* hoc anno obfignatos, familiari cæterum Subalpinis morbo, ut *Polonis Plica*, *Britannis* tabes. Tumor est Thyroidis glandulæ, mollis, ac pendulus, nec molestus modo, & aspectu foedus, sed etiam si magnus, suffocationis periculum adferens. Vidi ego musculos sternothyroidæos planè emaciatis, & membranaceos. Curatio illius haud facilis, nec tuta semper. Ut enim *Endemius* hic Incolis morbus, ita causas illius remove, à quibus originem habet, difficile prorsus. Laudantur plerisque tabellæ quædam ex alumine, ac spongia marina confectæ unà cum radicibus pororum; aliis emplastrum de Galbano crocatum *Mynsichti*. Nonnullis cataplasma ex foliis, & radice cucumeris asinini cum stercore caprillo, quibus & interna jungi possunt, & quidem pulvis ex ossibus Sæpiæ, Mandibulis Lucii piscis, Lapidibus cancrorum, Pipere, Zingibere, Piretro, Testis ovorum, quorum alia exsiccando, alia dissipando agere credi possunt. Potior sanè salutis spes, ac tum quidem, cum in scirrhum abiit, in sectione consistit, etsi metuenta hinc sit quædam colli deformitas, nec exiguum negotium præbeant vasa, quæ ex Carotidibus occurrunt: tum nervi etiam recurrentis viæ, ne accidat, quod narrat *Galenus* de imperito Chirurgo, qui cum eos unà eveleret, mutuum reddidit ægrum; Ob quod maximè hanc operationem omnium difficillimam putò. Multi *Scrophulas*, ac *Bronchocele*n idem

idem esse putant; Alii, quos inter *Fabricius*, nescio, quod adtulit vitium asperæ arteriæ peculiare, quod eo nomine appellat, ut *Bronchocelen*, exponat nemini Mortalium unquam visam. *Celsus* inter cutem, & asperam arteriam eam ponit. *Aetius* tumorem simpliciter hanc vocat in gutture epatum; Tumoris tamen genus, ac sedem illius principem designare fas erat, quam nec ipse *Severinus*, qui de omni generis tumoribus disertissimè scripsit, attigerat; Unus, quem reperiam, *Schelhammerus* agnovit, rectèque in Thyroidea glandula collocavit, visam hanc utique, sed non agnitam *Severino* ostendens, adnotato ab eodem exemplo hominis cujusdam, qui *Bronchocelen* prævastam multos annos cum angore passus, tandem ab ea strangulatus oppetiit; Quo dissecto grumos ingentes sanguinis undique circumfusos cum adnatis quibusdam carunculis offendit. Equidem sine dubio hæ carunculæ partes erant Thyroidis glandulæ præ sanguinis copia dilatæ, ac divultæ in partes, aliis sensim & corruptis, & colliquatis in sanguinem. Et hoc ipsum est, quod Doctissimus *Whartonus* dicit; *Si scrophulæ* (sic namque vocatis *Bronchocelen*, quod notandum est) *rubescant*, colorem floridiorem esse, minusque lividum, quàm *strumarum*.

LXVI. Inter glandularum ægrotudines refero, verrucas, ac nodos venereos, quibus, si acerbius unquam, hoc potissimum anno, fœdum in morem correpti sunt improbæ *Veneris* milites, quosve vix ipse quidem magnæ famæ *Mercurius* solvere potis erat, aut decocta quæque lignorum. Vidi Militem universo corpore verrucosum, avellanæ magnitudinem exuperantibus verrucis. Ficosos hosce propriè vocat *Levinus Lemnius* in opere de *naturæ miraculis*, syphilios alii, aut putidè gallicos appellat. Aderant hi utique sagacis Naturæ teterrimum hujusmodi, ac virosum fomitem abigentis, ac profligantis laudandi conatus, si quæ per vasa corporis, cæcosque meatus effluebat lymphæ, crassior illa, ac glutinosa, quàm par foret, magis, illi haud obstitisset, verrucas hinc, tubera, ac fungos universo corpore excitans, horrendum visu spectaculum! Ea namque mira est Naturæ providentia, ac summum ejusdem, ut in omni ferè, ita & in hoc præsertim morbo studium, ut per quamprimùm loca vitium venit, genitales inquam & his attiguas partes, per has easdem vias, quasi factò recursum, pellat;

Ubi verò altiùs irasci malum incoepit, & se fundius abdens corpora depascit miserè; tota conetur adhuc infestum virus, seu exulcerantem intrò putrilaginem, per has, ac illas partes, quas in emissaria torquet, expromere; Rem quidem, quam ferè advertere debent hi, qui Syphiliorum hæc symptomata curant. Ita suis opificiis satagit Natura parens; Ita in adversis prospicit; ita nullam viam intentatam relinquit, ut ægrotantes adjuvet.

LXVII. Locus esset hujusmodi eruptiones, tum in morbi inchoantis sive interminati statu, tum in absoluti jam, & latè grassati altero fusiùs describendi; ejusque varicos, quos passim inducit, characteres, *Qui casus rerum varii, quæ semina morbum Insuetum, nec longa ulli per secula visum Atulerint,*

enarrandi unà, ac explicandi; Si hæc omnia possent brevi oratione complecti. Satiùs igitur lepidissimi Poetæ *Fracastorii* sit audire rapsodiam:

*Ipse ego Cænomanum memini, quâ pinguis dives
Pascua Sebinâ præterfluit Ollius undâ:
Vidisse insignem juvenem, quo clarior altes
Non fuit, Ausoniâ nec fortunatior omni.
Vix pubescentis florebat vere juventæ,
Divitiis, proavisque potens, & corpore pulchro.
Cui studia, aut pernicis equi compscere cursum,
Aut galeâ induere, & pictis splendescere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palestrâ;
Venatuque feras agere, & prævertere cervos.
Illum omnes Ollique Deæ Eridanique puellæ
Optarunt, nemorumque Deæ, rurisque puellæ:
Omnes optatos suspiravere Hymenæos.
Forsan & ultores superos neglecta vocavit
Non nequidquam aliqua, & votis pia numina
movit.*

*Nam nimium fidentem animis nec tanta timentè
Invasit miserum labes, quâ sævior usquam
Nulla fuit; nulla unquam aliis spectabitur annis.
Paullatim ver id nitidum flos ille juventæ
Disperuit, vis illa animi: tum squallida tabes
Arius (horrendum) miseròs obduxit, & altè
Grandia turgebant fœdis abscessibus ossa.
Ulceræ (proh Divùm pietatè!) informia pulchros
Pascabant oculos, & diæ lucis amorem,
Pascabantque acri corrosas vulnere nares;
Quo tandem infelix fato post tempore parvo
Ætheris invisas auras, lucemque reliquit.
Illum Alpes vicina, illum vaga flumina sterunt;
Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt, nemorumque Deæ, rurisque puellæ;
Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.*

Hi blandæ scilicet voluptatis, hi tenerorum complexuum sunt fructus; heu tragici tantum, & miserabiles, quantum inter multiplices cruciatus amisisse vitæ dulcedinem, & quantum ex humana specie transmigrasse in brutam.

LXVIII. Locus hic etiam esset pauca de altera tumorum specie, qui ad Chirurgiam & quoque spectant, proferendi, nempe de Andurismatibus, occulto morbi genere, quo plures hoc anno miserè interemptos adnotavimus; Sed hæc & pleraque alia prætermittere intacta lubet, ne ingentem in molem Pagina turgescat, alibi fortè prolixius de hisce acturis, novaque in dies meditantibus, quoad eorum originem, ac incrementa, revelanda aliquando. Exempla pariter, ac Schemata exhibebimus magnorum Aneurismatum, quæ nobis occurrerunt, aut ab Amicis communicata. Quæ quidem alio tempore reservamus. Unum tantummodo, atque alterum superest commemorandum, quod nobis terminus hac vice, & extrema erit linea laboris; Primum est Castrationis historia in puero decenni, pro meliori vocis claritate, atque modulatione ab experientissimo Chirurgo *Andreas Vernâ* felicissimè absolutæ. Febris huic supervenit cum vomitu inani, abdominis inflatione, ac præcipuè in regione tota hypogastrica. Alvus ad quartam usque occlusa penitus; Urinæ etiam parçâ copiâ effundebantur. Post quartam referari sponte alvus cæpit, tum urinæ pleno gurgite copiosius effluere, evanescente paulatim, ac omninò tandem desinente febris, adeò ut undecimo die æger incolumis, adque omnia munera obeunda aptus videretur, uno relicto vulneris inflictæ vestigio, quod quidem, cicatrice obducta, brevissimo tempore consolidatum apparuit. Alterum est Mammæ, quam foedus, ac improbus Cancer occupata diù, extirpatio ab memorato *Andreas Verna* in Virgine quadam quadragenaria propè, feliciter peracta. Cæperat hæc de tumore in mamma dextra ab viginti & ultrò annis conqueri, cui cum varia passim Muliercularum, Agyrtarumque consilio Medicamenta adhibuisset, incrementa præbuit majora.

Augescens is namque sensim, ac totam penè mammam obsidens, venisque in orbem nigro sanguine turgentibus circumfusus, in ulcerosam demum pravitatem degeneraverat, ultimum postulans in sectione præsidium. Mirum ut generosa Virgo invicto animo, nova velut Amazon, pertulit excisionis acerbitatem. Consolidato vulnere, ruri abiit, confirmandæ valetudinis gratia, ubi brevi post tempore acutâ febris prehensa decessit. Tertiò denique ac postremò recensendus subit diuturnus Oculorum affectus scarificationibus ad ima Palpebræ inferioris confinia institutis curatus, autoritate, & consilio Cl. Viri *Petri Rohaultii* Chirurgi, & Antecessoris Regii. Affectui isti initia, ac faciem præbuit exterioris Oculorum membranæ inflammatio, cui cum imperitus quidam topica diù admovisset, nedum ingravescere hinc malum cæpit, sed & unâ simul intumescere Palpebras visum, ac sensim in schirrhosam velut duritiem, inferiores potissimum desinere, quæ repetitis scarificationibus, ac topicis appropriatis, læto omine, cessit.

LXIX. Atque hæc sunt, quæ brevi sermone, accuratâ tamen Morborum temporumque indagatione exarata, pro tertiâ hacce Constitutione sufficiunt. Haud diffiteor quidem multa iis deesse, saltem hæc ipsa politiore calamo delineari potuisse; Quod à me exigui omninò vetant, tum quibus obstrictus, ac occupatus sum praxeos negotia, tum exigua prorsus ingenii acies, ac *curia* admodum *supellex*. Juvat autem aliquid adhuc sperare tum laudis, tum adjumenti: illius, quod primus Ego in Patria glaciem fregerim, omnesque in hoc animi nervos intenderim, ut, si quo modo fieri possit, Morborum medela, post cineres meos, majori cum certitudine administraretur: hujus verò, quod nullus dubitem futuros aliquandò, ut nonnullos jam enumerare possem, quamplures, qui auxiliatricem mihi dexteram ferent; aut me defuncto fati, tentatum à me opus feliceore *Ævo* perficient.

GUILHELMI
MUSGRAVE

*M. D. Incltyti Medicorum Londinensium Collegii,
& Regiæ Societatis Socii,*

DE

ARTHRITIDE
SYMPTOMATICA
DISSERTATIO.

Αγαθοῖσι δὲ Ἰητροῖσιν αἰ. Ομοιότητες πλάνας καὶ ἀπορίας Hippocr.

EDITIO NOVA *accuratior.*



GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCC. LVII.

Hic Liber, cui Titulus
De Arthritide Symptomata Dissertatio,
I M P R I M A T U R

Thom. Millington, *Præses.*

Gualt. Charleton

Rob. Pitt

Sam. Garth

Humphredus Brooke

} *Censores.*



Generosissimis, Spectatissimisque

GUILH. COURTENAY, *Baronetto.*

JOH. POLE, *Baronetto.*

ROB. ROLLE, *Armigero,*

Ad PARLAMENTUM hoc anno MILITIBUS
à Devonia Delegatis, *Salutem.*



RÆTER ista, quibus, Viri Perillustres, Me
devinctissimum habet unusquisque Vestrum Benefi-
ciis, non alio modo Gratiam & Favorem illum
qualemcunque, in quo apud Devonienses sum, aut
apertiùs Agnoscere, aut decentiùs pleniùsve possum Remu-
nerare; quàm Vobis, hujusce Populi Legatis, singularem
Eum & Votis majorem, palam prædicando; itemque Vobis,
hujusce Populi Deliciis, Observantiam & Honorem quantum
maximum, officiosè tribuendo.

VOBIS igitur Inscribo, & in perpetuam Cultûs & Obser-
vantiae Memoriam, Clarissimis Vestris Nominibus Sacratas
esse jubeo, Similitudines hasce meas, has Imagines Arthriti-
cas; e media Experientia ductas, & Usu figuratas; Animi
Nostri, Vobis devoti, Pignus & Testimonium.

ET quidem meritò; Vos enim estis, ut privata (in Alios Ve-
stra, & Aliorum in Vos) Officia prætermittam; Quorum Fi-
dei, Speciatim, Comitatus hic amplissimus, Artis & Naturæ
Muneribus beatissimus, Fortunæ Bonis refertissimus, Agricul-

D E D I C A T I O.

turæ, Lanificii, Mercaturæ rem; ne plura, Se Suaque omnia uno Ore commisit; & quod majoris æstimandum, Qui Vestræ commissa Fidei sic Curæ habuistis, ut Eorum postulat Momentum.

GRANDIORA volo: Sub Auspiciis Serenissimæ Augustissimæque REGINÆ, Vos ANGLIÆ Libertati; Vos Possessionibus invigilatis: Vos Civiles Ejus Ritus; Vos Sacros tuemini: Vos Antiquam Ejus Πολιτείαν vindicatis; Vos, Avitas Aras. Nec quidquam Vobis Studio est ac Cordi, nisi quod Reipublicæ conducatur.

QUOTIES autem Libertatem dico, Religionemque; duo maxima Cœli Munera Me dixisse videor: Cum Homines imprimis inter se distingui (quanta verò hæc Distinctio!) faciat Religio; & quàm ab Illis Hos discriminet Religio; tam, à Se invicem Gentes, Libertas.

FAXIT Deus, sic, ut Nobis, & quidem ferè Solis, non sine peculiari Providentia, pereximie Pietatis & Constantiæ Patronos, hinc COURTENÆOS; illinc POLOS; isthinc ROLLOS; Utramque Harum integram, incorruptam, conservavit & tutatus est; Idem (Optimus, Maximus) per Ipsos diu, per Ipsorum denique Progeniem perpetuò, servare perstet.

VOS autem agite, Viri Nobilissimi; quæ Personis, & Amplitudine Vestra; quæ Natalibus, & Familiis Vestris; quæ Patria, & Ejus Libertate; quæ denique Vobis sunt digna & decora, Ea præstare pergite: & e Re Vestra si esse censueritis, Favete

Salutis & Existimationis
Vestriæ Studiosissimo

Isæ Damnoniorum iv. Idus Decemb. M. DCCII.

GUILH. MUSGRAVE.



PRÆFATIO.



Uotcunque inspexi de *Arthritide* scribentes, in eo sunt ad unum omnes, & quidem elaborant, ut tantummodo Morbi istius, qua *Exquisiti*, *Genuini*, *Legitimi*, suoque ordine *Primarii*, Doctrinam excolant, & Disciplinam edant: Ea videlicet Illius Notitia, quæ ex Ipsa manat, vel elicitur, contenti, de *Larvata*, sive *Symptomatica Arthritide*, num quæ sit, aut qualis, aut quanta, aut quomodo à se diversa, aut *Arthritida Primigeniam* quàm *Mimicè* & quantum imitetur, (etiam si hæc ad Illam illustrandam exponendamque adprimè conferunt) parùm, vel minimè solliciti.

Quid ab His Hominibus studeatur, & in isto genere quousque proficiatur, non est hujus Instituti exquirere. Impræsentiarum Nos, Experientia Duce & Præsede, proponimus, in iis Affectio- nibus, quæ *Podagræ* & *Arthritidos Regularis* Appellatione passim insigniuntur, explicandis sanandisque, (ut, à Medico quod suscipitur Negotii, luculenter id tractetur; &, ad Ægrotorum Commodum & Sanitatem, quod amplissimum fieri possit, id demum agatur) primum, in *Arthritida Primigeniam* & *Symptomati- cam*, Earum Divisionem; tum *Symptomaticæ* in suas Partes Distri- bitionem, constantissimè ante omnia religiosissimèque conservari.

Quanto Ille, & quomodo dignè Risu exciperetur; qui, dum Ar- tem exercere professus sit Gemmariam, omnes illos, quotcunque circumferuntur (ita vulgo nominati) *Adamantes*, tanquam *legi- timos* & *veros* æstimaret; atque adeò acciperet? An non *Artificem* potius deceret, quid *Adamanti legitimo* proprium sit, investigare; eoque posito, tanquam Regula & Norma, de *Pseudo-Adamanti- bus*, & Eorum à *Vero* dissimilitudine & discrepantia judicare? Nonne etiam delectaret *Falsorum* Varietatem; magnam utique & multiplicem, ut à *legitimo* Alii quomodo longissimè removentur,

P R Æ F A T I O.

Ementiti, factitii; ut ad eum Alii propius accedunt; Alii *Colore* translucido æquiparant; Alii *Duritie* tantum vincuntur, à *Vero Adamante* non nisi ab *Artifice* peritissimo distinguendi, diligenter expiscari?

Non minus fixum aut immobile Fundamentum in Experimentis habet *Arthritidos*, illa in *Primigeniam* & *Symptomaticam*; & *Symptomaticæ* in suas *Species*; quàm habet *Adamantis* hæc in *Legitimum* & *Falsum*, & *Falsi* in *Partes* suas, *Divisio* *Distributio*que.

Quanti verò intersit hæc notari, & hisce perquirendis quàm egregiè locetur *Res* & *Salus Arthriticorum*; ex eo constat quod iis prætermisissis neglectisve, jure merito verendum; Ne dum uni eidemque tantum Morbo, nempe *Arthritidi*, videamur; revera nos, quodque est certissimum, multis, iisque longè inter se diversis, & diversa ratione impugnandis, obsistere contingat: Id est, ancipiti prorsus eventu, Prælium ne in Tenebris committamus.

Eum rectè curaturum credunt, qui Rationalem Medicinam profitentur, quem prima Origine causæ non fefellerit: Neque Curari id, quod ægrum est, posse, ab Eo qui quid sit ignoret: Sed Cujus rei non est certa Notitia, quod Ejus Opinio certum reperire remedium non potest. Celsus, Præf. L. 1.

Hujus quidem modi Distinctionem, à Clarissimo *Mortono*, in *Phthysiologia*, fusè jampridem doctèque lucubraturam esse video; & istius opera, Morbum omnino difficillimum explicari, gravissimum curari. Sed, in Chronicis plerisque aliis, ab *Auctoribus* celeberrimis, aut penitus omisam, aut aridè nimis & jejunè proditam: Quam tamen, & in aliis perutilem, & quidem necessariam fore, ideoque multum desiderari, diu sum arbitratus; in *Arthritide* verò quam plurimum; eò certè plus in *Arthritide*, quò diutiùs illa cæteris Affectionibus, quò crudeliùs Humanum Genus acerbiùsque infestavit; & in illa, quò frequentius *Symptomatica* reperitur.

Quid, quod Insignissimus *Baglivius*, Magnum *Italiae* Decus & Ornamentum, hac in parte $\omicron\mu\acute{o}\psi\eta\phi\theta$, graviter errare Medicos existimat, qui putant non nullos Morbos esse *Primarios*, ab iisdem *Causis* productos, eandemque etiam *Medendi Methodum* exposcentes:

P R Æ F A T I O.

poscentes : cùm , per repetitas gravissimorum Medicorum Observaciones , certò constiterit , Eos esse *Secundarios* , à diversis Causis pendere ; *Specie* differre , propria habere Symptomata , propriasque Methodos exposcere . Et inter præcipua Artis Desiderata illud meritò reponit , *Ut scilicet singuli quique Morbi in tot Species subdistinguantur , quot sunt Morbi Primarii à quibus foven- tur , aut Causæ vehementes constantesque quibus producuntur.* *Præxeos Medicæ Lib. 2. Cap. IX.*

Posita ergo hac *Arthritidos* Divisione , & in præsentis missio , tanquam *Postulato* , Divisorum Membro Priori , scilicet *Arthritide Primigenia* ; Posterius aggredior , nempe *Symptomaticam* ; hoc Consilio & Spe fretus , si priùs Copiæ debellentur hæ *Auxiliares* , Hostem postea faciliùs depelli & evinci posse *Principalem*.


Dicam itaque *Arthritidem Symptomaticam* , & in ea *Species* , quot-quot usquam mihi innotuere , comprehensas : Ut Illius *Ratio generalis* , & Harum *Descriptiones & Distinctiones* ; ut , à Morbis suis *Primariis* , Earum *Ortus & Emerfiones* ; ut , in *Arthritida Primigeniam* , Earum *Migrationses & Itinera* ; in Statu maximè degeneri & peregrino , ut Earum *Facies & Proprietates* , (variæ , Jupiter ! & dissimiles) Ut *ὁμοίότητες Arthriticæ* usquequaque aperiantur : *Curationes* , & *Medendi Intentiones* Earum singulis accommodatæ , & (quoad poterò) congruentes , ut eliciantur : Postremo , totum id quod dicimus , ut *Historiis* , optima fide traditis , tanquam tot *Testibus* , stabiliatur , confirmetur . Hoc *Libelli* hujus *Opus & Argumentum* est.

Lectorem autem illud admoneri decet ; quoniam ea , quæ à *No- bis* , nullius *Sectæ* Affeclis , imò *Sectam* omnem fugientibus , & *Historicam* (ea quidem una exercenda , vindicanda) *Medicinam* colentibus , sistuntur & in medium proferuntur ; aut *Eventa* habent , aut ex iis ultrò nata , vel facillimè ducta ; ista verò *Eventa* colligenti , maximam partem præbuit *Damnonium* hocce *Oriental- le* ; quod idcirco *Medicina* hæc (ea verò ejus Pars præcipuè , quæ de *Scorbutica* est *Arthritide*) quodammodo *Provincialis* , & hujus *Populi Propria* esse videatur . Utinam sanè Tanto & tam Nobili *Populo* par inveniatur !



E L E N C H U S.

| | | |
|---------|--|---------|
| CAP. I. | D E Arthritide Symptomata generatim. | Pag. 1. |
| II. | D E Arthritide Rheumatismo Supervenienti, Symptomata falsò appellata. | 6. |
| III. | De Arthritide ex Chlorosi, & ex Mensium suppressione. | 11. |
| IV. | De Arthritide Hydropi superveniente. | 16. |
| V. | De Arthritide Melancholica, Hypochondriaca, & Hysterica. | 24. |
| VI. | De Arthritide Fixa Scorbutica. | 31. |
| VII. | De Arthritide Lui Venereæ succedenti. | 42. |
| VIII. | De Arthritide Asthmatica. | 51. |
| IX. | De Arthritide Febri succedanea. | 57. |
| X. | De Arthritide ex Colica. | 63. |
| XI. | De Arthritide Morbis quibusdam Cuticularibus sub-
jecta. | 71. |
| XII. | Corollaria & Spicilegia quædam habet, cum Epilogo. | 76. |



D E

ARTHRITIDE

SYMPTOMATICA

GENERATIM.

C A P. I.

A R T I C U L U S I.

UT Morbi recte dignoscantur, videndæ sunt, (quod docet * *Hippocrates*, |) ὅσας ἐξ ἑἰων εἰς ἄλλα διαδοχὰς νοσημάτων, h. e. *Quæcunque* fiunt *Morborum vicissitudines*, & ex quibus in quos succedant. Vertente *Clarissimo Mediomatrico*, pariterque *Textum* in hunc modum interpretante: *Morborum Successiones*, *vicissitudines*, & *exceptiones*, esse inspiciendas; ut facilius de toto eorum exitu existimes. Et, *Hæc oportere omnia ad eam Morborum Transmutationem transferri*, quæ solutionem quandam præ-

se fert, & *Naturæ benignitate alid Morbum ablegat*. Quibus præfatis, ex *Divini Senis Oraculis*, ad *Gratiam*, & *Fidem*, *Operi* nostro conciliandam; (quod, ad ea se conformari, frustra quidem, & ambitiosè nimis, exoptavit,) ipsam rem aggredior; ex illoque sancto quasi *Fonte*, nostra omnis manabit *Oratio*.

II. Præter istam *Arthritida*, quæ *Causam* habet *Continentem Propriam*, & *Peculiarem*, quæ suis viribus pollet, & est ex se sufficiens; idæoque *Exquisita* audit: nec, ab *Affectu* quovis alio, perfecto, mutuatur, sive ducit, originem; unde *Primigenia*; (quæ quidem, in præsentia, *Postulati* loco ponenda:) *Alia* est *Arthritis*, quæ à *Morbo* aliquo *Antecedente* profluit: quæ alteri *Morbo* debet ipsum id, quod nascitur; & quod existit:

* Βασισμιῶν ἀτμίμα τεῖον.

existit : & (à *Primario* illo) *Derivata*, *Secundaria*, *Symptomatica* uti, (præ *Arthritide Exquisita*,) *Mendax*, *Simulata*, *Falsa*, jure merito nominentur.

III. Fufius dicam : *Arthritis Symptomatica* cum *Primigeniâ*, si primas earum Facies conferamus, & illa quæ sunt exteriora spectemus, in plerisque convenit : (Par etenim Ratio Paroxysmorum ; iidem utrinque typi, similes causæ, & Principia ; nec non effectus, seu Reliquæ : sive fructuosæ, sive contrariæ :) Proindeque generali Nominem *Podagræ*, & *Arthritidos*, utriusque communi, comprehensæ, magnam partem ἀδυναμίως sub eo delituere ; Morbus idem esse, judicata. At, a vero quantum id abhorret, iis facile innotescet, qui earum ἰδιότητι καὶ ἰσότητι penitus scrutabuntur. *Arthritis* enim *Primigenia*, morbus exquisitus, γένεσις sui ordinis Princeps, peculiarem & sui generis conjunctam habet causam, proprio utique Marte agentem ; per se, vel procatarticarum stimulo, Paroxysmos facientem ; a nullo verò affectu alio, aut primitus acceptam, aut in operibus dependentem. E diverso, *Symptomatica* morbo alteri succrescens, vel materiam, (id est, causam continentem,) vel minimum materiæ in hujusce generis *Arthritida μέλεσις μόν*, illi *Primario*, quo (directe vel oblique) Ortus ejus promovetur, refert acceptum : Itaque tum morbi, unde fluit, *Primarii* ; tum *Arthritidos*, quam æmulatur, exquisitæ, de Naturâ, tanquam *Hybrida*, participat.

IV. *Symptomaticæ*, quas hoc Terrarum Tractu vigore comperimus, sunt ex Rheumatismo *Arthritis*, ex Chlorosi, & mensibus suppressis, ex Hy-

drope, Melancholiâ, Scorbuto, Lue Venereâ, Asthmate, Febre, Dolore Colico, Affectibus cutaneis : Per plures sanè, dignæque omnes quæ in *Luciani* Drama prodeant Τραγοποδία μόν : quarum tamen Catalogum haud dubiè augebit industria posterorum.

His affecti, eos qui in *Arthritide* sunt *exquisitâ*, numero videntur, (si rectè calculum ponas,) exæquare ; imò quidem (mea sic est Ratio,) vincere : Ut *Damnonio* nostro *Arthritidos* pars dimidia, sine ullâ dubitatione, sit hodie *falsa*.

V. *Symptomaticarum* ratio generalis in eo locari reperitur, quod, cum morbi sunt ab *Arthritide Primigeniâ* diversi, & intervallo quodam distantes, stationes suas *Primarias* linquunt, & erga *Arthritidem* moventes, ei sensim appropinquant : Simili ferè modo, ac, in Hypothesi *Copernicanâ*, Planetæ Apogæum (sive punctum illud Ellipseos, quod est à Sole remotissimum) deserentes, versus Solem inclinant ; donec Hypogæum (sive punctum ejus quam proxime Solem) pertigerint.

De appropinquandi modo ut ritè cogitemus, non solum ex *Arthritidos Primigeniæ* Symptomatis aut pluribus acceptis, aut diutius servatis, is existimandus : Næ hoc, utrumque, Judicium fallax, & incertum : Imò potius à *primario* plus minusve exuto, (ut in sequentibus patebit) addiscendus. Verum enim verò *Primarii* Exuviæ simul cum usurpato *Arthritidis Primigeniæ* vultu, *Symptomaticas* omnium certissime commonstrant.

Specialis harum est Conditio, quod à stationibus *Primariis* quò celerius, & quò longinquius, ejusdem Classis Sympto-

Symptomaticæ deflectunt, eò rariùs ad eas revertuntur: hoc est, quo plura Morbi *Primarii* Symptomata deposuerunt, eò insolentius resumunt; eò celerius *Arthritidis Puræ* Symptomata usurpant; eò constantius retinent.

VI. Secum dissentiunt *Symptomata* si earum *Externa* respicimus; quod *Aliæ*, *εὐτοκία*; *aliæ* Partu difficili, eduntur; *Aliæ*, à *Primigenio* ægrius; *aliæ* libentius, decedunt: *Aliæ* ad Parentem citò regrediuntur; *aliæ* vix unquam, aut nè vix quidem: *Aliæ* sæpius; *aliæ* rariùs, *Παροξύνονται*.

Harum autem *Paroxysmos* si attenderimus, sunt illi profectò longi, breves; acerbi, mites; abnormes, idonei; continui vel intercisi; eadem plane varietate inconstantiâque, quâ sunt *Arthritidos* exquisitæ *Paroxysmi*: Et *Reliquias* sive fructus, habent (sicut illi) suæ, cujusque *Ferocitati* & *Magnitudini*, plerumque respondentes.

Partus istam *Diversitatem* facit *diversa Primariorum Indoles*, & in *Arthritidem* *Propensio*: Nam, quò cujusque *Primarii* *Materia* virus *Arthriticum* magis refert, & *Materiæ Arthritidem* facienti, quò plus favetur: eò certè vividum magis *Arthritidos* Simulachrum, eò magis solidum emergit *Εκμαγεῖον*. Et è contrario.

VII. Sed, [quæ cum primis ad exponendas hæc *Symptomata*, conducit *Differentia*;] *Alia* *impropriè*, & ex *Vulgi* tantum *Opinione*, sic appellatur: Quippe quoniam *Paroxysmos*, ad *Normam Arthriticam* formatos, & compositos, habet omninò nullos; nec *Materiam*, ei quæ est *Arthritica*, [quantum ex utriusque signis judicare licet] ullâ ex parte comparem. Hujusmodi una est, quæ *Rheumatismo*

superat; quæque *Symptomaticarum* *Nomine*, quoties de iis verba fecerimus, à *Nobis* eâ re excluditur. *Alia* magis *propriè* dicta, quæ *Morbo* alicui *Primario* manifestè & palam *ἐπιγνωμένῃ*, *Primigeniæ* ritu, per se vel aliundè stimulata, & adjuta, *Paroxysmos* celebrat.

VIII. Illa etiam duplex est; *Altera* *Generatione*, quæ dicitur *Æquivoca*, procreatur. *Gravi* quodam *Morbo* laborat *Æger*; eoque partim, vel penitus subacto, *Natura*, sui demum juris & vegetior facta, *Miasma Arthriticum* in sanguine occultum, sanguinem & quicquid intus virium est depascens, (maximè verò si *Pharmacis* ea proritetur) ad *τὰ ἔξωθεν* appellit; itaque (præter spem & expectationem omnem sæpe) gignit *Arthritidem*. Huc pertinet *Arthritis* ex *Chlorosi*, & ex *Hydrope*, quæ quidem, accuratè si dixerimus, *Secundariæ* potius quam *Symptomaticæ*, censeantur: uti infra ostendetur.

Altera, quæ *κυριωτάτως* *Symptomata*, eandem cum *Primario*, (cōtra quam modo dicta,) sed mutuum, & ab eo derivatam, habet *Materiam*; vel ipsam, vel aliquâ ex parte alteratam; vel integram, vel cum alio quodam mistam; sed in *aliam Corporis Regionem*, quæ transvehitur; *aliaque* ratione (id est *Arthritica*,) quæ operatur. Nam, ei quod ineptum est eliminando, per *Morbos* hunc vel illum, pro inepti ratione & corporis *Constitutione*, varios, dum incumbit *Natura*; (unde horum *Morborum φύσεις* ab *Hippocrate* dicuntur, *ἰσθροί*,) sæpe quidem fit, vel propter eos nimis remissos, & instituto *impares*, vel ob *materiam* parum tractabilem, & *δύσλυτον*, quòd il-

lius pars in Corpore, necdum istis molitionibus exturbata, restet. Hanc natura, prælium redintegrans, secundo aggreditur; & quoniam ausis prioribus exciderat, aliâ jam methodo conficere, aliò morbo; scil. *Articulari* proscribere, contendit. Atque hunc in modum oritur *Arthritis Symptomata*; cujus species sunt *Arthritis Melancholica*, *Scorbutica* quæ Lue Venereæ, quæ Asthmatis, quæ Febri, quæ dolori Colico, quæ morbis Cuticularibus, succedit.

IX. Hoc autem minimè celandum; Quòd rarò illa, quæ maximè propria *Symptomata* est, *Primarium* sequitur nisi multorum dierum, veterem, & ab Ætate quasi venerabilem, Chronicum: Et, quòd illa, seriùs quàm *Primigenia*, nec nisi grãdiores, invadit; Eos scilicet, qui, cum affectu *Primario* diu conflictati, cum eodem simul inveterascunt. Id quod de alterâ istâ magis propria parte, confirmari vetant experimenta; quippe quæ, robustioribus, quæ junioribus, congruere hanc, evincunt.

X. Verùm, ut ultra distinguam *Symptomatas*, earum quæ sunt *idivatai* morbi primarii, (a quibus derivatâ sui generis materiâ, quæ in *Arthriticæ* modum agere conatur, hæ singulæ potiuntur,) quum validè inter se discordant; *Symptomatas* item hæc, utcunque primâ facie consimiles habeantur, specie tamen, pro ipsorum materiâ, pro illâ primariorum diversitate, inter se differre, non est improbabile, Peculiarem habent sigillatim omnes naturam, proprium ἴδιον ; & curationes exigunt proprietatibus suis accommodatas. Nam,

XI. In exercendâ Medicinâ, quoties occurrit *Arthritis Symptomata*,

morbi *Primarii* ratio, & modus omninò investigandus; Therapia probatissima diligenter expiscanda; & ex iis, unâ cum *Arthritidis Primigeniæ* Doctrinâ, studiosè consideratèque pensitatis, eliciatur, & in quadrum redigatur, optima medendi perfectissimaque indicatio.

Neque enim credant, (qui *Rationalem Medicinam* profitentur) posse eum scire, quomodo Morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret: Neque esse dubium, quin aliâ Curatione opus sit, si à Lue Venereâ; aliâ, si à Melancholiâ; aliâ si à Scorbuto; aliâ, si ab Hydrope; aliâ, si à Chlorosi, (& sic de cæteris Affectibus, toto, quod dicitur, Coelo distantibus, & secundum illam Differentiam diversè medicandis.) *Arthritis* oriatur.

XII. Etsi verò *Symptomata* Ratio Composita, ab utroque Parente (tam eo qui genuit, quam eo qui adoptavit,) Ætiologiam, Therapiam, ex parte accipit; tamen non id indiscriminatim, & æquali factum est mensurâ; sed modo, & proportionè, prorsus singulari. Nam, in Paroxyismo ab *Arthritide*, Therapia maximopere; extra verò Paroxyisimum, in ejus vacatione, Prophylactica quæ colatur, à morbo præcipuè *Primario*, haurienda.

XIII. Quæ quidem Prophylaxis, & in eâ quæ est Medicina vel latè sumpta, cum, ad morbos, veteribus Chronicis, iisque graviorique, secundarios, & malum *συσταθὲς* (*Arthritidem*) æmulantes, evertendos, excolatur; diutiùs quidem, & contentiùs, ad menses aliquot ducenda: sæpè etiam per annos, statis temporibus repetenda est: Ut nempe morbis ita pertinacibus, inveteratis, sanatu difficillimis, curatio par & æqualis adhibeatur.


beat. Ista verò Prophylaxeos diuturnitas alias longior, alias brevior, ordinanda, pro singulâ Curationem singularum Difficultate: quod in sequentibus speciatis, & pressius, exponetur.

XIV. *Arthritidis Symptomatiæ à Primigeniâ Diversitas*, inque Membra Partitio, ab Artis Professoribus non satis observata, id effecit, ut *Ætiologia Arthritica* hodieque trunca, debilis, imperfecta, perturbata, minimè constet; nec cum *Ægrorum Symptomatis* concordet. Neque enim aliter fieri potest, cum, quæ Una, & Simplex, æstimata fuit *Affectio*, varia profus esse deprehenditur, & multifariam composita.

XV. At, quod magis dolendum, & in Humani Generis incommodum (ut ne quid gravius dicam) cessit immane quantum; id etiam fecit hoc *Παράρρημα*, ut, quæ non uno eodemque modo constructui, quid potius variari, & pro Morborum Differentiis, Discrepantiâ, Diversitate, aliis aliisque Indicationibus passim muniri, debuerat *Therapia*; angusta nimium, manca, & delumbis, esse reperiatur; utpote *Arthritidis* unius *Primigeniæ* Basi, & Fundamento (nimis arcto) superposita; cum Medici, tum *Ægroti*, spem, & vota, decipiens. Infelices *Arthriticos*! & eo quoque nomine miserandos, quòd, dum adversus *Morbos Convulsivos*; adversus *Phthisin*; adversus *Febres Intermittentes*; aliasque quàm plurimas; dum, adversus graves & Herculeos *Affectus*, medendi Intentiones aptas, solertes, commodas, excogitavit *Ætas*, in *Arthritide* sanandâ, pellendâque tam parum profecit.

XVI. Prædictas *Symptomaticas* hac Methodo discutiam; Primum nempe *Remotissimam*, & ab *Arthritide Pri-*

migeniâ, quàm longissimè disjunctam: Deinde reliquas, eo ordine, quo sunt, in suâ cujusque *Ellipsi*, minus remotæ dum ad illam denique pervenero, quæ, ab *Arthritide Primigeniâ*, vel abest quàm proximè, vel ipsa est: Per totum hunc *Decursum*, & universum percurrendo *Systema Symptomaticum*, habito respectu, quoad ejus fieri potest ad *Accessum*, & *Proximitatem*: quæ quidem hoc tempore potissimum advertenda: En *Opusculi Partitionem*:



In ipsis partibus tradendis, primum, morbi cujusque *Primarii* stationem dicam: Tum, ejus in *Arthritidem* progressum: Deinde *secundarii*, jam facti, & in aditu maximè propinquo sistentis, Diagnosin qualemcunque: Post, à Cognatis *Secundarii*, & *Arthritide* exquisitâ, illius differentiam: Tum, morbi, ejusque Symptomatum, imprimis urgentium, curationem: Deinde, isthæc illustrandi ergò, historias: Hæc autem, non eâdem ubique *ἀκριβεία*; quantâ tamen opus est, Scripturâ persequar.

C A P U T II.

De *Arthritide Rheumatismo* supervenienti, *Symptomata* falsè appellata.

A R T I C. I.

Priusquam ad *Veras* aggrediamur *Symptomatas*, omnino necessarium est, *Arthritidem* ex *Rheumatismo* ortam, ita falso nominatam, propter ejus cum *Veris* similitudinem, & ne istam in illarum numero ponentibus, operi nostro deesse, videar, expediri; eâque re, de ipso *Rheumatismo*, mendosæ hujus *Symptomatice* Affectu *Primario*, pauca quædam præmitti.

De *Arthritide Vaga*, quatenus *Rheumatismum* referat, & illius Appellatione se occultet, alius loci est disserere: De *Rheumatismo*, quam ille *Arthritidem* imitetur, ac quasi vices rependat, hujus & temporis, & loci est.

II. *Rheumatismus* ille, cui quidem unquam quantum ego rescivi, succrescit hæc *Symptomata*, (nam à *Scorbutico* minimè unquam, nedum alio quovis *Rheumatismo*, prognatam meminimus) semper incipit à Frigore, causâ hujus affectionis evidenti fidelissimâ: Ex quâ celerrimè sanguini, præcipuè verò ab exercitationibus incalescenti, *Lentor* inducitur; qui, in Musculis & Membranis, infarciens Capillaria, circuituri Fluminis meatus obstruit; Dolores, & interdum Tumores affert. Quæ inest Sanguini, Pituitæ, siyè feri crassioris Massa, horæ paucarum aliquando *Sexagesimarum* Spatio, momento temporis, ferè tota *lentescit*, & (uti *Cera* per Syringem injecta,) Ductus implens exiguos, Impedimenta, Moras, Oppilationes creat, pro ipsius crassitie plus minusve pertinaces.

III. Quî fiat tanta, tamque subita *Γλαυρότης*, (haud explicatu facile Problema) Professores Medicos, optima quidem Ingenia fatigavit. Sunt, qui *Lac* acescens, si admoveatur *Igni* coagulatum cito contrahere perpendentes, & *Lac* immissum venis statim Coagulari confirmantes, binis hisce positis, sibi videntur rei summam explicasse, Dubiique vim in totum diluisse: at quo jure, quâ *ἀπίδειξι*, (præfato virorum de Republicâ benè meritorum Honore,) paucis expendam.

Primum, Experimentis *Boylianis* manifesto constat, *Acidi*, præter *Salis Marini*, vel ejus æmuli, quantitatem perexiguam, atque huic Coagulationi producendæ minimè sufficientem, nihil Naturâ sanguini inesse: Neque de horum Experimentorum fide, per *Vieusseniana*, dicam?

cam? an *Chiracciana*? quicquam * derogatur.

De altero Argumenti Membro, et si, apud Magni Nominis † Anatomicum, tanquam Experimentiâ proditum, Lac immissum venis illicò densari, prescribatur; tamen, quòd vacillet hæc in parte, non tam Auctoris, quàm (ex eâ, quâ versamur, Rerum Caligine) eventus Fides & Testimonium, id eoque dubium æstimetur, habeo dicendum. Cùm enim, varias olim, *Oxonii*, Injections, & quidem hanc ipsam lactis vaccini, quantitate satis locupletis, exercendo, sanguinem inde nè vel minimùm coagulari, sive con- crescere, tametsi hæc illac agitatim accuratèque spectatum, deprehenderim; Virum clarissimum, Profectorem eximium, aut Animalis minus sano, aut acescenti Lacte, fuisse usum, haud injuriâ suspicatus sum.

IV. Deinde, non solum ab Acido fieri in Sero Animali Coagula, testatur id † *Boylei*, per *Oleum Tart. per Deliquium* illi adjunctum, perque *Spiritum vini* probe rectificatum, coagulari serum asserentis. Quin etiam, ut Symbolum meum conferam, *Rheumatismo* laborantis serum, per calorem, & exinde quam citissimum Frigus, (utrumque scilicet impensum,) in *Gelatinam* admodum lentam, viscidam, firmam conciliari & cogi Nobis experimento patuit. Hoc enim brevi

* Hæc de re, qui plura voluerit, adeat clarissimi *Pitcairni* dissertationem, Med. ultimam: Ut & *Almi Coll. Romanorum Archiatrorum* ad *Cl. Vieussenium* Responsionem.

† Vide *Cl. Lovverum* de Corde, Cap. 2.

‡ Vide *Humani Sanguinis Historiam*, Partem 3.

evenit, quando, hujusce rei tentandæ gratiâ, istiusmodi serum, cochleari contentum, & subjectâ lucernâ calefactum, Aquâ frigidissima ac cochlearis marginem immergeretur.

Ab Acridi vero Sale Alcalico, quàm ab Acido, *Lentorem* fieri, longè probabilius: Sagacissimi enim † *Baynardi*, Collegæ Nobilissimi, Experimento liquet, *Rheumaticorum* Urina, Salis Alcalici ejus, quem habent Sani bonique utentes valetudine, partem quasi trigesimam, nec quidem supra, destillando elici. Unde conjicitur, Salem istum acrem, pungentem, asperum, acutum, in Sanguine retentum, Pituitâ (forsan adjuvante Oleo, veluti in *Sapæ Compositione*,) irretiri involvique & ad viscidum in *Rheumatismo* faciendum, ad Dolores, & Tumores inferendos, opere quidem maximo contribuere.

At, quòd rem absolvere videatur, *Rheumatici* cujusdam Ægri venâ per- tusâ, sero *Syrupum Violaceum* instillavi, unde *Mixturæ*, brevi temporis spatio, *Color viridis*: Et ejusmodi sero, *Sublimati solutione*, parce quidem & tantillulâ quantitate, addita, quam citissime ad fundum se demisit *Concretum Albissimum*.

Ipsi porro *Pelliculæ*, sanguini *Rheumatico* innatanti, (ut videlicet, in eâ salis quid dominetur, anquirerem) *Solutionis* dictæ guttis aliquot affusis, ejus superficiem ex hinc *Albere*, cum plerisque aliis asstantibus hujus experimenti testibus, notabam.

Siqua igitur hisce probationibus Fides, vel a calore frigoreque vehementibus & continuis, vel ab sale alcalico

† *Acta Phil. Lond. N. 125.*

intus retento, vel utroque Lentorem hunc oriri, verisimile est.

V. Quoties è viscido redemptus, priscâ gaudet *εὐποία* & more naturali circumagitur, sanguis; evanescit tumor, quiescit dolor, convalescit Æger: contra verò, affectu malè tractato, id est perseverante viscido, nondum victo correctoque, non nunquam oritur *Arthritis* ista, quam dico, *Symptomatica*. Nempe, cum abundat *τὸ πλεονέκτον*, quâ visciditate, quâ acredine, vehementiores, pariter ut *Arthritis* ipsa, profert distensiones, dolores, tumores, aliosque non paucos effectus utriusque huic vitio communes.

Frigidam verò *Arthritidem* æmulari gestit hic affectus, illiusque Partes sustentare: Nam, neque dolor, æquè acerbus; nec inflammatio perinde contumax; neque declinatio similiter propepera, ac in illâ *Arthritide*, quam appellamus *Calidam*. Nihilominus fatendum est, quòd, si *Rheumatismo Scorbuto*, aut *Venereo*, *Arthritis* ista superveniat, (posse verò supervenire, nullam recipit controversiam) ob asperum aliquid, ac stimulans, interfusum, & dolorem magis acutum, & inflammationem magis infensam esse.

VI. Autumno maximè intenduntur hi dolores; eo videlicet tempore, quod fluxionibus favet, (quanquam & alias anni tempestates iis prorsus immunes esse, nequaquam affirmandum,) & diu, non nunquam ad totum Hyemale Spatium, ubi morbus inveteravit, excurrunt; sæpe quidem intercessi, at à levissimo frigore recidivi; quod diuturno familiare *Rheumatismo*. turgent Articuli. Farciturâ extante, & in Tumorem albidum, & tanquam *ὀγκυμαλώδην*, cutim elevante. Unde digi-

torum motus semper impeditus, interdum abolitus: Huc illuc digiti torquentur: Manus non nunquam retroagitur; sicque cubitus, ut pars ejus interior jam emineat.

Cum *Arthritidis* personam qualemcumque capeffivit *Rheumatismus*, raro quidem exiit, ad vitæ usque terminum plerumque perferens. Si modò sanum id, quod intus, & incolume totum est, extremam aliquando senectutem, sed digitis, sed Artubus multatus, Æger adipiscitur; *Podagram* inter eâ, tanquam humani generis pestem & perniciem, tanquam malum, vel ipso teste experto, acerbissimum, (quâ tamen Genuinâ fortasse nunquam est affectus) increpans acerrimè.

VII. Quamvis enim non nulla *Frigida Arthritidos* Symptomata gloriantur hic affectus: tamen, si rem attentius perspexerimus, cum eâ parum convenit. Cutis sanguini (sic, ut in *Rheumatismo* solet esse) densa, & quàm in *Arthritide* multò densior, post quietem supernatans, hoc abundè arguit: Confirmat id, quòd Gelatina, quamdiucunque Commissuris immorata est, nunquam in Tofos indurefcit; quodque commissuris minimè contenta, cum Internodiis eas pari ferè proportionem premit: tum verò omnium maximè, quòd nulla Cardiacorum, utut *Actu* vel *Potentia* calidorum, abusu, vel quavis aliâ de causâ (contra quàm *Arthritis* omnis, sive *Primigenia*, sive *Symptomatica*; sive *Calida*, sive *Frigida*) in Paroxysmum, qualis est *Arthritidis*, vel levissimum, evehatur unquam *Species* hæc *Adulterina*.

VIII. Ad hæc *Rheumatismi* Reliquias, duras equidem & pertinaces, prævertendus, valet ea, quæ morbi istius

istius curationem habet, quæ sanguinem attenuat, Medicina; ab Auctoribus, illam ex instituto tradentibus, haurienda. Cui tamen unum, ut mea memoria est, ab iis prætermisum, adjiciam; nempe, quod, ad dolores *Rheumatismi* minuendos, ad sanguinem alterandum, & τὴν γλίσχροτητα devincendam, conducit, supra quam quis expectaret, Vomitus; sed vehemens, sed iterata. Quod unde efficitur, sanguinem exagitando, concretiones inhibendo, motumque illi novum expeditionemque tum intestinum, tum periodicum, imprimendo; an quovis alio modo fiat, in medio relinquam.

Hoc autem gratis dictum, ne quis existimet; fidenter affirmare possum; solâ *Infusione Croci Metallorum* ad quatuor vices, quantitate bene magna, tot diebus continuis, ab Athletico quodam & multarum virium Ægro, contra *Rheumatismum* hausta; unde cum ei *phlegma* toties evomuit; *Rheumatismum* gravem, & permolestum, me novisse penitus & radicitus extirpari. Cujus quidem *Historiæ* mentionem non ideo feci, quod tristem & severam, ne dicam periculosam, hanc curationem, vix centesimo cuique tolerabilem, in communem indistinctè usum, inducere conarer, aut in animo haberem; (quæ enim hæc Temeritas!) sed tantum, ut Emeticum ab hoc affectu per se considerato, non ex omni parte respui, seu vetari, submonerem; imò quadante nus indicari; &, quoties vires, & quæ sunt Ægri cætera consentiunt, posse ministrari.

IX. Ad easdem Reliquias præsentés extirpandas, requirit indicatio quæ quidem unice attendenda, ut tollatur iste lentor, ut crassa, pertinax & vilci-

da materia, quæ juncturas obstruit, & in tumores cutim earum effert, causa videlicet conjuncta, corrigatur emendeturque, cujus gratiâ, è Regno Vegetabili depromantur *Antiscorbutica*, quæ dicuntur, sale volatili referta; qualia sunt *Radices Armoraciæ, Cerpæ, Ari, Allii &c. Folia Cochleariæ, Nasturtii Hortensis, Indicique &c. Semina Sinapios, Cochleariæ &c.* Quæ quidem omnia, rectè & artificiosè comparata, debitoque more data, viscidum incidant, tenuent, resolvant, perque Renes demùm expellant illius quicquid alienum est, & inidoneum.

Huc, eodem ferè nomine, respiciunt *Spiritus C.C. Urinæ, Fuliginis, Salis Armoniaci, & id genus alii Volatiles, sive simplices, sive oleosi.*

Quid per *Oleum Terebinthinæ*, Medicamentum mirè penetrans, & deobstruens, (Pulmonis illud solvit pituitam, in Catarrhis pertinacibus farcturam ejus allevat. In tingendo marmore, colorum illud optimum laudatissimumque vehiculum est.) Quid, inquam, in Lentore *Rheumaticorum* reducendo per illud præstetur, quando hoc hortatur Analogia, fiat periculum. Profit autem tum internè sumptum, tum externè applicatum, v. g.

℞. Ol. Tereb. gtt. iij. ad vj. vel si Febris Suspicio nulla vetuerit, plures. Cons. Anthûs ʒj. Syr. de Rubo Ideo q. s. Bolus, horâ somni deglutiendus, cum Julapii Haustu.

℞. Aq. fol. Ari, Angelicæ, Ulmaricæ ana ʒv. sp. Croci ʒij. Sambuci q. s. cum Marg. ppt. & Sacch. f. Julapium.

℞. Balsamo Sulf. Terebinthinato Artus motu privati, cum Frictione, bis die, superillinantur; vel etiam Vernice Terebinthinata.

Camphoræ sapor acris & pungens, O-
dor Aromaticus penetrantissimus, ignis
comprehendendi facilitas eximia, sed
præ cæteris quibuscunque in auras
abitio celerrima, partes ejus subtilissi-
mas tenuissimaque ostendunt. Ideò-
que nunquid Ægrotantibus hiisce no-
stris, ad incidendum & tenuandum in
eorum capillariis lentam illud visci-
dumque, & quantum ab illius auxilio
sperari possit adjumenti, merito exqui-
ratur. Dari possunt ejus *Grana* vj, vel
vj, *Oleo Amygd. dulc. soluta, cum Conf.*
flor. Borag. 3j. Syr. Cort. Citreor. q. s. (ut
f. Bolus) cum Jul. Hausu, hora somni.
quod quidem tempus exhibendi præ-
fero, quoniam per noctem insequen-
tem (noctu verò, quam interdiu, in
his Ægrotis, ad superficiem corporis
sanguinem magis efferri verisimile est)
una cum sanguine ad τὸ πλῆθος appul-
sum majori cum impetu, favente flumi-
ne rapidiori, in id arietet. Quin etiam
Epithemata Camphorata possunt ex-
ternè Partibus affectis admoveri.

X. Sin hæc è *Regno Vegetabili* fru-
stra esse reperiantur, & operi imparia,
è *Regno Minerali* conducatur optimè
Mercurius; illo nempe pacto sanguini
commistus, & obstructionibus adve-
ctus, ut incidendo dividendoque vis-
cidum illud attenuet, solvat, colli-
quet. Quare Ptyalismum hoc in casu
levem institui, diuque proferri, (mo-
dò per Ægri vires, & alias res licuerit)
è re futurum arbitror. Nec non ad eum
finem *Mercurium* partibus iidem læ-
sis, per unguenta, per emplastra, posse
cum fructu superponi.

At si ista non sentiat, quæ juncturis
inest, *Gelatina*; *Suctu* frequenti vali-
dissimoque, per fistulam ad eam rem
fabricatam & orificio prius facto im-

missam, evocetur. Hoc in *Arthritide*
verà laborantibus fieri, vulgare jam &
pervagatum est: Multò verò tutius in
Rheumaticis posse credibile est. Hæc
autem operatio non nisi recens affe-
ctis, & dum liquida est materia, pro-
mittit sanitatem. Articulos *Gelatinâ*
per suctionem inanitos, *Vino ustulato*
sæpitis fovere, & *Emplastro* quodam
(*Stomachico* putà *Magistrali*) à gan-
græna defendere tutarique oportebit.

Istam medendi legem, secundum
morbi indolem & genium delineatam,
ut in ejus initio probabilem, adduco;
sed nullo quidem experimento (fate-
bor enim) confirmatam. De morbi
Historiâ plus satis constat, & etiam
nunc in vivis sunt, qui hujus veritati
fidem faciunt, & astipulantur; de Me-
dicinæ verò hujus usu, & victoriâ, ni-
hil habeo, quod dicam. In affectu
inveterato, cum viscidum id indu-
ruit, quod tenuetur, minùs verisimile
est.

Omittendum verò non est, quòd,
τὸ πλῆθος Rheumaticorū Sanguini
accedentem putrefactione solâ te-
nari dissolvique posse opinatus, medi-
cus perillustris, clarissimus * *Floyerus*,
(cujus hoc est argumentum, quòd
ovorum albumina, quæ quidem Gela-
tinam hanc nostram cum primis refe-
runt, putrefactione liquefiunt) ad eam,
his in corporibus non minùs quam in
tussi laborantibus, promovendam,
emollientia, maturantia, colliquantia,
(qualia sunt è *Rad. Glycyrrhizæ, Sar-
sæ, Chinæ, Iræos, &c. ex Hordeo, Passu-
lis, & ejusmodi aliis comparata*) non

* Vide *Humorum Animalium statum præ-
ter Naturam.* Cap. xl.

sine multâ probabilitate præcepit. Utrum hæc, quæ in liquando solvendoque pulmonis phlegmate, tot ab annis, tantarum virium & ἐνεργειῶν esse meritò prædicantur, in Artuum illo Rheumaticorum valeant, operæ pretium esset experiri.

De *Symptomaticâ* falsò, & ex vulgiantum more, sic appellatâ, quæ habebam, effunduntur. Itaque iis, quæ ad *Veras Symptomaticas* Aditum præcludere viderentur, de viâ dimotis expeditisque *veras* jam attento.

C A P. III.

De *Arthritide ex Chlorosi, Albâ, & ex Mensium Suppressione.*

ART. I. **E**X *Symptomaticis* ita *νεκρῶς* appellatis, illæ primùm expromendæ veniunt, quæ Ortu, quod dicitur, *Æquivocò* generantur: quarum è numero Principatum postulat *Arthritis à Chlorosi* nata. Quod autem uspiam ita nascatur; quod Adolescentulæ, Virgineo dudum morbo Languentes, nec dum illo prorsus liberatæ restitutæque doleant *Arthritide*, à non nullis idem habeatur, ac si *Lucam Bovem* (ut in Proverbio est) *Locusta* pariat; id est, ἀδυνατῶν ἐν. Sic à morbo, hisce Puellulis parum congruenti, immunes eas reddere, incolumes præstare, videatur, tum *Ætas* præmatura, tum affectio dissimilis. Ita verò sentientibus, utnè *Calculum* adjiciam, indubitatæ fidei cogit experientia; nec istam *Ætatem*, nec hanc affectionem, illas ab *Arthritide* penitus tueri comprobans.

II. Ut autem dicam, quæ fieri potest, quòd, ex morbo sic dispari, morbus sic dispar oriatur, advertendum est; quòd *Arthritis* eas tantum modò pallidas (quantum mihi observare licuit) aggreditur, quæ *Miasmate* hæreditario supra modum vitiatæ & imbutæ, ad istud mali naturæ inclinatione pervicaci, momento maximo, pronæ sunt, & diriguntur.

De cujus rei veritate, satis, ut opinor, ex eo liquet, tum quòd illa, quæ ad *Arthritidem* inducendam more agunt usitatè *Procatartico* (qualia sunt *crapula, satietas, Venus immoderata, Lues Venerea &c.*) *Virginibus* hisce imputari minimè posse cogitandum est: tum etiam, quòd *Arthriticæ* hujus *Classis* stirpe sunt cum primis *Arthriticâ*.

III. Exinde patet, quòd *Arthritidos* ex *Chlorosi* procreatio, non eo sensu capienda, quasi hanc quæ fecit, illam etiam faceret, eadem *Numero, vel Specie*, materia; sed novâ ratione, agens, nova perpetrans *Φαυρῶς*; (quod tamen in plerisque *Symptomaticis* usu venire palam est.) *Nostra* quidem alia res est. *Chlorosi*, sive sanguinis *μόλωσι*, abituræ supervenit, & simul cum vultu colorato, cum robore, cum mensibus, nè multa, cum sanguinis *Μεταερισμῶ* horum societati se immiscens, ex accidenti profilit *Arthritis*; peculiarem habens materiam, causam propriam continentem, à *Chloroseos* illâ, multum abludentem.

IV. *Symptomatica* hæc *Arthritis* interdum *Vaga* est: Artus hinc inde subsultando peragrans; dolore pungenti, & rodente gravans; aliquando *Rheumatismi* nomine delitescit: Alias, articulis inhæret, & *Affixa* est.

Vagæ Diagnofis incerta, & tenebri-
cofa; uti *Arthritidis Vagæ primigeniæ*.
Lucem tamen afferat, De Parentum
Morbis, Numnam illi Pedibus doli-
re: Et, an *Ægræ Rheumatismi* caufis
evidentibus, præfertim Frigori, paulò
antè fubjecta fuit quæftio. *Fixa* verò,
Teneritudine Juncturarum, Dolore,
Rubore, primùm Molli, deinde fuffefu
temporis Lapidefcenti, & Tofaceo, fe
oftendit.

V. Hæc cum Morbi ratio fit, in eo
ponenda Indicatio, fingularis, & præ-
cipua videtur; ut, à peccante Materiâ,
jam nunc *Arthritidem* molliente, per
Muliebria, primo quoque tempore,
fanguis expurgetur; & fic *Chlorofi*, fic
Arthritidi, fimul femelque occurratur.
Omnium maximè conducet (dummo-
dò res annuerit Familiaris, & iniri
Nuptias permiferit,) *ὀν ἰγασπὶ ἔχεν*.
Quum, Partu Naturali, quo, in Ute-
rum, tanquam in fentinam, univerfi
Corporis Inquinamenta fecluduntur ad
inanienda, & vacuanda, Fœminarum
Corpora, nihil efficacius valentiufve.
Certè Hippiafris illud notiffimum, &
multiplici comprobatum ufu: nec, cur
Hominibus denegetur hoc Confilii,
video. Trocul dubio Laborantes ifti
Medicinæ generi minimè refragabun-
tur; quin Medico, Naturæ tam Mini-
firo facile obtemperabunt. Medicinæ
Vires, & mirificos effectus, confirma-
bunt; Suarum gratiâ, Matronæ.

VI. Sin nulla fuerit Nuptiarum op-
portunitas, ad Menfes (quia hæc in par-
te, fecundas vendicant) omni auxilio,
omni ope, & induftriâ promovendos
adnitendum eft; eâ fpe, & Fiduciâ
fretis, *Arthritidos* materiam, & cau-
fam continentem, per eos facile com-
modeque poffe proturbari. Atque

hunc in finem *Martiata*, fed, (ut illo-
rum vires, & poteflates, ad uterum re-
ctè collineentur,) aptiffimè cum *Em-
menagogis* copulata, vel artificiofè in-
terpofita, Fructum ingentem, Mefen
ampliffimam, pollicentur.

Si Menfes omninò nulli funt, ex
iis concreta, & compofita, ad tempus
diutinum & continens, cum exercita-
tione & purgatione debitis, adhibean-
tur. Si fluunt, fed diminutè, Illi; Inter-
lunii tempore, bis die, *Martem* ufurpa-
ri proderit; fed illo, quàm primùm
Menfes infiterint, neglecto, ea dari,
quæ hos ciendo Naturæ Rem (quâ ni-
hil efficacius, conducibiliufve) fuo ip-
fius more, promovebunt. *Marti* nullum
aptius Vehiculum, quàm *Aquæ Mar-
tiatæ*, per Urinam exeuntes; nec, uno
tantum nomine, *Pallidis* his *Arthriti-
cis* conveniunt: Coctionem integrant;
Sanguinem exaltant; æftuque exun-
danti, virus *Arthriticum* abluunt abri-
piuntque; tum *Arthritidi*, tum *Chlo-
rofi*, fimul adverfantes.

Horum autem ufui, & præmitti Ca-
tharfis expediet, & feptimo quoque
die circiter interponi; nè ab Aquâ in
Corpore alicubi reftante; aut ab Alvi
tarditate; aut à fanguine roborato, ni-
mis evecto exaltatoque (quod fæpiffi-
mè folet accidere) fit periculum. Cujus
quidem modi Catharfeos Intercalatio-
nem, ab Antiquis fummo confilio
præceptam, & diligenter inftitutam,
non fine *Ægrorum* incommodo, &
discrimine, dudum ab aliquibus omitti
video.

Quæ verò reliqua generalem Morbi
hujus Curationem refpiciunt, & Mate-
riam *ὀν ἰγασπὶν*, per Renes expellentia, fi-
ve Ortum ejus & Incrementum inhi-
bentia, complectuntur, ex *Arthritidis*
Primi-

Primigeniæ Prophylaxi non inutiliter ducantur. Atque hæc de *Arthritide*, quam, quòd *Albarum* esse repèriatur, appellamus *albam*.

VII. Alia est *Arthritis Symptomata*, priori propter Affinitatem adjuncta, quæ Adultas, (ut jam dicta Juniores,) quæ steriles affligit, & Catamēniis, aut omninò nullis, aut aliquantò parcioribus, donatas. Hæc affectæ crassiori plerumque Habitu sunt; Viragines, sedentariæ, voce gravi, neque semper Imberbes. Morbus, *Arthritidi Frigidæ* appropinquans, negligenter, & languidè *Παροξυμει*; Juncturas denique Recrementis explet, motu privat.

Occlusâ nempe, quam caram, quam utilem, quam amicam habuit Natura, per Catamēnia sanguinem expurgandi viâ, Materiæ vis in eo cōstructa & coacervata est; quæ, graves & periculosos inferendo morbos, Oeconomix crebrò miscet, turbat, evertit omnia. Sin Materiam Natura vincit, Portâ hac vel illâ, eam expellit, nec rarò in Articulos trudit, *Dædala Rerum Conservatrix*.

VIII. Ista verò, non nisi Corporibus *Arthritidi* perferendæ (malitia vel acquisitâ, vel Hæreditariâ,) præparatis, obtingunt; & illâ potissimum ætate, quæ provecior, & ingravescens, per Methodos succedaneas Naturæ Defectus ambit quodammodo refarcire.

Et quoties à laudabili desideratissimoque *καρποθώματι* desciscens, natura *Arthritidem* molita est, rarò utique Gressus retrò agit, rarò Catamēniâ renovat; quin *Arthritidi* imposterum insistens, illius beneficio vitam quam potest longissimè, quamque beatissimè, producit.

IX. Cùm Mali hujus, Partu allevandi spes omnis frustrata, & à Cata-

meniis obscura est, & tenuis; eam mendendi Legem optimè posse fructuosissimèque servari judico; quæ, per *Cathartica*, materiâ peccantem, in sanguine congestam, & res novas affectantem, expellit. Ut autem illa Ægrarum Conditioni quadantenus accommodentur; primùm eligantur ea, quæ, Sanguinem fundendo, & à sese illius partes separando, Mensium movendorum expectatione Medicum accedant; (hoc autem modicâ Dosi, potius quam magnâ, fieri certissimum est.) Tum, ad eundem finem, *Emmenagogis* implicentur, & fiant *Purgationes*, quæ dicuntur *Hysterica*. Postremò, omni tantummodò mense alterno, (nec quidem amplius; ne Purgatione nimis liberâ & frequenti, materiâ alio ablegatâ, Mensium spes interrumpatur) eaque Lunæ quadrante, quâ præcipuè sanguis *ζυμειοθαι*, & se attollere cœpit, vere & autumno, iterum sæpiusque repetantur: nec, quæ earum vires infringendo retundant, aut motum sanguinis intestinum sufflaminent, admittantur; horâ somni, post purgationem, *Paregorica*. e.g.

℞. *Calom. quinquies sub. gr. xv. species. Conf. de Hyac. Conf. Ros. rubr. ana ℥j. syr. de symph. q. s. f. Bolus serâ nocte deglutiendus.*

℞. *Pil. de succino j. Aloës Rosat. ℥ss. Assæ fœtid. Pul. Castor. scammon. aã. gr. v. Bals. Per. q. s. f. Pil.*

Si isto ritu Purgatio, in hujusmodi *Arthriticis* celebretur; de Catamēniis postliminiò restituendis spes affulgebit aliqua, (modò ætas, & Naturæ ordo consentiat) aut, si votis & expectationi non respondeant ista, Capiti tamen, & Partibus internis, per Catharsin certissimè cavebitur, ne à Plenitudine lædan-

tur; quod quidem minimè spernendum, atque adeò studiosè laborandum.

X. Si Mensium spes fefellit omnis, neque restat ulla istius Anchoræ fiducia, majori quantitate catharticum (*Aloeticum* autem esto; vel *Decoctum amarum purgans*) illoque mensis tempore, quod solebat esse eruptionis, *υκαίρωσ* adhibendum: Tum, Ano materiam quod emittat, itaque mensium vices suppleat; tum etiam *Arthritidis* (quæ Hominihus hisce auro contra, & cum vitæ æque, pretiosa,) spei quod indulgeat. Quæ quidem regula, tam illis commoda, tantique (si appositè observetur,) est momenti, ut nihil supra.

Hisce porrò ex usuderit fonticulum aperire; aut, ne vetus exsiccet, inspiciere: Et, si quod per altiore album, vel aliud quodvis, *αἴμα λεῖον*, erat excrementum; ut permaneat, perduretque vel etiam in *Ægrarum* commodum augeatur, eniti.

XI. Corollarii vice, memoriâ tenendum, in isto pari *Symptomaticarum* impugnando (*Dii Deæque!*) quantum interfit; Altera Purgationem non nisi levem, & raram eligit; altera, tum fortiolem, tum frequentiolem. Altera eam, non nisi alterantibus, (id est, principali auxilio) viam præparantem; altera, tanquam ipsum principale. Altera Chalybem desiderat, & in eo ferè spem ponit omnem; altera eundem metuit, fuit, ut fatalem abhorret. Brevi dicam, altera sanguinem augeri *κῆρ μὲν ἰσχυρὸν ἐξοθαί*; Altera minui, & deduci, postulat. Adèò nempe contraria *Symptomaticis* hisce Therapia; imò, ut fieri potest, in eodem corpore.

Historia Arthritidis Vagæ, Fixæ, ex Chlorosi, fugatæ.

Veteris *Arthritici* filia, duodeviginti annorum, ventriculi dolore quasi colico, cum fastidio, nausæâ, vultu pallido, respiratione molesta, mensium defectu, aliisque symptomatis *Chlorosin* ostendentibus, afflicta est. Post annum, materia quædam Artuum commissuras, earum autem intervalla magis, occupavit; diu, miserèque cruciavit. Teneritudinem, torporem inibi, doloremque peperit acerbum; aliud ex alio. Cessavit inter eam ventriculi dolor: Perduravit *Ανορεξία, Δυσπεψία*.

Dum ita se res habet, primò Emeticum, tum Catharticum, meo consilio, datum est; & deinceps iteratum. Ob atroces, & ferè continuos, artuum dolores, sanguis detrahitur. Post quas evacuationes, ad appetitum acuendum, ad sanguinem evehendum, & menses ciendos, (quem mihi scopum hæc in re palmarium proposui) *Martis Nutriti*, *ἑρ.* cum vehiculo convenienti, bis die, deglutiit: Et omni mane aquarum ferratarum, *Totonesii* in suburbiis, *℥iij.* exhaustit; cum Sp. vol. Oleosæ (ad *Διέπρω*, & calorem augendum,) guttis circiter triginta. Hæc methodo menses per plurimos, interposito subinde lenienti, observatâ; Dolor iste rheumaticus, (sic habebatur,) & teneritudo primùm mitigantur; demum in totum ferè devincuntur. Viget appetitus & digestio. Aliqua sunt catamenia. Facies colorata fit & vivida. Scintillant oculi. Salus ex omni parte perfectior & integrior; nisi quòd Tumoribus

albis,

albis, mollibus, teneris, & (ab iis) *Δυσουνοσία* Juncturæ Artuum infestentur. Quæ quidem accidentia tempestate pluviâ plus solito sævière.

A Rheumatismi (sic perperam dicti) exitu, triennio vix elapso, Tumores indurescunt, & nodi fiunt Tofacei, tum numero plures, tum magnitudine conspicuâ; sed, & diversâ, & longè dissimili: Alii namque Granum triticeum; alii pisum; alii nucem æquant, avellanam, Digitorum articulos, eorumque regiones tumefaciunt; in articulis, permanentes; sed in eorum interstitiis, evanidi, inconstantes. Erat dextri summitatis Cubiti cæteris major; Nuci juglandi par; initio mollis; sensim exinde lapidescens. Juxta cubitum sinistrum, tumor albus eo tempore digito cedens, in Tofum abiturus. Adhuc pruriunt Artus, & quidem molestissimè; & emittunt pustulas. Per biennium ista Podagræ tulit symptomata, sed lenis, sed benignæ; neque toto hoc tempore, vel semel unquam, in paroxysmum evectæ. Ab ejus ortu, ventriculo, & iis quæ sunt intus, benè; ob illam artus aggredientem, procul dubio melius. Menses, per univèrsam hoc biennium, mediocres.

Anno incipiente 1700. præter ista, quæ memoravi, *Arthritidos* symptomata, de ventriculi (præsertim à Pastu) dolore, inflatione, aliisque *Δυσουνοσία* indicibus, porrò quiritatur. Ut Therapiam, tum ad ista præsentem, tum prophylacticam, instituerem; auctor eram (*ἀνω γὰρ κατω* sæpius præmissâ catharsi, & primis viis uti pariterat exoneratis,) ut, per quatuor menses, omni mane, sextam inter & octavam, aquarum ferrat. ℥ij. (quarum ℥β. foliis *Theæ* alteranda) ebibat. Decima

sequenti, Haustum infusi, *℞. Summit. Trifol. palustris: Pug. ij. Aq. Pluviæ bullientis ℥β. Infunde ad Amaritiem sufficientem: Colaturæ Coch. v. adde sp. Junip. ʒj. Tinct. Aurant. gtt. x. f. Haustus.*

Quartâ pomerid. Bolum, è Cons. Trifol. palustr. Flav. Aurant. ana ℥j. Millep. pp. ℥β. Chal. Nutritigr. v. Syr. Caryop. q. s. cum leni Cathartico subinde repetèdo. Interdictâ, per totum hunc Decursum, Cerevisiâ, Potui dabatur Ordinario Decoctum. ℞. Rad. Chinæ, Sarsæ ana ʒiʒ. coq. in Aq. font. Ferratæ ℥iiij. ad ij. Colaturæ adde spiritus Juniperi, cum sacchari Crystallini, q. s. f. Decoctum.

Vescebatur *εὐπαρεῖς, εὐχόμοι, & Sanguinem temperantibus, summitatibus scil. Beccabungæ, Nasturtii Aquaticis, & Hortensis, Urticæ; Rapa, Batatâ; Piso, Pastinaca, unâ cum Agninâ, Pullinâ, Vitulinâ, & istiusmodi aliis.*

Harum rerum observantiâ diligentem, sedulâque corpus Ægræ *εὐλαχέσταται*. Nodi partim minuuntur, partim evanescent. Pruritus cessat. Tolluntur pustulæ: Augetur appetitus; Coctio perficitur: Sanguis, expulso per renes, uterumque inimico, fermentationem, & *Πνεύματων* acquirit Naturalem; quam A monstravit *εὐχόμοι, εὐσαγρία*. Quod auspiciatissimum judicavi, rectè postea fluxère Catamenia; & quò rectius, eò certius fugatur, cum satellitio suo, *Arthritis*. Ut, neque Pustulæ, neque pruritus, neque tumor, neque dolor, jam per annos per plures, ex eo tempore, revertèrenur. Quod quidem indubitandum, optimæque fidei, Argumentum; Per Emmenagogâ &c. posse hujusmodi *Arthritidem*, etiamsi Nodosam, & Hereditariam, auferri depellique.

CA. P. IV.
De Arthritide Hydropi super-

ART. I. **A**D alteram illam è Symptomaticis minùs propriis, ex recensione principio dicta, properamus; nempe, ad *Hydropis ἐπιένυια*: eoque libentiùs, quia crebro hoc occurrit, & uti spero, in hujusce populi commodum & tutelam explicetur.

Quod *Arthritidi* succrescat *Hydrops*, & facile perceptu, & ordini, quem in hominibus è medio tollendis, servare solet natura, maximè consentaneum est: At, è contrario, quod *Hydropi Arthritidis*, etiamsi aliquando accidit; tamen, naturæ methodo quasi inversa factum, inter ejus *Δυσνόητα* non iniquè censeatur.

II. Ut de re tam utili, tam jucundâ, tam explicatu dignâ, pro ejus dignitate, quantum potero, dicam, luculenter; advertere oportebit, Quod ab Hepate, aut Viscerum aliquo nobiliori, sive Scirrho, sive aliâ quâvis indomitâ Labe, vitiato, quicumque fit *Hydropicus*, rarò is *Ποδαγρία*: & quò nobiliori, eò rariùs. Hoc enim in casu, sic in pejus ire solent omnia; sic corruiere; ut, si qua olim emicuit *Arthritidis*, à morbo graviore, & magis imperioso: (totas *Ægri* vires totum hominem exercente & fatigante,) ei plerumque officiat, tanquam majoris morbi auctoritate victæ, & Paroxysmum rarò unquam rectè facere contin-

gat: Verùm, in corpore taliter affecto corruptoque rarissimè omnium exoritur, & nascitur *Arthritidis*.

III. Sin ea fuerit *Hydropis* ratio, quod, salvis visceribus, aut parum læsis, ab unâ partium sanguinis *ἀμερπία*, & malo ejus habitu, (ad viscera contaminanda, quantumvis apto, & proclivi) ducat originem; ex eo, præsertim medicato, exoriri posse *Arthritidem*, iterum & sæpius observari.

III. In eo sanando, sive *Anasarca*, sive *Ascites* sit, cum Aquæ quod abundat jam priùs emissum est, amaris & Chalybeatis, tum ad corrigendum sanguinem eumque roborandum, tum Mehercule imprimis ad eximendam *Ἀνοπεζία* *Hydropi* familiarem, ex usu medico, insistimus. Quæ quidem medicamenta in exaltando sanguine tanti sunt momenti, tantarum virium; ut, si *Æger* nec ætate neque morbis fuerit debilitatus, idemque seminium habeat in sanguine *Arthriticum*, exulante eo & in Articulamenta misso, ex *Hydrope* in *Arthritidem* per sæpe recta progrediatur.

Imò quidem ita fieri potest, & aliquoties evenisse novi, ut, ubi consistent Vires, & *Arthriticum* Miasma in Sanguine copiosum, efficax, & jam ad *ἀρμιν* evectum, insit, absolutis quæ ad *Hydropa* exsiccandum opus erant, Evacuationibus, & salvis Naturæ viribus, sine dictorum, vel istiusmodi, Alterantium usurpatione, *Podagrâ* quidam afficiantur.

IV. Utcunque fuerit, Natura (sive per se, sive Medicamētis adjuncta,) novos in operandi modos; novam Ambitionem Spiritus, qui in Oeconomiam Animalis tuendâ sustinendâque indefinen-

ter occupati, omnem absolvunt operam, totum opus perficiunt, mala vitæ ratione dudum oppressi, & Sero ferè submersi, *Chalybis*, cæteraque *Alterantium* vi suo tempore (hoc est, remotis impedimentis) exhibitâ, tandem incitati, emergunt denique *Αἰμάτων* promovent genuinam; Appetitum, & Coctionem emendant, Materiam è Sanguine pellunt alienam; itaque eum instaurant, depurgant, & longè reddunt Vegetiorem.

V. Dum in his versantur, si seminium intus latuerit *Arthriticum*, (diu verò, & silentio, latuisse, sæpenu-merò comperimus, nec in paroxysmum evehi,) ad illud amoliendum, expellendumque iisdem hi urgentur Medicamentis. Hinc in sanguine primùm discordia; tum, eâ paulatim gliscente, (ut in veneno, si quod demissum fuerit, eliminando,) Orgasmus, supra Naturæ modum, (qui lenis usque & placidus esse solet) supra tenorem ordinarium, vehemens, & cum Impetu. Ad exturbandum inimicum, summis undique viribus & copiis, omni industriâ, contenditur. Hic Labor, hoc opus. Post aliquot dierum Luctam (est ubi citiùs) iste fugatus, & loco cedens, quâ data porta viam capeffit; Articulum aliquem externû petit; Dolorem, aliaque profert, *Arthritici* quæ sunt Paroxyfmi signa *Παροξνωμονικα*.

VI. Bono quidem Omine, in conspectum venit hujusmodi *Arthritis*. Est, quòd ovans exclames, *Arthritice!*

Χαίροις, Μακάρων πολυπραοτάτη.

Morbum enim vix ausim appellare. Descendens Coelo, Te salutat, Diva

Arthritis: (Feret hæc *Latinitas*.) Tum Annos elargitur, tum valetudinem; si non integram, & omnibus numeris beatam, certè desiderabilem; & Medentium, & Dolentium Encomiis celebratam: Divinam Hospitem, fac, gratè accipias; fac, colas.

Ita Natura, priori Sanguinis *δυσραγία* ferrè obruta, *Hydropis* edit Symptomata; at Brachia secundo agitans, & sese colligens, aliam rerum faciem, aliam inducit Symptomatum cater-
vam; atque adeò *Arthritidem*.

VII. Ex prædictis sequitur, quàm nulla hic loci necessaria, quæ adversus hanc *Arthritidem* (speciosè, scilicet!) cudatur, Therapia. Quorsum enim ad tollendum morbum Medicina, cum ipse morbus sanat; Utriusque Pharmaciae Armamentario præferendus; *Chymicorum*, & *Galenicorum*, Copiis; Universæ Gentis Medicæ Consilio major; Viribus potentior.

Si rectè rem putemus, in eo potius sudandum est, ut *Arthritis* ista non tam obtundi possit, quàm ordinari & augeri; utque Æger, Morbo Primario feliciter & prosperè commutato, nutriat *Arthritidem*, foveat, tueatur, servet.

VIII. In hunc finem è Regno Vegetabili selignantur *Amaræ*, & *Antiscorbutica* acriora, *Radices* scil. *Gentianæ*, *Zedoariæ*, *Serpentariæ* *Virg. Contrayervæ*, *Ari*, *Armoraciæ* &c. *Summitates* *Agri-
monia*, *Centaurii min.* *Trifolii fibrini*, *Cardui ben.* *Absinthii* utriusque, *Salviæ tenuifol.* *Verbenæ*, *Chamædryos*, *Scordii*, *Marrubii albi*, *Matricariæ*, *Cochleariæ* &c. *Flores* *Salviæ*, *Chamæmelis* &c. *Semina* *Cochleariæ*, *Cardui*, *Sinapios* &c. *È Regno Minerali*, (quod instar omnium

erit.) Ferri Præparata; præcipuè Mars cum Sulfure præp. Martis Alcohol, sive Pulvis subtilissimus; ejusque Tinctura. Quæ quidem Singularia, cum eorum similibus, sunt in hisce Auxiliis; & Forma convenienti Composita, & quantitate & Methodo rectis exhibita, summo erunt Præsidio, Tutelæ optimæ. En! brevem Curationis Scenographiam.

IX. Sumat Æger, (Hydrope, Medicinâ propriâ, & peculiari, prius sublato) omni mane, Canarini Simplicis, vel Rhenano, si usus fuerit, diluti, Rad. Gentianæ, summit. Agrimonie, Centaurii min. Cort. ext. Aurant. alterati, coch. vj. cum Tinct. Martis gtt. xx. & (si videbitur) sp. vol. oleos. gtt. xx. Quartâ pom. Bolum, è Pul. Rad. Ari C. Cons. Fol. Abs. R. (vel Flor. Salviæ) ana ℥j. Alcohol Martis ℔℔. cū Syr. Garyoph. q. s. Horâ decumbendi, Pul. serp. V. & Zedoariæ, (vel Contrayervæ) ana ℔℔. cum Syr. Abs. Simp. q. s. ut f. Pilulæ Bolo, & Pilulis, superbibat Julapii Coch. quatuor, vel quinque.

℞. Aq. Cardui, Gent. Comp. Cin. hordeat. ana ℥v. Abs. Comp. ℥j. Marg. pp. ℔℔. sacch. q. s. f. Julapium.

Quibus insistat, menses binos, vel etiam ternos; cum Purgatione, Septimo, vel Decimo, quoque Die intercalanda: Eaque prout opus fuerit, exinde repetat.

Ad Nauseas & Ægri tudines subitas, quibus Ventriculi Vitiis, istiusmodi Homines, præcipuè Poculis si indulgent, non minùs quàm à Conceptione Mulieres, affliguntur; quoties pernecessum erit, Canarini Zedoariâ medicati Momentum: quod nempe Viribus suis reficiat Ventriculum, & focillet; quantitate verò nimia non exurat.

Cerevisia Rad. Armoraciæ; Summit. Trifolii fibrini, Marrubii albi, vel Salviæ tenuifol. siccata. Seminibus Cochleariæ, vel Sinapios, Infusis, alterata, in Potum ordinarium ministratur.

X. Quin etiam, licet Abdominis Lacus, Tibiarum Tumor existiterit omninò nullus; ad Hydropa, quasi Furcâ, propellendum, Artis erit, in Corporibus ei recipiendo pronis, Vere & Autumno præcipuè, bis terve, Alvo, debitis ex intervallis, Aquam detrahere, itaque ne recrudescat Hydrops, efficere.

Porro, ad eundem Scopum oculum manumque dirigens, in eligendis, tum ad Arthritida invocandam, tum ad Intercalarium, Hydropa propulsandum, Medicamentis; quum, Arthritidem inferri, Spes & Consilium est; è re futurum arbitròr, Diasticum & Stimulans (quo in Paroxysmum Sanguis citetur) Leniori cuivis & mitiori, utut iterato, longè præponere. Quo circa Tincturæ Sacræ ℥ij. ad iij. aut Pil. è Duobus ℔j. ad ℔i. aut Aloës rosat. ℔i℔. Res. jal. gr. v. ad hoc Negotii præferre soleo.

Sed & de Liquidis Ægrum quàm maximè sollicitum esse conducet; abdicatâque, si quam antea complexus est, inutili libertate; neque plus, nec aliud bibat, quàm Coctioni, & Nutritioni, quod sufficiat. Quantitatem potûs diminutam compenset Generositate.

XI. Adhæc, in Ruinis sarcindis quoniam occupati sumus, nec ad propositum faciens vel minutulum quodvis, ex Prudentiâ Medicâ præteriti decet, e lecto mane, pro anni tempestate, quàm primo exurgat Æger; ut Motûs, ut aprici fructus & utilitates decerpât;

& in Prandium magis efuriat. Vesperi, maturè cubet; ut Spiritibus somno alendis repandisque sit Tempus opportunum.

Quin imò, dicta Medicamenta quò profint magis tum etiam alias ob causas, apprimè confert; ut Æger, bis die, sub Jove, Corpus exerceat, ad Calorem usque vel certè, quàm enixè vires ferent. Unde motus Sanguinis tum intestinus, tum Periodicus, intendatur; Humores effæti, & emeriti, amandentur; Spiritus Animales recreentur; Appetitus, ad vigorem pristinum & latratum naturalem, reducatur; & Oeconomix ratio usquequaque renoveatur.

Quæ quidem Res, à nobis eò lubentiùs in præceptis ponitur; quòd, ab *Hydrope*, seu potiùs ipsâ Morte, beneficio *Podagræ*, quos ego novi redemptos; Horum pars major, laboriosis illud exercitationibus aliquatenus acceptum retulère.

XII. Ab *Hydrope*, *Arthriticorum* quotquot dictam methodum meo hortatu ire, rectèque percurrere commini, nemo unquam miserè, nemo, (quantum intelligere possum,) calamitosè doluit. Deinde, quamvis alius liquidis, neque paucis, neque probatis indulgeret: Alius ad *Hydropa* maxime proclivis cerneretur; Nemo tamen horum, eo, jam per annos complures urgetur recidivo: Non pauci integrè satis, & alacriter egère: Aliqui verò sic, *Arthritida* si demas, ut rarò unquam meliùs. Quod quidem notatu dignissimum, *Arthritidi* potissimâ ex parte deberi, agnoscendum est.

Has ob causas, nullis certè Elogiis hanc *Arthritidem*, ejusque in accessu,

opportunitatem, in Paroxyfmis, Clementiam, in *Hydropicis* sublevandis, Perpetuitatem; in defendendis, constantiam; optima promerentem Encomia, dignè me, & uti par est, prosequi posse existimavero: Multiplici usu, variisque doctus experimentis, eam *Hydropicis*, præsertim Senioribus, esse summam, & securissimam spem, Columnen, & Tutelam.

Quanta verò adversus *Hydropem*, *Arthritidis* est potentia; tantæ profectò Medicinæ, quæ *Arthritidem* primò novam introducit; quæ postea tardam accessit; quæ denique segnem & languentem excitat (pace vestrà liceat dixisse) Vires & utilitates.

Si *Arthritidos* hujus Symptomata, perpeffu graviora, Medicinam postularerint, *Primigeniæ* Doctrina depri-mi potest.

H I S T. I.

De Arthritide, Hydropi probè curato, feliciter accedente.

Nobilis quidam apud *Damnonios*, à Nativitate obesus, nondum Annos assecutus viginti quinque, primum quieti plus solito indulfit (quod à Corpulentia fuisse credebatur:) Deinde sensim, levi quavis de causa, frigus contraxit: Tussi creberrimè gravatus est; Catarrhis subinde poene obruitur. Sub idem tempus Somnolentia, tristi & periculosâ, paulatim obrepente, tenebatur; ut Mensæ accumbens, vel cibi capiendi, vel Ludi, gratia; aut rebus quoquomodò arduis implicatus

brevi temporis Spatio, nec absque casus periculo, nutaret. Hisce circiter diebus, pedes late accepti, & deinde venter, retento intus sero, gradatim extumebat. Pedes impressionem Dignitatis facillimè accepere: Venter (quod ipse non sine quâdam admiratione sum expertus) Pugnum ferè dimidiatum. Hypogastrium occupavit externum aliena quædam Materia, Partes Cuticulares Tumore duro & inæquali, variato plus minùs purpureo, & postea Nigricante sic obducens, ut Gangrænam præ se ferre judicaretur: Porro Sitis, & Respirandi difficultas (ob ventris ὄγκου, & Diaphragmâ in Thoracem elatum,) impensissimè urgebat. Urina interim exigua, subrubra, turbida; Vultus Ægri demissus, pallidus; Vox humilis, tremula, languens. Ægrè tulerunt Familiæres, Virum, Ortu præclarum, Gentilitii Nominis Principem, Patriæ Decus, & Ornamentum, ipso Ætatis Flore, Morte tam inexpugnabili, tam immaturâ, surripi: Quod tamen in Fatis esse putabatur, & percrebuit.

Quum Pectore laboravit, & difficili Spiritu, *Tinct. Sulf. gtt. xij. ex Syr. Bals. Coch. j. deglutiit, simul Julapii eum Perlati Haustu.* Quo præsentissimo remedio, spirandi spatium & Anacatharsis multum & æqualiter augebantur. Contra Vitium Abdominis, atrox certè, & terrible *Decocto sequenti* Lænea, per Expertissimum Dominum *Jac. Jenkinson*, Chirurgum hujus Civitatis Ordinarium, immerguntur; & liquore expresso, calidissimè creberrimèque imponuntur.

℞. Summit. Abs. Rom. Menthæ, Cardui ben. Abrotani āā Mii. Bacc. Lauri vulg. sem. Fenic. dul. Carvi āā ʒj. Coque

in Cerevisiæ fort. lb. vi. ad iii; adde postea sp. vin. vulg. lb. j. Fotu isto tempestive adhibito, venter restituitur.

Ad *Hydropa* tum me, aliquantò post, accingo. Huic ut occurratur, quàm primum tutò fieri potuit, *Pil. Rudii ʒβ. Res. jal. gr. v. cum Bals. Per. q. s. mane deglutiit;* & ex voto quoniam pilulæ operabantur, ad vices octo vel decem à bidui vel tridui intervallo illas repetiit; eò nempe usque dum Sero, quod erat nimium, omne deturbatum est: eundem etiam in finem *Tinct. Diureticæ gtt. xxx. cum Vini albi Haustu,* bis die, Purgatione liber, assumpsit.

℞. Millep. sicc. & pul. ʒij. Cocci- nellæ Pul. & N. M. āā ʒi. sp. Juniperi, & Vol. Oleosi āā ʒi. Misce, & Vitro arctissimè clauso, Igne Arenæ, per noctem, digere; Mane per Emporeticam filtra Tincturam Diureticam.

Cerevisiam dedimus bibere Medicatam;

℞. Summit. Cochlear. Mss. Ras. Radiculae, sem. Sinapios āā ʒij. Coccin. N. M. āā ʒi. misce & infunde in Allæ mediocris lbij. pro potu ordinario, usûs tempore colandæ, & cum simplici Allâ temperandæ.

Absoluta hoc modo *Hydropis* Curatione, ad ejus Prophylaxin animum applicui, ea præcipiendo quæ sequuntur.

℞. Conf. Flor. Salviæ, Flaved. Aurant. āā ʒvi. Pul. Rad. Ari Comp. ʒβ. Salis Martis Riveriani ʒii. Syr. Garyoph. q. s. f. Elect. Dosis ʒi. bis die, cum Haustu Julapii. Non nunquam, ejus vice, Tinct. Martis gtt. xx. cum eodem vehiculo. Singulis autem diebus quartis quintisve ad sex vel octo vices, nè abundet Serum, Syrupò sequenti Catharsis iterata est.

℞. *Diagrid.* ℥vi. *Pul. Cinnam.* ℥ij. *Sp. Vini* ℥ij. *Ustulando coque ad dimidium; Colaturæ adde Sacchari Crystallini* ℥ss. f. *Syrupus.* *Dosis* ℥j.

Hicce diligenter usurpatis, non ita diu post Dolore primùm Convexi Pedis, tum vicini Calcis; postremò, digiti majoris Articulum majorem mordente, afficitur. De contusione, & ad Limen nescio quod illusione, (qui istiusmodi affectorum Mos est) initio questus, de *Podagra* tandem minimè dubitavit. Partim evacuantibus, partim Cardiacis, ad Paroxysmum effertur Miasma *Arthriticum*, quod ad eum usque diem in obscuro positum, nè hilum quidem micuit. Paucos aliquot dies duravit Paroxysmus; (ideò forsan pauciores, quòd Humorum Ano tanta vis ejiceretur;) omni Hyeme, & Autumno, jam per quadriennium elapsum, ad unam circiter Hebdomada, constantissimè Redux. Ad tollendam *Αρθριτιδα*, & Dolorem minuendum, *Friktione* utitur; manu molli, tenerimè peractâ; quâ solâ quies, & Somnus, illi conciliatur.

Ab istâ Medicinâ, vix concipi potest, quantum Ægro est emolumenti: Primùm, à *Catarrho* planè liberatur; tum à *Gangrænâ* (medius fidius) imminente; tum, ab *Hydrope*, & dirâ ejus Symptomatum Cohorte; tum, à *Somnolentiâ* pertinaci gravissimaque: Tum denique ad ea profliganda omninò omnia, inducitur *Arthritis*; felici quidem Omine, Auspicio saluberrimo. Nam, à primâ ejus accessione, *Catarrhus*, & *Somnolentia*, prorsus evanescere; *Hydrops* effugit.

Vere & Autumno, in majorem cautelam, septimo quoque die, ad tres vel quatuor vices, *Mannæ* ℥iij. *Aq. Alfor-*

densis (summit. *Abs.* Rom. parum alteratæ) ℥ij. solutas, hoscce per dies, ingerit. Medicinæ verò præterea nihil.

Corpus hodiè præcrassum, expedite movet: Equò identidem exercet. Ab hoc affectu, uxorem iterum tertioque gravidam fecit *Arthriticus*, & quidem nunc primùm, etsi jam pridem maritus. Unâ *Arthritide*, sed nec eâ gravi affectus, vitæ spem præbet tum multæ, tum incolumis: *Damnomium* vovet.

Hist. 2. De Arthritide, Asciti, ejusque Remediis auspiciatò agnatâ.

Vir quidam ætate constanti, cum, ex malâ vitæ ratione, ventriculus læderetur, coctio depravaretur, siti permolestâ inexplibilique, urinâ paucâ, & lixivâ, corripitur. Quibus supervenit tumor primùm Pedis infimi, & Cruris; deinde Femoris, & demum Abdominis; Serofus, & digito cedens, *Ascites* scil. exquisitus, omnibus numeris perfectus.

Ad affectum ancipitem, & ubi primùm me arcessivit, inveterascentem, quin & jam diu rationalem medicinam eludentem, extirpandum; quum imprimis necessarium erat, ut humores, in lacum confluentes, vel Catharsi, vel Diuresi, amandarentur; tum ut, appetitum quæ exacuant, coctionem instaurarent, sanguinem corroborarent, ea exhibendo, *Tumores* arcerentur, per *Vini Scillit.* ℥iij. *Per Extracti Eustach.* ℥ss. *Res. jal. gr. v.* (*Calom. gr. xvj. ad xx. alternis vicibus adjectis*) cum *Syr. Domestici q. s. ut f. Pil.* utriusque generis facta est *Purgatio*; & *Vespere*, post

utriusque Vices singulas, Purgatori benefici, *Quies*. Postea, quoniam Vires ex *εὐφροία* consensere, Pil. vice, *Bolum ex Elaterii gr. iij. Diacrid. ℥β. Conf. Viol. ℥β. Syr. Ros. solut. q. s. deglutiit. Diuretica* Chartulis seponuntur, & Al-læ mediocris, in Potum ordinarium modicâ quantitate detrahendæ, totidem ampullis infunduntur.

℞. *Baccar. Junip. Milleped. siccata. & Pul. Sem. Dauci, Pul. N. M. ana ℥β. Summit. Abs. R. ʒj. misce.*

Catharsi crebro, & donec aqua omnis educta est, diebus primùm alternis, deinde tertiis, quartive, repetitâ, ad alteram indicationem, ea quæ sequuntur, adhibeo.

℞. *Tinct. Myrrhæ (Liquore Nitri fixi prius solutæ; tum spiritu Vini rectificato extractæ,) ʒij. Pul. Gent. ʒij. Macera per noctem, mane f. expressio Tinct. Stomachicæ. Dosis gr. xx. cum Tinct. Martis totidem, & Vini Haustu, horis duabus medicinalibus Catharsi interpositis. Post Catharsin ut Digestivis sedulo insistamus, mane Tinct. Martis; Hora ante prandium, Canarinæ & Rhenani, paribus mensuris, Gentianâ alterat: Haustus. Quartâ pom. Bolus Chalybeatus, cum Jul. Haustu.*

Quibus continenter ad menses aliquot usurpatis, & ex intermissione quadam sæpius repetitis; *Eccoprotico* non nunquam intercalato; quin imò crebris sub Jove exercitationibus; Liquidorum item imminutâ quantitate, debitoque *Sex Non naturalium* usu, Æger Appetitu, & Coctione rectâ de novo potitur. Vires redintegrantur, cum bono corporis habitu, cum *εὐχροία καὶ εὐσπνία.*

Post *Hydropa* fugatum, en brevi *Arthritidem*; dolore, tumore, Pedum

articulos occupante, conspicuum. Æ-grum illa jam primùm adoritur: Post-hæc sæpius. Ructus sub accessum acidus, fidum usque symptoma, præcurrit, & de receptione monet.

Profecto minimè dubitandum, quin *Arthriticum* in hujus Ægri sanguine feminium, ante paroxysmum, ad tempus aliquod, delituisse; forsan etiam *Hydropi*, licet occultè, symbolum contulisset: Neque veri minis simile, quod à dictis alterantibus *Arthritis* excitetur, quodque ex eâ rectè se habente, Anni posthæc Ægro quàm plurimi, per eosque sanitas obviat.

Hoc etiam addam, (rei tam latæ in-faustum absit Omen) quod ex frigido Viri hujus temperamento, & in serum abituro, sequitur: cum demùm eum vires deficient, & ingruet senectus (εὐχρῆται μόνον) (quamvis *Hydrope* jam per annos plures sit immunis, nè denique succumbat illi, cavendum est. Sed, ut quam potest diutissimè se defendat, *Hydragogum* sæpius sumat, vitam agat temperatam, coctionem, ipsam utique salutis summam, tueatur religiosè, moneo & exhortor.

Demonstrat Historia, (cum præcedenti) posse *Arthritidem Hydropi* supervenire, posse istius remediis susci-tari.

Hist. 3. *Podagra Asciti, per Naturæ Vires, suborta.*

DOminus D. vivido & alacri Vir Ingenio, summæ spirituum ὄρμης, neque *Venerem*, neque *Bacchum* nimio plus abhorrens, ætate mediâ, siti immodicâ, urinæ exiguo, crurum & abdominis tumore, signis *Asciten* osten-

ostendentibus, afficitur. Ut affectu tam ancipiti se liberet quam celerissime, *Cathartica* & *Diuretica* præscribuntur: Donec humor nimius pertinaci illorum usu, exulat: Itaque fauste primis diebus Ægro succurritur.

Natura onere sublevata, sui que iterum arbitrii facta, Aëre aprico, equitatione crebrâ pernicique adjuta, rebus suis serio incumbit, & quidem bonis avibus. Brevi enim *Arthritis*: tum primùm eluxit: Quæ semel bis statis anni temporibus recurrens, sanguine quod alienum erat expellens, eundem purum & inquinamento liberum præstabat.

Huic ego (naturæ ut succurram, & opituler) commendavi *Chalybis* & *Amarorum Compositiones*. Utramque *Xerano* mistam, menses quotannis plurimos, sed interpolatos, & secundum varias anni *τρόπας* idoneos, usurpavit. Hinc avidius appetiit; perfectius coxit; rectius & commodius doluit.

Multos ille annos, gaudio & dolore variatos, ad usque senium, ætatem prolongavit; optimo fanè cum eventu *Arthriticus*; *Hydrope* per *Arthritidem*, adeò posthæc immunis, ut tametsi liquidis tenuioribus plus æquo indulserat, nihil hinc tumoris, nihil *Hydropici*, suboriretur.

Convincit Historia, (sublatis Impedimentis,) vel ipsius Naturæ viribus, *Arthritidem Hydropi* posse superaddi.

Hist. 4. De Hydrope, per Diuresin & Abstemiam victo; cum Arthritide, per Amara, & Chalybeata famulante.

Quidam, è Regione Sancti M. poculis & otio nimium indulgen-

do, vitiata Coctione, congesto *κακοχυσίας* gurgite degenerumque succorum Plenitudine, cum vix ætatis medium excesserat, *Hydrope* corripitur. Facies illi pallida, Spiritus difficilis, Sitis importuna, Urna parca & Lixivia, venter intentus. Ut Malo occurrat Medicus (certè Ingeniosissimus) & Laborantem sublevet; primùm, ab inutili libertate (nè quid gravius dicam) abstinere suadet, utpote morbi Fontem quod exsiccet, neque Potionem ultra vult, quam ut vitæ satis faciat, neque aliam quam *Diureticam*. *Cinerem idè Genistæ dedit, Potui cum Abs. Rom. summit. admiscendum*. Obtemperavit Æger, neque plus librâ, nec quidem interdum plus selibrâ, Nycthemeri Spatio, sorbillavit, per omnem abstinentiam, quam cum Congium quotidie exhausit, nihilo magis sitienter. Urinam hinc ubertim excrevit, aliquantò forsan uberius quòd indies equitavit: quod quidem exercitandi genus haud parum ad *Διέρεσιν* conferre, pervulgatum est. Serio factâ supervacui expulsionem, Digestivorum ope cæpit de novo esurire, concoquere, nutrir. Cibus, ita modicâ potione solutus, *ξύμωσιν καὶ μετεωρισμὸν* acquirit longè perfectiorem, quam immodicâ cum immergeretur. Brevi post Dolo-
ποδάγρια, deindeque sæpissime Natura (quæ semper *τὰ δρόντα ποιεῖ*) *Hydrope* liberata, & suarum rerum potita, *Arthriticum Miasma*, clam in sanguine detentum, amolitur; idque quoties se contumacius extollere, aut Cristam illud erigere conatur.

Quando mecum, de Salutis statu servando, sermonem habuit: Temperantiam ejus laudavi, morborum Vetricem, Expultricem optimam, San-

nitatis Obsidem fidelissimam; & illius usum, laudando, commendavi. Quò ventriculi servem *εὐωραζίαν*, nec non, in Senium vergente ægro, labascen-tem sustineam; Auctor sum, à *Prandio Canarini Haustum*, omnique mane *Infusi amari alterantis Coch. sex cum Tinct. M. gtt. xx. bibat.* Hæc & hujusmodi Methodo, multos ille annos vitam protraxit, *Ascitico* omni Tumore vacuam. Qui pedum erat exinde Tumor, brevi, semper *Arthriticus*, evanuit. Uni ille *Arthritidi* & abstinentiæ debuit, quòd senuerat; &, præter spem humanam, quòd valuerat.

C A P. V.

De Arthritide Melancholica.

ART. I. **E**Xpeditis *Æquivoci Ortus Symptomaticis* ad eas Species, quæ sunt *Univocæ*, quæque Materiam cum affectu Primario eandem, sed alio ritu operantem, alia *Φαινόμενα* edentem, præ se ferunt; id est, ipsam operis partem potissimam, accedo.

Harum è numero, primas obtinet *Melancholica*; quippe quæ, tametsi *Puram Arthritidem* eò usque æmuletur, quò ad *Symptomaticæ*, (*κλειωτάτως* sic dictæ,) rationem & partes sustinendas opus sit; tamen ei diffimillima est, & in Ellipfi suâ distat *Univocarum* omnium longissimè.

Ut verò rem occipiam, præter istam Animi *Depressionem*, quæ, genuinæ *Arthritidos* Symptoma, *Paroxysmos* ejus poenè omnes, & quò majores eò major, antecedit (alibi explicanda;) alia est, *Melancholiæ* Nomine insigni-

ta, quæ ad Menses, ad Annos, sæpè perducta, *Arthritidem*, Insultus rectè & creberrimè facientem, introducit.

II. *Melancholia*, quæ *Arthritidem* progignit, (de latius sumptâ dicere, in præsentì *αποσδιόνησον*) duobus pendet: Quorum Prius Spirituum Animalium à Natura debilitas & Teneritudo. Revera, Constitutio illorum delicata, ut Perceptione Homines & Acumine, ut Ingenio & Consilio præclaros reddit; sic *Ærumnis*, sic etiam morbis subicit. Ex eoque factum est, quòd aliàs levi de causâ in *ἀτάξιας* illi gravissimas adigantur; quòd aliàs Humilitates, & Depressiones patiantur afflictissimas; quòd diutiùs inordinati *Melancholicam* ostendant non rarò immedicabilem.

Ista verò illorum à Naturâ debilitas, sæpè Studiis impensioribus, otioso vitæ genere, & nimis sedentario, nonnunquam Morbis, *Inediâ*, *Vigiliâ*, & aliis ejusmodi sexcentis, augetur & intenditur. Atque hæc Spirituum Debilitas, *Melancholiæ* non ineptè *απονημὲν* audit.

Posterius, quicquid Spiritus per se infirmos (sive extra, sive iis intermissum) afficiendo, *Melancholiam* parit *αποκαταρκτηκῶς*.

Hujus autem ordinis sunt Humores pravi & vitiosi; Vermes; aliæque res permultæ, Primis Viis, Utero, hæc vel illâ Corporis Cavitate, collectæ, Animi Perturbationes, & in sex non Naturalibus Errata quàm plurima.

III. Hisce natus originibus, affectus iste (sive *Melancholia* dicatur, sive *Morbus Hypochondriacus*, sive *Hystericus*) aliquando *Arthritidem* imitari, & ejus ritu Pedibus, Manibus, *Ægrum* privare nititur. Hoc est, inimicum id,

ac alienum, quod antè, (in Fistulâ ple-
rumque Alimentariâ Spiritus urgendo)
Melancholiam peperit; Natura, novas
agendi Methodos, nova ineunte Con-
silia, in Articulos truditur, & *Arthri-
tida* producit *Symptomaticam*.

Esse verò hanc *Arthritida* puram
putam *Symptomaticam*, ipsâ *Melan-
choliæ* Causâ Contingente & Proximâ,
generatam, satis (ut opinor,) eò con-
stat, quòd illa quoties exoritur, & ad
gradum elevatur quantumcunque ratâ
hæc & perpétuâ proportione deduci-
tur. Quâ quidem re, ad exponendam
istius *Arthritidis* Naturam, eamque in
Symptomaticarum numero collocan-
dam, nihil poterit persuadere magis,
vel evincere luculentius.

IV. Interea verò temporis, non est
reticendum, quòd hæc *Arthritis*, præ
aliis suæ Tribus *Symptomatici*, ferè cle-
menter se gerit, & junctam habet cum
severitate lenitatem. Quòd *Melancho-
licorum* Sanguini, supra quam aliorum
δυσμετάβλητο; an eorum Spiritibus
segniter, & in materia separanda di-
mittendaque otiosè se gerentibus; cui-
cunque demum Causæ debeatur, de re
sic in aperto actâ, tenebris sic ob-
scuratâ, nullus ausim disceptare.

Sin *Melancholicos* indulgere Baccho
aut Veneri (quorum alterum usitatissi-
mum, alterum minimè novum) aut
etiam ad *Arthritidē* Hæreditariò pro-
pendere, contigerit; itaque habitos eâ
multum infestari, crudelius extorqueri:
Nihil inde Propositioni nostræ dero-
gabitur, neque ex eo vacillabit illius
Veritas. Cùm ista Morbi Acrimonia
Causis peregrinis adventitiisque oria-
tur, nec sit hujus quâ *Melancholici*.

V. Ex miti hujus *Symptomaticæ*, &
(uti solet esse) nimis leni Ingenio, fa-

Etum esse censeo, quòd eâ qui tenen-
tur, in antiquum statum redeuntēs,
Melancholiâ cùm citò recidivâ, tum
magnopere sævienti, creberrimè con-
flictantur. In ea videlicet delenda per-
imendaque, non multum facit *Arthri-
tis* tam ignava, tam languens, tam so-
cors vix sublevando Affectui prima-
rio, nedum auferendo, par.

Ut *Symptomaticæ* hujus Diagnofis
apertius intellecta planius exponatur,
de conditione pristina, de Morbis Æ-
gri veteribus exquirendum: Quæ per
se difficulter, ex hac indagine palam
& facillimè dignoscatur: e. g. si Æger
diu *Melancholiâ*, demum *Arthritide*,
laboraverit; & hac quo magis, eo re-
missius illâ, maximè, si hoc iterum
sæpiusque comparuerit; quin *Arthri-
tis* ista sit *Melancholica*, nihil (ut exi-
stimo) dubitandum.

VI. *Melancholiæ Essentialis*, sive
Delirii cum Tristitia, Metu, &c. in
Arthritidem migrantis, Therapia, non-
dum usu confirmata, (unicum enim
Morbi istius exemplum adhuc notavi,
idque imperfectum, & omne genus
Medicinam respuens) nobis hoc tem-
pore prætermittenda est. *Arthritide*,
Morbi *Hypochondriaci* sive *Hysterici*,
sobole, cùm Affectorum vis abundat,
ejus Curatio paucis explicanda.

In hujus *Symptomaticæ* Prophylaxi
(nam in Paroxyfimo ejus, ultra quatu-
veræ & genuinæ sanando, nihil habeo
quod dicam) maximè juvabit alienum
id ac inimicum, quod, in primis viis,
(antequam Sanguinem ingreditur,)
Morbi causa exstat *Hypochondriaci*,
sed è Sanguine expulsum, & Artic-
ulis suffusum, Paroxyfimu facit *Arthriti-
cum* amandare, dimovere, amoliri;
Tum, ejus Incremento, & Regermi-

nationi, obftare; pofteaque, depreffos Spiritus, Medicamentis ex propofito datis, directè allevare; languentes fufcitare, & erigere; itaque Morbo huic univerfo, (quà Primario, quà Secundario) fimul femelque occurrere.

Atque hunc in finem Impedimenta, fiqua fuerint in Coctionis *Επρασπιω* (nulla verò non effe maxime probabile eft,) primo quoque tempore, per Catharfin, (alteram, vel utramque) tollere; ad *εγρεπα* depurganda, aliquid Stomachicum (Pil. puta Stomach. cum G. Dec. Amarum Purgans, vel Aquas Purgantes) feligere; ad inimicum, in fanguine contentum, foras eliminandum, Aquas haurire Diureticas; cum iis, Alcohol Martis, femel bis die, deglutire; omni Hebdomadâ, Ventrem movere; menses binos, his infufere; ad annos aliquot, repetere; cavendo Alvi tarditatem, ex Marte, Febrim, & Arthritidis Paroxyfimum.

VII. Ut horum non nulla fufius edifferam; profectò tanti eft, in hoc Affectu, Ventrem (uti dixi) crebro movere: & ab *Ασπινας* reliquiis immunem præftare; ut, vel eo folo, (Aquis præcipuè Purgantibus, Tartaro Laxanti, & Mannâ peracto,) Arthriticum ex Melancholiâ non unum, egregiè faluti profpexiffe, noverim. Tempori proturbatur id, quod illico Spiritus, Ventriculi & Inteftinorum Fibras incolentes, adoriendo, mœrorem affert Hypochondriacum; vel, in Articulos effufum, Podagræ Paroxyfimum.

Cum primis autem prodeft hujusmodi Affectis ante dicta Solutio, quod blandè Alvum, quod leniter, quodque certiffimè, subducat; Iis, quà Melancholicis, quà Arthriticis, (neutro enim nomine, Fortiora, & *επρασπιω* convenient) aptiffimè.

Sed nec Aquarum Diureticarum vim (quales funt Bathonienses, Astropenses, Bamptonenses, aliæque permultæ) adverfus hunc Affectum, fatis prædicare valeo; vel, ut decet, laudem illis deferre. Coctionem illæ conciliant: Digestionem illæ confirmant: illæ fanguinem expurgant: Illæ Spiritus permulcent: Illæ Melancholicis & Hystericis, folatio: Illæ Arthriticis Incolumitati.

Quibus nulla fuppetit Diureticarum Copia, ufui fit Infufum Theæ, Aquâ Pluviâ comparatum, à *τββ*. ad j. bis die, potum. Nam per Renes fanguinem, modò diu fatis ufurpetur, eluit; &, ad Vapores (qui dicuntur) relevandos, ad Hypochondriacos Flatus fopios, confert mirificè.

Quæ per tot fecula Melancholicorum Medicina fuit, e chalybe præparata, ea quidem, ex Melancholiâ five Hypochondriaca five Hystericâ *ποδαγπιωσι*, potiori jure convenit: modo præmiſſa Catharſi, artiſcioſè ſelecta, & Doſi & Methodo rectis, adhibeatur. Spiritus enim Animales incitat, exaltatque; in Radios vibrat acutiſſimos, *εγρεπτικες*; tum etiam, Miasma Arthriticum, (modo exigua Doſi fuerit exhibitum) blandè ad *τα εζωδεν* emittit; &, in Partes internas neu relabatur; ſpiritus Animales neu obſcuret; tenebrasque iis offundat, efficaciffimè operatur.

Quibus autem nec Aquæ, nec in Forma ficca Ferrum, mederi poterit: Eos interdum adjuvat Decoctum Corticis, ſimplex vel (pro re nata) Chalybeatum. Roborat ventriculum; *εγρεπσιαν* infert; &, ad Spiritus ſtabiliendos (quod Hypochondriacis, & Hystericis, lucrum pergrande,) ſummarum virium & momenti eſt. Multum valet, hæc in parte, Simplex; propter id, quod

quod habet Cardiaci & Nervis propitium: multò verò magis armatū; medicamentum, si quod unquam, Πολύχρισον.

Sed nec omittendum, quòd aliquando Cerevisia, utut defæcata, tantas ventriculo parit Cruditates, in *Arthritidis* materiam postmodum abeuntes; ut, una hæc objectâ, & *Aqua fontana* cum Vini pauxillo; vel, e *Sarsâ, Chinâ, &c. Decocto*, vel *Infuso Theæ*, cum Lacte vaccino, in ejus locum suffecto; Ægris exinde melius successerit.

Hist. I. De Arthritide, Melancholiæ diuturnæ succrescenti.

CLarissimus T. erectiori Vir Ingenio, in Medicis Ævi Celeberrimis, (Antecessorem, hæc in Urbe, Compotem, & Sanum, utinam æquis passibus sequi daretur;) *Melancholia* sensim obrepente, ætatis flore, exiit de Potestate. In hujus morbi Genium, & Morem, ut diligenter anquirerem, & de eo Curia renuntiarem, Prænobilis *Eveshamii Magni Angliæ Cancellarii* (cui apud Nos, hujusmodi Affectorum, à Rege Cura est commissa) per Literas mandato, Dec. 18. 1697. laborantem visitavi.

Fuit Ille (liceat tanti Viri Memoriam, tamque Literati infortunio, paulisper immorari,) tum temporis Septuagenarius; Vultu constanti, & augusto; Capite orbiculato, neque, si Corpus spectemus aut Ingeniū, magno: Voce suavi, & canorâ; Gestu Corporis decoro.

Veterum Doctrinam, ut erat παλαιόφιλον excusserat; ad Medicinam conversus, eam de proprio ditaverat. Primus enim *Respirationis Usus Primariū* detexit; detectum, contra præclarum

impugnantem, pertinacissimè defendit; acutissimè vindicavit. Nemo unquam Medicus Illustrior, neu qui Arti plus tribuerat.

Non nullorum Vitia, me audiente, leviter & quidem argutè perstrinxit; at Viros Sapientiâ, Nobilitate, Virtute præcellentes dignè profecutus est. Clarissimi *Bigodi* Sagacitatem, & in Diagnosticis Peritiam; *Davei* lene, at solers Ingenium; *Dikei* Literas, & Acumen admirabile; Singularem *Entii*, nuper Adversarii, semper Amici, Humanitatem & Doctrinam, elegantem, variam, paratam; Nobilissimi *Courtenæi* (quanti verò, & quàm Magnifici Viri) cellum & sublimem Animum, Stemmati suo, quod est Regale, parem, multis laudibus efferebat. Sed omnium maximè *Cantabrigiam*, Almam Matrem, *Athenas* hujus Regni alteras, pie grateque, λ'σὸς ἰψ'σὸς, prædicavit. Quin &, agnovit Filium, Mater.

Hæc cum, à quoquam proferri, aliquis audiverit; Annon, eum, Animi summâ Rectitudine, Judicio acri, & perfecto, aliisque plurimis virtutibus, planè invidendis, insignitum existimaverit. Ita profectò fuit; jam alia Res est. Quæ protulimus: ea præbuerunt *Lucida* (sic appellantur) Intervalla; tum rara, tum brevia; densissimis Nubibus; & interdum Animi Concitationibus (tanquam Fulgure, & Tonitru) discreta. Audivimus *Ἀποράματα*, summo dignissima Philosopho, & quæ sunt iis maximè contraria, simul & semel coram dicentem. Piguit, doluit Eruitionis optimæ reconditissimæque Fragmenta, (tanquam *Sybillæ Folia*, vento agitata,) cum astrictis, numero soluta; cum Latinis, Græca; cum

Physicis, Ethica; cum veteribus Nova; cum Profanis, Sacra; misceri, perturbari, confundi. Nullibi Gentium tot tantarumque Disciplinarum Chaos. Dii vestram Fidem! Quàm pusilla res Homò, vel Literatus. Dudum ille Noster temporis Volumina præsentis præteritique, & in eo quæ sunt omnia; dudum ille Terram, Cælum, Sidera, vasta Universi Systemata, Spatia pæne infinita, animo est complexus; hodiè, ne sui quidem compos.

In Causis hujus Affectionis, primùm ponenda est, tanquam *προηγμενὴν*, ad eam à naturâ Diathesis, (quam utique perspiceret Physiognomon) & animus commoveri aptus. His adjici oportebit Cælibatum, sive nimiam Castitatem. Tum in Procatarteticis, Casus è Plaufro, Cranium, annis olim Puerilibus, læsum: (nudato Capite Cicatricem aperuit.) Deinde, studia nimium flagrantia: Post, *Decoctum Coffee*, plus satis potum. Ad extremum, Animi perturbationem, Spei frustrationem.

Causæ tantarum virium evidentes, antecedentem à Naturâ coeptam, in aliisque moribus adauctam irritantes, morbum peperere, per se magnum, sed tempore qui roboratus, medicinam respuere, Curationis Spem excludere, cerneretur.

Quod verò ad Rem nostram maximè pertinet, Digitorum Articulos ostentavit, tumefactos, inflammatos, *Chiragra*, multos annos, per intervalla, sed languenti, neque satis importunâ, tactos. Procul omni dubio, si plus *Articulis*, Capite minus ægrotasset. Fuit tamen, gravi & diuturnæ *Melancholice*, *Arthritidem* suboriri posse, quod abundè comprobaret.

Hist. 2. De Morione, Melancholiâ Hypochondriacâ, & Arthritide interempto.

Sunt qui Morbum *Hypochondriacum*, uti etiam *Arthritida*, Sapientiæ solùm Professores, Ingenii dotibus præcellentes, infestare, iisque, tanquam ad tanti muneris Temperamentum, sortitò dari confirmarunt. Eorum Opinione, *ἐπι τὸ πολὺ* probabilem, à perpetuâ veritate longè abhorrere, constat. Habet *Damnonia*, quod perpetuitatem perimit. Novi egomet haud ita pridem (attendite, Philosophi!) *Morionem*, multos annos Flatu, *βροβρορρομοίς*, aliisque *Melancholice* sexcentis *Hypochondriacæ* Symptomatis, demum etiam (Ætate propemodum affectâ) *Arthritide* conflictatum; adeoque graviter (ne de acrimoniâ quæstio sit,) ut ætate constanti diem obiret supremum, his Affectionibus interemptus.

Hist. 3. de Arthritide Hypochondriacâ, Purgantibus præoccupatâ.

Veteri quidam Amicitia mihi conjunctissimus, post homines natos maximè *Melancholicus*; Mali accessiones alias ab Animi Pathematis, alias à Cibo crassiori, & *δυσαισθησι*, vel Potu immoderato; hæc Carnis Æstu notabili, illas Algore; hæc Pulsu tum majori tum crebriori; illas raro & humili: Utrasque Spiritu mirâ Dejectione *Μίγχο-Ψυχία* non vulgari, Ejulatu miserabili signatas, habuit. Sub ingressum senectutis, *Arthritide* tentabatur;

eâ, quæ *Melancholiâ* perturbationibus procreata, ne semel quidem unquam excepit; alteram autem (id est, *Intemperantiæ Sobolem*) frequenter. Rarò cuivis unquam Mortalium fortunatius cessit dolere. Nubes illa supercilii dissipatur; Spiritus se expandunt; ut Materiam, in Primis viis congestam (*Hypochondriaci* Causam Mali continentem,) in Artus ejici liqueret. Ad eam initio præcidendam, & utrumque morbum antevertendum, *Aquis Purgantibus, Sale Cathartico, & Tartaro Laxanti* additis, Interanea purgavit. Usus Purgationis creberrimum suadebat Utilitas.

Quum, *Arthritidis* Cippo fortè detentum, ad diem statum iter conficere, voluit professio, partibus tumefactis, & dolentibus. Hirudines admovevi, sicque causam mali conjunctam evocari, jubeo. In re arctissimâ, summæque necessitatis, hoc artificii valuisse, certò certius est compertum.

Hist. 4. De Morbo Hypochondriaco, cum Arthritide agnatâ, Aquis Astropensibus subactò.

Nobilis quidam apud *Dobunos*, affectione *Hypochondriacâ*, Ventriculi inflatione permolestâ, cogitatione inquieta, spirituum tremore, confusione crebrâ, & ex illâ sudore, cum repentino, tum verò abundanti & profuso, diu afflictatus, ætate proventus, *Arthritide* correptus est, quàm in *Melancholicis* observari solet, sæviori, longèque immaniori; quippe *Parexymos Furæ & Genuinæ* *κατὰ λόγον*, quæ profuderit.

Cum eos secuta erat singulos, primis statim diebus, animi protenus fudum & serenum, *Hypochondriaci* affectus Intervallum; materiam ejus productricem, & primis Viis inhære solitam extrorsum pelli, omninò cogitandum erat.

Contra par Malorum *δύσφορον καὶ δύσκολον*, ut duos simul liniam parietes, nihil antiquius judicavi, quàm *Dyspepsian*, quæ utriusque fundamentum erat, pro meâ parte, corrigere; tum simul, alienum & factiosum id, quod *Arthritidis* causa est conjuncta, foras eliminare. Quocirca Alvo, (*Pil. de succino Crat. ℞j. Tart. Qu. ℞℞. Res. scam. gr. iv. & Aq. Astrop. ℞ij. horâ post ingestis,*) prius subductâ, iterumque septimo quoque die solutâ, Aquas haurit *Astropenses*, diebus otiosis, ad ℞iv. ad dies sexaginta.

Ut *πίσις* emendetur; dum *Martiatu* aliquid præcipio, (quod *Ægri* res volebat, non nolebant. Aquæ parum *Ferratæ*) spe decipior. Tanta *Ægro* sive *ιδιοσυμπρασία*, sive Spirituum Teneritudo, adque Minerale istud digerendum nescio, quæ impotentia; ut ex eo, tametsi modicâ quantitate sumpto, statim incidit in *Diarrhœam*, animi depressione, spirituum dejectione mirâ, stipatam.

Aquas autem *Astropenses*, blandas, præcellentes, benignas, tum *Hypochondriacis*, tum *Arthriticis*, & tenerrimis plerisque omnibus convenientes, omni æstate; (magnum ad beatam vitam præsidium nactus,) per annos quàm plurimos repetit; Earumque beneficio & tutelâ, senectutem (uti audio) lætam, & desiderabilem, adipiscitur.

Hist. 5. De Gonagrâ miti, Hysterica,
Chalybe &c. concitata.

PLacet, Arthritidem minutulam, & (uti videtur) Artificiofam, Memoriae committere. Mulier lectissima, cum primis delicata, fragili constitutione, patre orta Arthritico, nondum ætate media, bene habens, gravi diutinique Melancholia, spirituum insoliti Depressione affligitur. Horum omnium causa esse videbatur materia quædam mali moris, Ventriculum aggravans, & per Oesophagum Linguam omni mane feriens. His ut occurratur, purgato primùm hac illac corpore, Amara Chalybeata cum levi subinde Eccoprotico, per menses aliquot usurpavit. Ex horum usu Symptomata profliguntur ad unum omnia. Esurire, cibare, lætari, missis Tristitiâ & Metu in Mare Creticum. Genu tantummodo alterum, debilitate, & Dolorè acri pungente; sed tolerabili, continenter impeditum; ut è sellâ assurgendo, gradus scalares, vel acclive quodvis, ascendendo, vix fit. Erecta firmo stetit Talo. Mitissimus hic affectus erat, neque Rubore, neque Tumore insignitus, qui tamen id Arthriticum præ se tulit: Laneis partem affectam involvi jubeo; calidè vestiri: & Melancholia si recruderit, cum Amaris iterari Chalybeata. Morbi istius hasce reliquias percepit; hosce fructus, quod (Arthriticorum more) ex Paroxysmo vegetior, quod alacrior, evasit, & diu perseveravit.

Hist. 6. De Arthritide Hysterica.

Nobilis Matrona, molli & præter cæteras delicato habitu, Hysterica, blandè nimium Misericors) ut omnia ferè omnium Infortunia deplorens, & alieno Mærore mærens,) decies enixa, annis procedens, sine causâ ullâ evidenti, cæpit macrescere, & languere, potius quàm ægrotare. Hoc à familiaribus in Malis positum, in Lethalis alicujus Chronici Prognosticis: At in bonum, omni spe votoque majus, aliquantò post mutatur. Dolet, tumet, rubet Pedis Articulus ex Podagrâ. Corpus ortu per sanum, ab omni labe hæreditariâ, quantum inaudiverim, immune, tot partibus, aliasque expurgatum; taliter occupari, profectò demiratus sum. Mali verò causa tanto suffiamine major. Arthritidem boni esse ominis, & in Ægræ commodum cessuram, existima- vi. Hospitem gratè, & benignè, (suo more) accipiat, hortor: Calefaciat, vestiatur, &c. ut in Arthritide Primigeniâ.

Paroxysmi re absolutâ, ad ea, quæ tum Morbum Hystericum, tum Arthritida prævertant, speciatim ad Digestiva, propero: Præmissa (è Pil. Stomach. cum G. ʒb. Scam. pul. gr. viij. Ol. Cin. ch. gtt. j. El. Propr. q. s.) Lenienti; cui vespere, loco Narcotici, Ægræ admodum inimici (quippe Spiritus depri- mere, & nimio plus pessundare, sole- bat,) Bolus, è Pul. Cantian. ʒb. Conf. Anthûs ʒj. Syr. Melissoph. q. s. sufficitur cum Jul. Haustu Hysterici deglutiendus. Tum, ad roborandos alendosque spiri- tus; Decocti Corticis Martiati Hau- stum,

stum, horis duabus medicinalibus, in mensē usurpandum, & *Theæ Infusum* (quod, ad eos permulcendos, & vapores sopiendos, ex usu diuturno, commodissimum experta est; quodque sanguinem per renes expurgare aptum,) in dies singulos, præcepi. Partim Medicamentis, partim *Arthritide*, blandâ & perbeatâ, fideliter recurrente factum est; quod, per hęc dies sexagenaria, εὐχοῖτο, καὶ εὐλαπῖτο conspiciatur; ex *Arthritide*, jam vetusta, melior. Unos enim pedum tumores (an Arthriticos, an hydropicos?) hodiè moleste fert, cetera benè habens.

Hist. 7. De Arthritide Melancholicâ, cum Ventriculi, &c. Affectione, per Arthritidem levatâ.

Quidam mediæ Ætatis, ad *Iscæ* Ostium, *Melancholicus*, Ventriculi Distentione, Βασίλογισμῶσι aggravatus, Flatu emisso sublevatus, appetitum pronuper intercidi, Ventriculum mane moveri, & Biliosum ejicere, respirationem impediri, carnem absumi, conqueritur. Hisce postea supervenit dextri Coxendicis Dolor, qui ad Genu brevi se transfert, ibique tumori locum facit, pallido, frigido, seroso. Ab hoc tempore ventriculo, & iis quæ intus sunt, meliùs, imò *μυροψυχία*, quam miserabilem, & degenerem, Æger subierat, ab *Arthritidis* conspectu, minuitur. Eatenus *Melancholiæ* Sanatio *Arthritis*; eoque magis, quod supra quam in *Arthritide* frigidâ, supra quam in *Melancholicis*, solet fieri, extumescit.

Ego, Naturæ famulari contentus, & rerum ejus promovendarum satagens,

in *Arthritide* firmandâ, Medicos adhibeo conatus, quantos possum maximos. Primas ergo vias leniente subtraho; vesperi, post purgationem (quò Humor extrâ propellatur) *Bolum*, è *pul. Cant. Ther. Androm. & Syr. Pap. Errat. cum Haustu parum Diacodiato*, sumi præcipio. Dein, eodem, *Pul. Rad. Ari C. 3B. Alcohol Martis ʒß. cum Jul. Haustu*, bis die per mensē, cavendo alvum obduratâ. Panno *Wallico*, Aquâ *Reg. Hung. & Sp. Lavendulæ* consperso, vestiatur Pars affecta. *Cane pejus & angue*, vitentur *Repellentia*. Horum ope Remediorum, Æger auspicatò *Ποδαγρία*; Animo nempe alacri; sanis *Visceribus*, & ob *Podagram* tutioribus.

C A P. VI.

De Arthritide Fixa Scorbutica.

ART. I. **M**elancholicæ proxima est *Arthritis* ea, quæ *Scorbutum* excipit, sed longo proxima intervallo; quippe *Primigeniæ* similitudinem quæ multò plenius apertiusque referat, ad eamque multò propius accedat: Morbus certe, apud nos, Ingenio & natura valdè peculiari; quique evolvatur, & diligenter explicetur, aptissimus. Ut de illo dicam enucleate, & dilucide, de ipso *Scorbuto*, ex quo emanat, prius dicendum est.

De *Scorbuto* ea, quæ ab *Eugaleno*, aliis ejus fere affectis, deditâ operâ produntur literis, vel omnino prætermissam, vel leviter tangam: & illa potius (ex scripti hujus instituto) quæ nostræ ditionis sunt, & in hac regione mali istius in *Arthritida* Metamorphosin patefaciunt, studiosè persequar.

II. Anni sunt haud ita multi, cum apud *Damnonios* (quod, à seniores indigenis, iisque fide dignissimis, & in Medicinâ diu multumque exercitatis, accepi,) *Scorbutus* sic grassabatur, ut per illos artem qui *Exomæ* (nobiles sanè) Medici factitarunt, in hujus unius morbi curatione, quod præscriptis passim agitatis testatum fecerunt, non parum occuparentur; & grandiores hodie nihil æquè ac *Scorbutum* crepent: At diebus hisce nostris rariùs observatur hic affectus, & tantummodò *σποράδην*. Cujus quidem mutationis ratio, suo statim loco, declarabitur.

Sed nec qui nunc dierum est *Scorbutus*, illi qui vicinos *Belgas* (populares meos,) imbuunt, id est, genuino, & vulgari, per omnia consimilis invenitur. Cum agri *Somersetensis*, uliginosi magnam partem, & depressi, aërem crassum & humidum trahentes incolæ, maculis subnigris, ulceribus malignis, crurum dolore, respiratione difficili, lassitudine spontaneâ, nervorum debilitate, hydrope, Gangrænâ, & iiusmodi aliis, *Scorbuti* exquisiti signis, creberrimè divexantur: Quæ apud *Damnonium*, tractum inæqualem, siccum, optimè ventilatum, aëre subtiliori puriorique gaudentem, neque flagnis inquinatum, rarò videntur.

III. Qui verò *Damnoniorum* est *Scorbutus*, in imo ventre *βραδυπνευστιαν* habet, Præcordiorum Inflationes, Ructus: Oris vitia quam plurima, Gingivarum scil. Tumores spongiosos, sanguinem vel levi suctione, vel aliâ quavis facili de causâ emittentes; interdum etiam *Επέλιδα*; Dentes sæpenu-mero laxos, vacillantes, cariosos; & primores, ipsâ non nunquam adolescentiâ seu deciduos, seu exesos; sali-

vam acrem, fassam, pariterque copiosam; Anhelitus foetorem, (Putredinis indicium) ut rectissimè morbus iste *Στομακάκη* audiat: In cute maculas, sæpe rubicundas, interdum flammeas; parvas identidem, & rotundas, aliquando majores; papulas item densas, scabras, asperas, irritabiles, cum margine purpureo, catervatim, in cubito præsertim orientes; quæ ad eminentiam & contractum quandoque notabilem elatæ, & demum exiccatae, Squammulas emittunt, tenuës, subalbicantes, furfuraceas; quibus decidentibus locus appareret ruber & inflammatus. His adde pruritus, illi fidum eruptioni comitem, & partium affectarum Æstum, ab Unguinum vulnusculis impensissimè urgentem: Volas porrò aridas, æstuentes, duras sæpe etiam callosas, contra Diapnoen occlusas, nec ullo eam labore admittentes. Quibus adjici oportebit crurum tumorem admodum insignem, maximâ ex parte calidum, & acri sero exsudante prurientem.

Ista præcipuæ notæ sunt Indicia *Scorbuti* per hosce tractus hodie serpentis, & *Arthritidi* alludentis: Neque *Scorbuticum*, nisi tali ferè modo affectum, pedibus unquam hic loci dolere recolo: Ut calido unice *Scorbutico* (cujus ista signa sunt *Ανωτιμέα*) hâc in regione suppullulet *Arthritis*.

IV. Utrum hujus *Scorbuti*, scil. *Calidi*, sit ubique sui generis materia, sive innata, sive adventitia; quæ causæ continentis obeat negotium, & dicta pariat symptomata; sic, ut ex eâ solâ pendeat morbi hujus ratio & *Αιτιολογία*: An interdum modò hoc fiat, & in hâc affectione præcipuè malo alicui contagioso secundariâ: sed alias ea vitiosæ sanguinis

sanguinis ζῦμασι (quod Doctissimis quibusdam placere constat) ascribenda: Tametsi præstò sunt, momenti ponderisque haud exigui, quæ prius suadent Argumenta; cum in utramque partem disputari possit, nec id agatur hoc tempore; in medio relinquam.

Audacter autem, (ut opinor,) affirmare possum, non ab Cœli Solique sive siccitate, sive humiditate, sive aliâ qualicunque facultate, nec ab ullo in *Sex Non naturalibus* Errore, suos ignes, suas flammæ, *Scorbutum* hunc nostrum, proximè, & omninò omnes recipere; Verùm ab aliâ potius causâ, in obscuro positâ, paucis observatâ, & ab alio fonte, derivare.

V. Hoc ut innotescat, advertendum est, quòd, ante Centenos hosce Annos, (ex Esu Piscium, uti verisimile, nimio insulforum,) *Damnonio* Lepra quàm atrocissimè grassaretur, & in populum sæviret, forsân non minùs, quàm in *Judæâ* olim, Endemia.

Utrùm ob eam templum illud extrueretur, quòd, è veterum monumentis, optimâ fide Auctor, Nobilissimus *Caræus*, in *Cornubiâ perlustratâ*, tradidit, Anno Mundi 3172. à *Cunedago* ibi fuisse positum, & *Apollini* (Medicinæ Inventori & præsidi) sacratum, etsi ita esse non improbabile videatur; Res est Antiquitate nimio plùs obscurata, quàm de quâ decernam, aut disceptem absolutè.

Certò verò certius est, quòd ante Seculum Nosocomia, quibus ab integris secluderentur corrupti, tam hâc Nostrâ *Exoniâ*, quàm alibi per universam usquequaque *Damnoniam*, Incolarum Pietate condita, exstiterant quàm plurima: Quæ quidem eorum Fre-

quentia tum Morbi crebritatem, tum item Acrimoniam, abundè monstrat.

VI. *Lepra* ista, quæ, ut Clariss. denuntiat *Caræus*, circuli Seculi novissimè lapsi initia Populum miserrimè laceravit; dum ætas labitur, & dies diem docet; partim ex Salis communis usu, partim etiam Tabaci (quorum ille optimum, modicâ quantitate, receptissimumque Condimentum, Sanguinem tuetur, Putredinem arcet: Hoc autem, Vulgi Delicium, sive Ore masticatum, sive Tubo haustum, Salivam movet, putres evocat Humores,) cicurata, pertinax illud τὸ ἄγρον adeò deposuit; ut Seculo superiori circiter medio, in *Scorbutum* degenerasse, comperiretur, Antecessoribus Nostris facessentem Negotium.

Verùm, ex quo *Damnonii* Remediis prædictis *Pomaceum* addiderunt, & usitatè potarunt; Morbi istius Vis & Ferocia tam magnoperè subigitur; ut hodiè, quàm olim multò rarior, sicut etiam multò mitior, observetur: Ita nempe, contra *Scorbutum* mali Moris, contra inveteratum, *ferinum*, & in plerisque Hæreditarium; id est, crudelem, magnum, & difficilem, egregiè valuit Pomorum Succus.

Atque hujus ferè Generis & Prospiciæ est, qui his temporibus in *Damnonio Scorbutus* se exercet. Hinc illæ frequentes Papulæ; Cutis ille pruritus intolerabilis: Color ille flammeus; Fervor importunus; Exanthemata; Lichenes; Squammulæ; Veteris scilicet *Lepræ Reliquiæ*; Ignis nondum penitus extincti Scintillulæ.

VII. Prius verò, quàm de *Scorbuti* hujus in *Arthritida* Migratione & Excursione verba facere occepero; de ipsâ *Arthritide* pauca proponere, &, à

se ut discedat illa, notare, necessum habeo: prius, illa *Arthritidos* in *Vagam* & *Fixam* Distinctio recolenda, & Morbo præfenti accommodanda.

Arthritis Vaga Scorbutica, *Westphalorum* & *Gueldrorum* Morbus Endemius, qui tum Adolescentum, tum Adultorum Lumbos, Dorsum, Artus, vicissim occupare & multum infestare solita est; uti locum hoc in Tractu talis, qualis passim ab Auctoribus depingitur, quod unquam sciam, nullum acquisivit; ita nec hoc in Scripto requirit ullum.

Et quamvis aliquando *Scorbutus* iste noster, *Vagam* eam *Arthritidem*, quæ nobis observetur, æmulari videatur; tamen frequentius, & quidem præcipuè, *Fixam Arthritidem* imitari gestit; & quoties Corpus (vel à Naturâ, vel malis Moribus, & Vitæ ratione perperam ordinatâ) appositum, ad tempus aliquod afflixit, nono vel decimo plerumque Lustro, pedum (maximè) Articulos invadit; Dolorem infert; Tumorem, cum ardore, aliisque *Podagræ* calidioris Symptomatis. Ex intervallis paroxysmos iterat, Genuinæ instar; sique una demas *Scorbuti* indicia, *Genuina* existimetur.

VIII. Nec cui mirum illud existimandum, quando in utroque patet Affectu (tam nempe *Scorbuto*, quam *Arthritide*;) partes, primùm easdem obtinere Causas remotiores, (Victum, utputa, Salsum, & Crassum;) tum etiam *Δυσαιμοσίαν*; dein acre aliquid, aut saltem alienum in sanguine, eumque valdè inquinans; & corrumpens, tum habere *Scorbutum*, tum *Arthritida*. Postremò, Naturam utrobique gravè aliquid eliminare & expellere conari; hic, per Glandulas extremitatum Ar-

ticulares; unde Paroxysmus *Arthriticus*; illic, per Salivarias, & Cutis *Miliares*: Unde prædicta, & Cutis, & Oris Symptomata.

Scorbutum autem adeò (sive Causas, sive Materiam, sive ipsam Morbi Rationem, & Symptomata maximè fida & constantia, spectemus,) *Arthritidi* persimilem; eam etiam ἐν τῷ Παροξυσμῷ æmulari & referre, ut observatu facile, sic neque intellectu difficile.

IX. Mitiores autem Paroxysmos habet hæc *Arthritis*, (ut illius aliquam Diagnosin expromam) quàm vel Exquisita & Calida, vel Livi Secundaria, neque Dolore tam acerbo conjunctos: Lenitatem explet Diuturnitas.

Ut verò pressius dicam, hujus *Arthritidis* omnium maximè proprium est, quòd Affectus Primigenii non pauca Symptomata constanter retineat; ita, ut ex *Scorbuto Arthriticos*, Scabie, Maculis, Gingivarum Vitiis, renitente licet Medicinâ, & exeunte Paroxysmo, adhuc infici, (tametsi minùs fortè, quàm ante natam *Arthritidem*;) aspiciamus.

Hoc autem in iis potissimùm teneri arbitror, qui ex *Scorbuto* ceteri, confirmatoque *Ποδαγρίωσι*; nam, à recenti & evidenti Causâ suscitato, & ad dicta usque Symptomata evecto, qui laborant, (uti posthæc exemplo patefiet) iis non nunquam aliter obtingat; & durante *Arthritidis* paroxysmo, *Scorbuti* lateant istius Symptomata.

X. Quomodo verò *Calidus* unice *Scorbutus* (quod supra comprehensum est) *Arthritidi* gignendæ sufficere videatur; nec à Frigido vel semel ortam memoriâ tenuerim; huic respondet, quòd ea, Calido quæ suboritur *Arthritis*, semper reperitur *Calida*: τὸ Παρὰ τὸ Παιδίον.

Sed nec omittendum est, quòd, uti *Scorbutus* huic *Arthritidi* primarius, in eo potissimè versatur, ut inepti aliquid per Glandulas exterminet Cuticulares: & *Arthritis* ei Secundaria, per articulares; ita, tam huic, quàm illi, obsunt Repellentia; quippe quoniam Humoris ad *ἄριστον* amandationem relegationemque à Naturâ designatam, utilem profectò, caram, & Vitæ cum primis necessariam, derepentè interrumpunt, & internarum partium mala gravissima, sæpe ipsam Mortem inducunt.

XI. In paroxysmo, (quæ Medendi optima *Intentio*) Materia Articulis impacta, blandè foras elicienda; quem in finem extrinsecus imponatur Tumori lene quoddam attrahens; quale videlicet *Ceratum illud viride* ex quo fiunt *Petasothecæ*; vel *Brassicæ Folium*, fibris crassioribus purgatum, & ad mollitiem contusum. Tumori per noctem, (modò calidè, quod juvat, Artus involvantur laqueis) adhærere solet Vapor, per invisibilia foramina emissus, & in Rorem condensatus. Ab ejus usu dies aliquot producto, Doloris Sedatio tum fida, tum etiam tuta, subsequitur. Quæ quidem Artificiosa *Διαπνοή*, eâ forsan de causâ magis liberalis, quòd Materia per Habitum Corporis suâ naturâ pronior, & aptior sit, quæ expellatur.

Quin imò, per totum Paroxysmum magnoperè caveant Ægroti, ne Materia protenus eliminanda, retrò agatur: quòd ob eorum Sanguinem, (quòd verisimile,) vitiosum, & Contagio *Scorbutico* corruptum, rarò (uti liquet) his Hominibus, *Arthritide* detentis, impunis Error; sæpe etiam Lethalis.

Sin pravo Externorum Ufu, aliâve quâvis de Causâ, Materiam jam fugien-

tem, quasi clausis foribus repelli, vel sisti obtigerit; Ad fores quàm primùm aperiendas, eam & extrâ evocandam, aut in Balneum pedes calidissimum immergantur, aut Fotu imbuantur, aut Articulo dudum affecto, vel proximè illum, applicetur Epispasticum, vel Cucurbitula: Et, interea temporis, ut ab Interioribus extrudatur Humor *Arthriticus*, Cardiacum aliquid è *Pul. Cantian. Lapide Goano, theriacâ Andr. Elect. ex Ovo, vel Sp. C.C. Succinat. gtt. aliquot cum idoneo vehiculo*, Ægro stragulis cooperto detur, & prout opus fuerit, repetatur.

XII. Extra paroxysmum, Evacuantibus Materia peccans è Corpore *κατ' Ἐπιπέσειον* amandetur; Alterantibus corrigatur; Digestivis illius Augmentum & Regerminatio, inhibeatur. Hæc è diversis Classibus selecta, in Ordines, sive Series, ut Artis est, pro Ægri constitutione, Malique more, formari, pro Annique tempestate variari, oportebit.

Ad domandam Morbi hujus malitiam, magnopere valet *Mercurius*: cujus præparata mitiora, (id est, *Calomelas, & Mercurius Præcipitatus albus*) Causam ejus Continentem impetendo aggrediuntur, & per aliud aliudve excerniculum, pro ipsius quantitate, & ægri corpore vel ad purgationem, vel ptyalismum, ad *Διούρησιον*, vel *Διαφύρησιον* proclivi, eliminant exterminantque. Et tametsi hujus ea materiæ ferocia, quæ vel Ptyalismo laudabili diutinoque non ex toto ubique cedat, & sese submittat: (nam post diutinum, & ex omni parte laudabilem, non nunquam recrudescere hunc Affectum in propatulo est) ex hoc Remedio, alienum illud Acre, Morbi Materiam Continentem, quàm maximè obtundi; Sanguinem eximè purgari;

Morbum quam plurimum mitigari, constat. Quare in Ætas, Vires, cæteraque quæ sunt Ægri, annuerint, nihilque repugnauerit, Ptyalismum lenem, sed prolixum (ut Tempore Lenitudo expleatur) fieri suaderem.

Ubi ptyalismo, vel ex Ægri Moribus vel Animo, vel $\tau\acute{\iota}\varsigma \ \epsilon\kappa \ \epsilon\phi\prime\ \eta\mu\acute{\iota}\nu$, nihil loci super fuerit, sequentem Methodum ingredior. Vere & Autumno, (facta prius in plethoricis Venæ sectione) proderit, Per Calomel. serâ nocte. Pil. Eustach. & Res. Jal. mane seq. quinto, vel sexto quoque die ad tres vel quatuor vices: Vel, per Salem Catharticum, Manna, & Tartarum lax. Aq. hordeât. solutum diebus alternis tertiisve, ad sex vel octo vices, purgare. Neque Medicinam interturbet Articularis, si oriatur, Dolor; quin pertinaci potius Purgatione sæpiusque iterata vincatur.

Deinde Antiscorbutica, quæ dicuntur, cum Antiarthriticis maritata, usûs erunt eximii: Sumat Æger, omni mane, post dictam Purgationem, Infusum seq. Haustum.

\mathcal{R} . Summit. Trifol. fibrini siccat. pug. ij. Anthûs \mathcal{P} . j. infunde in Aquæ font. fervefactæ q. s. ad Alterationem modicam; Colaturæ \mathcal{Z} iij. adde Salis Martis gr. iij. Tinct. Aurant. gut. xx. Sp. Menthe Haustus.

Quarta pom. Pulverem, vel Pilulas deglutiat.

\mathcal{R} . Pul. Fol. Theæ siccat. \mathcal{D} . Salis M. gr. iij. Pul. N. M. gr. v. Sacch. albiss. gr. xv. f. Pul. vel cum Syr. Melissoph. Bolus: vel,

\mathcal{R} . Conf. Flor. Salviæ, Æthiops Min. ana \mathcal{D} j. Syr. Caryoph. q. s. f. Bolus.

\mathcal{R} . Cerusse Antim. \mathcal{D} j. cum Extr. Gent. f. Pil. vel,

\mathcal{R} . Pul. Zedoar. \mathcal{D} \mathcal{B} . Alcohol Martis

gr. viij. vel \mathcal{X} . cum Extr. Gent. f. Pil. Hisce singulis Vehiculum sit Julapii, vel Infusi, Haustus.

\mathcal{R} . Aq. Ulmarie, Pol. Ari, è Succis aâ \mathcal{Z} v. Sp. Juniperi \mathcal{Z} ij. Marg. pp. \mathcal{Z} \mathcal{B} . sacch. q. s. f. Jul. vel ex Summit. Salviæ tenui fol. & Aq. font. comparetur Infusum Sacch. dulcandum.

Quibus Alterantia prædicta minùs arrident, placeat profitque Succos Herbarum Martiatos, semel bis quotidie potare. Quod sequitur magnarum Virium est, & sæpè à Nobis usu probatum.

\mathcal{R} . Succi Cochleariæ Partem unam, duas vel tres (pro Ægri Constitutione plus minùs calidâ.) Succi Limon. \mathcal{P} . j. Misce, per Digestionem Clarifica: Dosis Cochojæcum Salis M. gr. iij. Sacch. q. s. ex idoneo Vehiculo, per Mensem, post debitam Evacuationem.

Horum Uui interponatur, septimo quoque die, vel Solutio Cathartica; vel Pil. Tart. Bontii, vel Stom. cum G. \mathcal{D} j. ad \mathcal{Z} \mathcal{B} . cam Scam. gr. aliquot & c.

Erit autem perutile, si, initio Æstatis, locum habeant Aq. Ferratæ Diureticæ; quibus, ad Itij. omni mane, inter sextam & oct. haustis, circa decimam Vinum aliquod Stomachicum; Amaris (si placet) alteratum; supponatur: Persistatque Æger: ad Hebdomadas sex, octo sive xx. iij. movendam,

Vel, ad Urinam domi movendam, itaque Sanguinem an Spurcitie vindicandum, valet Infusum Theæ ad \mathcal{D} j. omni mane, potum; unde leniter, idoneo liquore, per Renes, id quod alienum abluatur.

Pomaceum his Hominibus Sanguinem contemperat; sed periculum est, ne ab eo Arthritis augeatur: Si secus fuerit (tuto enim nonnullos eo pocu-

lenti genere gaudere certissimum est) in Potum ordinarium, præsertim Æstate, ministratur. Hyeme Cerevisia si extrudi respuerit, Rad. Oxylap. Milleped. Summit. Hed. ter. medicata esto.

XIII. Ut ad Symptomata transeam, obiter hîc notandum, quòd Crepitus Ossium, qui (ut alibi dicitur) Arthritidis hac in Regione Symptoma pervulgatum est, neque Scorbuto, (forasan ob Originem & Genium ejus peculiarem) neque Arthritidi Regionis hujus Scorbaticæ, quoad observavi, unquam accessit.

Quæ ad Oris Vitia, cæteraque Scorbuti, quo tempore Arthritidem mentitur, Accidentia spectant, cum non huc propriè referuntur, ex Auctoribus de Scorbuto passim in usum depromantur.

De uno Pedum Tumore, eo scil. qui Symptomati huic Arthritidi quòdam modo proprius esse videatur, verbum superaddam.

Cum Pedum Tumor, tum Scorbuto, tum Arthritidi familiaris sit; quòd Arthritidi Scorbaticæ succedat, minime mirandum: Certè Senioribus, crassis, & obesis, Scorbuto Veteri in falsam Arthritidem mutato laborantibus, sæpe licet notare Pedes & Crura, non solum tumesceri; verum etiam Cutis Rubore, Pruritu ferino: post Digitorum Vulnera quantumvis levia Colorem planè flammeo, nunc item Fluxu dierum aliquot Ichoroso, immane quantum affici. A scalpendo manus si ad tempus aliquòd Æger abstinuerit (abstinere verò perdifficile est) Cuticula suboritur paulo albidior, ardens, tenuis in Ulcuscula rursus ex Unguium Sulcis, confestim abitura. Qui hoc modo affliguntur etsi Paroxysmos graves, duros,

immites Arthriticos olim perpeffi sunt, Articulis his diebus & minus & rarius dolent; Materiâ scil. Arthritica partim in Cruribus depositâ, & Seri flagno dilutâ, partim per Glandulas Cutis Miliarex ἀσθλας exsudante. Eò sæpe usque ingravescit hoc Symptoma, ut aliquando rationem ἐπειγόντων sustineat; ut Dolorem, Prurimum, Ἀγρυπνίαν creando, Turbas Ægris & negotium quàm molestissimum faceffat; ideòque medicum enixè postulet auxilium.

XIV. Requirit Indicatio, ut, intolerabilis illa Humorum Acrimonia citissimè tutissimèque mitigetur. Hoc autem optimè fit Evacuationibus per Anum & Renes factis, tum etiam per Humorum Alterationem; Externè verò Balneo, Fotu illorum ferociam temperanti. Quorum omnium, ut & reliquorum huc pertinentium, unâ connexorum, quando Exemplum statim subjungam, Lectorem illuc (brevitatis studio) remittam. Hoc autem addo, quòd in celebrandâ Catharsi summâ utique Cautione, summo opus erit Consilio; ne forte, ἀπέχρωσι institutâ, Humoris ille Fluxus, & ad Articulamenta ποῦν, quæ ad istorum Hominum Vitam & Tutelam, omnino necessaria est, in eorum Incommodum, Ærumnam, Perniciem interpellatur.

Hist. I. Ab Arthritide Scorbaticâ, Ulcus malè tractatum; unde Visus Abolitio, deinde Abscessus, & demum Mors.

Agricola Devonensis, sexaginta circiter annorum, crassus, obesus,

Scorbuto Papulis in Capite & Manibus insignito, plus quinquennium inquinatus, contra Affectum pertinacem, & Medici, (quem Consultorem habuit) Doctissimi Præscripta eludentem, *Evacuantibus, Alterantibus; Mercurialibus, Antimoniatis;* è Regno Minerali, tum è Vegetabili quam plurimis à Nobis instruitur. Cum circa utrumque Æquinoctium, eandem medendi viam, usu diutino comprobata, iterum ac sæpius esset emensus; & jam, more usitato, Bolum *Mercurialem*, detracto prius Sanguine, demisisset; multus inde Sanguinis Orgasmus: Dejectiones haud paucæ, atque adeo copiosæ, Tumor, haud ita diu post in utroque Malleolo magnus, submollis cum Dolore, Rubore, Lævore, diu persistens, planè *Arthriticus*.

Ut Ægro prospiciam, quieti illum indulgere, *Materiae*, quam *Mediam* vocant, Diætâ uti: & ut, à *Farcturâ* & *Recrementis*, Ossium *Juncturas* vindicem, & defendam, *Tumoribus Epispastica* admoveri: Laqueis eos involvi; calidè vestiri jubeo. *Epispasticis* succedit *Ulcus* hic illic *Superficiarium*, ex *Ichoris Acrimoniâ* molestum, sed benè coloratum, expletu facile neque periculosum. Æquo ferat illud animo exhortor, quippe quod è re futurum, & licet Ægrum majori, si non interturbet ipse, remuneraturum.

Contra ille stomachari; de neglectis rebus suis deplorare: & citissimæ *Curationis* spe allectus, *Agyrtæ* nescio cui auscultare. Hic autem, protinus, medendi qua pollebat *Arte*, omisissis *Universalibus*, *Carne* *Ulcus* obduxit; *Cicatrice* textit. Hinc Æger

Capite, factâ *Materiae* in illud *Translatione*, subito percussus; *Visus* hinc *Imminutio*, & brevi *Abolitio*. *Congestis* aliquanto post *Humoribus*, in *Regione Lumbari* fit *Abscessus*, ex quo imperitè tractato, ulcerato, & *Partes vicinas* (ut accepi) *corrodente*, *Diem supremum* obiit *Misellus*.

Hist. 2. Scorbuti Calidioris Soboles Arthritis.

Quidam è *T.* Vir blandus, comis, Generosus, à *Victu* lauto dapsilique, dum esset *Juvenis Scorbuto* afficitur: Cui, ætate progrediente, accedit *Podagra*. Numeravit *Annos* quinquaginta, cum utroque gravatus me primùm consuluit. *Hujus* *Paroxysmum* habuit plerumque *anniversarium*; nisi si *Genio* nimium indulgendo, vel alio aliquo in *Sex non Naturalibus* errato, sæpius accerseret. *Illum* autem ostendebat *Gingivarum Tumor*, & *Papulæ*, *Cubitos* summoperè foedantes, cum *Prurigine* & *Apicibus* innumeris, acutis, confertim oriundis. *Materia* nunc *Ulcuscula* formavit, paulò post *siccata* in *Squamas* abire solita est *subalbicantes*; quæ ut *deciderunt*, *Locus* apparuit *Ruber*, à *fricando* statim *Flammeus*.

Ut utrique *Malo* pro virili parte occurrâ, tum ea, quæ *Materiam* aptè exprimant peccantem, tum quæ potenter alterent, adhibeo. *Principio Calomelane* (*Catharsi*, ne deorsum illud elabatur, prius peractâ) *Salivam* moveo: Eoque quoties *Saliva* parcior exigebat iterato, ad sex *Hebdomadas* *Ptyalismum* profero. Posteaque *Cinab.* & *Cerussæ Antimon.* ana *℞.* *Pul. Rad.*

Rad. Ari Comp. ℥j. Syr. Melissoph. q. s. ut f. Bolus horis tribus medicinalibus sumendus impero, cum Infusi seq. coch. ℞. Summit. Trifol. palud. v. Siccac. Mi. Aq. Lactis Alex. ℥ii. Sp. Junip. ℥iv. misce, & ad Alterationem idoneam infunde: Colaturæ adde Tinct. Aurant. ℥ij. f. Infusum. Perstet autem menses binos, interposito septimâ quâque die Eccoprotico. Efferam hanc Materiam ut ultra subigam Aquas æstate sequenti Diureticas hortatu nostro sesquimenssem haurit; cum Salis Martis & Nitri purificati præparatis, Quantitate, Vehiculis, & Methodo convenienti.

Hac Medendi Arte, Morbi materia, non parum mitigata, diu sanè conticet: cum verò, annis aliquot post, sævire iterum, *Opysian*, & de novo Tumultus inchoare cœperat; Consilio jam mutato (quoniam Pedes jam tuebant, vesperi præcipuè, Digitum admittentes, & Seniori & Compotatori Hydropa minitari videbantur; Tumores autem aliquâ ex parte Scorbuticos esse tum Inflammatio, tum etiam Maculæ comprobant) per Calom. & Pil. Eustach. aã ℥j. è duobus ℥℞. Purgationem instituo; & deinceps, alterâ vel tertiâ quâque post die, per Solutionem Catharticam: sicque vicissim repeto.

Hiscæ Medicamentorum ordinibus, non sine aliquâ Formularû mutatione, Vere & Autumno, sæpius renovatis; addito insuper, ad alterandam in Potum ordinariam Cerevisiam (è Rad. Oxylap. Sum. Trifol. palud. Sem. Bardan. Bacc. Junip. Flavæd. Aur.) Sacculo, & Martis Sale cum Cons. Trif. & c. repetito *Ægrum Arthritide Scorbutica* graviter oppressum (levibus subinde hujus Paroxysmis, veluti ad Salutis rem facientibus, ex industriâ provocatis) ad Sene-

ctutem, & quidem lætam perduxit.

Hist. 3. Morbus Articularis, Scorbuti Alumnus, cum Vomitu Biliofo, *Δυσπεψία*, & Volarum Ariditate.

Quinquaginta Vir annorum, gracilis, tener, acri & bilioso Sanguine donatus, Scorbuto, & ei supernatâ Arthritide diu conflictatus est, cum *Ανορεξία*, Nauseâ, Ventriculi Inflatione, Ructu sæpe acido, Vomitu frequenti & Cholericò, Capitis Dolore, & à Pastu Somnolentiâ, Cute aridâ, densâ, nec ad *Διαπρουν* idoneâ, Squamulis hic illic cætervatim obsitâ, in manuum volis durâ callosâque Pollicis pedis sinistri majorè, dextrique Brachii Articulum infestare solita est Arthritis; sed neque Tumore, neque dolore vehemènti; quin levi potius in tempus diutinum projecto, inæquali, & creberrimè interciso. Diuturnitate pensata Levitas. Paroxysmos omnium certissimè Pomaceum accersivit, idque vel parcè sumptum; sic, ut ex Poculo communi semel iterumque siccato Pes doleret. Plures ille Methodos, easq; probabiles, à Medicis Celeb. præscriptas expertus, hanc commodissimè, & idcirco sæpissimè, profecutus est.

In paroxysmo, *Brassicæ Folium* Tumori impositum acere Seru elicit, Dolorem mitigavit. Extra Paroxysmum, ad Prophylaxin, præmissâ per Aqq. *Alfordenses* (Alvum hæ subducunt) ter quaterve Catharsi, *Bathoniensium*, omni mane ℥ii. decimâ seq. Infusi amari *Alterantis* Haustum usurpavit: Quintâ pom. Bolum è Chal. nutrito, & c. deglutiit, superbibendo Julapii Perlati coch. aliquot; interponendo identidem lenè quoddam Emolliens; & Alteran-

tium usum ab Hebdomadas sex vel octo quotannis proferendo.

Hæc, inquam, Methodo anniversariâ, ad Artus, ad Ventriculum, præcipue ad Vomitum quod attinet, maxime levatus, à Malo tam Scorbutico, quam Arthritico, graviori, se jam multos annos immunem præstitit: hodieq; illam ad Senectutis principia perductus, non impune negligit. Usq; vero mansit ista, quam modo dixi, Volarum Ariditas, Callositas, ut opinor, usque mansura.

Hist. p. Scorbutico suborta, & ejus Eruptionibus adjuncta, Arthritis.

DUM in hisce versor, Fullo me appellat *Exoniensis*; Vir robustus, Athleticus, Ætate mediâ, Constitutione Sanguinea. Frontem illi, Tempora, atque Faciem promemodum omnem tædarunt, turpiter infecerunt. Pustulæ, sobrio certè & temperanti, (tanquam Ebrioso) magnæ rubicundæque cum intervallo Coccineo, Flammeo. Æstus & Pruritus erat universalis, maxime verò Partium oblesarum; noctu per Stragulas ingravescens. Turgebant Venæ, & Sanguinem plus solito *Ζυμώδης*, & ebullire, commonstrabant.

Hæc cum acceperam, Virus in Sanguine Scorbuticum efferri, & Coelo (quamvis instabant tum temporis Saturnalia mitissimo, & Effervescentiæ provehendæ apto) favente proscribi, sum opinatus: Neque enim alio de Affectu vel somniare erat. Sanguinem mitti jubeo, deinde Alvum molliori, alia deinceps suo quæque loco præcepturus. Sanguini Cremor impurus, Sebaceus in Cyathis quiescenti, post aliquod tempus innatavit. Ex Res. Jalapii, Ex-

tracto *Eustach.* deglutiantur Pil., quibus inanitur Alvus. A Cathartico, Sanguine commoto concitatoque Ægro tans *Ποσειδωνία*. Adeò nempe Naturæ perinde erat, Humorū Vitosorum *Δυναμεις ηγι Αιροτιτας*, per Articulos, atque per Cutim, exterminare; & tam levi de causâ, ad illam ab hac Evacuatione; discedit illa digrediturque. Cathartin, quam quidem amplius destinaveram, ad *ευκαίσιαν* prorogo; ne videlicet, nimium subtrahendo, intercideretur res Articularis, & prorsus abscindatur. Ad eam è diverso confirmandam augendamque lenem interdum Ambulationem, Cothurnos laneos, quibus in pedes Humor demittatur, invitetur, impero; Repellentibus interdico.

Extra paroxysmum, ad *Arthritidos* hujus puræ puta Scorbuticæ prophylaxin, ut Sanguis corrigatur, ea præcipio, quæ sequuntur.

R. Succis, e Nasturtii Aquat. Summitatibus expressi Partes iij. Succis Limonum p. j. per Digestionem fiat Clarificatio.

R. Cons. Fr. Cynosbat. ʒi. Salis Martis Riverian. gr. iij. Syr. de Corall. ʒ. q. s. f. Bolus.

R. Aq. Ulmarie, Melissæ, e Succis aâ ʒiij. Limac. Lumbr. Mag. aâ ʒij. Marg. pp. ʒʒ. Sacch. q. s. f. Julapium.

Præmissâ Venæsectione, & per Vinum & Oxymel. Scillit. Vomitione; perque Salem Cathart. Manna, & Tartarum lax. Jusculo Avenaceo solutum, Purgatione; & deinde septimo quoque die repetitâ; sumat, diebus otiosis, horis duabus medicinalibus, Bolum cum Jul. Haustu; bisque indies Succis Clarificati coch. l. cum Seri Lactis, vel Posseti Haustu, idque per mensem unum alterumque, cavendo Alvi Tarditatem.

Hist. 5. Pedum Tumor Scorbuticus, Arthriticus, cum Pruritu ferino.

Dominus E. Generosus, Agricola Devonienſis, ætatis flore, Scorbutico, & deinceps Arthritide, tentabatur: Illius Fluxu Dolores Arthricos ſenſim miteſcere, ſed & eodem tempore Pedes tumefcere, percepit. Ingruente Senectute, Corpulentus & Obefus, Pedem utrumque tumefactum moleſtè tulit. Cutis admodum diſtenta eſt, rubicunda, gravatè pruriens, poſt levem aliquam Digitorum injuriam Flammea, Ichorem falſum & acrem ad dies aliquot exudans. Ob Pedes æquo grandiores & extenſos Sollicitum, Hydroſis Timor cruciavit; ſed de Hydroſe tanquam inſtanti, aut præ foribus, (cùm Urinam ſatis copioſam, probeque coloratam excerni, neque Sitim intendi, ſed è contrario Appetitum à Tumoris initio magis latrare, deprehenderim) non eſſe quòd ſe tantopere afflictum haberet, pronuntiavi.

Quò auxilium adhiberem medicum, in eo laboravi, ut Humoris Acrimoniam, indefinenter acerbam, Evacuantibus Alterantibusque quàm celerime reprimerem. Hunc in ſcopum, rebus uſquequaque collineatis, conceptis hiſce verbis præcepi.

℞. Calom. quinquies ſub. gr. xv. Spec. Conf. de Hyacinth. Conf. Roſ. r. aã ℥j. Syr. de Symp. q. ſ. f. Bolus, ſerâ nocte ſumendus; mane ſeq. Pilulas è Rudii ℥℔. Reſ. Jal. gr. v. Ol. Junip. ch. gtr. j. Bals. Per. q. ſ. deglutiat, cum cuſtodiâ. Quarto vel quinto quoque die, ad quinque vel ſex vices, utrumque repetat.

Tom. II.

Diebus otioſis, horis duabus medicinalibus, Bolum è Cinnab. & Ceruſſæ Antim. aã ℥℔. Cort. Citreor. Cond. ℥j. Syr. Caryoph. q. ſ. Horâ ſomni Pil. ex Æthiopiſ Min. (cum Mercurii crudi, & Flor. Sulph. aã p. æ. ſine igne facti) ℥j. Syr. Meliſſoph. q. ſ. aſſumat, cum Jul. Hauſtu. Potui verò ſit Infuſum ſeq.

℞. Calcis vivæ Devonienſis, (id eſt, fortiffimæ) ℥℔. ſolve in Aq. pluviæ ℥xxiiij. ad xij. coquendo evaporatis. Poſt Clarificationem leniter detrahe liquorem; eique adde Rad. Sarsæ, Chinæ, L. Saffafr. raf. aã ℥iiij. Cort. ejuſdem, Baccar. Junip. aã ℥i℔. Milleped. ſicc. No. 200. Coccinell. ℥ij. Uvar. paſſar. exacin. ℥vj. Infunde clauſa, Balneo Arenæ, per noctem; Colaturæ adde Tinct. Aurant. ℥i℔. f. Infuſum, per ſe, vel cum exiguo Canarini, loco Cereviſiæ uſurpandum. Externè verò, Deſiccantibus Repellentibusque Cane pejoribus & Angue vitatis, Fotum adhiberi jubeo.

℞. Summit. Malvæ, Althææ, Lauri vulg. aã Mi. Flor. Chamom. Sambuci aã M℔. coque in aq. font. ℥iiij. ad ij. ſub finem adde Lactis Vaccin. ℥ij. Immergantur Lanea, Pedibus, quoties Pruritus inſtigaverit, applicanda. Utroque denique Brachio Fonticulus aperiat.

Hiſ obtemperando Æger multùm profecit; pruritus hunc ferinum mitigavit; ad diutinum tempus delevit; & quoties reverteretur, hiſce præſentiſſimis Auxiliis, perſugio, & præſidio Salutis certiffimo, creberrimè propulſavit.

C A P. VII.

De Arthritide Lue Venereæ succedenti.

A R T I C. I.

Q UOD immoderata Venus ad *Arthritidem* inclinet, eamque crebro introducat, ab antiquo positum est, ab omni Seculo decantatum; sic, ut in ejus *Προηγμεναις* haud injuriâ cumprimis habeatur. Similiter notandum, quod postremis his temporibus, cum Isti Luem (forfan ad Humanum Genus monendum deterrendumque) ad-jicere, Rerum Auctori, Rectori, placuit; ab Illâ utique in *Arthritida*, tam facilis Migratio, ut Ætate Nostra, quæ Luis Imperium longe lateque dilatavit, frequenti populo stabilivit, Tyrannida confirmavit, ab Affectu, quem resciverim, nullo, facilior quæquam aut usitator.

II. Istam rem inspicienti, & ejus Rationem perpendenti extra controversiam videtur, primum, quod hoc commune cum *Arthritide* (ut taceam alios Affectus) habeat *Paturisæ*; Nempe invictum † & *ἀνεπίδητοιον* το, Massam inquinans ac corrumpens Sanguineam, utriusque morbi causam esse proximam & Continentem: Deinde, quod *Paturisæ* etiam miasma, non minus quam *Arthriticum* illud, cum extollit se & ingravescit, è Sinu suo ejicere, & Sanguine expellere, Vim operamque det Natura: Ad hæc, quod Virus *Venericum*, è Sanguinis Flumine jam expulsû, solidisque

† Vide *Φυσικώτατον Listerum*, Colleg. Doctissimum, de *Lue Ven.*

partibus inhærens, non pauca faciat Symptomata, cum *Podagrâ Paturisæ* communia; Membranis scil. Dolores; Offibus Cariem, Cuti Ulcera: Unde denique conjectari licet, Istorum Affectuum Miasma simile, & alterum alteri tanquam germanum, existere. Eccui vero Novum videatur, quod, in Materia simili tractandâ ejiciendâque, Natura (quæ nihil temerè, nihil oscitanter, sed normâ & consilio semper agit) Evacuatione utatur simili, portâ eâdem, id est, Articulis?

Has ob Causas & hujusmodi alias, quæ est hodiè *Arthriticorum* pars haud exigua, ab *Lue* incipientes, ad *Arthritida* perducuntur; nec Grallatorem usquam Veterem, aut decrepitem quempiam, & admutilatum obtuemur *Arthriticum*, quin apud Vulgus Suspicio de infaultâ olim Militiâ confestum oriatur.

III. Nemo autem Hominum (quantum auribus, vel oculis, accepi) a recenti *Lue* & nuper contracta, natam unquam *Arthritidem* detexit; neque nasci posse facile concedam: Motu Sanguinis non minus intestino, quam periodico, cum Eo commisceri intinè; Corpusculorum Illius varie figuratorum Appulsu frequenti, mutari egregiè; atque ita tanquam maturari & evahi diutius Miasma *Venericum* prius oportebit, quam Articulis illidi, & ad *Podagram* inducendam impingi potuerit.

Hæc de causa raro Grandiores, & Ætate procedentes, (serius scil. quam *Primigenia*) invadit hæc *Arthritis*, id est, ex solâ *Lue* derivata; Juniores vix quidem, at nullo modo Adolescentes; quippe quibus evahendo Miasmatis nondum tempus sit idoneum.

IV. Sed è diverso, nec à Veteri *Paturâ*, terrâ, horridâ, Carie & Ulceribus spurcatâ, *Arthritidem* generari vel folere, vel etiam posse, cogitandum est: Id quod minimè ex Istius defectu, quin potius Naturæ, quæ debilitata, fracta, enervata, Hosti fugando, *Arthritidi* moliendæ, impar reperiatur.

Hiscæ mediæ generis *Paturâ*, *Arthritidos* Genitrix, Causam habet, Sanguini per minima insinuatam; ac quasi Municipem, potius quàm Hospitem; ob affectatas Res novas exulantem, & præfractè & cum Luctâ, licèt ex Naturæ Mandato, per Articulos abeuntem.

V. *Lui Venereæ* suâ Naturâ ad *Arthritidem* inclinanti & tendenti, Manus affert adjutrices, Calcar addit, Empiricorum Mos ille perniciosissimus; quo, in curanda Gonorrhœâ, Puris suppressioni properè nimis insistent. hi Ardeliones; neglectâ interim vel remissè factâ, quæ maximopere, quæ studiosissimè præmitti debuerat, Purgatione. Ita enim intus Hostis retentus, Sanguinem integrior, & fortior subintrat, partesque; primùm *Paturâ* agit Principes; demum ævo labente *Arthritidos* speciem præ se fert: Et ab hac istorum Περνεργία potissimùm, ex *Lue* tot ubique *Arthriticos* esse, jure merito suspicemur.

VI. Illis de *Affectu Primario* præmissis, de ipsius Ægri Corpore jam proximè dicendum est; quod utrum *Arthritidem* (secundariò) adsciverit, an secus, ex Illius ad Eam propensione pendet quàm plurimum: Quò major erga *Arthritidem* à Naturâ Corporis proclivitas, eò citius *Paturâ* in *Arthritidem* migrat; eò planius ab eâ (mendaci) absorbetur.

Porro intelligendum est, quòd etsi ista *Luis* in *Arthritidem* μεταβάσις sæpissimè sit in eodem Corpore, tamen non nunquam diversa completatur: Quum, à Mariti *Lue Arthritidis* in uxore per Concubitum accendatur, & Illam Iste incestet. Hujus rei, utut Nova credatur, Historias omninò luculentas & exceptione quâlibet majores, quando plures in Adversaria retulimus, unam itemque alteram huic Capiti subjicere non gravabor.

Nec quidem hanc *Arthritidem* improprie *Lui* secundariam, tametsi Corpus aliud exerceat, appellari posse existimo; quandoquidem ex *Lue* γνωστότως oriatur, illiusque Naturam, εἰδὲ καὶ ἴδιον, nihilo certe minus quàm si in eodem Corpore sit, participet. Neque magis novum aut peregrinum hoc habendum, quàm quòd, in Gnatos aut Alumnos, Oculorum *Epiphora*, seu quid aliud Morbi à Parentis aut Nutricis *Lue*, derivetur: quo quidem nihil magis in Vulgus notum, aut pervagatum.

VII. Qui hac *Arthritide* conflantur, sæpe macilentissimi sunt, tenues, Vultu quodammodo subsidenti, & ipsius præsertim margine, lurido; Oculis retractis, quodque eorum Album esse debuerat, interdum subluteo; Voce fulcâ, & cum Roncho edita: Verum non Naturæ, sed Morborum opera. Nimirum duram hi Homunciones Servitutem servière; primùm *Deæ Blandæ* obsecuti; deinde *Lue*, postremo *Arthritide*, laborantes.

VIII. Morbi hujus Dolores vagi & erratici (sive præcurrentes, sive Ejus Accessionibus interpositi) à Rheumatismi Doloribus eò distinguantur, quòd

quod Hi posteriores à Frigore tum ordiri, tum reverti, soleant; à Vagæ *Arthritidos*, ut & à *Rheumatismi* istis; quod Illi, Origine nati *Venereâ*, Nocturni magis sint: Deinde quod, Ipsius Paroxyfmi, hæc in *Arthritide*, Dolores, quàm aliâ quavis, *cæteris paribus*, (ob acriorem Caufam Continentem) atrociores sentiantur: Rarò enim videas immanius Vociferantes, quàm à *Patursâ* qui dolent Articulis. Hoc, inquam, *cæteris paribus*, quatenus ad Sanguinem, ad Animales Spiritus, & ea univerfa quibuscunque Doloris sumus plus minus patibiles, respiciamus. Quin etiam (præmisso, è *Primigeniâ* Doctrinâ, quod Dolor quò vehementior, eò Paroxyfmi Regularis brevior, eò plerumque rarior) nulla unquam *Arthritis* Paroxyfmos habet adeò acri Dolore stipatos, tam citò reverfuros, tam simul longum duraturos.

Hæ sunt hujusce Affectûs certæ quædam conditiones, in eo illustrando, signandoque Usûs & momenti haud exigui; quas si fides optima deficiat, neque semper illæ Morbum oculis ex voto subjiciant, quicquid in Diagnosti desideratum est, ex *Lue* præcurrenti & ejus Vestigiis percunctando adimplendum.

IX. Quousque se laudabiles ostentant paroxyfmi, suum habent commodum, suas utilitates; quàm autem primum interciduntur, aut multum illi remittuntur (ut in aliis *Arthritidos* speciebus (non hoc nihil periculi. Si intercisis hisce nulla fuerit eruptio cuticularis, nulla aurium suborta humiditas, nullum ulpiam ulcus, Hæmorrhagia nulla, Congestio nulla; sed è contrario, in muliebri sexu sistantur

etiam Menses, & Partus omnino cesset; Diis hoc iratis accidit. Portâ jam obturatâ omni, & oclusâ fugæ viâ, in caput transferri solet hoc casu materia *vocantur*, & vel Apoplexiam, vel motus convulsivos, Ægro ferè fatales, excitare. Cujus quidem Eventu, iterum & sæpius à nobis observati, mentionem idcirco feci; quòd ex eo Prognosticum haud inutile, tametsi mæstum, identidem eliciatur.

X. In hujus *Symptomatiæ* Paroxyfmo, ad Doloris impetus solito majores quodammodo sedandos, & ex aliquâ parte permulcendos, hypnotica dari prodest, pro rei necessitudine (cautè tamen, ne Illorum abusu materia Morbi Nervis impingatur) dimetienda. Reliqua, quæ ad paroxyfmi therapiam pertinent, ex aliquo fonte (*Primigeniâ* scil. *Arthritide*) ducta, ad hoc negotii facillimè accommodentur.

XI. Quæ verò pars curationis *Prophylaxin* habet, & in Accessionum Intervallis exercenda est, à *Lue Venereâ* mutuatur indicationem. Nam *Antisiphyl.* (cùm evacuantibus, tum Alterantibus) à miasmate, causâ morbi conjunctâ, Sanguis tuendus. Hæc loci è *Lignis*, ex *Antimonio*, è *Mercurio*, comparata, præ quàm aliâ quavis *Arthritide*, in series ac methodos artificiosè digesta, commodissimè proponantur: Certè *Mayernus*, (a) Experimentis & usu longè nobilissimus, *Mercurio* (penitissima corporis subeunte, instar *Viverræ*, jugulum Morborum petente, Fermento eorum adorto) *Arthritidem Veneream* certò curari, non

(a) In Prolegomenis ad Tractatum de *Lue Venereâ*.

dubitavit asserere. Si per Vires liceat, & nihil advesetur, Usus hic eximii Salivatio; quæ tametsi in Arthritide Primigeniâ & Ægroti & Medici votis sæpe excidat, in hac Arthritide Symptomatica, ab ipsa Luis ipsissima profuente Causa, magnarum esse virium, virtute singulari, æstimanda est. Quæ verò Salivæ optima movendæ ratio, quis modus obeundus; utrum Spissus ille, paucis aliquot Hebdomadis, sed jugi rivo, qui absolvitur; an potius Rarus, sed ad tempus diutinum qui excurrit; Utrum continuus, an intercisus eligendus, id, ex Ægri rebus omninò decernendum est.

De tempore Ptyalismum instituen- di maximè opportuno, ut Verbum addam, Æstas a nonnullis præfertur, eo forsàn nomine, quòd durante illa Sanguis (scilicet!) evehctus huic Ope- ri paratior habeatur; tum quòd a Fri- gore minus ea Tempestate periculi. Contra facit Spirituum Languor & Impotentia, Æstati propria, qua ad Ptyalismum inhabilis redditur Ægro- tans; & Media profecto Hyeme, qua firmiores sunt *opuantes*, & longe vege- tiores, quàm Æstate, qua fatiscunt, ex- peditius stadium hoc percurri constat. Ver autem ego malim, & hoc inci- piens; quo Æger per se ad hoc officii promptus, & tempore, ut ad Salivam protrahendam, sic ad vires exinde re- farciendas, diutino fortunatos.

Qui Sputum horret, Calomelana per Anum exturbari patiat. Dentur id- circò gr. ejus v. cum Astringentibus, bis die, per triduum, vel quatrimum. Post- ea Catharticum, quo Mercurius, cum prævis ab eo subactis & devictis Hu- moribus, expellatur. Huic autem mu- neri Catharticum, quod Ventrem leni-

ter, at certo, vacuet, Sanguinem minùs agitet (nè videlicet Arthritidis irriteretur) imprimis eligendum: Conducunt Aquæ Purgantes cum Manna haustæ, post Extracti seq. 3^o. ad 3j. horas an- te aliquot deglutitos.

℞. Agarici, Hermodact. Helleb. N. Epithymi, Turpeti, Mechoac. ana par- tes ij. Salis Tart. p. i. cum Spiritu Vi- ni Digerendo, Exprimendo; tum Scam- mon. pul. partem unam addendo; dein evaporando, f. Extractum. Repetenda verò hujusmodi purgatio, cum præ- misso Calom. quarto vel quinto quoque die, tantisper dum Materia vomit, vel tota profus expelli, vel evacuando enervari, jure merito credatur. Sin ex Ulceribus, & Saliva, Os affectare Mer- curium advertas; ad eum subtrahen- dum, veluti frequentius, sic etiam co- piofius, adhibenda Catharsis: Et qui- dem huic per Salivam, per Sedem, excrementis, optimè omnium perfe- ctissimoque Miasma hoc eliminari posse cogitandum est.

In Sanguinis Crasi redimendâ, & Veneno (si quòd intus delituerit) ci- curando, nusquam quidem non oportet Decoct. L. Sti. Sassafr. cum utrius- que Cortice, forte & efficax, pro An- ni tempestate, per Hebdomadas ali- quot, ne dicam Menses, assatim quo- tidie, post usum Mercurii, miscere.

Aquæ porro Diuretice, quales sunt Bathonienses, Bamptonenses, (Valentis- simum potentissimumque Sanguinis καθάρσιον) rectè diuque perpotæ, ad eluendam Morbi hujus Materiam non parum promittunt. Cujus quidem Rei amplam & luculentam Historiam, huic Capiti subjectam licet perle- gere.

XII. Quin etiam posthæc, ad majorem Cautelam, aut *Aquæ*, (si conveniat) omni æstate repetendæ, aut omni Vere, & Autumno per *Merc. d. & Aq. Purgantes*, primum purgare corpus; deinde, per *Alterantia* (qualia sunt *Cin. & Cerussa Antimonii, Æthiops Min. Panacæa Hartmanni*) Humores ejus corrigere juvabit. Imò quidem his, qui, vel Constitutione infirmiori, vel annosiores, Salivam, Ventrem, & Urinam, moveri respuunt, *Antisiphyl.* prædicta, cum *Lignis Decocta*, summi erunt adjumenti.

Hist. I. De Arthritide impurâ, Aquis Diureticis subacta.

FOemina quædam è *Brigantio* integerrima, Viro dissimili junctâ, post annos aliquot Dolores sensit, per Musculos & Membras exteriores fere omnes, erraticos, rodentes. Caro inter hæc tabescit; Vultus pallet; Vires enervantur. Currente mediâ ætate (id quod auspiciato incidit) sæpius enixa est. A quo desierat *ἐν τῷ αἵματι ἰχθυῖν*, *Rheumatismus* (quod dicitur) ingravescit; Doloribus nocturnis, iisque peracutis stipatus: Præter quos, externarum Partium Internodia lacescentes, per septimum & octavum ætatis Lustrum & quod excurrit, Artuum alii Juncturarum erant pæne omnium, fixi, & permanentes; cum earundem Tumore, Rubore; Ardore, cæterisque quod est Paroxyfmi *Arthritici* *παροξυσμοῦ*. Verùm, in Muliere Sanguinis parum calidi, temperante, morboque fatigatâ, Tumores nec in eam Molem efferuntur, nec æquè rubent, nec pariter dolent, nec quæ alia Sympto-

mata sunt, similiter urgent, ac in *Arthritide*, Calidâ maximèque rectâ; imò ad *Frigidam* propiùs accedunt: tempus in diutinum procurrunt, & citò revertentia *Arthritidem* quasi continuam, & perpetuò *παροξυώσαν*, indicant. Quo tempore mulctantur Artus, Viscera, & quæ intus, sunt tuta omnia: Cum ad tempus, etsi pauxillum, isti liberantur, (quod utique non sine summo Discrimine plus semel obtigit) illa statim afficiuntur. Tum moribus, Gelatina turgidis, Ætate fugiente, succedunt Tofi, numero complures; granum nunc *Hordeaceum*, nunc *Fabaceum* æquantes. *Antimonii Mercuriique Præparatis* longum utebatur; at ab *Aquis Diureticis* (quas, ad libram unam alteramque omni mane, plerumque per dimidium Anni, aliasque in potum ordinarium perpetuò ferè adbibit) omnium maximè profecit. Jam *Quadragenariâ* major, & (quod dictu necessarium) Matrimonio paucis annis soluta, Faciem sic satis coloratam, *Rheumatismum* (ita loqui amat *Humanitas*) mitiorem, Robur adauctum, aliaque Naturæ revirescentis Signa, lætè gloriatur. Ob Partus aliquam multos, & Menses ordinariè juges; ob Materiam per Articulos pulsam, & *Arthritida*, si non rectissimam, tamen utilem; ob Medicinam opportunè & diligenter adhibitam, Vitam hæc Matrona piissima, Venerabilis, etiamnum agit vitalem, actura (quantum hæc in re con-jicere datum est) diuturnam.

Probat *Historia*, ex *Lue*, alio Corpore existente, posse alio, per Concubitum, suboriri *Arthritida*; tum etiam *Aquis* præsertim *Diureticis*, posse permulceri.

Hist. 2. De Arthritide, Luis Sobole,
à δυσπέτοις irritatâ; Febrim exci-
tante, Caput aggressâ.

PAtursâ quidam Adolescentia ta-
ctus (cujus perperam tractatâ,
quâ Sanguine, quâ Vultu, ad Se-
nium usque passus est reliquias) ver-
tente nono & decimo Vitæ Lustris,
ex Macie pristinâ Corpulentus &
Habitor factus Ποδογριᾶ. Plures Ille
Paroxysmorum vices subierat, tri-
stes sanè & calamitosos, (sed rectos
& idoneos) cum, ex Crapula cibo
difficili & inepto avidè ingesto fa-
cta, ἀνω καὶ κάτω affatim ejecit: Ca-
pitis Hebetudine, & Vertigine, cor-
reptus: Pulsu celeri; Æstu universali.
Quando in Febres istius Tempesta-
tis (erant enim alius planè Indolis)
Affectionem istam πυρετὴν referre neu-
tiquam valuerim, & Arthritidos In-
fultus cum multiformes, tum etiam
(tanquam Lupi in Fabula) semper
huic Ægro, minima quavis ex Cau-
sâ evidenti, paratos, esse recoluerim;
ex ea, sed ἀνωμάλως se fundente, il-
lam optimè derivari posse, unâ cum
Ægro, & qui astabant aliis harum
rerum haud ignaris, judicavi: Eique
Fundamento firmiter innixus, hunc
in modum (profectò, quam in Fe-
bre Essentiali, vel Capitis morbo quo-
vis Idiopathico oporteret, longè di-
versum; imò in horum plerisque con-
trarium) Curationem ordinavi.

Ut Arthritidis Materiam, Capiti
impactam, illinc excitem, & in Ar-
tus partim expellam, partim invitem,
Pulverem primùm è Chel. C. C. &
Pulp. quartâ quâque horâ, cum Jul.

Hauflu, exhibeo. Deinde Phænigmos
(è Sem. Sinapios, Summit. Rutæ, Raf.
Radiculæ, Halecis fumo indurati aâ
part. I. Fermenti vet. p. iv. cum A-
ceto Vini Albi, ad Consistentiam Ca-
taplasmatiss) componi & applicari jubeo.
A Pulverè suscitantur Spiritus, oritur
Diaphoresis; a Phænigmo Malleolis (ea
solebant, in hoc Corpore, Arthritidos
Stativa esse) admoto, & quoties re-
frixit, quoad Tumor hinc inde oria-
tur, renovato, Caput omnino sanum
& incolume redditur, idque præsen-
tissime. Tumoribus, ad majorem cau-
telam, (ut nè in Sanguinem, quo evo-
catum est, relabatur) Epispastica super-
addi jubeo; unde Ichoris Arthritici
Fluxus ad dies aliquot jugis, ad aliquot
annos salutaris: Mitior enim aliquan-
diu post Arthritis, quod Affectionem
hanc Arthriticam esse ab Evento
comprobavit. Cum jam ulcuscula
per se exsiccarentur (nec quidem an-
teâ, ne Fluxum tam felicem, tam
blandum, tam ex omni parte beni-
gnum beatumque quodammodo ab-
scindere videatur) Ventriculum, me-
hortante, movit: Diebusque post hæc
otiosis Trifolii Paludosi Infusum, horis
medicinalibus, Menses binos, bono cum
fructu quotidie potavit.

Historia confirmat Arthritidem,
Luis Venereæ progeniem, posse δυσ-
πέτοις irritari; posse Caput invadere.

Hist. 3. Luis Venereæ succrescens, Caput
impetens, Arthritis.

Sub hujus Seculi initium, Foemina
quædam, ortu incolumis, piissima,
lectissima, nec uno nomine Spectabilis,
Marito

Marito jam olim Patursâ, nuper *Arthritide*, diro Morborum Pari, multato, & miserrimè cruciato, annos circiter viginti nupta, semel bis pepererat; exinde diu Catameniis rectè est potita. Postea *Scabiem* habuit, aliam in Cubiti summitate, siccam, subfuscam, multiplicem, cum Interstitiis & Ambitu purpureo; aliam in Capite subalbidam, squamatim decidentem: in Femore, & Latere, Impetigines, & mali moris Maculas: His adde Capitis, in totâ parte finistrâ, & Colli posterioris, Dolorem Nocturnum. Ad hæc Hallucis Articuli majoris primùm Teneritudo, deinde Dolor, acutus & pungens; Tumor item, & Rubor supervenit; quæ quidem ita sunt Accidentia, ut *Arthritidem* ostendant. Certè Dolor ad integrum usque mensem aliquoties mansit, alios atque alios Digtorum Articulos, Pedum etiam Plantas, identidem torquens, à Cathartico improvidè ingesto exacerbatus; sic, ut de *Arthritide Lui* succrescente minimè dubitandum.

Ut Eruptiones tolleret, ex Refrigerantibus nescio quid temperatum clam oblinivit; unde brevi Caput Tremere, Manus & Pedes *παρὰ λυεσθαι* capere, nec erecto Corpore stare, nedum ambulare, potuit. Hisce circiter diebus Menses supprimuntur, quæque Vitia nota & manifesta erant, ab eorum unâ Suppressione nasci putabantur. Caput inde plus solito afficitur; magis enim magisque tremit, vel ex Imbecillitate antrorsum inclinât. Cum Oculi Somno conniverant, Horror ingruit universalis, & ex improvise totius subita Corporis Exultantia. Fugiente somno, brevis Stupor, & Motus sæpe Convulsivi, tum Labij supe-

rioris, tum Oculi sinistri, tum etiam totius Capitis. Oculi porrò Dolor, Visus obscuritas, & Caligo. Sub hæc Utriusque Genu, sed Occipitii maximè Frigus intolerabile: Faciei Rubor erat: Alvo solutâ Refectio: Cum ingravescerent Symptomata, nec, quo illis occurreretur, à quoquam unquam, quod sciam, quicquam adhibitum, (ex primâ enim morbi Origine, rem ejus totam pertinacissimè occultavit) tandem, fallente linguâ & tertiatis verbis, summum enarrat, & implorat (heu! post bellum) Auxilium. Nam Insultu gravissimo, Motibus Convulsivis, & *Ἀναισθησία* comitato, brevi tempore morbus absomit Ægram, meliori Fato (si Deo visum esset) dignissimam.

Hoc Casu Miasma *Venereum*, quod & *Podagricum*, intra Sanguinem aliquandiu retentum, neque Partu frequenti, neque Medicamentis, aut diminutum, aut satis cicuratum, Naturam aggravare cæpit; cum Inimico Illa colluctatur, & ejus eliminandi fatagens, *Arthritidem* molitur. Quum autem (ob Sanguinem fortè *δυσμετάβλητον*, vel aliâ aliquâ de Causâ) ad *Arthritidem* Ægrâ minus sit proclivis; quumque per Cutim, Virus parce expellatur, & jam Menses suppressi sint, adeoque fugæ via omnis occlusa; Caput illud aggreditur, & Genus Nervinum, itaque Laborantem opprimit.

Monet Historia, *Patursæ Podagram* æmulatæ Materiam, in aliud Corpus aliquando per Concubitum infundi; in illo, veteri sævitiâ procedere; Caput denique obstructis exeundi Viis, adoriri.

Hist. 4. Arthritis, Lui επιζευόμεν, Victu, digestivis, & Equitatione moderata, tandem Intestina invadens, Sanguinis ἀποκρίκτω Missionem pariens.

Cupidinis in Castris, a primâ Juventute versatus, Miles quidam, Mollior, (quod aiunt) Anseris Medullâ: ejusque Præliis haud parum contusus, circa mediam ætatem Arthritide corripitur, quæ, omni fere anno, suapte sponte, Accessiones iteravit: à malis autem Moribus sæpius, supra modum invitata. Cùm annos Æger nondum habuit quadraginta, in Ascitem incidit, durum (Jupiter!) & ancipitem, quem demum eluctatus, Curæ meæ aliquanto post occurrentis, se commisit; ut adversus Podagram (ipso confitente Reo) minimè Primigeniam, item adversus Hydropa, Prophylaxin obsecrans, Claudum aspicio, Emaciatum, Vultu, præsertim ipsius Margine, lurido; sed Oculo flagranti, sed Animo alacri vividoque.

Et Medicinæ, & Aquis Mineralibus Hostem internecinum horror, quod illis tentare non liceret, Diætâ & Exercitatione, quoad ejus fieri possit, conficere conetur: Ideoque Equo, sæpe, & multum, se oblectet; de Victu maximè sollicitus, non nisi ἐπιπλοῖς nutriatur; &, à Prandio semper Rubellum (quod Vini genus Ventriculo erat gratissimum, & Usu diutino probatum) hauriat: Mature se in lectum det, parcè, vel non cænat. Nec quid adhibui Medicamentorum, præter Infusum Gentianæ, Ze-

doariæ & Cubearum, eodem Vino paratum, omni mane usurpandum, & Pil. Stom. cum G. omni Mense, ad tuendam servandamque Coctionem, Arthritide permittente, assumendas.

Horum Adjumento (vitatis simul iis, quæ obessent) diu vixit ille, Arthritide non nisi rectâ, quantumvis Symptomaticâ, sed acri, (forsan ob peculiarem ejus Materiam, magis) sed acerbo dolore comitatâ prægravatus.

Verùm ad Senectutis principia perductus, Febre cum Diarrhæâ laboravit, & Alyo restrictâ Abdominis lecuta est Inflatio, Ventriculi & Intestinatorum Dolor; Austeræ postmodum Materiæ, deinde Sanguinæ per Os, brevi verò Nigræ (pariter Sanguinæ) per Anum missio. Ab ingruente Dysenteridâ Arthritidis ἐν τοῖς ἔξωθεν nulla. Ut his opitularer, per Literas rogatus, primò Leniens præcepi, Sennæ & Rhab. Xerano infusorum. Tum Bolum astringentem & Cardiacum, (eò nempe, quò in Artus expelleretur Arthritis) ter die cum Infusi amari Haustu deglutiendum.

Istius Hominis initio Lue, mox Arthritide, tum Hydrope, iterum Arthritide, quâ rectâ, qua reflexa & Dysenteriam inferente, usque suo genere gravissimis, affecti, Robur & Patientiam sæpe demiratus sum; Hæc enim universa Animo præsentî, forti, & illis omnibus majori toleravit: Spiritu nempe Animali firmo, alacri, & Elastico donatus; equitando summoperè levatus; nam, ex Podagrâ fractum, imbecillum, languidum, eo solo certissime citissimeque frequenter restitutum, observavi. Si Flatus postulaverit, nec Arthritidis vetuerit Paroxysmus, bis terye Hebdomadâ injiciatur Enema.

℥. Flor. Chamom. Mj. Sem. Fœnic. d.
Carvi ana zij. Coq. in aqu. font. ℥j. ad
℞. Colaturæ adde Canarini ℥ss. Ther.
Androm. zß. Sac. rubri ziiij. f. Enema.

Et in Tormina Decoct. è Carminanti-
bus, Vesicâ inclusum, & Ventri admo-
tum; aliasque pannus Wallicus Abdo-
mini imponendus.

Diu illum *Dysenteria* superfuisse
audio, & tandem emaciatum, Morbis
& Ætate confectum, diem supremum
obiisse.

Historia significat *Arthritidem Lue*
Venereâ procreatam, Victu idoneo,
Digestivis, sed præsertim Equitatione,
non parum sublevari, *Dysenteria* Pro-
ductricem, auferri.

Hist. 5. *Arthritis, Lue Venereâ* super-
veniens, *Melancholiam, Caliginem,*
Vertiginem, Convulsionem universa-
lem, & demum Mortem, inducens.

Occurrit è Plebe Viri cujusdam,
Historia, natu integri, *Lue,*
cum adhuc adolesceret, corrupti.
Huic Affectui, multum ope Medicâ
retuso, nequaquam extirpato, constan-
ti jam Ætate, supernata est *Arthritis;*
quæ, Lustris minimùm tribus, rectè
agens, & omni Anno semel iterum-
que redux, tandem in *Anomaliam* de-
generavit: sesquiannum nulla fuit.
Exinde Æger *Melancholiâ, Gravedi-*
ne, Caligine, sensim est afflictus; uti
etiam *Vertigine,* eâque gravi adeo,
ut in Notos & Familiares sæpe in-
scius irrueret. Quum iter aliquando
intempestivè faceret, ex Frigore, pri-
mùm Visu, deinde Sensibus internis
omnibus, ipsoque Judicio læso, per

dies aliquot deliravit. Arthriticos hos
Errores esse, quando mihi persuasif-
simum erat, (& tribus ab incurfu
Mali primo Mensibus, eum recurrere
immaniolem, cum, Auditus Gravita-
te præmissâ, Vultûs Pallore, Flatibus
cævo nâi nâto creberrimis. Urina lim-
pida copiosaque, Spiritu difficili, &
demum *Αναίσθησία,* accedentibus depre-
henderam) quæ Medendi ratio pluri-
mùm profecit ita se habuit: Ut Ca-
piti succurratur, Sanguinem mitti ju-
beo; Ventremque per Enema, per Ca-
tharticum, subduci, & ad Hostem in
Artus evocandum, utriusque Malleolo
(solebat Æger illis dolere) *Phænigmm*
applicari, Tumoribusque hinc inde ortis
Epispastica. Humor effluxit Ichorosus
copiosè; magis verò, quòd *Cardiaca,*
(*Pul. Gascon. Vinum Hispanicum ru-*
brum, Sp. vol. oleos.) prompta in auxi-
lium, & quotidie exhibita, ad τὰ ἔξωδα
Materiam expulere. Porro, in Pro-
phylaxin crebra fit per *Pil. Ruffi,* sed
lenior, *Purgatio:* Et, utroque latere
Spinæ, inter Homoplatas, Fonticulus,
sex Pisorum capax.

Atque hisce Artibus, Laborantem, &
tanquam Animam agentem, ab ipso
Orco eripui. Verùm Materia, propter
Naturam refragantem, neve satis evoca-
ta, neve Paroxysmum, utut tentatum,
faciens Regularem, Caput, dudum
enervatum, iterum aliquandiu post
adorta, Ægrum mediâ nocte post Som-
num placidissimum, *Spasmo* univer-
sali correptum, brevi temporis spatio,
interemit; & indicio fuit, eam, quæ
Arthritidos est à *Patura* natæ, jam
non amplius expulsam, interdum
καλιθρομειν, Cerebrum adoriri, Con-
vulsionem universalem, eamque letha-
lem, Ægro afferre.

C A P. VIII.

De Arthritide Asthmatica.

ARTIC. I. **A**sthmati succrescit Podagra creberri-
mè pituitoso, five ei, quod à Phleg-
mate Pulmoni inhærente, & Bronchia
infarciante, sicque Spiritûs meatum
obstruente, factum est: Hoc in causâ
morbi hujus Idiopathici, proximâ &
conjunctâ, ponitur; dum in primis
viis stabulans Saburra, & sanguis in
Canaliculis ad Plethoram auctus, lo-
ciam aliquando operam adjungit, &
ad hunc affectum confert κατὰ Συμπά-
θειαν.

Spiritu hâc de causâ difficili labo-
rantes, interdum per se, alias ex Me-
dicinâ, nono & decimo plerumque Æ-
tatis lustro, raro quidem maturius,
Ποδαγραῖσι. Si, per Victum inordina-
tum Δυσπεπσίαν, aliasve causas antece-
dentes vitium copiosè alitur, & in san-
guine congeritur materia, Podagræ ef-
fectrix, proprio illa Marte potest, &
per se, in Paroxysmum erumpere; ve-
rum multò facilius paratiusque, si Me-
dicinâ fuerit extimulata.

II. Sunt autem stimulo, huic Ar-
thritidi, uti aliis planè per multis, cu-
juscumque fuerint generis, Cathartica:
Quando eorum beneficio, ad amolien-
dum hostem, eumque in Articulos ex-
trudendum, natura promptius & ha-
bilius operatur: Tum, ad hoc operis, è
Catharticis Δρασικώτερα, præcipuè fa-
ciunt; quando sanguinem exagitando,
(quod ante dixi) novum afferunt Or-
gasmum; quem è Vestigio sequitur
Alieni ἔξαγωγή.

Valent hâc in parte Alterantia, ad
debellandum Asthma vulgò adhibita,
quotquot uspiam à Naturæ Partibus
stant Cardiaca, & in fugando Hoste ei
opitulantur: Quæ quidem Alterantia,
Antiasthmaticorum maxima, vel sal-
tem immensa portio putanda est.

III. De Arthritidos hujus Mate-
riâ, minimè recentem illam esse, sed
in Corpore quòd diu Paroxysmum ex-
stiterat, in eo se occultans, vel hâc de
causâ meritò, suspicari licet, quia ne-
mo repente Ποδαγραῖα. Imò quidem
verisimile est, quòd in corpore Phleg-
matico, tussi agitato, pituita involva-
tur; simulque cum eâ pulmoni com-
missa, per sputum illa κατ' Επίκρησιν ex-
cernatur.

Quod ad amplectendam hanc Sen-
tentiam me impellit, eique confirman-
dæ stabiliendæque unum sufficere vi-
deatur, non leve Pondus Argumenti,
hoc est, (hujusce Arthritidis, prout
observavi, Χαρακτηριστικόν.) Nempe,
quòd, aliis omnibus Arthritidis quâ
Veræ, quâ Symptomaticæ Speciebus,
eo nomine dispar, æffate lætetur. Cum
Arthritis reliqua omnis suâ Naturâ
Hyeme, vel minimum Sole infra Æqui-
noctium vergente; hæc nostra, eo supra,
imò ipsum circa Cancri Tropicum ali-
quando evecto, suapte sponte, neque
ex causâ illâ evidenti Παροξύνεται.

IV. Illud tamen nequaquam ita
capiendum, ac si hæc Arthritis omni
omnino Hyeme prorsus obdormire, ne-
que per illam Tempestatem quicquam
unquam moliri soleat. Contra φαινο-
μένῳ hujus Ætiologiam, in eo locari
censendum est, quòd Hyeme, quo qui-
dem profectò tempore Cutis densatur,
fallit Διαπύση, & in Pulmonem mitti-
tur Pituita, cum eadem in eum Mias-

ma etiam *Arthriticum* abripiatur : Æstate verò cum superficiem & Ambitum Corporis Humidum evocetur, extra idem tendat & Artus appellatur. Ut Hyeme ab *Asthmate* vincatur, sub ejusque Vultu & personâ delitescat; Æstate, propriâ eluceat.

V. Propterea quod *Arthritidis* hujus Materia frequenti expuitione magnam partem eliminatur, profluere autumo, quòd illius Paroxyfmi, (utut Dolore, Tumore, Rubore, aliisque Symptomatis, satis ad Diagnofin signati) rarò utique infestissimi cernantur, aut ex eorum numero, qui Tofis, qui Ulceribus, qui Offium Carie, cæterisque Fructibus istiusmodi acerbiffimis, vel etiam Nodis, Doloribus diutinis, & id genus mitioribus, affligunt Ægros; sed tolerabiles, & æquo animo ferendi sunt.

Cum autem istud sive Paroxyfmo-
rum Tempus, sive eorum Clementia, non eò usque huic *Arthritidi* propria est, ut ex eorum alterutro, vel utroque possit illa internosci; quò aliquod *Δηλωτικόν*, in medium promam, quotiescunque *Asthmati Pituitoso* præsertim gravi & diuturno; maxime verò omnium, quoties usitate, & ex more subjicitur *Arthritis*; Hæc ipsa est, quam ego *Asthmaticam* appello; Primigeniæ, si Paroxyfmos, eorumque Symptomata circumspiciamus, certè per- similem, Successione luculentius, & ferè solâ agnoscendam.

VI. Ex dictis sequitur, quòd *Arthritis* hæc *Asthmatica*, tametsi puram Materiam & puram *Arthriticam* habere, per seque omninò Veram esse concedamus; (quod tamen itane sit, an secus hæud definitu facile) quando quidem *Asthmati* submissa est, ipsaque

ejus Materiâ gaudet; in *Symptomaticis* censenda est; habitâ, videlicet, Morborum Successionis, & tam Primarii, sive genuini, sive spurii (*Asthmatis*) quam Secundarii (*Arthritidis*) ratione.

Ex eoque patet, quàm sit ea sui Generis *ἐν τῷ ἀπάσει* æstimanda, quàm modò peculiari expugnanda; à Verâ *Arthritide* separata, quoniam nullam hæc Successionem præ se fert, nullum agnoscit morbum Primarium; à cæteris verò *Symptomaticis* quibuscunque, quoniam *Asthmate* subnata, ab eo Pectoris, Spiritûs, Tuffis, Sputi, Considerationem deducit, necessariòque comprehendit.

VII. Ut hæc apertiùs exponantur, quoties de Epicœnæ hujus *Arthritidis*, nunc Pulmonem, nunc Artus infestantis *ὑπάρξει*, conititerit, & Curationem meditabimur, hæud dubiè prodest in priori Statu (tametsi *Pituitosum* existimetur *Asthma*) rem *Arthriticam* non negligere; quin ad *Asthma*, quoties ingravescat, depellendum, in externis, simul atque fieri potest, Dolorem excitare; quò nempe factâ Materiæ ad Articulos *διασχυῖ*, levetur Pulmo. In eo certè Operam locari commodissimam; in eo Intentionem utilissimam, non inani Conjecturâ, sed Experimentis ex medio usu depromptis, & (ut opinor) Ratione fretus, habeo persuasissimum. Hoc igitur spectans, *Venæ sectione* vel prorsus abstineo; vel, quàm in simplici *Pituitoso Asthmate*, Sanguinem minori quantitate detraho; Ne scil. Natura, Missione nimiâ & improvidâ debilitetur, enervetur, & *Arthritidi* protrudendæ impar reddatur.

VIII. Catharsin per *Aloëtica*, sive quævis

quævis alia, quæ tum Alvum moveant, tum etiam Sanguinem exagitant, & in Orgasum adigant, instituo. Novi quendam *Asthmaticum*, *Arthriticum*, qui *Spiritu Cochleariæ Aureo Purgante*, (cum *Scammonio*, *Julapio*, vel fortasse *Gambogiâ* comparato) ad guttas circiter triginta, ex Vehiculo convenienti, felicissimè creberrimèque utebatur: Satis enim hinc dejecit, nec ita diu post optatò doluit. Potionem ego sequentem, hujusce Classis, sed Magnarum Virium *Arthritico*, secundis Avibus, semel iterumque propinavi.

℞. *Fol. Sennæ* ℥℥. *Fibrarum Helleb. nigri*, *Turpeti aa.* ʒj. *Coq. in Aq. font. q. s. ad* ℥iij. *Colaturæ adde Syr. è Spinâ, Elix. Salutis aa.* ʒ℥. *f. Potio.*

Catharseos ea quidem *Asthmaticis* Utilitas, ut, præterquam Alvum, etiam Pulmonem exonerent; quandoquidem Pituitam ab eâ tenuari, discutique, Sputum abundantius exantlari vulgatissimum est. Atqui, Purgatione jam semel institutâ, non opus erit, ut de illius Repetitione (quæ, à Pituitâ simplici *Asthmaticis*, neque per *Podagram* medendis, sæpe necessaria) nisi ex intervallo quodam, & urgente novâ intus Saburrâ, sumus solliciti: Ne scil. nimium exhauriendo, Naturam, *Arthritidem* rectam & regularem impensè desiderantem, aliò infauste divertamus.

IX. Ad ea potiùs progredior, quæ, ut debelletur *Asthma* & (illius gratiâ) commoveatur *Arthritis*, validius connituntur: Ideoque omni Mane, Haustum *Infusi amari Chalybeati* misceo: *Bechicis*, nè Ventriculo, per se nimium languenti & obtuso, officiant, ad Tempus pomeridianum relegatis.

Tum verò, quartâ circiter Horâ, iterumque nonâ Vespertinâ *Bals. Peruviani*, vel *Chiliensis*, vel *Sulf. Anisati*, vel *Tinct. Sulf.* Dosis majusculam, (*Tincturæ putâ gtt. xv, ad xx.* & de *Balsamis simili proportione*) ex *Syr. Balsamici*, vel è *Succo Erysimi*, *Coch. i.* cum *Allæ fortioris*, vel *Decocti pectoralis clarificati*, Haustu præcipio.

Post Dies aliquot hisce Medicamentis collocatos, quam primùm iis efferetur Sanguis, & Pulsus digitum fortius repellat, statim, extrâ, loco sæpissimè dolenti, admoveatur *Ceratum viride*, vel *Emplastrum Cephalicum*, cum *Picis Navalis pari quantitate*; vel, (si placuerit) *Phænigmus*. Tumori demum factò, si locus erit; vel, si in Digtis sit Tumor, Carpo, vel Malleolo vicino *Epispasticum*, ut evocetur *Arthritidis* Materia, nec in Sanguinem repelli permittatur.

Altero vero Statu, quo propriâ Personâ agit, & Artus invadit *Arthritis*, ei studiosius insistendum, per Amara, per *Chalybeata*, per idonea cujuscunque generis *Cardiaca*, si placuerit, excitandæ, per *Involucra*, per *Crepidam*, cæterumque Mundum Articularem, si viguerit, tuendæ servandæque. Rata enim esto, & indubitata fidei norma, Naturam *Asthmati* descripto per *Arthritida* occurrere, medicari, & in ejus Paroxyfmo, conciliando præstandoque oportere illam adjutari.

X. Interea verò temporis, si istius ordinis sit *Asthmaticus*, qui Sputo carere nequit, tametsi dolet Articulis; ad illud sive retinendum, sive revocandum, *Bechica* vel è Præscriptis in minori quantitate, vel leniora quædam, ut *Balsamum Gileadense*, seu *Lucatelli*, vespere præsertim, ex Vehiculo jam

scripto, assumantur: quorum beneficio, mane sequenti Sputum egregiè projectur, nec ad Meridiem usque (quod ab iisdem, Mane demissis, solet evenire) obtundetur Appetitus.

Etsi Dolor & Vigilia, Comites *Arthritidis* importuni, premant Ægrotantem, Hypnotica tamen, quæ in *Asthmatis* Speciebus aliis plerisque omnibus, tum etiam in *Arthritide*, non nunquam Ope sunt eximiâ, Virium pænè Divinarum, in hoc Affectu, Dosi aliquâ notabili non sunt temerè largienda; quippe quæ, cum multum *Asthmati* Pituitoso, tum etiam non parum *Arthritidi*, suâ Naturâ vix satis asperæ, repugnent. Ad invitandum Somnum, Artes exerceantur, ut minus certæ, ita minus nocivæ; quales sunt *Lectio*, *Friçtio*, *Palpitatio*, & ejusmodi alia.

XI. Simul ac Castra in externis partibus metata est *Arthritis*, ibique fixit; abolefcit Corporis universi Gravitas; Spirituum Hebetudo; Respiratio angusta: Tussis magnâ ex parte discutitur; pituitæ quod Vesiculis inhæsit pulmoneis, ejicitur; perque *Arthritida*, jam demum Regularem, cautum est, ne quid supra modum in eas infundatur; verum in iis, quibus *Pituitosis* ex consuetudine opus est Sputatio, persistit ea usque sed diminutè.

Solet hujus *Symptomatiæ* paroxysmo adjungi (qui, cum *Asthmati* Pituitoso, tum item *Arthritidi* Veræ interdum à Satellitio) *pedum Tumor serosus*, digitum accipiens, Ægro sæpe metum Hydropis incutiens; qui tamen brevi temporis spatio, Ambulatione, & Motu Corporis leni & idoneo aufertur. Hujus item pellendi ergo, Friçtio, bis die peracta, cum Lintheo crassiori, adhibeatur.

XII. Qui nuper hâc *Arthritide* defecerunt, in Regionem eos apertam, & ventilatam quam primùm migrare, Equitatione crebrâ exerceri, convenit: Movetur enim inde, quod in pulmone reliquum est pituitæ; & simul is sanatur, & Tono restituitur: Quinimò Spiritus eò reficiuntur Animales, redintegatur Appetitus, instauratur Oeconomia. Et quidem hunc in modum tractatos, ex hoc Affectu vegetiores, & quàm ante Aggressionem longè tutiores observavi: Donec Otio, Satietae, Victu dapsili & opiparo, eidem iterum tradantur.

Cui quidem Malo, ut quodammodo occurrerem, è re futurum arbitror, Cibi potûsque rationem aptam accuratè profequi; Ventriculum Digestivis roborare, *Απεποιας* Fæces & Reliquias Eccoproticis, identidem subducere; itaque tum *Asthma*, tum *Arthritidem* opportunè præcavere.

XIII. Sicco non nunquam *Asthmati*, Exquisito, dicam, an Notho? certè Idiopathico, nec Inflationibus nato, subnectitur *Arthritis*. Spirandi premuntur Organa, per Humores quantitate nimia illis commissos, neque verò in Vesiculis pulmoneis simul depositos; & Spiritus pro Causæ hujus Magnitudine plus minus est difficilis: Tussicula est, Anhelatio, & pectus interdum maximè gravatum. Nullos hoc *Asthma* (quantum ego rescivi) aggreditur, nisi partium insigni Conformatione, vel Inclinatione Hæreditariâ, ei qui proclives sunt; & Autumno illos, & Euro increbrescente (pro more pituitosi) maximopere infestat.

Cum aliquandiu sævit, interdum ei se adjungit *Arthritis*, tam citò secuta, & eâ Spiritus levatione, quæ

Humorum Μετάστροφον, in Externas partes; eoque harum Dolore, qui *Arthritidem*, aut genuinam, aut eam probe simulantem, abundè monstret.

XIV. In *Arthritide* hâc *Asthmaticâ* per Venæ sectionem & purgationem Materia pectore detrahenda: Tum iis, Spiritus Animales quæ diffundant; quæ per Fibras longè projiciant, quæ Motus eorum regant; maximè verò omnium, quæ in Artus materiam pellant, ibique figant, omninò insistentium est. Neque enim inhibeat hâc *Arthritis*, multò minus supprimatur repellaturque atque adeò intendatur, in Ægri salutem augeatur: Minimè verò dubitandum, quin Ægri Vita & Incolumitas per *Arthritida* rectè moderatam conservetur, fanciatur.

Arthritidis Asthmate, quâ sicco, quâ pituitoso natæ, Exemplum mox subjiciam. *Asthmati* ab Inflatione (per Nobilissimum *Floyerum*, Graphicè depicto) nulla unquam, quod meminerim, est subnata.

Historia I. De Asthmate Pituitoso, per Arthritida mitigato.

Vetus quidam è proximo, triginta annos Δυσπνοϊός, Labori olim alluetus, nuper ob ætatem emeritus, ideoque Craffior & Obesior factus, difficilior spiravit. Hyeme, Anni 1696. (quò quidem tempore, propter Autumnum humidiorum, & Frigus inde impenfissimum, grassabantur *Catarrhi*) multum laceffebatur eâ *Asthmatis* Specie, quæ (à Materiâ) *pituitosa* nuncupetur. Pectoris enim Oppressione, Spiritu sublimi laboravit, & deinde Tussi, primùm aridâ, postea pitui-

tam exantlante, crassam & tenacem. Neque Spiritum sine Anhelatione traxit, neque Cervice nisi noctu erectâ; eò verò faciliùs, quò pituitæ plus emissum.

Ut Opem feram, ex Curatione *Asthmatis* familiari, Ventrem ter quater, diebus semper quatuor interpositis, subduco, majorique deinceps intervallo. *Anacath r sin* ad augendam, *Massæ pilularis* ℞j. ex *Linctus*, *Cochleari*, quartâ pomeridianâ & horâ somni, deglutiit, cum Vini medicati Haustu: Omni verò mane, quæ Ventriculum tueantur, *Infusi amari Alterantis*, *Xerano compati*, *Coch.* aliquot.

℞. *Bals. Lucat.* ʒjss. *Flor. Benzoin.* ʒj. *Bals. Sulf. anisati* ʒss. *Succ. Glycyrr.* ʒj. cum *pice liq.* f. *Massa pilularis.*

℥. *Syr. è Succo Erysim.* *Ol. amygd. d. r. ana p. æ.* cum *Sacch. Cryst.* probe temperando, f. *Linctus.*

℥. *Allii incis.* ʒss. *Sem. anisi*, *Crociana* ℞ss. Infunde in *Xerani* ℥ij. post debitam alterationem coletur *Infusum.*

Post aliquod tempus (ut mutatione Medicamentorum à Nauseâ caveretur) tinet. *Sulf. gtt.* xij. ex *Syr. Bals. Coch.* j. *pilularum* loco assumpsit.

Ægro hisce sublevato, sic, ut Προφύλαξιν aggredi jam liceret, ad eam præstandam, *Xerani Rad. Gent. Summit.* *Abs. R. Cent. M. Marrub. albi*, & *Fr. Cubeb. alterati*, *Haustum*, omni mane *Senex* potavit, idque per menses aliquam multos.

Horum ideò Remediorum mentio à Nobis facta, quoniam iis prosperè utebatur, tum eâ Hyeme, tum post sæpissimè. Nam cum *Asthma*, per reliquum Vitæ, sub brumale Solstitium, semper recurreret, ad hæc ille, certissima præsidia, recurrere solebat.

Anno 1698. Vertente Vere, cum Insultum *Asthma*, vice jam tertiâ, tristem & severum renovasset, Ægro in hunc usque diem *Arthritide* (quod putavit) immuni, neque de illâ somnianti quidem, dolet Halli Pellis sinistra Articulûs major: Inflammatur, rubet, ardet, more pertinaci & planè *Podagrico*. Gratulor Vicino, de morbi tam commodi, tam salutaris, adventu. Contra ille obmurmurare, Dolorisque impatiens, ex Dolore periculum metiri. Ego verò exhortor, pulmonem eo liberari, Anhelationem minui; contendo, & *Asthma* per *Arthritidem* oportere vinci.

Hyemem Anni 1700. tolerabilem habuit, Ver insequens periculosum, Sole enim supra Æquinoctium everso, Spiritus admodum gravis, imò quàm per ante actum sesquiannum gravior: Ægrotudo universalis: Appetitus prostratus: Nausea & Sitis erat permolesta. Cùm ita diu Valetudine quâdam obscurâ teneretur, Solstitio instante Æstivo, tempestate fervidissimâ, paroxysmorum, quos unquam perpeffus erat, omnium gravissimo, correptus est *Arthritico*. Per universum pedis Convexum extensa est Inflammatio, elata, ardens; ad Calcem, ad Tibiæ medium Tumor; pulmo ab incipiente eo tutior, expeditior; Ventrículo avidior. Placuit novam rerum faciem obtueri; per jucundam Humorûm Μετάστασιν contemplari; ad eamque promovendam Tinct. M. & Elix. propriet. d. ãa. gtt. xxx. cum Xerani Amaris alterati Haustu, bis in die, sumendas imperavi. Porrò Vini istius (quando jam Ætate grandiori delictum erat, neque Ventrículo ingratum) ἡβ. quotidie bibendam;

quo nempe, Miasmate *Arthritico* in Pedem exulante, Sanguis purgaretur; defenderetur Pulmo.

Menses circiter binos duravit Paroxysmus, & Ægrum usquequaque beatior fecit; Vegetum nempe, acutum, alacrem, Ventrículo præter modum avido & latranti, ut decennio novissimo nunquam magis. Unus illum Pedis Tumor gravatum habuit; qui tamen commodum suum & utilitatem tædio longè majorem attulit; cùm, à Materiâ Pedi affixâ Pulmoni meliùs cessisse, minimè indubitandum est.

De hujus Ægri *Arthritide* nequaquam prætereundum, quòd aliis *Species*, quæ Anni dimidio Hyemali suâ Naturâ Παροξύνονται ad unam omnes, hâc ex parte multum absimilis, Æstatem amat; Hyeme ne semel quidem in externis Partibus; Sole citra Æquinoctium versato, jam ter emicuit, & Paroxysmos totidem perfectissimos exegit.

Paroxysmi, modo tam memorabili, tam præter morem Reduces, istius *Asthmatis* Naturam indigitant, exponunt; & in *Arthritidem* illud ex facili migraturum esse; &, diebus saltem hisce postremis, à Puro *Asthmate* Pituitoso non multum abhorrere monstrant.

Hist. 2. De Arthritide, Asthmatis ex Plethorâ, feliciter adjunctâ.

VIR Nobilis, Crassus, Plethoricus, Decennio labente sexto, *Asthmate*, cui ex Thoracis brevitæte, Abdominis prominentiâ, præcordiorum distensione, pronus erat, afficiebatur.

Quo

Quo me tempore primum accersivit, efflictim ægrotavit; pæne suffocatus: Spiritum traxit sublimem, & ob Organa constricta laboriosè: Tussiendo nihil excrevit.

Spiritûs Impedimenta, per Catharsin & Venæ sectionem deduco. Deinde, quibus Coctio perficiatur, itaque Flatus pervertatur; quibus roborentur *Ορμῶντες*, dilatentur, expandantur, ad eòque modo omni augeatur Respi-randi Spatium, ea præcipio quæ sequuntur.

℞. *Cons. Abs. R. Pul. Rad. Ari C. aã ðj. Chal. Nutrit. ðβ. Syr. Melissoph. q. s. f. Bolus.*

℞. *G. Ammon. Bdellii aã ζjβ. Flor. Benzoin. Extr. Croci aã β. Bals. Lucat. q. s. f. Pil.*

℞. *Aq. Rutæ, Hyssopi aã ζxij. Pæon. C. Bryon. C. ana ζjv. Marg. pp. 3β. Sacch. Cryst. q. s. f. Jul.*

Sumat Bolum omni mane, Pil. quinque omni nocte cum Jul. Haustu, eique instillentur Tinct. Cast. gtt. xx.

Quòd liberiùs spiravit, id *Evacuanti*; quòd adhuc multò magis, id ex proposito fecerunt *Alterantia*, sed diutiùs usurpata. Isti verò Libertati par, novum exoritur Malum, si modò ita possit applicari, quod in Vitæ tutelam, quodque Ægro auspiciatissimum evenit. Quippe Compositionum jam dictarum & istiusmodi aliarum operâ factum est, quòd Humeri Dolor, Tumor, Rubor, ne plura, quòd *Arthritis* emicuit; quod per Artus, ex eo tempore quàm plurimos peragravit: quòd frequentem in Eos crudelitatem exercuit: quòd exinde pectori pari mensura longè meliùs. Constat enim, & omni majus est exceptione, quòd ab *Arthritidis* exortu Spiritui pulmonique longè feliciùs ces-

sit: ut Ægro jam ferè unicum restet tempori tam *Arthritidos*, quàm *Asthmatis*, Causas remotiores prævenire, aut deinceps *Asthma* per *Arthritidem* curare.

C A P. IX.

De Arthritide Febri Succedanea.

ART. I. **A** *Rthritides* Chronicis oriundas huc usque dedimus; de illis *Febre*, quæ *Continua*, quæ *Intermittente*, Morbo acuto, quæ nascuntur hodie Sermonem faciemus.

A *Febriculâ* quadam *Arthritidis* paroxysmum fermè omnem exordiri, manifestum est: Differt autem illa, brevis scil. parva, Symptomatica, quæque ad Tribum, aut *Febrium* perfectarum Classem ullam referri nequit, ab ea, quæ à Nobis hoc tempore dicenda, Exquisita, & in genere suo consummata est.

II. Quum *Febris* non nullius Speciei Ratio & Essentia in eo poni videatur, quòd Effervescentia sit, ob *ἐρεθισμός*, & indomitum aliquid, in Sanguine contentum, eumque perturbans, (illius nempe expellendi ergò) concitata: Aliæ verò *Febres* (quod ab * Auctore nupero argutè propositum) ex obstructis Glandulis, & inæquali, quæ deinde sequitur, enormique Fermentatione, oriri censeantur: Imò quidem omnes, cuiuscunque generis sint, hoc inter se commune habeant, & in quo

H con-

* Vide *Synochorum Theoriam Novam*, addam etiam *Αιτιολογία τῶν*, impressam Londini Anno 1701.

convenient, Quòd Sanguinis motum & Orgasum Ægrotanti talem faciant, qui supra Naturæ tenorem, (mitis ille & benignus esse reperitur) immodicus, vehemens, & Morbosus est: palam esse reor, quicquid horum respicias, quemcunque Fontem adeas, *Febris in Arthritidem* Abitum & Παρεμβασιον, ut Naturæ, sic rationi consentaneam, deduci posse perfacile.

III. Ut enim hisce singulis parumper insistam, quoties à Miasmate, (quod prius dixi) *Febris* occœpit; nec incomprehensibile, nec explicatu difficile est, ab Eodem primùm concito, & Debacchanti, *Febrem*; ab Ipso postea lenito, subactoque *Arthritidem* accersiri; sic, ut eadem sit Utriusque Causa (quæ dicitur) Conjuncta, sed diverso modo longèque dissimili agens; nunc iracundè Omnia; Supera & Infera, conturbando; pacatè nunc, & leniter, rem gerendo.

Cui quidem Opinioni favet id quod sequitur, cum Experimentiâ maximè conveniens, esse nempe Virus *Arthriticum* Sanguini movendo, *Febri* concitandæ valdè per se appositum; quodque raro ut paroxysmus (integrum volo, & numeris absolutum,) sit ἀνωγελος committat. His autem addere proclive est, quòd Idem, quoties exulare arduum est, Orgias in Sanguine pertinaces, id est, *Febrim* accendat, quoque magis arduum, eo magis pertinaces. Itaque Materia, sive *Febrilis*, sive etiam *Arthritica*, utrumque potest Affectum, tam videlicet *Febrim*, quam *Arthritida* progignere.

IV. Sin à Glandulis Obstructis, (quòd altero loco confirmavi) *Febris* oriatur, Miasma tamen *Arthriticum*, in Sanguine quiescens & obscurum,

sive per hanc sive per aliam quamcunque *Febrilem* effervescentiam, in paroxysmum adigi posse & impelli, nihil utique vetat; quin etiam verisimile est: Quando per Æstum Ambulando, Equitando, aliove quovis Exercitationis genere, adscitum, sive etiam Diaphoreticis, internè sumptis, Sanguinem exagitantibus, paroxysmum effici posse certissimum est, & frequenti constat Experimento.

V. *Arthritidos* hujus à *Febre* descendentes Ortum & Natales, quàm quæ maximè, illustrant ea, quæ à Nobis de *Anginâ Arthriticâ* in *Anomaliis* sunt perscripta. Quanquam enim *Angina* illa videatur, at manifesto sit *Arthritis Anomala*, (quòd suo loco divulgabitur) ideòque infra debeat exquiri, tamen in præsentia notari potest, Hanc *Arthritidem* non nisi *Febre*, eâque magnâ, & gravi præcedente, esse.

Ratum igitur esto, & persuasissimum, *Febri*, id est, Morbo Acuto, non minus certo, quàm *Hydropi*, quàm *Lui Venereæ*, quàm *Scorbuto*, quàm *Morbo Hypochondriaco*, quàm alii cuiusvis Affectui Chronico & Diuturno, *Arthritidem*, tamen si fortè rariùs, supervenire.

VI. Ratione paroxysmorum, una est *Arthritis* ex *Febre* nata; quandoquidem Illi (ut istam rem video) & inter se, & ab *Arthritidis primigeniæ* paroxysmis haud multum discrepant. Ratione verò Ortus, non uno nomine diversa est, & à se dissentiens. Alia enim *Arthritis* ex Materiâ *Febrili* Παροξυσίον; alia ex tranquillâ, & dormiente. Alia ex ipsâ *Febre* Materiâ; alia ex diversâ & à *Febrili* distinctâ; sed per *Febrim* in paroxysmum casu & fortuito evectâ, procreatur: Alii

Habitudini *Πυρεκτικῆ* in *Febrem* crebrò erumpenti, sed tandem interciscæ; alia *Febri* Insultui subicitur: Alia *Febri* Continuæ; Alia Intermittenti: Alia denique usitatè, & ordinis quâdam perpetuitatè; alia semel tantùm, & quasi casu. Harum Ego Exempla, statim expromam, & ea quæ dicuntur confirmabo Experimentis.

VII. De Curatione monendum, quòd, quæ *Febri*, sive *Σωόχω*, cujus Exemplum est insigne) sive *Σωεχῆ* subiciatur *Arthritis*: sic, ut ea gliscente & Ferociam exercente hæc in Conspectum se det, omni diligentia, summo, quo possumus, studio promovenda est; quò nempè per Illius augmentum minuatur *Febri*. Et quidem omne illud, quod, in curanda hujusmodi Symptomata, notatu dignum & diligentius persequendum invenitur, in Ea provehenda collocatur. Cujus quidem rei, qua perfici possit, Methodus, quando toties hoc Scripto enarratur, non est, hoc loco quod de illa speciatim agam.

Verùm in hujusce *Arthritidis* prophylaxi navanda est opera, ut *Febri* illius, cujus ea Symptomata Fœtus est & Germen, habeatur ratio. Si habitudine, uti dixi, *Πυρεκτικῆ* *Arthritis* oritur; in eo laborandum, ut istam tum Habitudinem, tum *Arthritidem*, efficiens Materia, *Venæ sectione Cathartica*, (lenientibus, & blandis,) *Aquis Diureticis*, *Diætâ Lactea*, & istiusmodi aliis, in *Arthritide* *Calidâ* præscribi solitis, exterminetur, corrigatur, prævertatur.

Si *Febri* *Ερυσιπελατώσει* supervenire eique crebrò (in Constitutione Cholerica, quod aliquando exploratum) subesse, gestiat *Arthritis*; cum utrum-

que Morbum, naturæ (sui Defensionem molientis, & alienum nunc per Ambitum corporis, nunc per Articulos expellentis) opus esse cogitandum est, eniti oportebit, ut, dum Insultus sit, utrique faveatur; *Febri* scilicet per *Diaphoretica*; *Arthritidi*, per *Cardiaca*; *Causam* utriusque Continentem expellendo: & dum Vacatio fuerit, *Causa* Utriusque Antecedens *Aquis Diureticis* eluendo, *Lacte Asinino*, & *Mediæ* materiæ *Diætâ*, permulcenda.

Simili ferè modo procedendum, si ab ullâ aliâ *Febre* ortum habet *Arthritis*; Illius scilicet prophylaxis, secundum Morbum Antecedentem omninò instituenda, & in Affectos studiosè derivanda.

Historia I. Arthritidis Synocho-Secundaria.

Mercator *Exoniensis*, suavissimis Moribus & leni Vir Ingenio, Vultu florido & Constitutione Sanguineâ donatus, Cereri & Baccho (quod quidem illius Temperamenti Homini- bus familiare) per Ætatem mediam indulgendo, favente etiam Corporis ad *Arthritidem* Inclinatione Hæreditariâ, septimum vel octavum agens Ætatis lustrum, illâ corripiebatur.

Dolor, hujus Affectionis Signum primâ Acie luculentum, per Annos plures *πλανητικός*, hos illos Artus per- vagatus est; Rheumaticus esse visus; neque prius, quàm Articulis est affixus, *Arthriticus* censebatur. Hic autem Dolor, hæc *Arthritis* ita obfirmata est, ut Æger, Annos habens vix quinquaginta, Membra permolestè traheret, gravia scilicet, *δυσκίνητα*.

Catarrhis item, Autumno & Hyeme Fauces usitatè obsidentibus, infestabatur; qui Materiam forsitan *Arthriticam* ex aliquâ parte dimitterent, & imminuerent.

Sexagenarius prædium petiit suburbanum, ubi ob Aerem apricum & benè ventilatum, Victu pleniori se implevit. Exinde per Biennium, Articulis parum doluit: sed Coloratior, sed Habitior factus est. At. Væ Arthriticis crassescensibus! Dum ita res erat, & ad Morbum aliquem magnum & gravem Corpus paratum, ex Frigore, Mense Octobri 1701. Febricitavit, & quidem paulò posthæc infestissimè. Algor erat: Sopor, Lingua subfusca, Tussis, Dolor Lateris, qui Sanguinis Missionem suadere videretur: Febrium Mos, per illam tempestatem Epidemicarum malus diffusit: pulsus Ægri languidus & inæqualis, cum Voce tremulâ, Suspensio frequenti, Spirituum Inconstantia repugnarunt.

Ego certè rem mecum volvens, Materiam *vosnglè*, seu *Febrilem*, seu *Arthriticam*, in Ambitum Corporis oportere, & quidem commoèdissimè per Cardiacâ & Diaphoreticâ posse extrudi, Febrimque optimè *Judicari* opinatus, sic præcepi.

℞. Pul. Lapid. Contray. ℥j. Conf. Lujulæ ℥℞. Syr. Melissoph. q. s. f. Bolus, quartâ, 5tâ, vel 6tâ quâque horâ (eâ scil. frequentia, quæ ad excitandam Diaphoresin suffecerit) assumendus; cum Jul. Haustu.

℞. Aq. Melissæ, Lactis Alex. aã ʒvj. Theriac. Epidem. aã ʒiij. Marg. pp. ʒ℞. Sacch. q. s. f. Jul.

℞. Rad. Petasit. ʒij. Scorzon. Cond. ʒj. Hord. mundat. ʒ℞. Coq. in Aq. Font. ℥iv. ad ij. Colaturæ adde Sacch. Cry-

stal. q. s. f. Decoctum: Nycthemeri spatium ebibendum.

Ex horum usu Sudor exstillavit, emanavit; & inter hæc emicuit Dolor Pedis Articularis. Partium mearum esse duxi Naturæ obsecundare, & pro virili Dolorem intendere, Tumorem excitare, Materiam Artubus infigere. Quo circa *Phænigmū ex Ras. Radiculæ, Sem. Sinapios, &c.* Pedi affecto applicavi. Hinc Paroxysmus *Arthritidos* absolutus, Dolore vehemente, Tumore, Ardore, &c. Notabili Signorum Globo stipatus, progrediente paroxysmo, & quidem pro ejus progressu, Declinavit Febris. Famâ denuò ἀπυρεξία, propter Animales Spiritus, quâ Febre, quâ *Arthritide*, debilitatos & pessumdatos, propter Appetitum debilem, & prostratum, instaurandum, *Infusi amarissimi alterantis* haustum bis quotidie potavit.

Tametsi omnis *Arthritidos* paroxysmus *Febrim* habeat, in primâ Acie Flammas excitantem, & quidem in plethoricis & sanguineis simili ferè modo, & utriusque mensura, ut quinq; multum doliturus sit, multum ante febricitet, & contrariò; non adeò tam men accendi solet, evèhique nec ita perseverare, Febris ista *Arthritidis* Paroxysmo præludens, ac quæ modò à Nobis declarata est. Ideoque Febrim istam *Essentialem* esse, tandem in *Arthritida* desinentem, pro certissimo habendum.

Tanti esse judicio isthæc commorare, primùm, ut ostendam *Arthritida*, non semper ratione totius Morobi, sed & unius ratione Paroxysmi, posse esse aliquando Secundariam.

Deinde, hujus nostræ Symptomæ Paroxysmum, quam maximè possumus, esse promovendum, augendumque,

dumque, ut Illius Augmento de Morbi primarii, de *Febris* acrimoniâ & viribus derogetur.

*Hist. 2. De Arthritide Habitudo
πυρεκτικῇ Subjectâ.*

Vixit jampridem apud Nos spectabilis & illustris Fæmina, Vultu virali, Temperamento post hominum memoriam maximè Sanguineo, Patre prognata *Arthritico*; quæ, dum media Ætas ageretur, *Febre*, eaque magnâ, creberrimè revertenti, & rarò annum ampliùs absenti, læcessita est. Quicquid inidonei & Naturæ proposito alieni, in Sanguine coactum, per illam magnopere, temporibus stans, deturbatum est; Sanguis expurgatus; atque adeò cres Saluti facta tecta, & ad tempus aliquod immunis. Cum verò, progressu ætatis, Sanguis imbecillior, & efferrimè proclivis erat; *Febris* intercidit; ex eoque tempore (quamvis *Ægra* sæpissimè enixam est, nec adhuc fefelleret, quin etiam more prorsus salutari fluxere, *Cata-* menia) de subito profilit *Arthritide*; non ea quidem frigida, fegnis, ignava, lento gradu prorepens, Paroxysmum habens languentem, at diffusum, & ad temporis spatium excurrentem, (qualis solet esse foeminarum) sed è diverso Vegeta, sed Acuta; quæ Casu lorem habuit universalem intensum, partis affectæ inflammatum; quæ Ruborem planè igneum; quæ Tumorem insigniter protuberantem; quæ Dolorem acriter mordentem; quæ paroxysmi cujusque Symptomata difficilia, gravia, rapidiori gyro exacta, quæ denique paroxysmum brevi circuitu

redeuntem, & Animi Alacritatem, Articulorum Nodos Tofaceos, cæteraq; *Arthritidis* Calidissimæ consummatissimæque Vestigia relinquentem est amplexa. At (quod hoc Capite præsertim observandum) à *Febre* ad *Arthritidem* tam properè, transituque tam exiguo, abripiebatur *Ægra*, ab incunabulis affecta; ut Materiam in Sanguine latentem, primùm per *Febrem*: Eâ verò cessante per *Arthritidem* ejici, sine ullâ dubitatione statuendum: Sic, ut *Arthritidis* superveniat *Febri*, & (quod in præsentia discutiendum) ex istius quasi Cineribus exoriatur.

*Hist. 3. De Arthritide, cum Febre
Ερυσιπελατάδει vices exercente.*

Nobilissimus Senex, Hypochondriacus, *Arthriticus*, paroxysmos habuit olim frequentes; per biennium antè quam hæc scriberem, nullum. Dein quente verum *Arthritide* Regulari, & simili proportione ingruit *Vertigo*; & interdum *Ανασθησία*; ut, his Affectibus procedendo longius, *Æger* in humum per sæpe caderet; & ne cum damno præcipitaret, summum erat periculum. Quin etiam, Membranæ, & Ligamenta Cervicis, per acceptum Miasma *Arthriticum*, Dolorè multum affecta, Spasmodem riguere. Nuper item Ventriculus ægrotavit, acidum, ærosum, Cholericum ejiciens. Hoc Ego tempore accersitus, & hosce Capitis Affectus, id metas esse *Arthritidis* nuper occultatæ Anomalias advertens, quæ ad Materiam ex Capite ducendam, & vel è Corpore, vel in Artus, folicitandam, per Venæ sectionem, & Cathar-

fin, erant necessaria, persequi destinaveram; cum (eccam!) ultrò se Transfert *Arthritis*; Ejus verò, tanquam Clavo trabali, sistendæ figendæque gratiâ, *Phænigum* in Præscriptis dedi.

℞. Fermenti Veteris partes iij. Ras. Raph. Sylvestris, Sem. Sinapios, Fimi Columbini aã P. j. cum Aceto Vini albi ad Cataplasmatum Consistentiam temperentur, super Linteo duplicato Pars calida extendatur, totis utrisque Pedibus applicanda, Laneis cingenda, cum refrixerit repetenda, donec usque Tumor augeatur.

Si ex Doloribus Syncope suboriatum, Sp. CC. gtt. aliquot cum Jul. Cardiaci Coch. quatuor vel quinque assumantur.

Horas post duas tumuit utrinq; Malleolus; ex eoque Caput, supra quam dici potest, allevatum. Diu manebat Inflammatio; Oculi Vigor restitutus: Capitis Tutela est. Istam autem Historiam, (alius certè Inscriptionis, si modò dicta perpendamus) huc loci retulimus, quòd, de hoc Affectu, cum Ægroti Medico Familiari & Domestico, quo tempore Nobis Sermo intercederet, Nuntiavit Vir præclarus, Omnem hanc *Arthritidem* ex *Febriculâ* pendere, quæ, Eruptionibus quibusdam in Cute Miliaribus fociata, commodè, & cum Sanguinis Depuratione, vigere, & Insultus anniversarios agere solet; nuper autem intermitteret: Eâ carere cum nequiret Æger, sic, ut dictum est, *Arthritide* laboravit.

Hist. 4. *Quartanam*, Cortice suppressam, *Arthritis* sequitur cum Arenulis.

NEc Continuæ tantummodò, *Febri* etiam *Intermittenti*, pedisse-

quæ est *Arthritis*: Cujus rei Historiam, luculentam (Hercules!) & Notabilem, ad hæc admiscere non gravabor. Etiamnum in Vivis est ob præclarè acta Vir Insignis; qui, ante Decennium & quod excurrit, de Valetudine, tum præteritâ, tum eo tempore præsentem, certiore me Sermone fecit. Fuit Illi, Robusto à Naturâ & Athletico, nec Adolescentiam prætergresso, ob Tabem fortè Veneream, (hoc enim subolebat) Corpus summè sædatum, *κακοχυμία* mirè inquinatum: Sub qua Προηγουμένη Febre primùm *Quartanâ* correptus, eâque tum gravi, tum diutinâ, conflictatus est: Donec Cortice (quem *άνω καὶ κάτω* præcessit Catharsis) Peruviano levaretur. Nondum Hebdomadam *Quartana* siluit, cum inopinatò Doluit, Tumuitque, & quidem tum temporis primùm, pedis Digiti majoris Articulus: *Podagra* erat, Signis suis Diacriticis satis superque manifesta. Ut Morbus non tam perimi & deleri, quàm sopiri; non tam extirpari, & de medio pelli, quàm Vultum mutare videatur. Hoc autem casu fieri ne quis existimet, urgente, non ita diu post, eâdem necessitate, *Quartanâ* scilicet recidivâ, *Febrifugum* idem cum repetere necessum erat; idem iterùm evenit, præclusa etenim per *Quartanam* exturbandi Hostem Methodo, Natura ejus exilium molitur, & quidem derrepente, (sic, ut prius) per *Arthritidem*.

Cum *Arthritis* Ægrum deseruit, depravato Sanguine & Humoribus *ινκαρσις* penitus eversâ, substituit sibi alterum in Ægro exercendo quasi Collegam, *Calculum*. Materia per Renes partim expulsa, & ob loci in Arenulas coacta, & concreta, Vomitum, *στραγγυεϊας*, Dolores acerbissimos, Cru-

Cruciatus intolerabiles, induxit; eosque tam frequentes, ut rara sex mensium ab his Vacatio; quin Affectûs hujus vel illius esset Insultus; & eorum ferè alternatim. Longè hinc agentem (quando ità voluit) per Literas suasi, ut debitâ præparatione, per Venæ Sectionem, per utramque Catharsin, præmissâ, Aquis Diureticis Sanguinem purgaret. Vino, quoniam ei inimicum erat, & perrarò impunè Haustum, penitus abstineret. Quid horum factum sit, quâve Utilitate, mihi per distantiam omninò latet.

& tantùm Inducias, non autem pacem, inire Morbum, acriter urgebant. Hisce verò posthabitis, Vitæ genus quietum, neque laboriosum satis agens, ab *Arthritide* quam antea parvam & mediocrem tulit, gravi nunc & molestâ non ita post defedit. Recurrit *Arthritis Quartana* Copiis adjuta, tum multò fortior, tum item frequentior: Variis postea Symptomatis signata, Morem Varium assecuta: Donec *Æger Arthritide, Quartanæ* Viribus adauctâ, depressus, nec ab Imbecillitate ei vel tolerandæ vel curandæ par, è Vivis excessit.

Hist. 5. De *Quartanâ in Arthritidem mutatâ.*

C A P. X.

De *Arthritide ex Colica.*

A R T. I. C. I.

IN Morborum Successionibus & Derivationibus explicandis nonnullius momenti videatur id, quod de *Quartanâ in Arthritidem mutatâ*, altero jam Exemplo, proferetur. Vitam hoc tempore apud Nos Urbanam sequitur, insigni probitate, nec quo melior est, Homo; qui, cum mediâ circiter ætate esset, per Autumno septem ex aliis alios, ut ab Ipso audivi, laboraverat *Quartanâ*; exeunte Anno 1696. miserè torquebatur. Ut *Ægro Naturâ imbecillo* debili que primo quoque tempore Medicus subveniret, per *Decoctum Corticis, & Opiata*, Morborum sufflamavit, *paroxysmos* ejus suppressit: Quæ ad auferendam, & expellendam, Morbi Materiam opus essent, iis ad tempus opportunum & magis idoneum necessariò dilatis. Non defuerunt, qui paroxysmis liberato, & immuni, ut à Reliquis *Febrilibus* eum tuerentur, certissimum probatissimumque hâc in re Auxilium, *Acidulas* proponebant,

Affectio *Colica*, sic à Veteribus ab Intestino *Colo* nominata (quamvis *Cæcum*, & *Tenue* quodque Intestinum, imo *Ventriculum* eodem affici certissimum est) hisce Regionibus adeo grassatur, ut in Morbis hujus populi pervagatissimis, tanquam Vernaculus, habeatur.

Prætermisâ verò *Colicâ*, cum fortuitâ, tum Symptomaticâ, tum *Hystericâ* purè dictâ, aliisque ejus Speciebus, quæ ad Dyonysum nostrum nequaquam pertinent; ut de illâ tantùm, quæ *Arthritidem* præcurrere, in Eamque (*Falsam & Mendacem*) mutari solet, faciam sermonem, est Illa diuturna, Alvo plerumque durâ, creberrimis interdum *Dejectiunculis* solutâ, Dolore potius constanti & obtuso, quam acri & acuto signata; nec non Eos potissimum invadit, quibus *Intestinalis Fistula Mucosa*

parum

parum oblita, vel quibus Illius Fibræ tenuiores, vel Spiritus hæc incolentes sunt teneriores, citòque irritabiles. Quique ad hoc morbi Homines à Naturâ proni sunt, ex pravo Victu, Frigore vel *Δυσπασία*, Causis hæc in re procatarteticis, in eum præcipitant.

II. Quoniam verò *Colica*, quæ *Arthritidem* antecedit, Naturâ multiplex & diversa est, ut de hæc apertè & luculenter dicam, de variis Illius Membris omninò aliquid differendum.

Alia igitur à Materiâ peccante, *Biliofa* dicitur, & ei qui proclives sunt Ætate adultâ, maxime verò si Natura *Δίσπλαγχοι* sunt, & Coeli Æstus, aut iniqua Victus ratio præcessit, Torminibus primùm, deinde Nausea, Sapore ingrato, amaro, & Vomitione postmodum *Cholericâ*, premuntur. Alvus his diebus astricta, at incommodè. Urina ruffa, Faciei, sed Oculorum præcipuè, quod Album esse debuerat, fit Luteum. In Bilis per Os ejectione peculiare aliquid notandum, quod in scrupulis positum non nunquam Ægrum malè habet: A sumpto quippe Emetico, Nisus & Conatus inter robustissimos, Bilis sæpe nè hilum ejicitur, quæ tamen prompta aliàs & absque stimulo liberè solet exterminari. Bilis hæc incerta per Os Emissio, ejus in duodenum vel saltem in Ventriculum impulsio Flumini similiter incerto, videtur respondere. Quum Intestinis inhærendo ea diu læcessivit, ab Alvi duritie suppressa & retenta, Sanguinem redux per Lacteas subintrat, Eumque tam incendit, ut hoc tempore Febriculam, Æstu Sitisque immodicâ, Urinâ Ictericâ ex luteo rubenti, Cute aridâ & densâ, pulsu frequenti & elato, manifestam, liceat observare, per Sanguinem Materia

ad Caput usitatè fertur, & *ὀπρωσίων* atrocissimè impetens, aut Ægrum Apoplexia percullum derèpente interimit, aut in Nervos se insinuans eos resolvit.

III. Hoc, inquam, Morbi hujus *εἰς τὸ κεφάλαιον* ordinariū est, verum aliquoties, certè plus semel notavi, post istiusmodi, quam modò dixi, dierum aliquot Febriculam, dolere, tumereque, interdum etiam ardere, partium extremarum Articulos; idque, Signorum sive complexum ponderibus suis, sive Ordinem examinentius, more prorsus *Arthritico*.

Quâ verò proportionè fulget efferaturque hæc *Arthritis*, se ad Rectæ *Arthritidis* Normam per Artus & Articulos extollens, eadè planè Caput defenditur: Ut ea quàm faustâ quantâque Ægri cum Utilitate, oriatur, illis solum innotescit, qui ex hac parte *Arthritidis* Mala, tametsi gravia, tolerabilia tamen; ex illâ verò Bilis Caput invadentis Sævitiā; ab eaque hujus periculum, intimè perspectum habeant; qui inquam hæc cum illius opposita conferant, æquâque lance perpendant.

Quin etiam de Capite conservato quæ à Nobis traduntur, de Intestinis item proponi poterunt; eatenus certè, ut, quemadmodum Materiam peccantem Artus suscipiant, ad eundem modum ea liberentur Intestina; & ex eadem translata, & pro ejus Mensurâ levetur *Colica*; quoque plus Ægri dolent Articulis, eò minus Interaneis.

IV. *Colicæ Biliofæ*, cum *ὀπιώδης* *Arthritis*, in eo Medicinam locari decet operam, eam præferri Indicationem, quâ Externis quibuscunque Materia foras electetur. Quæ ad hanc rem Auxilia, nostris Hominibus explorata profuere, per ea, toties hoc

Scripto passim memorata, non est hoc tempore ut percurram: Sed quæ hujus Curationis quædam Proprietas est, Cardiaca Interna, ut ut aliis Curationibus ad Paroxysmum conciliandum idonea, hîc loci vel prorsus omitti, vel cautè admodum usurpari par est; ne, incitatâ Febre & mutatâ simul Inclinatione Materiæ, confertim ea in Cerebrum impellatur, Quem utique Impulsu eo magis perhorrescas, quod huic Affectui Primario (*Colicæ* nempe *Biliofæ*) jure quodam avito proprius esse reperiatur; tum quòd istius Materiæ in Artus expressio non ita familiaris sit, aut Morborum Ordini tam conveniens, imò potiùs fortuitò facta & facillimè abscindenda.

V. Alia verò *Colica*, apud *Damnonium*, ex Pomaceo immiti & acido, nimis usurpato, derivatur; id quod ex eo liquet, siquidem illos solùm infestat, qui Potioni isti assuevêre, eâdemque ratione quâ sunt assueti; sic, ut iis Tempestatibus, quæ Pomaceo abundant, crescat & in vulgus ea grassetur: Contrâ verò, Pomonâ copiam negante, rariùs obversetur.

Septimo & Octavo Ætatis lustro sæpè *Colicâ* tentantur iis, qui vinum hoc indigena potare soleant, itaque pergræcari: Et, ubi illa confirmatur & jam inveterascit, non rarò *Colicæ* suppullulat *Arthritis*, cum Articulorum *ἐν τοῖς ἔξωθεν* Dolore, Tumore, cæteroque Apparatu, ad puræ & genuinæ *Arthritidis* faciem ordinato.

VI. Istam Metamorphôsin, in iis Corporibus, quæ *Arthritidi* parata jam olim habuit, Natura per se nonnunquam molitur; sæpè verò numero

per Causam aliquam evidentem & Procatarteticam, Virus irritantem & extra propellentem. Hujus autem generis esse solet per Draffica, & supra modum Elateria, Purgatio: Illa enim Corpori inimica, non tam peccantem & pravum expellunt Humorem, quam universum Sanguinem exagitant, & perturbant: Cui demum Motui & Perturbationi (pari propemodum more, atque de *Asthmaticâ*, de *Hydropicâ*, aliisque pluribus Symptomaticis, supra declaratum est) creberrimè substituitur *Arthritis*. Et ab hisce Pharmacis ἀτέχνης sumptis, aliquam multi *Colicæ* Πόδαξιων.

Non nunquam usu venit, ut ex Cardiacis (*Aquâ* putâ *Mirabili*, *Usquebâch*, *Theriaca Andromachi*, *Zinzibere*, *Chalybe*, aliisque id genus) actu vel potentiâ Calidis, adversus *Colicam*, vel præsentem permulcendam, vel quiescentem abigendam, adhibitis, ex Ventriculo & Intestinis in Artus amandetur aliena Sanguini Materia, & in iis munus & officium colat usquequaque *Arthriticum*.

VII. Habet hæc *Arthritis* Dolorem, præ quod in aliis plerisque Symptomaticis, acutum; sed ab *Arthritide* recta & genuina, tum item omnibus Symptomaticis eo primùm distinguitur, quòd, in *Colicam* ex facili revertatur; iterumq; *Arthritidos* personam capiat, iterumque deponat. (Enim verò Materia *νοσέου*, Intestina & Artus vicissim premens, Morbos hosce, *Colicam* & *Arthritida*, mutuò se excipere facit & alternare.) Deinde Articulorum Oppilationes, Steatomata, Abscessus, Toffi, Ulcera, quæ Exquisitæ *Arthritidi* crebrò, *Secundariæ* huic nostræ rarò accedunt: quod, ex Materia partim

per Anum expulsâ, partim Intestinis dolorem inurente, sicque Articulis partente, fieri credibile est.

VIII. Est & alia, *Podagræ* gignendæ apta, quæ à *Dyspepsis* emanat, *Colica*. Qui ad tuendam alendamque Vitam ingeritur Victus, etsi nec qualitate, nec quantitate peccet, propter vitiatam Coctionem, in Massam turpem degenerat; in virosam, & inimicam: Deest Cibi in Ventriculo sine Tumultu Concoctio sive Liguatio, tranquilla, facilis, & perfecta: Deest ejusdem in Putredinem versi, Motus per Intestina lenis, certus, æquabilis: Desunt, interduras & liquidas Dejectiones Figuratæ, horâ consuetâ exclusæ; nimirum Laudabiles: quæ, Naturæ rectum agentis semper Comites, ejus Oeconomiam monstrant Integritatem. Sed è contrario adest à Cibo Gravitas, Inflatio, Ructus: Massæ adest inutilis, Spumosæ, & Cruditatibus plenæ, tum Acrimonia, tum ab eâ *σρόφοι*, vel Contorsiones Interaneorum ærumnosæ: Adsunt denique Dejectiones vel plures, vel pauciores, nunc liquidæ nimium, nunc coactæ, Naturæ modum hâc vel illâc excedentes; cum defurgendi Cupiditate importunâ, Doloreque Ani, & aliis Accidentibus, quæ Coctionem depravari, & ejus Officinam à *κασιόρρωματι* descivisse, planum faciunt, & magnopere probant.

IX. Qui sunt hujusmodi *Κασιόρρωμαχοι*, provectâ ætate, aliquando tandem *Arthritide* vexantur eâ, quæ jam delineatam opere quàm maximo præsentat; ab aliis verò *Symptomaticis* distat longissimè. Illius instar *Colicam* exceptat, quoties Catharticis fortioribus, vel Cardiacis, ad Exteriora Mali

Materia protruditur; tum à *Colicâ* excipitur, quoties Materia vel ad Intestina retrocedit, vel in Primis Viis de novo generatur: quorum alterum sæpe, & ex facili fit; alterum quotidie.

X. Si quis autem *Arthritidem*, *Colicæ* hujus vel istius Profapiæ supervenientem, non tam *Symptomaticam* & *Secundariam*, quàm *Primigeniam*, esse contenderet; ipsamque *Colicam* (aliter atque primâ facie videtur) *Arthritidem* esse, sed Anomalam, & demum Regularem; profectò quidem hac in parte neque difficilem Me inveniet, neque vehementer repugnantem; ut neque temerè concedentem. Dubium esse fateor vel Apolline dignum, & Nodum Æsculapio Vindice. Nihil habent *Symptomata*, quod *λόγος ἀναγκαστικός* alterutrinque fidem hâc in re conciliet: Atque adeò, dum ista silent, præcisè aliquid statuere temerarium habeatur. Utcunque sit, haud minori jure *Symptomatica* esse confirmetur hæc *Arthritis*, ac contra negetur; imò quidem majori; propterea quoniam *Colicam* manifestè insequitur, eamque sæpe Veterem, & (quantum hac in re perspicere datum est) genuinam & exquisitam: Verùm ut res se habeat, in Arte factitanda eodem ferè recidit; Nam dubiæ hujus *Arthritidos*, nunc Intestina, nunc Artus infestantis, produabus istis Sedibus & ab alterâ ad alteram illius Migrationibus, Curatio propria ac peculiaris excogitanda est; nec in hâc *Arthritide* sanandâ depellendâque Medicinam, uti decet, quis exercuerit, nisi *Colicam*, cui ea subjicitur, ob Oculos posuerit, & ex hujus consideratione illam vincere tentaverit.

XI. Hanc ad normam agenti consenta-

sentaneum videtur, sive à Pomaceo, Vino subacido, Cerevisiâ veteri, vel à Dyspepsiâ proficiscenti *Colicæ Arthritis* subnascatur, quòd Paroxyfmi ferè eadem, ac in *Arthritide* exquisita, Medendi ratio: Prophylaxeos autem alia atque alia est, pro Causæ remotioris diversitate; verùm, ac in *Colica Arthritica*, nequaquam alia. Ubi in Poculis Erratum, Mos ille perniciosissimus primo quoque tempore abrumpendus; tum quòd intus alieni, iterata Catharsi deducendum. Hunc in finem Aquæ purgantes, per se, vel cum *δυσλοσία* postulaverit, per Salem Catharticum adjunctæ, conducunt egregiè. Quotiescunquè verò *Colicam* à Dyspepsiâ sequitur *Arthritis*, Coctionis, *Εργασίειον* bene & frequenter purgari, Coctionem Digestivis stabiliri, pari fere ritu atque in *Arthritidos Exquisitæ* Prophylaxi, oportebit.

XII. Novissimè, Corollarii loco addam, hujus Tribus *Symptomaticis*, præter cæteras sui generis quascunquè, præter *Arthritidem Exquisitam*, omnibus hoc commune esse, quòd istarum Paroxyfmi per Eccoprotica subinde iterata maximè vel præcaventur, vel saltem minuuntur.

Historia I. *Arthritis Colicæ Biliosæ Secundaria.*

FÆmina quædam, Constitutione post hominum memoriam maximè *Cholericâ*, nunquam *εν τῷ γαστρὶ ἐχέουσα*, sub Ætatis flexum, *Colicâ* pertinaci *Biliosâ*, cum ingrato Sapore, *δυσοσείλια*, Vomitu Bilis frequenti, Dejectionibus raris, & parum coloratis, Urinâ ruffâ, Ore luteo, & lentâ quâdam Fe-

briculâ premebatur. Horum autem Malorum Procatarepticam habuit Errorem in Victu assiduum, utputa crasforum & *δυσπείτων* Estrix. Ubi Alvim inanientibus (præsentissimo illi remedio) plus semel levaretur *Colicâ*, ex Bilis incremento, constantiâque & acrimoniâ, menses post aliquot, iterum & sæpius, recidiva est. Fugiente Seculo superiori, cum Affectui gravi tollendo tempus aliquod apud nos impenderet, præter *Colicam* memoratam, pedum item orta est debilitas; quæ primo aspectu Paralyfin, hujusmodi *Colicæ ἐπιγέννημα* familiarissimum, prædicere videretur. Quò per Anum Bilis exularet, neque se in Nervos insinuare permitteretur, Catharticum adhibui. Iteratum infecutus est utriusque (sed potissime dextri) Pedis Tumor, Malleolum, & Pedis Convexum, Hallucem autem præcipue, distendens; quem comitabatur hujus majoris Articuli Teneritudo mirifica, Dolor pungens, Rubor, Ardor revera *Arthriticus*. Per æquâ verò proportionè increfcit *Arthritis*, quâ minuitur *Colica*. Cum de suis exinde interponerem, Matre admodum *Cholericâ*, & demum *Arthritica*, fuisse prognatam; veterique *Arthritico* diutius junctam accepi; sic, ut Vitium partim Hæreditarium, partim Contagiosum esse suspicari liceat. Rectè se habent *Muliebria*, & cum *περὶ πόδια*.

Ad Medicinam morbi genio accommodandam, in eo fui, ut materiam, quò possim artificio, extrâ dimoveam; ideoque Internis eam protrudentibus, Externis eam invitantibus, diversis scilicet diverso modo idem operantibus, insisto; ut & toti Malleolo, & dextri Pedis Summitati, *Epispasticum* im-

poni, sinistrum pedem Laneis involvi, calidèque vestiri: Et paulò postea Soccos, ex Cerato illo viridi quo fiunt Petasothecæ, perpetuò gestari jubeo. Unde exsudavit Humor, nec inutiliter: quamdiu enim perduravit iste Fluxus, recessit usque Colica & visa est declinare.

Erat autem ista, per Articulos, Crisis imperfecta; quod reliquum erat materia, finita re Arthritica, & ejus spe fallente omni, avitos intra limites se recepit, moreque proprio agens Caput est adortum: idèòque de hujus Ægrotæ malo non est quod amplius addam; Unum istud volui, ex Colicâ Biliosâ posse Arthritidem exoriri.

Hist. 2. Arthritis Colica ex Pomaceo

Vir Amplissimus, Animi & Fortunæ Dotibus Insignis, Natu integerrius, Ætate constanti, Venatione aliisque exercitationibus otiosè & raro se fatigans, Poculis plus solito indulgere coepit. Ex temperamento Sanguinis præfervido, in Deliciis habuit Pomaceum, Vinum indigena, propter eà quòd, (defæcatum modò & tenuè) absque Sanguinis immòdico fervore, pro illius naturâ spotionis, Chilaritate animum perfudit. Nondum ita diu indulgit; cum, Dolore Colicò & annos aliquot deinde post Arthritico, teneretur; utroque interdum magno, sed tolerabili. Sic se habuerunt hi affectus, ut ne semel quidem unquam concurrerent, ut nec vices, aut periodos remeandi certos unquam exercerent; contra, nullo ordine (pro materiâ vel Intestinis, vel in Sanguine ex causâ evi-

denti congestâ, & ad *anxulw* evectâ) Ægrotum alter & alter occuparet; Interea temporis notatu erat facillimum, Arthritidem hanc, ab ipsissimâ Colicæ materiâ, in Artus translata, haud dubiè fieri. Itaque se rem habere in propatulo fuit, tam ex eo quòd Arthritis sæpenumero Colicam exciperet, eamque (sic, ut Duratio paroxysmi erat) mitigaret; quam etiam, ab eadem Ægrotum, quòd ad tempus aliquod defendere carneretur.

De vitandâ Morbi hujus utriusque *προσφάσει* Vir Nobilis non nimis sollicitus, solito ex more egit. Prophylaxin autem utilem, efficacemque, simplicemque Deus illi fortunavit. Quoties enim Dolor Intestinarum ingrueret, inter ipsa ejus initia ut occurrat, Syrupi Domestici præter-propter Unciam idoneo vehiculo temperatam, hauriendo, Morbum *καρπῶ* præcidit, contudit, fregit. Quid si quòd eo ipso causam Arthritidis *καρπῶν ἐπιπέλω* primis Viis avulsit. Cæterum, Verè & Autumno, haliâque quoties Intestinarum Inflatione, Æstus Corporis universalis, & plethora (quæ Materiam recrudefcere & gliscere indicavit) exigere videretur, Aquas Alfordenses in se ingurgitando, Fistulæ Intestinalis proluendæ satagebat: adeòque Colicæ causam conjunctam, Arthritidos Remotam, amovendo, Utriusque sævitiam magnâ ex parte antevertit. Neque mitti oportebit, quòd ex frequenti Materiæ *πλεονεξία* & Arthritidos a paroxysmis (qui per annos plus viginti creberrimi fuere, ut & Regulares) tametsi Articulos hodiè corruptos, Recrementis Arthriticis distentos (neque temerè) quivis expectare potuisset, Vir hic Egregius aliter

aliter multò pedes, manus, habiles exercet; eorum usquequaque compos impræsentiarum est, & quantum præsentione possum assequi, futurus.

Hist. 3. Colicæ ex Dyspepsiâ diuturnâ, Gonagra superveniens.

Matrona quædam Colico Dolore, annos pæne viginti conflictata est, ut rarò Mensam immunis ageret; ut indies propemodum gravaretur. Torquebantur Intestina, & post Vermiculationes unius circiter horæ *περιττωμα* quoddam acre & pungens, non sine Dolore Sphincteris illacutissimo, quantitate medicâ dejici solebat. Dejectiones secuta est Spirituum Submissio; sive languor; Incredibilis; unde in lectum se projicere, quocumque Fors permitteret, medio interdum itinere, donec Ægra fomno, vel quiete, vires integraret, identidem necesse habuit. Deficienti maxime profuerat Cardiacum, vel actu Calidum aliquid pyttisare. Post breve Deliquium, Vitæ Munia sicuti prius, repetiit. Cibum si quis fatis fumit, & quamvis eo, ut dixi, morè crebrò lacescita est, Vires & Colorem retinuit. Plures illa Medicos (Doctos, Jupiter! & Exercitatos) hæc de re consuluit; quibus, ut ipsa mihi renuntiavit, communis erat, quæ & maxime probabilis, Sententia, Colicam hanc à Dyspepsiâ proficisci. Sub finem anni supra quam moris erat, urgebat Colicæ, & Hystericæ Affectione fociata Dominam valdè remaciatam, debilem, languentem pæne confecerat. Nihil potius illius causâ volui, quam Alvum aperientibus expurgare Materiam, Turbas illic concitatas & inquietas

tem paregoricis sopire & componere; cumque restituissem, ut tenerem quem ceperam locum, & Ægrum fido tuerer prophylactico, Decocti Corticis Martiati haustum, bis vel ter in singulos dies propinavi.

Habet illud Decoctum pul. patrum & Limaturæ Ferri ãã. ℥i. in Aquæ pluvie ℥viiij. coquantur ad ii. per pannum Wallicum fit Colatura; Cujus ℥ij. adduntur Aq. Hystericæ Londinensium ℥ii. Tinct. Aurant. gtt. x. Syr. Caryoph. q̄s. fit in usum præfinitum Haustus. Remedium hoc, ad Menses aliquot, ad Congios plures usurpatum, magnum attulit momentum. Melius inde perfectiusque concoxit Ægrotâ; rariùs & tolerabiliùs doluit; Bonis erat Viribus.

Æstate proximâ, majoris utilitatis spe allecta, ad Aquas se recepit, quas antea commodè adversus hunc Affectum hauserat, Tunbrigenses: Martiatorum, quæ præparatorum, quæ Naturalium, usum, partim etiam Currus agitatione Milliaria quadringenta brevi spatio metientis (quod Herclè vero proximum) in Artus statim ab itinere, propellitur Materia *υοσπη*. Erat utrumque Genu naturâ imbecille, nec ad motum, maxime ad declivem, idoneum satis. Utrumque obtorpebat, nec absque Dolore flectebatur: Dolori adjunctus est utrinque Tumor, cum mirâ debilitate & motu læso; Rubor autem nullus, ex Temperamento Corporis (quod opinor) frigidus, neque Ardor ullus apparebat, sed Tumor, qualis solet esse Frigidæ Arthritidis; Interea temporis *ἡς ἐντέρας* adeò prorsus integra est, ut nunquam magis.

Ut Gonagræ, Morbo Colico hunc in modum *ἐπιζυγομένη*, pro facultate

mederer, utriusque Affectûs habitâ ratione, *Aquam* adhibui *Spadanam*, cujus Ampullam modicè tepefactam, instillatis cuilibet ℥ss . *Sp. vol. ol. gtt.* aliquot, horas inter sextam & nonam, omni manè exsiccavit.

Decimâ seq. Vini albi Lusitanici Haustum, Gentianæ Zedoariæque Infuso alteratum: Quartâ pom. Decocti Cort. Martiati Haustum, cum Hibernorum Usquebach pauxillo. Quin imò, septimâ quâque die (quoniam illud Tormina, subinde recurrentia, pustularunt) Catharticum è Calomel. ℥ss . Extr. Eustach. ℥j . Scam. pul. Castor. Assæ fœtid. solut. ana gr. v. diluculo sumendum. Vesperi Bolum è Ther. Androm. ℥ss . Zinzib. in Indiis Cond. Conf. Fruct. Cynorrhod. ana ℥ss . Syr. Aurant. q. s. cum Aquis idoneis & Diacod. ℥ss .

His Auxiliis, quâ per Renes, quâ per Anum, emissa est causa *Gonagræ* conjuncta; utriusque Genu Tumor subsidit: *Colicæ* item Materiam, cum Emolumento Ægrotæ lauto & locupleti, tum ejici, tum ex parte aliquâ præcaveri constat.

Non est autem reticendum, quòd ex *Dyspepsiâ* brevi tempore recurrente, denuòque Materiam ministrante, *Colica* recruduit; & Femoris dextri Internodium menses inde post aliquot infestavit Dolor, idem ferè ac si *Rheumaticus*; Vagus certè, quippe qui ad Acetabulum Coxendicis sensim ascenderet. Hunc comitabatur ejusdem *Pedis* (latè sumpti) totius Debilitas: Qui tamen Dolor &c. non alius esse jure potiori censeatur, quàm *Arthriticus*, ex Materiâ recens ortâ partem nuper affectam, & eo nomine debilitatam, occupante.

Hiscè verò diebus, Anno nempe 1702. *Gonagrâ* & omne genus *Arthri-*

tide immunis Ægra, Affectiõibus interdum *Colicis*, at frequentissimè *Hystericis*, quibus olim per *Gonagram* utrisque liberabatur, Afflicta, Aquis prædictis usa est, & fructum ex eâ re ingentem retulit.

Hist. 4. Ex Colica Paralyticus, Arthriticus, Inunctione trucidatus.

Dominus R. propter Viam *Apsamensem*, Ætatis flore, *Colica*, quam *Pictonicam* appellant, aliquandiu gravatus, ex more & progressu istius mali ordinario, incidit in *Paralysin*; Artus exinde marcidos, graciles, *ἀκίνητος* habens; per reliquum vitæ *Clinicus*. *Paralysi*, sub ejus initium, accesserunt Dolores erratici, incerti, horum illorum Artuum Internodia cruciantes Autumno & Tempestate pluviam maximopere sævientes, & tum ad amuffim *Rheumatismum* simulantes, ut Æger eo morbi plus decennium ægrotasse (Medico, nec indocto, nec inexercitato, tota cum vicinia consentiente) passim haberetur.

Cum Ætas præcipitavit, Dolor iste Vagus in Fixum mutatus est Articulorum juxta positorum, & nova Symptomatum Cohorte supratum; id est, Tumore, Rubore, Lævore, &c. quæ cum *Arthritidem* eo loci jam esse *Fixam*, cum à Decennio fuisse *πλανητικὴν*, vel luce clariùs ostenderunt. Materiam in Articulos impulsâ, & *Arthriticos* ibi paroxysmos faciente, perrarum aliquid, notatuque dignum, observare licuit; Artus scilicet eosdem ex *Paralysi* flaccidos, macerrimos, tantum non emortuos; ex *Arthritide* floridos, inflam-

inflammatus, vegetæ & vitalis Vitæ indicia commostrantes.

Cum eò loci res erat, perfectæ (videlicet!) consummatæque Curationis spe deceptus, Circumforaneo cuidam, Hominum inapudentissimo, nec quidem Vulgi stupore nobili, Se Vitamque suam commisit. Hic factum tectum protinus ut Ægrotum redderet, Membrorumque omnium omninò compotem, Unguento illa nescio quo (*Mercuriali, an secus,*) oblinivit. Quid exinde factum est? Qui per Annos aliquam multos, si Vitæ momenta perpendamus, sic fatis habuit, (benè enim appetere, concoquere, dormire, generare, similiaque eum Officia rectè obiisse, certo certius est) istà Intentione absque ullâ concurrente causâ, tanquam *Asthmate*, suffocatus, Animam agere cæpit, & aliquantò postea expiravit.

C A P. IX.

De Arthritide, Morbis quibusdam Cuticularibus subjecta.

ART. I. QUÆ Suppressioni *Gonorrhœæ* Virulentæ subicitur *Arthritis*, ad Luem ea pertinet Veneream, cujus quidem Mali ista Suppressio in Causâ est, & cui *Arthritis* illa proximè succedit. Quæ *Scabiem Scorbuti* flammeam, quæ *Paturisæ* siccam, quæ *Febris Eruptionem Mili rem* sequitur, ea non tam horum Symptomatum, quam ipsorum est Morborum *Επιζήμια*: Nec eâ re hujusce loci. Quæ *Achoribus*, quæ *Hæmorrhoidibus*, quæ *Ulceribus*, aridis & siccatis superest, illa hoc Capite perstringenda est.

II. De affectibus hujus *Symptomaticæ* Primariis generatim acceptis, primum observandum est, quòd multâ Naturæ operâ & labore, illi (uti *Arthritidum Symptomaticarum* morbi Primarii plerique omnes) Materiam, quam habent ineptam, inidoneam, & alienam, in Ambitum Corporis expellunt, ibique exterminant: Quo quidem nomine, cum *Arthritide Primigeniâ* rectâ, & legitimâ, ad amussim concordant.

Tum, de his notandum, quòd, quoties eorum Materia, seu Victu pleno & immoderato, sive Otio adauctâ, per Excernicula priora minimè expressa, in Sanguine cumulata fuerit, ex eâ Sanguis Discordiam & Turbas subit, supra Naturæ modum vehementes; atque his succedit alieni per Articulos Expulsio; id est, ipsa quam dicimus, *Arthritis Symptomatica*.

Deinde advertendum, quòd *Arthritico* durante Paroxysmo Primariæ maximâ ex parte conquiescunt Affectiones; sistuntur Evacuationes istæ Morbosæ; Latices isti exsiccantur; Eo verò ad exitum perducto, scaturiunt denuò; & quidem tantisper, dum novâ repullulante & urgente Materiâ, Prælium redintegretur, & *Αὐτὴς Arthritica* revertatur.

III. Ex eo verò, quòd *Symptomatica* hæc nostra Morbo semper alicui externo submittatur; primum est conjicere, eadem illam, cum Primario suo, sed auctâ, sed in Organum majorem evectâ, & per Excerniculum insolitum, id est, Articulos expulsâ, gaudere Materiâ: Nec non exinde tum à reliquis *Symptomaticis*, tum ab *Arthritide Primigeniâ*, vel primâ facie distingui.

Sufficiunt enim, ex instituti nostri ratione,

ratione, Morbi hujus Derivationes Successionesque propter quas in *Symptomatarum* numero ille censetur; tametsi concedamus (quod tamen non concedimus) Materiam ejus cum purè *Arthriticâ* reverâ *Specie* convenire. Et, quæ res est, ut planè & Latinè dicam, ex hujusce Morbi Ortu & Metamorphosi quàm facillimâ, ex ejus concordantiâ & similitudine cum *Arthritide Primigeniâ*, vel eandem his utrisque esse Materiam, alio corpore in Ano, alio in Tibiis, alio in Auribus, ἀνωμάτως; postea verò in Artubus; ὀρθῶς, se gerentem; Vel, *Symptomatiçæ* huic nostræ Materiam esse, *Arthriticæ* illi longè simillimam & germanissimam, existimandum est. Et quia hæc *Arthritis* vel ipsa est *Primigenia*, vel ei quàm simillima, idcirco de illâ postremo hoc loco differuimus.

IV. *Symptomatiçæ* tam peculiaris subjicienda est Curationi quodammodo peculiari. Etiam si enim in ejus paroxysmis eadem Medendi ratio, & in eorum Intervallis idem Victus, ac in *Arthritide Primogenia* valebit; in iis tamen alia locum merebitur, imò vindicabit, quæ huic Affectioni propria est Medicina, mirum quantum à prædictarum Methodis varianda.

Nihil enim Ægro per vacationes paroxysmorum commodius, aut quod Adjumenti plus contulerit, quàm ut Morbus, quicumque fuerit primarius, sustentetur, alatur: Ut e.g. *Ulcus*, si quid exstiterit *Cuticulare*, nè Carne obducatur aut arefiat, per *Cathæretica* sive Carnem modicè rodentia, eniti. Placet hunc in finem *Aqua Viridis exedens Barbettiana*.

Ad *Achores* revocandos *Epispastica* prope Aures applicentur; vel lenia

quædam *Attrahentia*, quæ Humorem illuc peccantem & vitiosum invitent, eliciant.

Ut *Hæmorrhoides* aperiantur usui esse possent *Aloetica* internè adhibita, externè verò *Hirudines*.

Quemadmodum Salutares sunt Evacuationes, per *Ulceras*, per *Achores*, per *Hæmorrhoides*, hæ prædictæ, ideoque promovendæ, ita quidem, si *Hydrops*, *Colica*, *Tussis*, *Apoplexia*, vel siquid aliud Mali, ex earum Suppressione oriri videatur, omninò necessariæ sunt, & primo quoque tempore consciscendæ.

Atq; ista volui de *Arthritide Morbis his externis* supervenienti, quæ pro eorum numero multiplex habenda, & diversa: Hoc autem Capite propter eorum Convenientiam & *Arthritidum* iis enatarum Vicinitatem, ac si una tantum esset, explicatur.

Historia I. De Arthritide Aurium Achoribus subjectâ.

CURRENTe Sæculo priori, *Damnonio* hoc *Orientali* florebat Ordine Equestri Gens, Humanitate, Opibus, & pietate insignis, illoque tantum nomine infælix, quòd Ea tota, tam Fœminæ quàm Mares (erant autem illæ quàm plurimæ) *Podagrâ* miserrimè torquebantur.

Harum Una, Articulos non adeò graviter affectos habens, Dolore, Artus alios aliosque perreptante, multos annos est afflicta. *Rheumatismi* nomine, pro Vulgi more, Malum isthuc appellatum est, quod tamen potius *Arthritis Vaga* æstimandum. Decedente eo *Tussis* exoriebatur, factâ in pulmonem Materiam

μεταπτώσι, & phthisi paulò post oc-
cubuit.

Hujus *Arthriticae* Filius jam quadri-
mus Aurium Mórbo tentabatur; ex om-
ni parte tumuerunt illæ, præcipuè ve-
rò *Helix*. Tumor initio ruber & φλεγ-
μονώδης, brevi exinde tempore subal-
bicans. Serum illud acre, quod intus
contentum, in Tumorem Cutim extu-
lit; Fibras autem Cuticulares fodien-
do, Spiritusque earum Incolas irritan-
do, pruritus immanem, perpetuum
& ferè intolerabilem excitavit; in Cru-
stam posthæc albidiorum condensat-
um est: quæ quidem Crusta, demum
exarefacta, & in Squamulas divisa, de-
cidit; relicto loco, tanquam à Variolâ-
rum frustulis, inflammato. Confertis-
sima erant hujusmodi Excrementa, &
quidem adeò crebra, ut propemodum
perpetua viderentur. Veteri subitò no-
va Messis successit; pro Materiæ pec-
cantis abundantia, & Cæli Humiditate,
(quæ ad hujusmodi *ρύσις* contribuere
notabatur) major Ichor autem, quan-
do largiter profluxit, non sine Fætore
erat gravissimo, Naribusque ingratis-
simo: Ea spes Amicorum erat, ut Ætate
progrediente sisteretur iste Fluxus, &
quidem tuto; ex eoque Annis Puerili-
bus ita profuso, meliùs & tutiùs agere-
tur quod vitæ reliquum.

Ineunte quidem Adolescentiâ, for-
san ob Exercitationes eo tempore ve-
hementiores, Fluxus est remissio: At
Annorum vix triginta, Vir sobrius,
neq; *Veneri*, neq; *Baccho* deditus, *Ar-
thritide* corripitur, post homines natos
acerbissimâ. Per idem tempus Aurium
illa Affectio major recurrit, sed cum
Arthritidos Paroxysmis vices habens
alternatas. Horum enim Vacationibus
scaturiunt Aures; at Naturâ Paroxys-

mus moliente, ad eumque sese, quasi
accingente, siccantur hæ; &, ab his
siccatis, instantis Paroxysmi non leve
ortum est indicium.

Hæc sunt, quæ de hujus *Arthritidis*
Ortu & Derivatione dicenda habui;
quæque si rectè judico, illius generis
eam esse ostendunt, cujus Materia
partim per *Achores*, partim per *Arti-
culos* expellitur: Eâque ratione, quòd
ordinariò, prior illa sufficiat Evacua-
tio, quàm primum autem *ὕπερ μέτρον*
in Sanguine cumulata & congesta fue-
rit Materia, itemque ad Exilium parata,
Paroxysmum illa concitet *Arthriticum*.
Sic, ut Materiæ ad hanc vel illam
Partem Determinatio, ex ejus quan-
titate & Naturæ nisu fortiori, pro-
fus pendeat. Si verò ipsam spectemus
Materiam, esse illam, utriusque harum
pari ferè mensurâ propensam, & æqua-
liter faventem.

Sunt autem alia, quæ, cum aliis qui-
busdam *Arthriticis* huic nostro com-
munia, memoratu digna censeantur.
Primum, præter labem Hæreditariam
modò dictam, Caussam hujus & *Ar-
thritidos* & *Achorum* antecedentem esse
procul dubio *Dyspepsiam*: Cibo enim
difficiliori (Porcinâ, Bubulâ, & istius-
modi aliis) nimium delectabatur; is
autem Ventriculo minimè confectus,
simul cum Corpore Morbum alere
judicetur. His addendum Ægri genus
Vitæ otiosum, neglectis scil. Exerci-
tationibus, quibus Juniores Satiæ
Mala seu prævertunt, seu refarciunt.
Otio facta est (quod tertio notandum)
Perspirationis Diminutio; Cuticulæ
universæ, Manuum verò præsertim
Ariditas: Unde Humores intus reti-
nentur; unde Malorum Illias. Urina
huic Ægròto in Paroxysmo pro Dolo-

ris & inflammationis ratione rufula, alias straminea, semper autem pro quantitate Poculenti larga. Ingruente Pluvia semper ille Venarum Distensionem, Sanguinis Orgasium, Corporis Hebetudinem persensit. Complures ille periclitatus est, per *Aquas Bathonienses*, per *Cathartica*, Sanguinem expurgandi Methodos. Nulla verò profuit. Adeò illi Sanguis intractabilis, & δυσμετάβλητος. In Cibo εὐχόμεως εὐπέστος, parcè sumpto, quo Morbi Causa præpediretur, Spes sita erat Prophylactica. Ille verò Cereri indulgens, & quicquid gratum erat, utut difficile coctum demittens, bis terve Anno fermè omni desedit *Arthritide*.

Unum adjiciam, quod huic Ægro proprium esse videatur; *Arthritida* nempe aliquando Dextram invadere Patellam; Drachmæ occupare spatium; per Dies aliquot durare: Paroxysmum autem insequentem, diuturnum esse, gravem, Genuque labefactare, & valde imbecillum reddere. Ob Genu imbecille factum est, quod Gradus scalares multò facilius expeditiisque sursum, quàm deorsum iret: quando in descendendo necessum, nè Corpus antrorsum rueret, summis illud Viribus cohiberi. Hoc autem Silicerniis, & depontanis ferè omnibus commune.

Hist. 2. De Arthritide Ulceribus subolescenti, Epispasticis allevata.

Ulceribus, quæ Cutim mordent & exedunt, ἐπιγυνομένης *Arthritidis* varia præsto sunt Exempla; ex quibus uno, quod ob Oculos rem hanc omnem planè & perfectè repræsentabit, contentus ero.

Vivit etiamnum apud Nos, Ætate adhuc constanti Vir; cuius, ut in ipsis *Arthritidos* Paroxysmis, ita non minùs in eorum Originibus, occurrunt plurima notatu longè dignissima.

Ingruente Paroxysmo præmitti solet Fastidium, Symptoma creberrimè prænuncium; tum Urinæ tenuis & pallidæ, tanquam in *Hystericâ Affectione*, Profluvium; non nunquam etiam Mandibulæ Dolor, quasi propter imminentem *ὀδονταλγίαν*: Spinam autem Ischiique Offis inter Acetabulum, usitatè Dolor acutissimus, pariter ac ab Affectu illo molestissimo, quem Idiome Nostro a *Crick* appellamus: Ab illo verò diversus, eò quod vagetur, & Spinam perreptans ad Homoplatarum usque intercapedinem ascendat. Eò loci quàm diu iste viget, Spiritum Æger difficillimè trahit, ac si *Asthmate* pæne suffocatus. Hoc in statu, pomaceo liberaliter ingesto, sæpe ille ad tempus aliquod paroxysmum protelat: Grallator alias, Artuum exinde cōpos. Hæ verò tantum Induciæ sunt, æque breves & infidæ. Die enim postero, quæ pedibus, quæ manibus, solet universè & quidem acerbissimè dolere. Cum deferbuit Sanguis, in Carne Musculosâ Tumores facere Materiam νεσθηήν, duròsque & longos, Restis in modum, excitare; & per Artus alios aliosque *πλανητικῶν* Articulos aggravare, constat.

Quemadmodum *Febris* & Dolor accedunt & intenduntur, Urina magis flamma & rubra est: Iste verò Rubor remittit simul cum Dolore, idque ejus proportionè. Veteris jam *Arthritici* summitatem Cubiti sinistri Tumor occupat *ὀιδηματώδης*, Nuci Juglandi par, Toffos habens intermixtos, duritie & mobilitate distinguendos. Hæc

Hæc sunt, ad hujus *Symptomatum* paroxysmos quæ præcipuè spectant, eorum verò de Origine considerandum est, quòd Æger hic noster *Ulcusculis*, quorum alia minora erant, nisi majoris secti Basin exæquantia, alia ad Diametrum Thaleri largiora, omnia verò Tibias obsidentia, ante multos annos afflictatus est. Quibus cum *Arthritis* subjieciatur, quamprimum hujus Cura mihi demandata est, nihil potius habui, quàm ut, Naturæ Methodum imitando, ejusque vestigia reprimendo, Materiam per Cutim elicerem. Ideòque *Vesicatoria*, quibus id negotii perficiatur, in usum proposui; quin & Malleolo, Carpo, cæterisque Articulis Doloꝛe cruciatis, vel eos quàm proximè, nunc plura, nunc pauciora, prout exigere videretur Ægri res, admovi.

Hæc autem eo cum successu acta sunt, ut acris Seri fætidiq̃ue admodum, Uncias sæpe quatuor, identidem sex, non nunquam octo, unum idemque extraheret *Emplastrum*. Unde Vicini Dolor Articuli statim mitigatus, & paulò post sublatus. Artificioſis hisce Colis adeò delectabatur Æger & profecit, ut quoties Dolor recruduit, ac si esset *ἀνάσθησις*. Ipsius sæpenumero *Epispastica* superponi juberet; ut, eodem tempore, sex septem interdum gereret.

Ex eorum Doloꝛe & Fluxione macescit Æger; Caro illius impendio absumi; Vires debilitari & pessum dari solent; sed cum Emolumento, & Fructu certè amplo locupletique. Quamprimum enim *Ulceræ* exsiccantur, Somno & Fame postliminio restitutis, Cibo multum idem reficitur: Vires reparantur. Hisce verò adaugendis non parum conducit Aer apricus, &

Pomacèum; quorum alterum mirificè Appetitum acuit; alterum Animales Spiritus fovet recreatque.

Cum Miasmate *Arthritico*, sive per paroxysmum, sive per *Epispastica*, liberatur Æger; nemo unquam Hominum vegetior, nemo hilarior. Ut Coctio recta sit, *Infusio Amaro Chalybeato* me hortante utitur; non nunquam etiam, ad Sanguinem instaurandum, *Aquis Germanorum Spadanis*; utroque certè, Eventu non infelici, imò felicissimo. Redit exinde *εὐσκαρία* Sanitasque sic, ut horum in paroxysmorum Intervallis Uxorem quotannis gravidam faciat, Valetudine, si unam excipias Claudicationem, factus integerrimâ: donec Cibi abundantia & Satietae Corpus amplè nutritum, & nimis sit impletum; inque Artus denò erumpat Humor, iterumque *παροξυνήται*.

Hujusmodi *Cyclus*, paroxysmum simul cum Vacatione continens, quotannis in Annos singulos ter quater repetitur. Solet autem paroxysmus nunc unius Mensis esse, nunc duorum, interdum etiam trium, pro Materiâ plus minùs cumulatâ & evectâ.

Ulceræ, quæ ab *Emplastris* sunt *Cuticularia*, brevi tempore sanantur; maximè verò quoties *Aquâ Calcis vivæ* abluuntur.

Cum aliquando pedes tumefierent, ad detrahendum Miasma *Arthriticum*, unâ cum Sero in iis depositum, Amici cujusdam hortatu Catharticum è fortioribus assumen. malo id eventu fecit; adverso *Æsculapio*. Si Evacuationes spectemus, instar omnium erant, in paroxysmo, *Epispastica*; in Vacationibus, *Diuretica*. Horum autem Usus uti perrarus fuit; Illorum

verò creberrimus; illis potissimum deberi agnoscendum est. Quòd, dolore Æger etiamsi acerrimo subinurgeretur, tamen ei sustinendo tolerandoque usque par existeret; neque per Decennium nuper elapsum, etiamsi tot tristissimis Accessionibus comitatum, si præcipuæ notæ Viscera, si Vitæ pondus attendamus, enervaretur aut multum debilitaretur.

Hist. 3. De Arthritide (cum Febre Intermittente) ex Hæmorrhoidibus occlusis.

HIS affinis illa *Foresti* Observatio, de *Hollandiæ* præfide quinquagenario; qui, cum *Hæmorrhoidibus* affici solet, ex iis occlusis in *Tertianam* incidit, & paulò post in *Podagram* & *Chiragram*, adeo vehementes, ut per dies viginti lecto affigeretur.

Hujus Mali Causam esse, Vir Clarissimus existimavit, non solum phlebotomiam ac Catharsin prætermittam, sed (cum aliis quibusdam) & quidem maximam ex parte *Hæmorrhoides suppressas*: Neque verò perperam; Ratus enim id, quod erat, per Lenientia, Ventrem inanivit. Quo subducto, & dolore Cataplasmatibus mitigato, in Excrementis denuo conspicitur ex *Hæmorrhoidum* apertione Sanguis. Hoc viso Sanitatem Medicus pollicetur, & quidem brevi admodum Æger *Arthritide* liberabatur; neque Annis post sex Dolores *Podagricos*, *Chiragricos*, aut *Articulares*, etiamsi illa jam Ætate quæ ad hosce prona & præclivis, sensit.

C A P. XII.

Corollaria & Spicilegia quædam, cum Epilogo.

ART. I. **S**ymptomaticarum isti, quem protulimus, censui *Corollaria*, quæ ex his recognitis, sive omnibus, sive pluribus, inter se comparatis orientur; & *Spicilegia* quædam, quando ad illas amplius illustrandas utraque non nihil conferant, jam denique superaddam.

Ex omnibus, gregatim sumptis, omnino liquet, quod *ἰδιωτάτων* iis, quæ puræ & germanæ *Arthritidi* sunt vicinæ (id est, *Arthritidi Colicæ*, & *Morbis Cuticularibus* supervenienti) maxime consentire cernuntur illæ, si, missâ Morborum primariorum consideratione, & ab iis *Symptomaticarum* Emanatione omni, illarum *Materiam* tantum intueamur, quæ *Chlorosi* & *Hydropi* *ἰπικυνομένης* *Symptomaticæ* minus propriæ nominantur. Iste verò Consensus, ex illarum simili *Materia* proficiscitur. Vicinis illis *Speciebus magis propriis* *Materia*, vel *Arthritidos* genuinæ ipsa, vel (uti supra declaravimus) ei quam simillima est; (sicut, è diverso, *magis propriis*, sed remotioribus, pro *Distantia*, dissimilis.) Jam verò *Symptomaticis* minus propriis *Materia*, (quod item ostensum est) pura puta est *Arthritica*: Unde elucet Dicti Veritas. Et quidem ob istam minus propriarum cum *Exquisitâ Arthritide* convenientiam, *magis propriis* postponi illæ poterant, imò (ut Ordinem hanc in parte corrigam) debuerant.

II. Secundò: De *Symptomaticis* magis propriis advertendum, quòd nihil me movebit, si quis è perspicacioribus & nimio plus subtilibus, eadem Materiâ Morbos oriri posse diversos, eosque *Specie* distinctos asserens, *Luis* e.g. *Materia*, non *Arthritida Falsam & Mendacem*, sed *Exquisitam & Genuinam* parere contenderit: Itaque *Symptomaticas*, (aliter quàm à Nobis statutum esse videatur) & inter Se, & cum *Arthritide Exquisitâ* congruere, pro certo habuerit: Nihil, inquam, isthuc me movebit.

Primùm enim, Morborum *Materiae*, sive *Causæ Conjunctæ*, revera sunt in obscuro; & quis Atomorum Globus, sive *Σχηματισμός*, e.g. *pestem*, quis *Variolas*, quis *Hydrophobiam*, & ita Affectum quemcunque Contagiosum, aut exiguâ Materiâ, quasi Fermento natum, afferat & producat, Deo soli cognitum & perspectum est.: Nec quis unquam mortalium hæc in operto Naturæ fabricata fideliter repræsentaverit, aut palam exhibuerit; Ideòque de *Symptomaticis* hisce nostris, utrum germana sunt *Arthritis*; an ejus tantummodo *Simulachra*; quum in utramque partem disputari potest, & quidem frustra; ex earum *Materiâ per se consideratâ*, non est temerè decernendum; quin philosophis magis oculatis, & *λεπτοτάτων λόγων ἰσχυροί*, missum illud faciemus.

Tum, de illarum Materiâ, secundum *phænomena*, si sentire & judicare liceat; certo certius est, primùm, diversis illas primariis Affectibus, iisque *Specie* distinctis, exoriri. Deinde, eorum *Materia*, signis suis Diacriticis usque manifestam, propriisque Remediis impugnandam, in statu peregrino

no illas retinere. Et quoniam Morborum *Specificatio* à nullâ aliâ re duenda magis, quàm ab illorum Materiâ peculiari, Signis suis Diacriticis ostensâ; his consequens videtur, illas *Symptomaticas*, pro Affectuum diversitate primariorum, *Specie* distingui, propriasque postulare Medendi Methodos; ut & propria Vocabula.

Neque enim, tertio, si quis eas *Arthritidis* nomine comprehenderit, earum mutabit Naturam, aut Curationes; sed, nimis latâ significatione, Vocem eam, Morbum singularem exprimere solitam, reddet *Æquivocam*; Morbos longè disjunctos, eosque non paucos, complectentem: Quâ quidem re, ἐν τῷ ὀνομαστικῷ nihil magis fugiendum.

Nos certè Opus practicum moliri, & hos Affectus eo modo tractare studuimus; qui ad eos tollendos, aut mitigandos, maximè conducant: Quem in finem, ut in superioribus *Arthritides* alias *Genuinas*, in *Secundariis* & sensu laxiori *Symptomaticis* censuimus; quòd *Chlorosi*, quòdque *Hydropi* subjiciuntur; ita hîc multò satius esse duximus, tametsi veræ sint omnes hæc *Arthritides* (quod tamen ita esse, nec à quoquam unquam probatum, nec à Nobis concessum) ut *Adulterinæ*, interque se diversæ, & magis propriè *Symptomaticæ*, habeantur: Quoniam hæc positio, ad earum Curationes & aptius lucubrandas, & feliciùs exigendas, usûs est immensi.

Perimètrum circulare ad suum Diametrum in ratione *Triplâ sesquiseptimâ*, sive ut 22. ad 7. esse statuunt, & quidem omnium consensu rectè statuunt; *Geodætæ*: Quamvis id non tam

ex Rei Veritate, quæ profecto nulla est, quàm ex positæ Commoditate & in Solidis dimetiendis Utilitate, factum est.

III. Unum adhuc restat, quod quidem me sollicitum habet, quodque Lectorem moneri par est: Non eam hujus Scripti Mentem esse, quæ *Melancholiâ*, *Scorbuto*, *Lue*, vel alio quovis Morbo è primariis suprâ dictis laborantem, *primigeniâ* simul *Arthritide* laborare posse diffiteatur: Quin è contrario (quantum video) posse ita fieri, (ut, illorum altero qui ægrotet, *podagrâ* similiter ægrotet *primigeniâ*) lubens agnosco. Mihi verò cum hisce solum Morbis negotium, qui statum pristinum vel partim vel omninò deferentes, sub falsâ *Arthritidos* Imagine laceffunt Ægros.

IV. Præter has *Imagines Arthriticas*, quæ suo quæque genere perfectissimæ, & omnium, quas Ego notavi unquam; maximè sunt elaboratæ; Aliæ cernuntur minùs perfectæ, neque tam ex amussi ad exemplar illud ingens, *Arthritida* videlicet *primigeniam*, formatæ. Sunt illæ Fœtus Naturæ, sed Abortivi; sunt illæ Conamina, sed languida, & frequenter vacua. Habent tamen omnes nihilominus Dolorem; aliæque Tumorem; aliæque etiam Ruborem, Breves habent plerumque paroxysmos, neque ex Stadiis omnibus perfectis conflatos; atque ad eò intercisos, interruptos.

Harum *Abortionum* Causa, ex Naturæ imbecillitate, & ad *Arthritidem* eluctandam impotentiâ; vel ex Materiæ Defectu peccatricis; vel ex Sanguine *δυσμεταβλήτω*, & ad *Arthritida* subeundam minimè apto & proclivi,

ut intelligo, petenda est: Certè tanta illarum *Απορία*, Mos ita dubius, ut ad hæc nostras *Symptomaticas* nihil esse censeantur, neque sermone longiori persequendæ.

Minimè verò tandem, quòd hæc *Abortiones* nunc, ut aliorum Morborum aliæ non paucæ, (quod jam pridem detexit Clariss. Sydenhamus) apud Vulgus *Scorbuti*; nunc etiam *Rheumatismi*, facti, vel imperfecti, Nomine insigniuntur; & passim Curationi, pro hoc vel illo Nomine, (quàm autem auspiciatò conjectari facile est) subjiciuntur.

V. Postremò addam, quòd *Articulares Glandulæ*, quæ tantopere in statu Corporis secundo & naturali, per secretam Mucilaginem, (*) *Articulorum Motui*, imò Vitæ Animalis conservandæ; in statu ejus vitioso adversoque Sanguinis Depurationi & purgationi pari modo inserviunt; quando per has exprimitur Venenum, in alio Corpore *Ποδαγραμόν*; in alio, *Melancholicum*; in alio, *Scorbuticum*; in alio, *Venereum*; in alio, *Febrile*; aliud videlicet aliudque longè diversum, summè perniciosum: Ut dictæ *Glandulæ*, ex Incerniculis totius Corporis celeberrimis sint: Neque per *Catarrhos*, Infantum; neque per *Rheumatismum* Muliebrem, Fœminarum; neque per *Hæmorrhoida*, provectiorum; quàm per *Πύσω* hanc *Articularem*, Seniorum Vita, Salus, & Incolumitas, magis sustentetur.

Epilo-

(*) Vide Clarissimi Haverii *Osteologiam novam*, Diatribam De *Glandulis Mucilaginosis*.

Epilogus.

ITA demum absolvimus *Systema Arthritidum Symptomaticarum*; eas *Species* percurrere omnes, non quas *Imaginatio* peperit; non quas *Opinio* commentata est; vel *Auctores*, *Scripta* sua compilantibus, sunt elargiti; sed quæ nobis usu & experimentis; quæ *Observatione* & *Exercitatione* medicâ occupatis, sese prodiderunt.

Harum *Modos* & *proprietates* expiscari fuimus conati, medendique *rationes* & *Indicationes* singulas, quàm possimus aptas idoneasque, earum singulis accommodare. Nunc *Calcar* adhibendum, & *Arthritidem* in nonnullis omni *Industriâ* promovendam; nunc contra *Fræno* opus esse, & *Morbos* artificiosè sibi sufflaminariq; oportere: *Materiam* nunc per *Locos Muliebres*; nunc per *Renes*; nunc per *Ambitum Corporis*; nunc per *Anum*; nunc per *Os*, *evacuari*; nunc, omisâ *Evacuatione* omni, *alterari*; nunc, & *Alterantibus* & *Evacuantibus* neglectis, tantummodò *præcaveri*, in ipsoque *Ortu* *supprimi*, debere demonstravimus.

Si, in ponendis hisce *Indicationibus*, iisque designandis, errasse nos constite-

rit; (in re verò tam multiplici, tamque intricata, nihil errare, plusquam humanum est) certè suam cuique *Symptomaticæ Arthritidi* propriam esse, ex *Derivatione* propriâ, *Naturam*; tum item harum singulis, pro suâ cujusque *Derivatione* & *Naturâ*, *Curationem* excogitandam, esse propriam & peculiarem, omninò comprobatum est.

Facto isthòc *Fundamento*, quæ mediocriter (pro earum *Dignitate*, si quidem mediocriter) à Nobis aperiuntur *Symptomaticæ*; tum eas ampliùs explicare; tum eas illustrare; tum earum *Numerum* explere poterit *Observatio* posterorum. Quibus in medio relinquam *Scrofulæ*, *Rachitidos*, *Psoræ*, *Diabetis*, *Icteri*, *Dysentericæ*, aliorumq; complurium *Chronicorum* erga *Arthritidem* *Inclinationes* & *Demigrationes*, si quæ sint, & qualescunque, evolendas: Esse verò plurimorum; Easque longè inter se diversas, & discrepantes: ex jam prolatis, quæ à Nobis, ut dabatur *Occasio*, per paucis *Annis* spatii cogredientur, abundè verisimile est.

Animus erat, de *Arthritide Anomala* quæ habuimus dicenda, his subnectere: sed, in præsentia, *Manum* hâc de *Tabulâ*; & *Spatio* jam exacto, *sistentes* (anhelantium more *Cursorum*) paulisper respiremus.

F I N I S.

Δόξα τῶν ἐν ὑψίστοις Θεῶν.



E P I T O M E.

C A P U T P R I M U M.

De Arthritide Symptomata, generatim.

MOrborum Migrationes Successionesque ex Hippocratis Præcepto, sunt inspiciendæ. **ARTIC. I.** Arthritis alia Primigenia; alia Secundaria, sive Symptomata. **II.** Quæ vel Materiam, vel in hujusce generis Arthritida Materie Μελέωεισιν, Morbo alicui Primario, & præcedenti, refert acceptum. **III.** Hujus Regionis Symptomata recensentur, suntque Arthritidos, generatim sumpta, quasi Pars dimidiata. **IV.** Symptomatarum Ratio Generalis in eo sita est, quod cum Morbi sunt à Primigeniâ distantes, ei tamen gradatim appropinquant. Modum Appropinquandi certissime demonstrant, simul cum usurpato Arthritidis Primigeniæ Vultu, Primarii Exuvia. Conditio earum specialis. **V.** Symptomatarum Differentiæ, si earum Externa, si Paroxysmos spectemus: Partis facilitas à Primarii Indole, & in Arthritidem Propensione. **VI.** Alia (Arthritis) Symptomata improprie dicta, quæ Rheumatismo superat; Alia magis Propria. **VII.**

Quæ generatione procreatur vel Equivocâ; ut ex Chlorosi, & ex Hydrope Arthritis; vel Univocâ; quæ eandem cum Primario Materiam habet, quæque ob Crisin aliquam imperfectam exoritur: Ut reliquæ omnes. **VIII.** Symptomata magis Propria non nisi Chronicum Vetustum sequitur, & Grandiores invadit; contra quàm minus Propria. **IX.** Symptomata hasce Specie inter se differre, & diversas postulare Curationes, existimandum est. **X.** Ex Morbi Primarii & Arthritidis Primigeniæ Therapiâ elicitur, in medendis Symptomatis Indicatio. **XI.** In Paroxysmo, ab Arthritide; in Vacillatione, à morbo Primario. **XII.** Prophylaxis ad Menses proferenda, ad III. Annos aliquando repetenda. **XIII.** Ætiologia Arthritica, ob neglectam Symptomata & Primigeniæ Arthritidos Discrepantiam, hætenus Imperfecta. **XIV.** Curatioque inidonea. **XV.** Methodi Ratio. **XVI.**

C A P. II.

De Arthritide Rheumatismo superveniente, Symptomata falsò appellata.

TRANSITIO. ARTIC. I.

Rheumatismo soli Frigore procreato succedit Arthriticis; Is autem, Sanguinis Lentore gravi & repentino Capillaria infarciens, generatur. II.

Quò fiat ea Γλωχρότης exquiritur. Non à Chylo acescente, (Sanguis injecto Lacte non coagulatur.) III.

Neque solum ab Acido, Serum ejus calefactum per Frigus subitum condensatur: Rheumaticorum Urina minus salsa: Serum, addito Syrupò Viola-ceo, virescit: Pellicula Sanguinis, per instillatam Sublimati Solutionem, albescit. Lentorem vel à Calore Frigoreque vehementibus & continuis, vel à Sale Alcalico, vel ab utroque nasci concluditur. IV.

Rheumatismo malè tractato subjicitur hæc Symptomata, & Arthritidem Frigidam æmulatur. V.

Illius Facies & Mos. VI.

A reliquis Symptomaticis ut distinguitur. VII.

Adversus Rheumatismum valere posse Vomitionem, sed frequentem & cautè præcipiendam. VIII.

Ad hanc Arthritida requirit Indicatio, ut tollatur iste Lentor. Quem in finem Antiscorbutica, Spiritus Volatiles, adhibeantur. Quid per Oleum Tereb. Quid per Camphoram agatur, periclitare. IX.

Ptyalismus proponitur, & Emplastra cum Mercurio; ut &, ad Articulos exonerandos, Suctus. Quid per Maturantia fiat, deliberandum. X.

Tom. II.

C A P. III.

De Arthritide ex Chlorosi, & ex Mensium Suppressione.

ARthritis à Chlorosi Symptomata est rarissima. ARTIC. I.

Eas tantum aggreditur, quæ Stirpe sunt Arthriticæ prognatæ. II.

Causam habet Continentem, à Chloroseos Continenti longè diversam, & ad istum Morbum se fortuito adjungit. III.

Interdum Vaga est, sub Rheumatismi Nomine delitescens: Aliàs Articulis affixa: Utriusque Diagnos. IV.

Indicatio vult, ut per Muliebria Materia peccans expellatur; quæ Partu Naturali; V.

Quæ Mensibus. Hisce procurandis inserviunt Martiata cum Emmenagogis juncta, Aquæ Martianæ, cum Purgatione non nunquam intercalanda. VI.

Arthritidis ex Mensium Suppressione, Origo & Mos. VII. VIII.

Medendi Lex ut per Catharsin, sed Modo peculiari celebrandam, Materia dimittatur. IX.

Fonticulus aperiatur. X.

In ista Pari Symptomaticarum impugnando, quantum intersit. XI.

Historia Arthritidis vagæ, Fixæ, Nodosæ, Hæreditariæ, ex Chlorosi Natæ, per Emmenagoga fugatæ.

C A P. IV.

De Arthritide Hydropi Superveniente.

HYdropi Arthritis etiamsi crebrò supervenit, inter Naturæ Δυσιντα tamen est censenda. ART. I.

L

Ab

Ab Hepate, sive viscerum aliquo nobiliori, Labe indomitâ vitiato, quicumque fit Hydropicus, raro Is Ποδογρια.

At si in Liquido omne vitium, ex eo sæpe oritur Arthritis. II.

Maximè verò post Amara & Chalybeata, Hydragogis submissa, vel (ubi consistunt Vires) statim post Hydragoga. III.

Spiritus Sero liberati, vel per Se, vel Medicamentis incitati, emergunt denique, Materiam e Sanguine pellunt alienam; IV.

Atque adeò Seminium, si quod intus latuerit, Arthriticum. V.

Et quidem bono omine. VI.

Nullum postulat hæc Arthritis Therapiam nisi quâ servetur, augeatur, ordinetur. VII.

In hunc finem Singularia recensentur. VIII.

Ut ea componantur, & in Methodos redigantur. IX.

Ad Hydropa propellendum, Vere & Autumno aqua subducenda, & quidem Drastico potius quàm Leniente: Æger nec plus, nec aliud bibat, quàm Coctioni & Nutritioni quod sufficiat. X.

E Lecto mane quàm primo exurgat; Vesperi maturè cubet; bis in die Corpus sub Jove exerceat. XI.

Hujus Methodi Utilitas. XII.

Historia Prima, De Arthritide Hydropi probè curato feliciter accedenti.

Secunda De Arthritide Ascite, ejusque Remediis, auspiciò agnatâ.

Tertia exhibet Podagram, Asciti per Naturæ Vires subortam.

Quarta, De Hydrope per Diuresin & Abstemiam victo, cum Arthritide per Amara & Chalybeata famulante.

CAP. V.

De Arthritide Melancholica.

EX Univoci ortûs Symptomaticis, Principatum habet Arthritis ea, quæ diutinæ succedit Melancholiæ.

ART. I.

Hæc Melancholia duobus pendet, I. Spirituum Animalium à Naturâ Teneritudine; quæ causis evidentibus sæpe augetur: 2. Rebus eos afficientibus. II.

Natura id, quod Melancholiam peperit, aliquando in Articulos trudit; itaque Symptomaticam hanc Arthritis progignit. III.

Clementer ea ferè se gerit. IV.

Ideòque Melancholiâ, brevi recurrente, excipitur. Ut Arthritis ea dignoscatur. V.

In Arthritide Morbo Hypochondriaco subnatâ, juvat id, quod primis viis includitur alieni, per Alvum amoliri; Coctionemque instaurare. VI.

Præcipue verò aquis purgantibus, Tartaro laxanti & Mannâ adjutis, quæ blandè Alvum subducant. His superaddi possunt aquæ Diureticiæ, vel Infusum Teæ cum è Ferro præparatis; vel etiam Decoctum Corticis simplex, aut Chalybeatum. Prodest aliquando, loco Cerevisiæ, Decoctum Chinæ, Sarsæ &c. VII.

Hist. 1. De Arthritide Melancholiæ Diuturnæ succrescenti.

Hist. 2. De Morione, Melancholiâ Hypochondriaca & Arthritide interempto.

Hist. 3. De Arthritide Hypochondriacâ Purgantibus præoccupatâ.

Hist. 4. De Morbo Hypochondriaco cum agnatâ Arthritide, Aquis Astropentibus subactò. Hist.

Hist. 5. De Gonagrâ miti Hystericâ,
Chalybe concitata.

Hist. 6. De Arthritide Hysterica.

Hist. 7. De Arthritide Melancholica
cum Ventriculi &c. Affectione, per
Paroxysmum regularem allevata.

CAP. VI.

De Arthritide Fixâ Scorbutica.

Melancholicæ proxima est Arthri-
tis Scorbutica, sed longo proxi-
ma intervallo.

ART. I.

Scorbutus apud Damnonium paulò
antè frequentissimus; sed vicini Bel-
gii Scorbuto, hoc est, Genuino disti-
milis.

II.

Ejus Symptomata celebriora recensentur.

III.

Utrum Scorbuti Calidi sit ubique sui
generis Materia, ambigitur.

IV.

Lepra jam pridem in Damnonio Ende-
mia; cujus gratia Nosocomia passim
quàm plurima.

V.

Partim illa Salis Communis, partim
etiam Tabaci usu cicurata, maximè
verò Pomacei, in Scorbutum hunc
Calidum degeneravit.

VI.

Scorbutus hic Noster Arthritida Fixam
imitari gestit.

VII.

Scorbuti hujus cum Arthritide Conve-
nientia.

VIII.

Mites habet Paroxysmos hæc Sympto-
matica, sed diuturnos. Præter cætera,
Morbi sui primarii retinet. Sympto-
mata, Scorbuti præcipuè veteris &
confirmati.

IX.

Est semper Calida.

X.

In Paroxysmo, Materia Articulis impa-
cta blandè foras elicienda. In pravo
Repellentium usu quid illi fiet.

XI.

Extra Paroxysmum, vel Ptyalismum,
vel per Catharsin Materiæ Evacua-
tio; tum per Antiscorbutica Arthri-
ticis maritata, Alteratio, Succii Her-
barum Martiati in usum commendan-
tur; ut & Aqq. Ferratæ Diureticiæ;
& Decoctum Teæ. Pomaceum ali-
quibus prodesse potest, præsertim Æ-
state; & Hyeme Cerevisia Rad. Oxy-
lap. &c. medicata.

XII.

Nullus hic Crepitus Ossium, at Tu-
mor pedum minimè prætermittendus;
Ejus Descriptio;

XIII.

Et Curatio.

XIV.

Historia I. Ab Arthritide Scorbuticâ
Ulcus malè tractatum; unde Visûs
Abolitio, deinde Abscessus, & demum
Mors.

Hist. 2. Scorbutici Calidioris soboles
Arthritidis.

Hist. 3. Morbus Articularis, Scorbuti
Alumnus, cum Vomitu Bilioso, Δυσ-
πνευσία & Volarum Ariditate.

Hist. 4. Scorbuto suborta, & Ejus Eru-
ptionibus adjuncta, Arthritidis.

Hist. 5. Pedum Tumor Scorbuticus,
Arthriticus; cum pruritu ferino.

CAP. VII.

De Arthritide Lui Venereæ succe-
denti.

AB antiquo Venus immoderata,
dudum autem, Lue ad eam se
adjungente, Arthritidem maximè cre-
berrimeque introducit.

ART. I.

Horum Morborum Convenientiæ, & in-
ter se consensus; unde ad hanc ab illa
tam facilis Migratio.

II.

Nemo à recenti Lue Ποδαγρία Miasma
Venereum evehit prius & maturari

oportebit, quàm Articulis impingi potuerit. Ideòque raro nisi Grandiores invadit hæc Arthritis, scilicet à Lue derivata. III.

Sed nec à Veteri Patursam procreatur, ubi Arthritis molienda Natura impar reperitur. IV.

Patursam Arthritis patientem adjuvat Mos Empiricorum ille, quo in curanda Gonorrhœa præpropere, & neglecta vel remissa facta Purgatione, Puris excretio supprimitur. V.

Luis in Arthritidem Mutatio, ex Ægroti Corpore ad eam recipiendam idoneo, vel secus, pendet quàm plurimum. Arthritis ista nunc in eodem Corpore cum Lue generatur, nunc per Concubitum in diverso. Uti à Nutricis Lue in Alumnium derivetur Oculorum Epiphora, &c. VI.

Quodnam hac Arthritide Affictorum Corpus. VII.

Morbi hujus Diagnos qualiscunque. VIII.

Intercisis ejus Paroxysmis Apoplexia, vel Motus Convulsivi plerumque fatales (si nulla fuerit Evacuatio) superveniunt. IX.

In Paroxysmo, Dolor Hypnoticis, sed cautè adhibendis, vitè illorum abusu, Materia Morbi Nervis impingatur, mitigandus. X.

In Paroxysmorum Intervallis, à Lue Venereâ mutuo sumenda Indicatio; Antisyphiliticis Sanguis tuendus; è Mercurio comparata Adhibeantur, maxime vero per ea Salivatio: quodnam illius instituendæ Tempus imprimis opportunum. Placeat etiam purgatio cum Calomelane. Post usum Mercurii, Lignorum Decocta miscantur. Valenti Aquæ Diuretice diu recteque potæ: Valenti etiam, ex Animonio, &c. Alterantia. XI.

Hist. 1. De Arthritide impurâ, Aquis Diureticis subacta.

Hist. 2. De Arthritide, Luis Sobole, à Duabus totis irritatâ, Febrim excitante, Caput aggressâ.

Hist. 3. Luis Venereæ succrescens, Caput impetens Arthritis.

Hist. 4. Arthritis Luis impurâ, Victu, Digestivis, & Equitatione moderata, tandem Intestina invadens, Sanguinis Missionem pariens.

Hist. 5. Arthritis Luis Venereæ superveniens, Melancholiam, Caliginem, Vertiginem, Convulsionem universalem, & demum Mortem, inducens.

C A P. VIII.

De Arthritide Asthmatica.

Podagra succrescit Asthmati creberime pituitoso; quo Affectu laborantes, nono & decimo ætatis Lustro, raro maturius, dolent Articulis; maxime si præcesserit Medicina. ART. I. Quæ, ceu Cathartica, præcipue verò Apurificæ, vel ex Alterantibus Anti-Asthmatica, gignendæ Arthritidi cum primis confert.

II. Arthritidis hujus Materia minimè recens estimanda. Quia nemo repente Podagra. Quin potius in Corpore diu illam latuisse, Pituitaque forsitan involvi, & cum ea per Sputum natæ excerni, incredibile est. Æstate hæc Arthritis latatur; quod quidem ejus hæc hæc morbus. III.

Ita hæc Arthritis, Hyeme minimè obdormiscens, ab Asthmate superatur; sub ejus Persona delitescit. Æstate vero, cum ad Ambitum Corporis Sanguis liberius effertur, propriè elucet. IV.

Ex ista hujusce Materie frequenti Ex-
puitione, fieri videtur, quod Arthritis
hæc omnino blanda, minimeque Dolo-
re vehementi, multò minus Tofis, &c.
est signata. Indicium ejus optimum in
eo locatur, quod Asthmatis usitate &
ex more submittatur, cætera Arthri-
tidis primigeniæ per similes est. V.
Ex ista Successione in Symptomaticis
habenda est, & Pectoris, Spiritus, Tussis,
Sputi consideratione comprehendit. VI.
Neque enim hunc in modum Asthmati-
cos, Arthritidem negligere juvabit;
quin simul atque fieri potest in Ar-
ticularis Dolorem excitare, quo leve-
tur Pulmo. Hac de Causa, Sanguinis
missio, vel parca admodum, vel nulla,
ne Arthritidi protrudendæ Natura
impar reddatur, admittenda. VII.
Per $\Delta\rho\alpha\sigma\iota\kappa\acute{\alpha}\ \pi\epsilon\rho\alpha$ Catharsis instituenda,
quibus Sanguis in Orgasmm excite-
tur. Catharsis etiam Pulmonem exo-
nerat, Spiritumque liberat. Sed,
quoties in Simplici Asthmate Pitui-
toso, non toties hoc in Asthmate re-
petenda, ne recta Arthritis impedia-
tur. VIII.
Ad depellendum Asthma, & concitan-
dam Arthritida; mane Infusum Cha-
lyb. exhibeatur. Quarta pom. & no-
na vespertina Balsami alicujus, vel
Tinct. Sulfi. Dosis majuscula. Diebus
aliquot interpositis, Extra loco se-
pissime dolenti Attrahens admo-
vendum, Tumori, vel quàm proximè
illum, Epispasticum. Quando Artus
per se invadit hæc Arthritis, omnino
promovenda est. Natura enim, Asth-
matis occurrit per Arthritida. IX.
Si Bechicis Opus usque fuerit, Iis, sed
lenioribus, Vespere utendum. Hinc
mane seq. Sputum, nec ad Meridiem
obturdetur Appetitus. Narcotica his

Asthmaticis parum tuta. Ad invitan-
dum Somnum, si defuerit, adhibea-
tur Lectio, Frictio, &c. X.
Minuitur Asthma, quâ proportionè au-
getur Arthritis.
Huic Symptomaticæ adjungi solet Pe-
dum Tumor Serosus; Ambulatione,
Frictione sæpe brevi tollendus. XI.
Ab hac Arthritide restitutus Equitatio
commendanda, ut & Victus idonea
ratio; cum Eccoproticis, & Digesti-
vis, ad Asthma & Arthritida præca-
vendam, subinde repetendis. XII.
Siccò non nunquam Asthmatis subnecti-
tur Arthritis. Ulius Descriptio qua-
lisunque profertur, & in hanc Mu-
tatio arguitur. XIII.
Ejus Curatio breviter delineata. XIV.
Hist. I. De Asthmate Pituitoso, per Ar-
thritidem, Exemplo notabili mitigato.
Hist. 2. De Arthritide, Asthmatis ex
II Plethora, feliciter adjuncta.

C A P. IX.
De Arthritide Febri Succedanea.
Febri non nunquam exquisitæ, & per-
fectæ, succedit Arthritis. ART. I.
Quæ quidem Successio, sive ob aliquid
in Sanguine contentum, si-
ve ob Glandulas obstructas oriatur.
Febri, per facile capiatur. II.
Ab eodem Miasmate (quod prius dixi)
concocto & de bacchanti, Febri; ab
in ipso lenius moto, sed exulante, Ar-
thritidis accersiri solet. His addendum,
quod Virus Arthriticum concitandæ
Febri valde appositum est. VIII.
Secundo, si Febri à Glandulis obstru-
ctis sit, illa obstructio Sanguinis Or-
gasmm parere potest, ut & ille

Orgasmus, (sic ut Æstus Exerci-
tatione quavis adscitus) Arthritidis
Paroxysmum.

IV.
Hujus Symptomaticæ Natales, optimè
illustrat Angina Arthritica; quæ qui-
dem manifestò Arthritis est Anoma-
la, cum Febre magnâ & gravi præce-
dente. Morbo tamen acuto, rariùs
forsan quàm diutino, ὀπιζίνωται Ar-
thritis.

V.
Ratione Paroxysmorum, una est Arthri-
tis ex Febre nata; eaque Arthritidi
Primigeniæ persimilis: Ratione Or-
tûs, multiplex est, & longè à se
diversa; quòd particulatim exponi-
tur.

VI.
Quæ Febrim comitatur Arthritis omni-
no provehenda est, & promovenda;
quæ præcipua, unica hujus meden-
dæ Indicatio Therapeutica. Verum
in hujusce Symptomaticæ Prophyla-
xi, Febris illius, cujus Symptoma-
tica Fœtus, & Germen est, habenda
ratio. Si Habitudoινι Πυρετικῆν subo-
lescat Arthritis, Habitudoινem istam
efficiens Materia exterminanda, cor-
rigenda, prævertenda. Si Febri
Ἐρυσιπελατῶδει submittatur, durante
Insultu, per Cardiacâ & Diaphore-
tica utriusque Materia dimittenda
est: In Vacatione, causa antecedens
Aquis Diureticis auferenda, Lacte
Asinino, &c. permulcenda: Et sic
in aliis hujus generis Symptoma-
ticis.

VII.
Hist. 1. Arthritis Synocho secundaria.

Hist. 2. De Arthritide Habitudoινι Πυ-
ρετικῆν subjunctâ.

Hist. 3. De Arthritide cum Febre Ἐρυσι-
πιπελατῶδει vires exercente.

Hist. 4. Quartanam, Cortice suppressam,
Arthritis sequitur, cum Arenulis.

Hist. 5. De Quartanâ in Arthritidem
mutata.

C A P. X.

De Arthritide ex Colica.

Colica in Chronicis hujus Populi
pervagatissimis est; ejus, quæ Ar-
thritidem præcurrit, Descriptio ge-
neralis.

ART. I.

Est autem ea non nunquam Bilio-
sa; quæ
breviter depingitur.

II.

Ejus in Arthritidem Metamorphosis:
Istiusque Commoditas; sive Caput,
sive Intestina spectemus.

III.

In hac Arthritide Materia foras eli-
cienda, idque Remediis potissimum
externis. Cardiacâ interna (quæ
hujus Curationis Proprietas esse vi-
deatur) admodum cautè usurpanda,
ne in Caput arietent.

IV.

Alia verò Colica est (Arthritidis pro-
ductrix) à Pomaceo immiti, acido-
que: Et est ejus proportione. Quo
tempore nostros Homines invadat:
Confirmatæ illi, & inveteratæ super-
venit Arthritis, genuinæ persimilis. V.
Natura istam Mutationem per se non
nunquam molitur, sæpe verò numero
per Purgationem Drastrictam & Ela-
teriam; non nunquam etiam Cardia-
cis internis excitata.

VI.

Habet hæc Arthritis Dolorem acutissi-
mum; in Colicam ex facili reverti-
tur; iterumque Arthritidos Perso-
nam induit, iterumque deponit; rarò
Tosis &c. signata est.

VII.

Alia Podagram progignit Colica, quæ
à Dyspepsiis oritur: Hujus Descri-
ptio.

VIII.

Qui sunt hujusmodi Κακόςμαχοι, Æta-
tis flexu aliquando Arthritide labo-
rant; quæ Colicam tum exceptat, tum
ab eâ sæpe excipitur.

IX.

Utrum

Utrum hæc Arthritis à Colica derive-
tur; an potius Arthritis sit, dudum in
Intestinis Anomala, jam verò in Ex-
ternis Partibus rectè se habens, etsi in
dubiis ponatur, in Arte factitandâ
eòdem ferè recidit: Neque depelle-
tur hæc Arthritis, nisi Colicam, cui
subjicitur, intueamur. X.

In Paroxysmo ferè eadem, ac in Arthri-
tide Exquisitâ, Medendi ratio: Pro-
phylaxeos alia atque alia est, pro
Causæ remotioris diversitate. XI.

Hujus Tribùs Symptomaticarum Pa-
roxysmi omnium maximè per Ecco-
protica, vel præcaventur, vel mi-
nuuntur. XII.

Hist. I. Arthritis Colicæ Biliosæ secun-
daria.

Hist. 2. Arthritis, Colica ex Pomaceo
ἐπιρρομὴν.

Hist. 3. Colicæ ex Dyspepsiâ diuturnæ,
Gonagra superveniens.

Hist. 4. Ex Colicâ Paralyticus, Arthri-
ticus, Inunctione trucidatus.

C A P. XI.

De Arthritide Morbis quibusdam
Cuticularibus subjecta.

QUÆ Achoribus, Hæmorrhoidi-
bus, & Ulceribus superest Ar-
thritis, hoc Capite tractatur. ART. I.
Morbi ejus primarij alienum aliquid
expellunt; adaucta eorum Materia
Turbas ciet in Sanguine, quas sequi-
tur Arthritis. Arthritico durante
Paroxysmo, conquiescunt Affectiones
Primariæ. II.

Hujus Symptomaticæ Diagnos: Est ea
Primigeniæ Arthritidi conjunctissi-
ma: ideoque postremo hoc loco discu-
titur. III.

Morbus quicumque fuerit Primarius om-
nino promovendus: Ulcus, per Ca-
thæretica; Achores, per Epispastica,
vel leniter Attrahentia; Hæmorrhoi-
des, per Aloetica internè data; per
Hirudines externè adhibitas. IV.

Hist. I. De Arthritide Aurium Achori-
bus subjectâ.

Hist. 2. De Arthritide Ulceribus subo-
lescentis Epispasticis allevatâ.

Hist. 3. De Arthritide (cum Febre In-
termittente) ex Hæmorrhoidibus
occlusis.

C A P. XII.

Corollaria & Spicilegia quædam,
cum Epilogo.

EX prædictis sequitur, quod Sym-
ptomaticis quæ genuinæ Arthritidi
sunt vicinæ (id est, Colicæ, & Mor-
bis Cuticularibus submissæ) maximè
consentiunt illæ, si tantum Materiam
earum intueamur. Quæ sunt minus
propriæ; Chlorosi nempe, & Hydropi
ἐπιρρομὴν; ideoque magis propriis
postponi poterant, imò quidem debue-
rant. ART. I.

Si quis Materiam, v. g. Luis, non Ar-
thritida Falsam, verum Exquisitam
parere; itaque Symptomaticas hæc,
& inter se, & cum Arthritide Ex-
quisitâ congruere argumentetur: Ni-
hil istuc Auctorem movebit; quando
Symptomaticarum à Morbis spe-
cie differentibus successio, eas etiam,
(quoniam Morborum Primariorum
Materiam, unde ducenda earum
Specificatio, manifestè retinent)
specie differre monstrat; proprias
postulare Curationes; ut & propria
Vocabula.

Vocabula. Si quis autem eas Arthritidis *Vocabulo* includi voluerit; Quanta quæso hæc Æquivocatio rã (Arthritidis,) singularem Morbum exprimere soliti, jam verò quam plurimos, eosque Specie discrepantes Morbos exprimentis? Dato verò hæc Symptomaticas convenire (quod tamen nec probatum, nec concessum) ad earum Curationes tum explicandas, tum exigendas, ex usu erit eas haberi differentes & discordantes. — II.

Scorbuto, aliove quovis è Primariis Affectibus supra dictis Laborantem, Primigeniã simul Arthritide posse laborare, non diffitetur Auctor; cui cum hisce tantum Morbis Negotium, qui Arthritidos induunt personam. III.

Aliæ sunt Imagines Arthriticæ minus perfectæ; quæ sæpe Scorbuti, vel Rheumatismi nomine appellantur. IV.

Glandulæ Articulares sunt ex celeberrimis totius corporis Excerniculis. V.
Epilogus.

Observationes Anatomicæ &c. in Actis Philosophicis Londinensibus, ab Auctore divulgatæ.

Numero 151.

Intestinum Canis Cæcum feliciter exectum.

Nº. 162.

Instrumentum Coctionis Primarium esse Spiritum Alcalici generis Vola-

tilem, & de Glandulâ in Ventriculo Lucii Piscis Tubulata.

Nº. 166.

De Liquorum in Lacteas Ingressus subito, Coloreque in iis non semper Albo. Contra *Walæum*, &c.

Nº. 167.

Molis immensæ Glandula Cor Bubulum, præter naturam, comprehendens.

Nº. 240.

Primarius Respirationis Usus Experimento illustratus. Pro Dº. *Thrustono*.

Nº. 240.

Pectoris *Hydrops* Artificialis.

Nº. 242.

Aphonia Periodica.

Nº. 247.

Magni Regis *Arthuri* Cimeliarchum, in Reverendi Viri Di. *Geo. Hickes* S. T. P. *Thesauro Linguarum Vet. Septentrionalium Grammatico-Critico*, brevi edendo, planius & accuratius describendum.

Nº. 258.

Bronchotomos promota.

N. 266.

De *Polypo* raræ Magnitudinis in Cane reperto.

Nº. 271.

Menstrua Viri cujusdam *Hæmorrhagia*, temerè suppressa.

Nº. 275.

Venæ Lactææ (post *Clarissimum Listerrum*) *Coloratæ*.

F I N I S.

GUILLELMI

GUILHELMI
MUSGRAVE

M. D. Inclyti Medicorum Londinensium Collegii,

& Regiæ Societatis Socii,

DE


ARTHRITIDE

ANOMALA, SIVE INTERNA,

DISSERTATIO.

Καὶ τὸτο εὖ εἰδέναι χρὴ, εἴτε Ἀνέ) ἢ Νῆσος, εἴτε Μεταπίπτιες ἐτέρην
Νῆσον. Hippocr.

EDITIO NOVA accuratior.



GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M, DCC, LVII.

LIBRARY
MUSEUM

Librum hunc, cui Titulus
(*De Arthritide Anomala, &c.*)

dignum censemus, qui *Imprimatur*,

Edvardus Browne, Præses,

Carolus Goodall,

Joannes Bateman, } Censores.

Tho. Gill,

Datum ex Ædibus nostris

Maii 3. 1707.

LIBRARY
MUSEUM

PRÆFATIO.



IN Dissertatione non ita pridem edita, de Morbis iis Sermonem fecimus, qui, ab *Arthritide Primigenia* distincti, natura & indole plus minus remoti, stationes suas deserunt; ad illam adpropinquant; ejus ritu Paroxysmos agunt, *Artus* affligunt: Quoniam verò, præter *Arthritidis*, sive *Symptomaticæ*, sive *Primigeniæ* Paroxysmos eos, qui in Artubus omnino locum habent; & à me *Idonei*, *Recti*, & *Regulares* appellantur; alios adhæc Insultus faciat *Arthritidis* utraque, & interdum *Trunci* Partes has illas, Sedes, & Regiones intret alienas, atque illas sæpe mulctet gravissimè; hos utriusque *Arthritidis* Errores, has *Obliquitates*, & *Ανωμαλίας* hoc loco exponere decrevimus.

Dari verò sibi postulat hæc Dissertatio, (& quidem optimo jure postulat dari) suos esse *Arthritidi* Cancellos, suos *Limites* certos, & *definitos*; quibus se quamdiu continet, tamdiu *Regularis* illa judicari potest; quotiescunque verò eos excedit transilitque, toties *Anomala*. Dicam planius & apertius *Arthritidi Subjectum*, unos *Artus* esse *Regulare*, proprium, & suum hanc illos vindicare; *Domicilium* in illis collocare: contra verò, *Organicam Trunci Partem* aliquam, sive *Provinciam interiorem*, non nisi *deviam* usurpare; non nisi *Anomalam* invadere. Quæ quidem harum in Corpore Regionum designatio partitioque, non ex Arbitratu nostro fieri, vel Opinioni commentum esse, verum, e diverso, in Natura stabile, & fixum habere fundamentum Ufu & *Experientiâ* confirmatum, invenietur.

Quotusquisque Medicorum *Impetiginem*, e. g. *Virus* in *Cutim* effundentem, *Squamas* (sic, ut moris est) præ se ferentem, animo perpendens, *Cutim* illi propriam esse *Sedem*, non existimaverit? Quotus etiam quisque est, qui relicta *Cute*, si *Materia vitiosa Pulmonem* ingrederetur, & *Tussim* faceret; non, hanc illius à suo in alienum locum aberrationem esse, judicaverit? Quis, hujusmodi *Tussim*, à vulgari & exquisita diffidere, multumque discrepare, non libenter affirmaverit? Quis, aliâ Medendi *Methodo*, quam quæ *Tussi* conducatur exquisitæ, tractari eam oportere, vel secum dubitaverit? Imo quidem istiusmodi *Tussim*; etiamsi *Bechica*, reliquaque *Remedia Pulmoni* dicata, minimè respuerit; tamen, per *Materiæ Translationem* in *Corporis superficiem*, in *Sedem* illi usitatissimam, (unde *Pulmoni* cautum esset, donec è Corpore prorsus expellendæ ejus daretur occasio) id est, per renovatam *Impetiginem*, modo renovari posset, appositè curari, quis in *Arte* nostra prudens abnegaverit?

Quæ hîc de *Impetigine*, mutato nomine de *Arthritide*, narretur *Fabula*. Pari enim modo, atque illi *Ambitus Corporis*, huic *Artus*, *Subjectum* & *Sedes* est exoptatissima. Quod vel eo liquet, quoniam hos suapte sponte adit

P R Æ F A T I O.

Arthritis ; hos incolit ; hos invita , plerumque exacta , linoquit ; hos celerrimè revifit : *Truncum* autem , nifi coaétu , raro premit ; Cauſa nempe fortuitu aliqua Naturæ conſilium mutante , rationem Morbi conturbante , Morem alterante : Undè jure merito , quæ Artuum eſt *Arthritis* , habeatur *Regularis* ; quæ reliqui Corporis , *Anomala*. Simili etiam modo , atque de *Tuſſi Impetiginofa* diximus , quæ e. g. *Tuſſis* eſt *Arthritica* (quandoquidem ex Miasmate *Arthritico* fiat) à vulgari & primigenia *Tuſſi* , ſi rectè comparetur illi , primum differre ex ſtimetur , Poſtremo , (ut in *Impetiginofa Tuſſiente*) nihil hac *Tuſſi* laborantibus conducibilius , nihil *Arthritidi* huic *Anomalæ* magis aptum , quàm ut in Viam ea , quaqua poſſit arte , reducatur , & fiat *Regularis* : id eſt , in Artus ut ejiciatur.


Præmiſſa hac *Arthritidos* (in *Regularem* , & *Anomalam*) diviſione , tanquam hujus Scripturæ Baſi ; de *Arthritide Anomala* diſſerere non jucundum modo , verùm etiam utile ; ſed & difficile cogitandum. Eſt enim illa , Primum perobſcura , tenebris occultata , neque perpetuo animadverſa ; maximè , ſi ex primo ejus aſpectu , nempe Symptomatum concurſu , (qui vulgi mos eſt) Diagnoses ſtatuantur. Partium quas invadit , Morbos , adeo ex amuſſi illa proprios & vernaculos imitatur ; ad eorum Modos ſe tam accuratè comparat ; ex eorum Vultu ſuum tam Mimicè componit ; ut à Medicis omnis ſeculi omnino omnibus , aut prætermiſſa , aut tantum leviter tacta ; à nemine unquam Hominum , quod ſciam , explicata fuerit ; nedum à quoquam , uti par eſt , impugnata.

Deinde , illa ita numero (veluti Erroris alias natura) multiplex eſt ; ut raro ullam in *Trunco* Regionem , ea prorfus immunem ; nullam fere , quam non aliquando ingrediatur , animo liceat comprehendere : Ut *Trunco* quot Partes ſint Organicæ , tot propemodum *Arthriticæ* ſint earum *Anomaliæ*. Porro , tam à ſe diverſæ ſunt ut Malorum , quotquot undique Corpus Humanum infeſtent , eorum omnium vix ullum magis ; vix ullum obſervare licet æquè *πολύτροπον* , *πολύμορφον*.

His adde poſtremo , importunam , ſemper eam eſſe , (ſed ratione valde diſſimili , & inæquali) imo quidem non raro ſummè periculoſam : Quoties nimirum Miasma *Arthriticum* , Viſcus aliquod è nobilioribus , & ad Vitam maximè neceſſariis ingreſſum illud ſic , ut aſſolet , corrumpat. Hoc autem crebro fieri , hæc noſtra *Diſſertatio* , niſi quid inè fallit , manifeſtum & teſtatum reddet. Teſtatum , inquam , reddet , *Arthritida* non ſolum (*Regularem*) Artibus Dolores , Tumores , Toſos , aliaque iſtius generis mala (quæ *Arthritidem* omnino omnem indicare , vulgo fuere judicata) inferre ; verum etiam (*Anomalam*) modo *Ventriculo nauſeam* ; modo *Inteſtinis Tormina* ; modo *Renibus Nephritida* ; modo *Pectori Aſthma* ; modo *Pulmoni Tuſſim* ; modo *Faucibus Anginam* ; modo *Cerebro Apoplexiam* ; modo *Nervis Paralyſin* : & , quod *Trunci* Partes , Affectibus indigenis ſatis ſuperque afflicatas , utque novis & peregrinis aggravet ; uſque miſeros Mortales excruciet ; tunc , ut ſæpe accidit , maximè crudelis , quando minimè ſuſpecta.

Tantæ peſtis & tam funeſtæ impetum , ut Ego pro virili ſiſterem ; harum

P R Æ F A T I O.

Anomaliarum Doctrinam, & Disciplinam attentavi: Quos in *Trunco* locos adeat *Arthritis*; quibus in Corporibus, quæ præferat *Diverticula*; quæ *Lattibula*: itaque quos illa generatim; quos speciatim *Mæandros*, *Anfractus*, & *Obliquitates* amet: quibus de *Causis* eas incipiat; qua *Velocitate* percurrat; quo *Eventu* terminet: quodnam item *Anomalæ* cujuslibet *Eiſ* ; quæ *Accidentia*; qualis à Morbo Partis affectæ proprio *Differentia*: qua demum Arte præcipuè quam peculiari, & privata, quælibet oppugnari; quaque præcaveri debeat, tradere conatus sum.

Circuli, *Curvarum Linearum* perfectissimæ, *Natura* & *Proprietatibus* explicatis; ea re minimè contenti *Geometræ* parvam & tantum inchoatam istiusmodi *Linearum Mathesin*, esse putavere; nisi etiam *Curvæ* minus *Regulares* enodatae fuerint: atque ideo *Ellipticam*, *Asymptotas* aliasque *Curvas*, *Circulari* minus perfectas, susceperunt; & in iis extricandis operæ multum impendere; tam sibi met ipsis, quam aliis, utile & jucundum.

Quæ verò me ad Opus hoc aggrediendum impulerunt, imprimis duo sunt: Alterum, quod *Damnonios*, Populum nobilissimum, & de me optimè merentem, *Arthritide Anomala*, perinde atque *Recta*, multum urgeri vexarique jam diu observaverim; illaque multo plures quam hâc occidere; ut *Arthritis Anomala* Morbus non immeritò *Lethalis* habeatur; uti, quæ *Recta*, *Salutaris*: rarò enim hæc ægrotum interimit, nisi *Anomala* prius facta. Quibus tamen *Hominibus*, cum plerisque aliis, *Morbi* illius facie miserè deceptis, de vero ejus *Ingenio*, nempe *Arthritico*, raro unquam ulla fuit *Suspicio*. Et tantopere sub aliena *Larva* debacchatus est in *Eos* hic *Affectus*; ut, ex iis qui *Avopexia*, qui *Colica*, qui *Syncope*, qui *Phthisi*, qui *Asthmate*, qui *Apoplexia*, (ne dicam alios *Affectus* utique complures) *Exquisita*, *Pura*, & *Genuina* perimi, & è medio tolli censerentur; revera *Arthritide*; unum eorum aliquem æmulante, & *larvam* induente, non pauci, atque adeo (quod verissimum est) permulti fuerint sublati: non solùm *Morte*, sed & *ignota* ejus *Causa*, infelices. Quas tamen eorum *Arthritides Anomalas*, *Methodis* hinc nostris opportunè adhibitis; quam iis, quæ *Continentem*, & *Proximam* earum *Causam* minimè attigerint; nec quidem unquam respexerint; facilius cedere potuisse, conjectura ducor ad suspicandum.

Quod verò præterea *Calcar*, atque *Animum*, ad scribendum dedit, altum erat illud de *Arthritide Interna*, sive tollenda, sive dignoscenda, apud *Autores Medicos* Silentium. Etsi enim patet, Eam, ut & *Periculum* quod Eam insequatur, non esse novum, aut *Artis Professoribus* ignotum: tamen, quia neque illud *Periculum*, neque ipsa *Arthritis*; multo minus ejus *Curatio*; de data unquam *Opera*, vel pro ejus *Dignitate*, & *Momento*, fuit à quoquam unquam exposita; nec, quod sciam, inchoata: idcirco ejus *Doctrina*, quatenus *Diagnosin*, & *Therapian* ejus comprehendit, inter *Artis Medicæ Defectus*, & *Desiderata*, non immeritò censeatur.

Ne verò quis, ex eo *Medicinæ Consultorum* hac in re *Silentio*, *Arthritidis* hujus in dubio ponat *Υπέξιν*; & de *Morbo*, non tam gravi periculoloque,

P R Æ F A T I O.

quam commentitio imaginarioque, disputare me coarguat; Operæ pretium existimo, Veterum, quorum Autoritate Morbus ille (*Arthritis* scil. *Interna*) confirmari possit, è multis aliquot Testimonia proferre.

Annos certè millenos abhinc septingentos (i. e. sub *Augusti Cæsaris Imperium*) *Aretæo* ille *Cappadoci* innotuit, ita de *Arthritide* verba * facienti, *Τισὶ δὲ νέμεται τὸ παντὺς σκῆνε* περιόδου. id est, *Quibusdam in omnis Corporis ambitum vagatur.* Et deinceps, *Ἡ δὲ Μετάβασις ἐς νώτε μῦας, ἔθωρηκε. Ἀπίστον, εἰς ὅσον ἐρπεί το Κακόν. Σπόνδυλος αλγέσει, ῥαχεὸς τε καὶ αὐχέν, καὶ ἐς ἄκρον ἐρείδει τὸ ἴερε ὄσει.* i. e. *Transitus quoque in Dorso Thoracisque Musculos fit: Incredibile est, quam latè Malum (i. e. Arthritis) serpat. Vertebrae Dorso, Cervicisque dolent, & in summo Sacri Ossis Dolor inhærescit.* Et paulò post, *Τέροντες, Ἀδίνες, Μῦες ξώ ἐντασι ἀλγέσει Γνάθων καὶ Κροτάφων μῦες νεφρῶν καὶ κύσι ἢ διαδοχή. Ὡ τὲ θῶματ.* i. e. *Tendines, & Musculi cum Distentione Dolorem patiuntur, nec non Maxillarum & Temporum Musculi. Item cum Renibus, & Vesica communicatur. O Rem admirabilem!*

Secundum hunc *Galenus* apertissimè, *Satius, inquit, est, ut Humores pravi relictis Principalioribus partibus, in Ignobiliores ferantur, quàm quod ab Ignobilioribus in Principes impellantur. Aspeximus etenim sæpe in his, qui Articulari Morbo, aut Podagræ obnoxii erant, quod, repulsis ab Artibus Humoribus eo delatis, illi in Principem aliquam Partem contendentes, Homini interitum attulere: cui ea sola relinquebatur Spes Salutis, si iterum possent ad Artus revelli †.*

Paulus etiam *Ægineta* nonnullorum meminit, qui *Aures, Dentes, Guttur, & nonnunquam Jecur, Lienemque, Arthriticis Doloribus conflictari pronunciant: A quibus, nisi desubito Vitium in Artus sese recipiat eruçtetque, periculum brevi tempore Laborantes occupaverit.* *

Adhæc Ætius † (Iano interpretante Cornario) Qui vero, ait, extreme ab hac Affectione (nimirum Arthritide) apprehenduntur, his & Spinæ Vertebrae, & Costarum Juncturae, & Genæ dolent, aliquibus autem & Iris, sive Corona pupillam Oculi ambiens: neque est aliqua Ossium Connexio, quæ ab hac Affectione sit immunis.

*Quibus animadversis, Trallianus * sapienter monet, Ne astringentibus & repellentibus in affectis Partibus utendum esse, nisi totum prius Corpus Recrementis liberaveris. Nam quod Articulis influit, ne ad Principales Particulas recurrens, Suffocationis causa fiat Ægro, periculumque Mortis adferat, metuendum est. Et in sequentibus, Multos Attonitos, inquit, fieri conspiciamus, ubi Pedes tentari desierint.* Quid?

* Lib. 2. Cap. xii. Ed. in Fol. August. Vindel. 1603. per Henischium.

† In *Hippocratis* Librum de Natura Hominis; Commentario II. ad Textum quintum: Editione *Parisiensi*.

* Libro 3. Cap. 78. Editione *Aldina*.

† Vide ejus *Tetrabili* tertiæ Sermonem quartum, Cap. vi. Editione *Frobeniana*. *Basileæ MDXLII.*

* Vide *Alexandri Tralliani*, Lib. II. Cap. I. *Basileæ MDLVI.*

P R Æ F A T I O.

Quid? quod *Demetrius*, inter recentiores Græcos, *Pepagomenus*, *Michaelis Palæologi* Medicus, his assentiatur; Libro (istius Imperatoris jussu) de *Podagra* scripto, *Non tantum*, inquit, *in Manus, Pedes, omnes Articulos tales ferri Fluxiones: verum etiam in Cerebrum, Jecur, atque adeo ipsum Cor: Earumque teterrimas esse liberatuque difficillimas.* †

His accedunt ætate nostra *Sennertus*, *Sylvius*, *Ettmullerus*, *Sydenhamus*, & complures alii; ut, tametsi *Arthritidos Internæ*, qua latè patet, *Diagnosis* certa & fidelis, supersit nulla; nedum ejus ulla *Curatio* propria; *Morbum* tamen eum, *Medicorum* omnis fere ævi opinione, revera esse; eumque *Magnum*, & *Ancipitem* esse, omnino constat: Et quidem mirari aliquando subiit, in *Morbo*, toties à *Veteribus* significato, per tot secula *Genus Humanum* affigente, explicando curandoque; ab eorum temporibus ad hunc usque diem, *Progressum* adeo parvum fieri; adeo *Nihil* agi: Utinam, quæ à nobis hanc ob rem in medium feruntur, *Proposito* respondeant.

Illud denique adjiciam, unde *Lectori Hippocratis* æmulo, (id est, *Præceptoris in Medicina optimi Discipulo*) *Dissertatio* nostra, uti spero, commendetur, & *Gratiam* ab eo ineat; *Omnem* hanc *Arthritidum Anomalarum* *Disciplinam*, sive *Ætiologicam*, sive *Therapeuticam*, cum *Medicina Hippocratica*, quantum in me est, convenire; & (posthabitis *Hypothesibus*, *Naturæ* verò *Judiciis* tum avide investigatis, tum etiam diligenter examinatis) ad *Ejus* normam & legem componi. Nec enim ille parum auspicato *Medicinæ* operam dat, qui id aliter facit, quàm *Natura Duce*, & *Comite Ratione*: Hoc autem minimè omnium illi videntur facere, qui, neglectis *Phænomenis*, *Naturæ* nomine venditent *Opiniones*; itaque sibi, sui que similibus *Fraudi*, aliis sint *Ludibrio*.

Quare, de *Humorum Transitu Migrationeque*, & ab *Artibus* in *Partem* aliquam internam *Recessu*; de eorum in ea *Parte Receptione*; deque eorum *Medicamentis* ore sumptis, in *Artus Expulsione*, extra verò applicatis *Revulsione*, creberrimè nobis *Sermo*. Sunt autem ista plane *Hippocratis Μεταστάσεις, Διαδέξεις, Αποκρίσεις, Αντιστάσεις*. Imo quidem, hanc nostram *Medendi Methodum*, verbis generalibus, *Ipse Divinus Senex* proposuit, præcepitque: Præcepit enim *Αντισπᾶν, ἢ μὴ ἢ δὲ ῥέπει: ἢ δ' ὅκνη δει, τῷ τέτοιον δει σομῆν, ὅπως ἕκαστα ῥέπει*. id est, *Revellenda ea, quæ quo non oportet, repunt: Sin autem quo convenit, iis Viam sternere oportet, ut singula eo vergant*. Quo quidem *Aphorismo*, (tanquam *Oraculo*, *Apollinis* instinctu edito,) tum *Anomalæ*, tum *Primi-geniæ Arthritidos* *Curatio* tota brevi comprehenditur.

Morbi Hipochondriaci *Diversitates* & *Morborum* innumeras aliorum *Imitationes*, quæ per omne ævum *Medicis* fucum, *Ægrotantibus* molestiam fecerunt; à *Clarissimo Sydenhamo* graphicè depingi, solertissimè curari vidimus. Utinam etiam *Arthritidis*, *Morbi* similiter multiformis *Varietates*, *Simulationes*, *Flexiones*, *Anomalias* qui exprimeret, & pro rei dignitate, &

ampliu-

† Cap. v. Editione Parisiensi, per *Charterium*.

P R Æ F A T I O.


amplitude describeret, par esset Sydenhamo. Hisce verò desperatis, huc spectantia, quæ à me fuere passim observata, lubens in medium fero; ea Spe fretus, etiamsi non perfectas & absolutas, tamen non nullas harum *Anomaliarum*, per hæc nostra qualiacunque, fieri tum *Historias*, tum *Curationes*.

Habes, Lector, Instituti rationem & consilium: Utrique Fave.



E L E N C H U S.


| CAP. I. | Pag. I |
|--|--------|
| D E Arthritide Anomala, <i>Generatim</i> . | 9 |
| II. De <i>Ventriculi affectibus</i> Arthriticis. | 30 |
| III. De <i>Colica</i> Arthritica. | 47 |
| IV. De <i>Diarrhœa</i> Arthritica. | 54 |
| V. De <i>Dysenteria</i> Arthritica. | 60 |
| VI. De <i>Abscessu Intestinorum</i> Arthritico. | 65 |
| VII. De <i>Melancholia</i> Arthritica. | 70 |
| VIII. De <i>Syncope</i> Arthritica. | 74 |
| IX. De <i>Calculo Renum</i> Arthritico. | 79 |
| X. De <i>Asthmate</i> Arthritico. | 89 |
| XI. De <i>Catarrho, Tussi, & Peripneumonia</i> Arthritica. | 99 |
| XII. De <i>Phthisi</i> Arthritica. | 106 |
| XIII. De <i>Angina</i> Arthritica. | 116 |
| XIV. De <i>Capitis Dolore, & Vertigine</i> Arthritica. | 129 |
| XV. De <i>Apoplexia</i> Arthritica. | 141 |
| XVI. De <i>Paralysi</i> Arthritica. | 153 |
| XVII. De <i>Doloribus in Corpore vagis, fixis; de Ophthalmia;</i>
de <i>Erysipelate; & Achoribus</i> Arthriticis. | 156 |
| XVIII. De <i>Epiphora, & Dolore Dentium</i> Arthritico. | 157 |
| XIX. Corollaria continet, cum Epilogo. | |



D E
 A R T H R I T I D E
 A N O M A L A,
 G E N E R A T I M.

C A P. I.

A R T I C U L U S I.



UM materia peccans, & aliena, quæ *Arthritidos* sive *Primigeniæ*, sive *Symptomaticæ* causa proxima, continens, & conjuncta est; post aliquam in Sanguine moram, Naturæ demum molesta, ideoque expellenda, jam exilio parata est; permagni sanè refert, quas in corporis partes ea mittatur; quibus in locis deponatur: Si enim in *Artubus*, maxime verò si eorum commissuris; sicque ut de ejus in Sanguinem reditu nullum sit periculum; profectò quidem hoc est ipsum Naturæ propositum, quod in sui defensionem omni

illa studio, summis viribus attentat: hæc morbi hujus solutio fida, accommodissima: hæc *Arthritis* exoptatissima, quæque jure merito nominetur *Regularis*.

II. SIN aliter acciderit, & ad corporis *Truncum*, sive aliquam ejus partem, materia fuerit appulsa, & in ea malum more suo machinata; longè alia rerum facies, alius est eventus: Nam aut nulla morbi fit solutio, aut saltem inepta, naturæque votis minimè respondens. Novus ex eo morbus exoritur, isque sæpe periculosus, sæpe perniciosus; indole, & ingenio, propter materiam ab *Arthritide* ductam, admodum singulari. Atque hæc istius materiæ, in ea quæ intus sunt, è sanguine ablegatio, & in iis commoratio; quandoquidem ex primo Naturæ instituto (quæ semper *Regularem* præfert, & quoad fieri potest, molitur *Arthritida*) minimè

peragatur; verum multo aliter ex illius errato, vel defectione: hæc, inquam, *Arthritis* à nobis appellatur *Anomala*; ea vocis istius significatione, qua apud veterem † Etymologum legitur *Anomalia, id est, extra Regulam.*

III. *Arthritidum Anomalarum Διαγνώσεις* difficultatibus quamprimum involutæ, tenebris densissimis obscuratæ sunt; ut autem excudam, & ante oculos ponam earum rationem aliquam generalem, omnino distinguendum est inter eas *Anomalas*, quæ *Regulari* nullo præcurrente Paroxyfmo sunt; & eas, quæ regularem *Arthritidis* Paroxyfimum insequuntur.

Illæ quidem Partium, quas afficiunt, Morbos tam mimice legitimos & exquisitos imitantur, ut internoscere illas, & ab hisce Characteribus proprio discriminare, prorsus ἀδύνατον existimetur. Quis enim, e. g. Morbosam istam affectionem, quæ in corpore, ad hoc usque tempus immuni, neque *Arthritidis* Paroxyfmo regulari vel semel unquam tentato, vel ei (quantum apparet) proclivi locum habens, Anginam inducat; eamque Anginæ legitimæ tam similem, ut neque ovum ovo similius: quis, inquam, isthuc malum; quis hanc Anginam, *Arthriticam* esse somniaverit; quando nulli testes, Symptomata nulla, vel minima quidem ex parte id arguere videantur. Nihilominus tamen *Arthriticam* esse posse hanc Anginam, omni dubio procul usu medico confirmatum est. Quare prætermittis hisce, quæ, ut nunc sunt Symptomata, & eorum interpretationes, supra captum huma-

num esse censeantur; ad eas progrediar *Anomalas*, quæ, Paroxyfimum *Arthritidis* Regularem à tergo secutæ, *Diagnoses* habeant probabiliore.

IV. HÆ verò *Diagnoses* non ex Caterva five Globo Symptomatum, simul semelque concurrentium, (quod in affectibus plerisque locum obtinet) expectandæ; sed ex Symptomatum ferie, vel ordine, in longum producto, capiendæ sunt. Ut autem istæ Catervæ, Συμφορμαί ab antiquo παθολογικαί fuerunt nominatæ; ita quidem hi *Ordines, Pathognomonici* non inepte nominentur.

Qui quidem *Ordines Arthritidum Anomalarum Pathognomonici*, pro istarum *Arthritidum* diversitate, diversi sint, oportet; & quidem alias conveniunt, alias inter se magnopere sunt disjuncti. Conveniunt in eo, quod ad unum omnes ab *Arthritide regulari* sumant initium: quandoquidem, de *Anomala Arthritidos* ὑπάρξει minimè unquam constabit, nisi de *Regulari Arthritide* præcurrente prius constiterit. Atque hæc istarum Διαγνώσεων pars prima est.

Discordant eo, quod, eodem loco incipientes, diversas omnes ingrediuntur vias: Uti Radii ejusdem Circuli, ab eodem Puncto, nempe Centro, incipiunt; sed in varia Peripheriæ puncta desinunt. Ut hoc Exemplo clarius ostendatur, *Dysenteria*, v. g. *Phthisis*, & *Apoplexia Arthritica* consentiunt in eo, quod ab *Arthritide regulari*, & in Artus sæviente, exordiantur omnes: Verum, quoniam Miasma nunc ad Intestina appulsum est, ubi loci *Dysenteriam* facit; nunc ad Pulmonem, ubi *Phthisin*; nunc autem ad Cerebrum, ubi *Apoplexiam*; idcirco *Arthri-*

† *Isidori Lib. I. Caput 27.*

Arthritica hujus *Apoplexiæ*, *Phthiſeos*, *Dysenteria* *Diagnoses* ex *Cerebri*, *Pulmonis*, & *Intestinorum*, nempe ex locorum affectorum signis, maxima ex parte sunt eliciendæ. Atque ista locorum, ab *Arthritide* in eos translata affectorum, accidentia, Διαγνώσεις harum est quod reliquum.

Quoniam verò hi affectus postgeniti, *Arthritidem regularem* nunc e vestigio sequuntur, nunc ex intervallo; eoque alias brevi, alias longiori; magna profecto, ob hanc rem, earum est diversitas. Alii originem plene & planè confitentur *Arthriticam*; alii, utrum habeant, an secus, minimè declarant. Adeoque, ut *Diagnoses* hæc finiam, hic *Canon* istorum affectuum *Pathognomonicus*. Quo certior *Arthritidos* regulari ὑπαρξίς, & illius materiæ, in ea, quæ intus sunt, quo postea certior est translatio; eo confidentius *Anomalam*, & quidem in parte jam nuperrimè occupata, esse *Arthritidem*; possumus statuere.

V. CUM autem *Arthritidem* ea, quæ intus sunt, *Anomalam* infestare dicam; vox (*intus*) ut & alibi (*Partes internæ*,) uti etiam τὸ (*Anomalam*) & (*Truncus*) sic à me sumuntur, ut *internæ partes* sint *Trunci* omnes: *Truncus* autem tres *Ventres* comprehendat, & cum *Artibus* (quorum respectu partes ejus dicuntur *Internæ*) constituat univèrsum corpus. Ut autem voces (*internæ*) & (*intus*) & (*Truncus*) sensu largiori, ita vox (*Anomala*) strictiori accipitur: Non enim omnes *Arthritidos* in *Trunco Anomalias*, non *Artuum* nullas, tractare propositum est.

VI. HINC *Arthritidem* inter *Regularem* & *Anomalam*, quæ sit diffe-

rentia, quod discrimen, explicatu facillimum. Primum enim illa tantum *Artus* invadit, eorumque præcipuè *articulos*; tum *humerum*, & *Coxendicem*, tum cæteros omnes. Hæc corpus reliquum, cujus partes, nunc *contentas*, nunc *continentes*, aliaque sæpenumero adoritur, multifariam affligit.

Deinde, *Arthritidos* regularis, cuiuscunque articulo affixæ, quoscunque *artus* pervagatæ *Symptomata*, simul sumpta, inter se contentiunt, similiaque faciunt *Pathognomonica*, & (quod de similibus *Triangulorum* lateribus solet dici) ὁμολογεῖσι. Nam in *Arthritide* regulari fixa, dolorem fere perpetuo, tumorem creberrimè, ruborem sæpe, neque rarò ardorem & tofos cernimus: Et in *Vaga* dolorem, unde ipsius nominis ratio, *Vagum*; cui non nunquam accedit tumor albus, & tanquam οἰδηματῶδης. Contra verò *Anomalæ Arthritidos*, uti in locis ea longe plurimis est, ita longè plurima & diversa sunt *Symptomata*; in ordines ejus *Pathognomonicos* & numero plures, & valde dissimiles (secundum partes ab hac *Arthritide* tentatas & affectas) disponenda, & digerenda.

Postremo *Arthritis* regularis est à natura potissimè petita; maxima ex parte tuta, perpetuo desideranda, *Crisis*; ut ad vitam servandam imprimis necessaria; neque alium quemvis (nisi in casu fiat) morbum gravem, & ærumnosum habens supervenientem. Hæc contra ortus est sinistri, & ex Naturæ frustratione; rarò absque ægroti periculo, interdum summo comitata, exituque crebro fatali. Adeo nempe à *regulari* distinguitur *Anomala Arthritis*.

VII. ID autem memoria tenendum, non solum exquisitæ Primigeniæque *Arthritidos* esse has Ἀνωμαλίας, verum etiam *Simulatæ Symptomaticæque* easque esse *Arthritides Symptomaticas*, quæ *Primigeniam Arthritida* non tantum modo rectè agentem, sed etiam deviam, sed *Anomalam* sequantur, & in rebus permultis æmulentur. Hujus autem verbi vis, & interpretatio non ita intelligenda, ac si omnes *Symptomaticæ* ad *Anomalias* ἀνωμαλίαν omnes æquè proclives essent; e contrario, has illis sæpius, & longius excurrere, & quidem ad alios corporis locos, est exploratissimum.

VIII. AT Truncum illa universum non æqualiter infestat, aut pari modo lædit, verum, ut in Provincia exteriori *Arthritis Regularis*, sedem in pedibus principalem ponit; quam creberrimè frequentat, habitatque constantissimè: aliam secundi ordinis sedem elegit, nempe manus articulos; quos aliquanto rarius, sæpe tamen invisit: alios habet tertii, videlicet genu, cubitum, humerum, & coxendicem; quos articulos adit, quasi invitate, omnium rarissime. Ita quidem in Provincia interiori, sive corporis truncum, *Arthritis* se gerit *Anomala*. Namque omnium sæpissime Venter, & intestina petit, & in his tyrannidem exercet: hinc Ἀνοπέζια, Δυσεντερία, Vomitus, hinc Colica, Dysenteria, Diarrhœa; hinc interdum Abscessus Arthriticus. Sæpe caput, tanquam arcem munitissimam, aggreditur; & nunc Vertiginis, nunc Cephalalgia, nunc Apoplexia partes sustinet Arthritica. Aliquando etiam in nervos se infinuat; unde Paralysis Arthritica: Non rarò Pectoris regionem, spirandique tentat organa;

& est vel *Asthma*, vel *Tussis*, vel *Hæmoptoe*, vel *Phthisis Arthritica*. Aliquando etiam Fauces invadit, & sub *Angina* vultu ludificat ægrotos. Interdum Gingivas, & appellari solet *Dentium Podagra*. Interdum Renes afficiendo *Calculum* infert, *Dysuriam*, *Stranguriam*: Alias, scil. aliasque trunci partes, Viscera, Membranas, Musculos, Glandulas, Tendines, ligamenta, ne dicam ossa penetrat inficitque ut in omni Truncum, quod ea liberum, & ex toto sit immune, vix reperiatur.

IX. NE cui verò *Arthritidi* videatur alienum, tot ei, vel erranti, *Anomalias* obtingere; inque morbos; si eorum facies spectemus, numero tam multos, natura tam diversos, illam diffindi, & dispertiri; hoc cum animo cogitet; Primum, Virus *Arthriticum*, sanguine commissum, unicum eo corpus universum circumvehens, in singulos ventris singuli recessus, in partes corporis omnino omnes immitti, earumque Adyta intrare. Deinde, iter ad articulos non ad eò recta facere miasma illud, ut in aliis corporis regionibus minime unquam divertatur; verum ex contrario, ad partem Trunci aliquam appulsum, in ea sæpe morari, sedemque tanquam propriam occupare. Postremo, illa commoratum, illius affectum aliquem, sed novi moris affectum, sed *Arthriticum* inducere tum posse, tum etiam solere. Ut *Arthritidis* imperium, usquequaque dilatatum, amplum esse constet, pariterque fere atque humanum corpus immensum.

X. Causæ loco proximo perpendendæ veniunt; Eæ verò, uti mihi videtur, ita se habent. Alia est ipsum *Miasma Arthriticum*, vel in sanguinis sinu

finu inclusum; vel ad corporis extremitates amandatum; quod tamen iis minime defixum, aut inhærens, percussu proclive sit, & in Trunci Organicam partem aliquam facile repellatur.

Alia *in ipsis Trunci partibus*, quæ Miasma depositum accipiunt, inest. Earum enim infirmitas & ἀτονία major, minor; eaque interdum naturalis, alias acquisita, reddit eas *Arthritico* plus minus oneri ferendo idoneas. Atque hæc duæ causæ internæ sunt, & Procarticæ, & in *Anomalis* hujusce generis quibuscunque locum obtinent.

Alia est *externa*, & evidens causa; uti Emplastra, Cataplasmata Ἀπορροστικά, Frigus, & quidem omne, quod materiam, vel à τοῖς ἐξωθεν repellens, vel iis affigi prohibens; ad ea, quæ intus sunt, illam intrudat. Atque hæc causa frequens & pervagata, minimè verò constans; & perpetua est. Trunci enim partes aliquando debiles, & ἀτονοὶ nulla omnino urgente vi externa, onus per se recipiunt, ultroque sustinent.

XI. DIFFERUNT inter se *Arthritides Anomalæ*, Primò, secundum *locos sive Subjecta*: Alia enim est Ventriculi; alia intestinorum; alia pulmonis; alia Faucium; alia cerebri; alia nervorum; &c. Et quidem adeò differunt, ut, tot diversæ inter se morborum species, à plerisque omnibus fuerint existimatæ.

Tum, in eodem subjecto, differunt secundum *causas*: Ut enim illæ varietate magna distinguuntur; ut illæ nunc fortius, nunc remissius agunt; utque hoc illoque modo, πλεονεξίως implicantur; *Anomaliarum* oritur *Arthriticarum*, quæ pari gaudet diversitate, vis & copia similiter varia.

Dicam planius, & distinctius; pri-

mum *ratione materiæ*, sive causæ continentis; quam modo puram putam *Arthriticam*, modo alienam; uti *Scrofulosam*, *Scorbuticam*, vel istiusmodi aliam habet hæc *Arthritis*: Modo materiam rectà è sanguine effusam; modo ab externis partibus translata: Modo in iis partibus sævientem, membranas acriter rodentem, modo mollem, & edentulam: Modo in iis nuperimè; modo ex intervallo. Unde *Arthritidum Anomalarum* multiplex varietas, discrimen ingens.

Deinde, *ratione subjecti*, nunc illud à Natura debile; (uti sunt glandulæ ferme omnes:) nunc materiæ vitiosæ à sanguine secernendæ Natura destinatum; (uti præcipuè sunt conglomeratæ:) Nunc malis moribus illud debilitatum; (quod in ventriculo sæpissime observatur;) nunc, prægresso aliquo morbo, quod in Hæmoptoicorum pulmone,) suspiciendo miasmatis *Arthritico* magis paratum est: Unde etiam harum differentiarum *Anomalarum* pæne innumeræ. Alia porro est differentia, ad hunc ordinem referenda: Nam ab alio *subjecto*, uti à Faucibus, ad Artus facillime; sua quasi sponte adit; expeditissimè, promptissimè demigrat; ab alio, uti à nervis, non nisi difficillime removetur, & summis Medicinæ viribus; remediis, veluti *μοχλικοῖς*, interdum verò ne quidem ullis. Unde etiam ἐν τῷ θεραπεύειν harum *Anomalarum* magna diversitas.

Postremo, *ratione causæ externæ*; nonnunquam mero extremitatum robore, partium internarum *ισορροπία* exuperante; sæpe emplastris, cataplasmatibus, unguentis; linimentis repellentibus, nonnunquam aere perfrigido, nonnunquam pedum, in aquam fri-

gidam, vel falsam immersione; alias Ligaturis, aut Tibialibus nimis angustis fit *Arthritis Anomala*.

Ex hac varietate qua *Subiecti*, qua *causarum*, *Arthritides* sunt *Anomala* tam variæ, tamque multiformes, & detectu sæpe tam difficiles; ut vel *Æsculapio*, vel *Herculi* Medico facebant negotium.

XII. MEDENDI Indicatio generalis est, ut *Arthritide Anomala* pars affecta quam citissime, quam tutissime levetur. Hoc autem fit, materiam in ea depositam partim è corpore evocando, partim in Artus transferendo. Evocatur è corpore materia modo Venæsectione, modo Catharsi, modo Diaphoresi, modo Epispasticis, modo Apophlegmatismis, modo Errhinis: Quæ quidem omnia, sicut hujusmodi cætera, quando *Arthriticis* omnibus *Anomalis* simili nequaquam modo adferentur; verum è contrario, aliis alia: Quæ illorum auxiliorum quibus *Anomaliis*, quaque ratione opponantur, infra speciatim explicabitur.

In præsentia dicam, è Corpore materiam evocantibus (quæ primo loco erant) etiam si crebro necessariis, non iis ita crebro solis, ægrum sanari; interdum lædi: *Lædi* nimirum, quoties perperam & imprudenter electa, vel incautè & supra modum ea fuerint adhibita, unde non nunquam malum augetur, aut aliàs ægri conditio pejor reddita est. *Non autem semper sanari*, quia Materia, quæ relicta est in corpore, *Arthritica*, tametsi Evacuationibus retusa, quando jam maturata & ad ἀκμὴν est evecta, brevi se attollet, iterumque turgendo cristas eriget, neque nisi propriis excerniculis (id est, Glandulis Articularibus) ejus fiat ex-

cretio, vel minimum Artubus appositio, Sanguini quies erit. Præmissis igitur, quæ par est, Evacuationibus, optime felicissimeque Curatio perficitur, per materiæ in Artus translationem. Hoc enim ipsum est Naturæ propositum; hoc illi maxime optatum; quod dum molimur, ei laboranti, neque alienum ex more, & qua via soleat debeatque exturbanti, ferimus suppetias. Ἀ δὲ ἄγειν, ὅπως ἂν μάλιστα ῥέπῃ [ἢ φύσις,] ταύτην ἄγειν, διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων. Hoc est, *Quæ educere oportet, eo ducenda, quo maximè Natura viam affectat, per loca convenientia.* Hippocr. Aphorism. XXI. Lib. I.

Medicamenta, huic Intensioni apta & interservientia, sunt duum generum: Quæ Ore sumpta materiam in Artus amoliantur; quæque extra iis admota, eo illam invitent.

Interna, *Arthritidem expellentia*, si-ve Ποδογρηγορώα, sunt è Classibus Cardiacis, & Diaphoreticis, magna ex parte, selecta Præsidia; uti;

Pulveres *Zedoariæ*, *Contrayervæ*, *Gentianæ*, *Serpent. Virg. è Chel. C. C.* *Purpureus Batei*, *Lapid. Goani*, *L. Contrayervæ*; *Species Diambrae*, *Confect. liberantis*, *Cl. Fulleri Pulvis Alexipharmacus*; *ejusdem P. Stomachicus amarus*; *Cl. Willisii P. Bezoarticus*; *Pulvis Ruber Exoniensis*; *Flores Salis Armoniaci*, & id genus alii.

Electuaria, *Theriaca Andromachi*, *Mithridatium*, *Elect. de Ovo*.

Spiritus *C. C. Simp. vel Succinatus*; *Sp. Sanguinis humani*, *Urinæ*, *Volatilis Oleosus*, *Serici*, & ejusmodi alii.

Vinum *Album Gallicum*, *Campanum*, *Mosellanum*, *Rhenanum*, *Burgundicum*, *Burdigalense*, *Lusitanicum*, *Pomaceum*, maximè subacidum.

Quoniam autem Ferro, ad extruendam Arthritida, nihil potentius inveni; aut quod Ægrotanti sæpius sit auxilio: quod efficax, & tutum; quod annorum usu multorum à me expertum, ejus Præparatum accipe.

℞. Limaturæ Ferri ℥. x. Sartagine, vel Patella terrea, vitro obducta, Urina madefac humana; æstivo Sole, vel ad Ignem sicca; iterumque. (Spatula Ferri particulas, ne coalescant, bis in die agitando) irrorata, donec abeat in Rubiginem Massa Exesam, & Rubigine confectam eam in Mortario ferreo contunde: Tusam, & in Pulverem redactam Situlæ, quatuor circiter Congios Aquæ fontanæ continenti, injice. Pulverem cum Aqua commisce. Horæ post quadrantem, Aquæ, quod summum est, & minus turbidum, leniter detrahe; & ad Pulveris, in ea natantis, siccitatem evapora. Quod in situla relictum est humoris, similiter evaporetur. Pulvis in fundo crassior, Urina irroretur; &c. uti prius. Itaque Nutritio, Tritura, perque aquam separatio repetatur, donec omne Ferrum in Pollinem mutabitur. Chartæ Emporeticæ, Coni in formam circumvolutæ, Pulveres siccatos inde; Aquam fontanâ fervefactam, paulatim, & per vices, superaffunde; donec urinoso sale penitus abluto, exstillabit Aqua insipida. Pulverem denuo exsicca, & usui serva.

Est illa Rubigo Ferri subtilissima, merum Alcohol; non solum Arthritide, verum etiam Chronicis plerisque aliis, Ægrotantibus, præcipue teneris & imbecillibus utilissimum. Dosis ℥. semel, bis in die, pro re nata.

Pulvis Ruber Exoniensis ita præparatur.

℞. Cacumin. Anagallid. Scabios. Draconis, Betonice, Scordii.

Tormentillæ aã ℥iiii. misce; incisa digere, igne arenæ, horas xxiv. in Vini albi Lusitanici ℥iiij. Vitro probè clauso. Tunc fiat Colatura, & Expressio.

℞. Boli Armenæ pul. ℥j. Infuso prædicto in spissitudinem Linimenti temperetur; crebro agitetur; sole exsiccetur; rursus irrigetur; &c. Itaque Massa Infusa nutriatur: At cum ultima ejus semilibra, illi addatur

Mitridatii ℥j.

Diascord. ℥iij.

Conf. Alk.

Pul. Rad. Curcumæ aã ℥℥. Serp. Virg.

Croci Brit. aã ℥ij. misce, exsicca; f. Trochisci, vel Placentulæ, solis æstivæ durandæ, loco calido servandæ; Dosis ℥j. ad ℥℥. vel ℥j.

Ad Arthritidem expellendam Pulveres, Boli, Pilulæ, post Evacuationes necessarias exhibendæ.

℞. Ferri hujus Nutriti, sive Alcohol Martis ℥℥. Sacchari albiss. gr. xv. Pul. Nucis Myrist. gr. v. f. Pulvis, cum Vini Haustu assumendus. Vel

℞. Pul. è Chel. C. C. (vel Lapid. Contrayervæ, vel de Goa, vel Rubri) ℥j. Alcohol Martis ℥℥. f. Pulvis.

℞. Ther. Androm. ℥j. (ad ℥℥.) Alcohol M. gr. v. (ad x.) Syr. Caryoph. q. s. f. Bolus, Vel

℞. Pul. è Chel. C. C. (vel Alexipharmac) ℥j. Spec. Diambrae, Ferri Nutriti aã ℥℥. Conf. Alk. q. s. f. Bolus.

℞. Pul. Serpent. Virg. ℥j. Alcohol Martis ℥℥. Ol. Absynth. Chym. gt. j. Ext. Cent. q. s. f. Pil.

Dentur aliquot ex hisce Compositio- nibus, semel, bis, terye in die; uti res Ægroti postulet, & patiatur; cum idoneo vehiculo, Vino puta, Pomaceo, vel Julapio Cardiaco.

Si Liquidum malis, in eundem finem propinetur *Infusum amarum*, cum *Tinctura Martis*, vel ejus *Alcohol*.

℞. Rad. Zedoar. Gentian. aã ʒij.
Cacum. Abs. Rom. Agrimon.
Cort. extr. Aurant. siccat.

Croci Brit. aã ʒj. misce, & digere, in Vini rubri Lusitanici ℥ij. ad idoneam alterationem: Tunc f. Colatura. Dosis ʒiij. cum Alcohol Martis gr. v. ad x.

Sunt & alia Medicamenta, *Arthritidi* protrudendæ apta; quæ *Anomalis* quibusdam singularibus occurrunt, & suis in locis tradentur: hæc autem maximè communia.

Internis hisce *Ποδαργαγογούσις*, vel hujusmodi aliis, dies quatuor aut quinque usurpatis; si in Artubus nihil excitabitur Doloris, ad ea, quæ extra imposita *Arthritidem* ad τὰ ἐξωθεν eliciant, descendendum est. Articulo dolere solito admoveatur *Empl. ex Gummi Caranna*, vel *Oxycroceum*, vel *Cephalicum*, cum *Picis Burgund. dimidio*, triente, vel quadrante. Valet *Urticatio*, Veteribus in usu adversus Dolorem *Ischiaticum*: Valent *Balnea*, sed calidissima; uti etiam *Pelles Animalium* recens detractæ. Vel applicetur *Ceratum illud viride*, ex quo fiunt *Petasothecæ*; vel si vires *Ægri* ferant, & res in dubio versetur, *Phænigmus*.

℞. Fermenti vet. partes ij.

Sem. Sinapios,

Raf. Raph. Sylvestr. Allii,

Cacumin. Rutæ, Fimi Columbini, aã partem unam; cum Aceto Vini albi cōtrunde; ad spissitudinem *Cataplasmatidis* redige.

Admoveatur ejus portio, quam ferri potest, calidissima; cum vestitu apto, laneorum nempe involucris; & quamprimum illa refrixerit, donec Tu-

mor erit, usque eo renovetur. *Ægrotanti*, si inter cruciatus animo defecerit, *Julapium Cardiacum*, vel, quod præferre soleo, *Vinum* aliquod generosum sæpius propinetur. Tumori demum facto, ne sanguini reddatur in eo contentus Humor, *Epispasticum*, cujus beneficio is educi possit, applicetur.

Ubi nulla præsentis auxilii necessitas, aut *Ægrotus* debilis, & tener, Doloris fuerit impatiens; Tibiis vel Cubitis (prout *Arthritis* imos, vel supremos Artus solet occupare) primum *Epispasticum* commune superponatur; quo duodecim vel duodeviginti horis post detracto, imponatur id, quod sequitur.

℞. Axung. Porcin. ʒiiss. Empl. Melilot. s. ʒiiss. Pul. Cantharid. ʒj. m. f. *Emplastrum*.

Hujus *Epispastici* auxilio, dies sex, octo, vel decem educatur, quamdiu nempe visum fuerit, *ἰχνοῦδες αἶμα*. Quacunque via progrediare, salutaris hæc severitas, manem omnem *Clementiæ* speciem longè multumque vincens, *Arthritidem* paucis diebus solet allevare. Ita falsum est quod effluit, ut ex eo sæpe Pruritus, & partium aliquando vicinarum *Inflammatiō*; & tam diutinum esse flumen observatur, ut ne perpetuum sit, interdum extimesceat *Æger*. At, quantum mihi notare licuit, inanis hæc *Solicitudo*. Nam *Ichore* supervacuo exulante, concidunt *Symptomata*: ex quo *Æger* vegetior, *Appetitu* avidiori, *Animo* majori est donatus; ab *Arthritidis* accessione nova ad tempus aliquod incolu-
mis.

At *Tribum Arthriticorum* delicatam, mollem, & doloris impatientem instare video; quæ periculum ex dolore

meticus, & ex ἀλυπία felicitatem, omnem hanc *Arthritidis* expellendæ Medicinam, illiusque Professorem crudelitatis arguit; neque inter hæc tormenta (*Phænigmos* scilicet aliaque dolorem excitantia) aliter, quam in *Phalaridis* tauro, vivi contendit; neque sine indignatione quadam me objurgat, ac si verbis *Æschyli Prometheis* usa.

Ἐλοφρὸν ὄσις πημάτων ἔξω Πόδα
ἔχει, παραινεῖν, νεθελεῖν τε τῆς κακῆς
Πρόσονται. Id est.

Facile, quisquis pedem extra mala habet, adhortari, & mōnere infelices. Et, ut verum fatear, querimonias hac de re me plus semel audivisse, non dissimulabo. Pii autem Medici est, dum morbum sedulo & artificiosè conatur relevare; quicquid in ea re occurrat impedimenti, studio & constantia vincere, vel patienter ferre. Exponenda igitur his hominibus est *Arthritidos Anomala* malitia; & quanto melior, & mitior sit hæc crudelitas, quam per misericordiam methodus: Illa brevi, & tolerabili dolore sanitatem; hæc quiete, inulto detestabiliore, mortem accelerat.

His in genere præmissis, *Anomalas Arthritides* speciatim explicandas, jam nunc aggrediar.

C A P. II.

De Ventriculi Affectibus Arthriticis.

ART. I. **A** Ventriculi & Intestinorum malo, nempe dyspepsia, creberrimè potissimeque nasci *Arthritida primigeniam*; ex ejus doctrina, luculenta & idonea liquidò

patebit. Eiusdem *Arthritidis*, ut etiam *Symptomaticæ*, naturam exquirenti manifestum erit, nullam in universo corporis Trunco partem, *Ventriculo & intestinis*, eam utramque perfectam antepone; nullam frequentius ingredi; nullam diutius tenere; nullam gravius affligere; nullam sæpius repetere. Quæ quidem res, uti methodi nostræ, ab *Arthritide* eorum *Anomala* incipientis, rationem abundè comprobat; ita quidem meritò requirit, ut, quæ sit hujus sævitix frequentixque causa, studiosè examinemus.

Quo verò clarior & dilucidior *Anomalarum*, hæc partes sic infestantium, expositio sit; de iis, quæ in *Ventriculo* locum habent, hoc capite; de iis, quæ in *Intestinis*, suo ordine postea disputabimus: Ut, in quibus ea inter se concordent omnia, & in quibus discrepent ex conjunctis & juxta se positis facilius innotescat.

II. Ut *Ventriculum Arthritidis* occupet, & in eo commoretur, duo videntur esse necessaria; Primum, in sanguine miasma *Arthriticum*, sive nativum, sive malis moribus acquisitum. Sæpe quidem nativum, huic affectui suo Marte generando, par & æquale reperitur: Sin ebrietate, gula, vel utraque id adaugeatur, fortius inde factum, omnem molitur efficacius accessionem, præcipuè *Anomalam*. Neque tantummodo inesse sanguini, & cum eo circumvehi sufficiet; nisi etiam in fugam abiturum; nisi exilio, quocumque vult natura, fuerit paratum. Alterum est, ut huic miasmati accipiendo, in tunicarum vel fibrarum intervalla adsciscendo, *Ventriculus* accommodetur; & ad illud in recessus intimos admitendum, aptus & conveniens sit.

III. ADVENAM illius accipit *Ventriculus*, sæpe propter Imbecillitatem ab incunabilis ductam, ipsoque ortu factam; ob quam in illo expellendo arcendoque partes minimè possit sustinere.

Et quidem tanti, ad inferendum hunc affectum, momentique tam magni, est hæc imbecillitas, ut ex iis, qui eo laborarunt, antea *Ventriculo* laborare, plerique omnes invenirentur. Illa vero, quam dixi, imbecillitas aliquando subita est, &, uti conjicio, ex improvviso: Quoties nimirum Venere absumantur; vel, ex Dolore, Timore, aliove quovis Animi Pathemate, recedant Spiritus animales; *Intestinorum* membranæ flaccescant, itaque advenæ, sese intrudenti, non ad *ισορροπίαν* adversentur, atque adeo viam aperiant. Cujus quidem rei, (*Anomalie* videlicet, hoc in loco *Arthritice*, à mœrore inductæ) Exemplum mox subjiciam.

Nonnunquam autem crudum, acidum, biliosum, aliudve aliquod ineptum & vitiosum, in *Ventriculo* coacervatum, Miasma illuc alleclat, &, Tunicas ejus irritando vellicandoque, ut in iis illud deponatur, efficit: Non alio modo forsan, quàm, in ambitu Corporis *Epispastica*, *Phænigmi*, & id genus *Attrahentia* vulgo dicta, Cutim mordendo stimulandoque, Serum, & nonnunquam ipsum Sanguinem ad se invitant, & quasi attrahunt. Quod quidem usu venit admodum frequentius; sic, ut in causis hujus *Anomalie* Procatarctis nihil, ut opinor, frequentius.

Interdum Miasmatis in *Ventriculum* missi, causa est externa; uti *Cataplasmus*, *Emplastrum*, aliudve quod-

vis istiusmodi repellens; quo, ne extra in Articulis maneat, neve in eos emittatur *Arthritis*; verum è contrario, ut in *Ventriculum* pellatur, effectum est creberrime. Atque huc referri Frigus oportebit; seu Balnei, sive Aëris fuerit: & quidem, multum hac in re valere frigus externum, iterum & sæpius observavi.

Ex hisce causis qua antecedentibus, qua evidentibus; sed ratione, modo, & *ἐνεργεία* alias alia, valdeque inter se diversa operantibus; *Anomalias* notare licet, in *Ventriculo Arthriticas*: quarum *ἴδιον* καὶ *ἴδιον*, ut ad illa descendamus, plerumque tale est.

IV. Cum *Arthritis* aliquandiu *Regularis* fuit, & in Artubus accessiones recessionesque multas ex intervallis iteravit; sæpe quidem videmus, Paroxysmum ejus, vel ex *Frigore*, *Emplastro*, *Cataplasmo*, *Unguento*, vel istiusmodi aliquo externo repellente; vel post satietatem, aut crapulam, & invitæ erratum aliquod, nunc abscindi abrumpique; si nempe esset: Sin nullus fuerit tunc temporis Paroxysmus, spatium præter morem excludi prorogaque. Hanc Paroxysmi regularis sive interruptionem, sive intermissionem, nonnunquam sequitur *Ανορεξία*, Cibi fastidium; eique postea se adjungit Pectoris gravitas; & deinde ructus, Vomitus, & interdum Cardialgia. His sæpe additur *Intestinorum* Oppressio, Dolor, Constrictio, & aliquando *Æstus*, respiratio impedita & angusta, Oscitatio crebra, Cephalalgia, Vertigo, & interdum Mœstitia, *Ἐνότρωμα*, Faciei Pallor, & post aliquod tempus Imbecillitas universalis, & totius corporis Macies.

Etsi hæc Symptomata fortasse nunquam

quàm in eodem Corpore simul semel observantur omnia; ea tamen horum Caterva creberrime videtur, quæ *Ventriculum* maximè, secundum cum *Intenteranea*, malo quodam intestino affici, gravarique significet; eique $\kappa\tau\eta$ $\Sigma\upsilon\mu\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$ $\epsilon\pi\iota\gamma\iota\upsilon\epsilon\varsigma\alpha\iota$, tum imo Ventre, tum medio, tum etiam supremo, cum systemate Nervino, ea, quæ recitavimus, Symptomata: quod ea singulatim examinanti facillimè patebit.

Abs quo hæc intus oboriuntur, rara in Extremitatibus *Arthritis*. Fixus, vagus Dolor, Tumor rarus. Qui diu Clinicus fuit, non nunquam, hunc in modum affectus, expeditè & promptè ambulat. At, quod externo omni Dolo-
re pejus, magis indies intestina mala magisque ingravescunt: Sic, ut *Æger* (nisi fortunate *Deus* se interposuerit, & vel Tempestate ab immoderata & perfrigida, ad mitem & benignam mutata; vel Medicina appositè adhibita, reducta fuerit *Arthritis regularis*) inedia, languoribus, & dolore confectus, è medio sensim abiens, post menses aliquot tristissimè actos, mortem denique misellus obeat.

V. Quicumque hæc Symptomata, maximè verò eorum Ordinem, quo ex aliis emanent alia, iudicio ritè ponderavit; mecum, ut opinor, sentiet; *Arthritidem*, olim regularem, nunc *Anomalam* fieri, & in *Ventriculum* divertere. Cujus rei probabilitas ex hisce paucis, simul consideratis, omninò sumi potest. Primum, quod nullum unquam hominem, nisi *Arthriticum*, adoriatur hic affectus. Deinde, quod nec eum, nisi Miasmate *Arthritico*, eoque maturo, & volatili turgentem. Deinde, quod neque illum, nisi vel à Paroxysmo vacuum; vel eum habentem

intercisum, imperfectumque. Deinde, quod è vestigio sequatur rectæ *Arthritidos* defectum. Quibus omnibus, uti par est, pensitatis, nihil verosimilius videtur, quàm quod *Arthritidos* materia, *Ventriculum* appulsa, dictam moveat Tragoediam. Hujus autem opinionis fides ut ampliùs stabilietur, hoc, quo nihil clarius, nihil luculentius optari potest, unum superaddam; nempe quòd, *Arthritide regulari* denuo inducta, (id est, *Materia Arthritica* à *Ventriculo* in Artus amandata) nihil huic affectui citiùs, nihil tutiùs medeatur.

VI. Senes hac *Anomala* maximo-
pere conficiantur; quorum sanguis, in Miasmate, per ætatem ingravescente, expellendo; quorumque Viscera, propter imbecillitatem ætate crescentem, in eodem avertendo, minùs valent. Sed non iis propria est habenda; quando in adultos, in iis juniores sæpè numero cadat: Et quidem adeò, ut *Anomaliarum*, quotquot sunt, *Arthriticarum*, nulla unquam, quod meminerim, magis. De cujus rei causa, ut conjecturam faciam, nihil magis in promptu, aut verosimilius habeo dicendum, quàm istam in victu incuriam; licentiam istam (inutilem dicam, an perniciosam?) qua istius ætatis Homines in mala se innumera immergunt. Quod ut pateat, unicum isthuc adjicere necessum est, in Juvenibus ab errato in potu aut cibo, incipere eam quam sæpissimè solere.

De Anni tempore, quo potissimè gliscat, enuntiari potest; etiamsi nullum illa non arripiat tempus, nullo tamen magis vigere, quam Autumno; quo, ad spumam omnem *Arthriticam* è Sanguine eructandam, vires exerit

Natura, & ut illam ad se alliciant, per fructus horæos æstate devoratos, & in ductu suo retentos computrescentesque intestina præparantur.

VII. Hæc quum hujusce *Anomalæ* ratio sit creberrima, operæ pretium esse videatur, eam cum *Arthritide regulari* paucis comparare, & utramque, quasi trutinâ, examinare. Age igitur, calculum ineamus, & initio, quod in confesso est, ponamus, *Diathesin* in sanguine *Arthriticam* tam hanc, quam illam præcedere. Deinde *miasmatis* è sanguine ablegationem similiter utramque anteire: Et quidem, in his duobus, eis inter ipsas convenire.

At, quod altero loco dicendum, in quibus secum dissentiant, sunt quàm plurima. Nam in accessione regulari sanguinis orgasmum, pulsum celerem, carnis æstum, eumque aliquando ingentem, Naturæ nixum molitionemque plus minus intensam observare licet: Contra verò in *Ventriculi Arthritide*, nihil horum evenit; at *Anxietas*, *Inquietudo*, *Languores* ægrotantem urgent. Illa Naturæ vegetæ, vividæque, & magnùm aliquod moventis opus; hæc fatigatæ, hæc oppressæ, & oneri succumbentis. Postremo, illa Vitam reddit securiorem, hæc Mortem imminentiorem. Tantum inter hæc *Arthritides* est discriminis; & tam certo, si earum altera *Regularis*, altera huic contraria est.

VIII. Neque de istarum *Anomaliarum* Historia, vel ejus Fide, derogari quicquam arbitrò; si forsan earum aliqua (prout diversæ sunt, & earum numerus pene infinitus) sine ulla sive è prædictis, sive alia quavis evidenti causâ, fiat; vel si unâ cum Paroxyf-

mo regulari, non autem post eum, uti nos statuimus; vel, si ab ejus interruptione intervallo, quàm proposuimus, longiori. Quandoquidem fingi potest, in ipsis hisce *Anomaliis* quædam inesse perfectio; quam in descriptione nuper allata conati sumus exprimere: Et quotquot eam habent *Anomalæ*, censeantur æquibilibus, suoque genere absolutæ; quæ verò carent, & ab ea desciscunt, minùs perfectæ: De quibus tamen omnibus sententia, per regulam datam, per *Anomalam* absolutam, facillimè ferenda est.

IX. Illa porro Symptomata, quæ dicuntur *Hypochondriaca*, notitiam *Arthritidum* in *Ventriculum Anomalarum* identidem obscurant, earumque *Diagnosin* interturbant. Nam cum ea senes sæpissime invadant; eosque maxime, qui post madidam, & temulentam juventutem, mutata vitæ ratione, senectutem degunt sobriam & siccam; à Vino abstinentia Languores fere perpetuos, ructus, *Anxietates*, *Tristitiam*, & nonnunquam *Dolorem*, aliaque *Ventriculi* mala non rarò infert; quæ *Anomalam* in eo *Arthritidem* diuturnam (qualis ea interdum est) non parum æmulantur. Ut autem eam internoscat, & ab affectu *Hypochondriaco* distinguat; ejus insultus explorare, modos eorum, vehementiam, & intervalla perscrutari, medentem oportebit: Unde ab illo istam facillè diducet.

X. Hisce libet adjicere, perinde fere esse, *Anomalam*, ut per se est, spectemus, utrum Artubus relictis in *Ventriculum* Materia directo se insinuet; an verò primum in Fauces, in Partem aliquam contusam, aliamve quamvis; & tandem, quasi per circui-

tum, ineat *Ventriculum*: quum diversa ista progrediendi via, ad naturam huius *Anomalæ* permutandam, ne hilum quidem faciat.

Idem etiam erit, sive *Anomala Arthritidem* fixam, sive erraticam sequatur, sive neutram harum; sed *Miasma*, sine ulla in Artubus mora, è sanguine rectà in *Ventriculum* mittatur: Idem, inquam, erit; modo mitti constet. De istarum *Anomalarum* natura, eandem nempe esse omnibus, nihil dubii est; de earum *ἰσχύει* modo certi effemus.

Hoc autem adnotandum, uti ætate provecti, (quod supra positum est) quam juniores: Ita labe *Arthritica* ab ortu inquinati, quam integri: grandioribus, quàm maturis Parentibus oriundi; Appetitu malo, quàm bono donati; *Arthritide* frigida, & languenti, quam calida & acri dolere soliti; *Anomaliis* his assueti, quàm iis semper liberi, hac *Anomala* citius, & diutius ægrotant.

XI. Medendi Indicatio *Ventriculum* quam citissimè, quàm tutissime levare, & ab *Arthritide*, ei incumbente, liberari postulat; quem in finem duo semper consideranda, ut & sæpe exequenda veniunt.

Prius, ut per Catharsin idoneam, & ægroti rebus convenientem, impura & aliena ista massa, in *Ventriculo* contenta, qua ad eum quasi attrahi, & (tanquam compede) in ejus Tunicis detineri solet *Arthriticum* Miasma, foras per os, per anum eliminetur.

Posterius, ut peracta Catharsi, vel, si nullius usus erit, prætermissa, *Ventriculo* dimoveatur, in extremas partes exulet *Arthritis*: De quibus ordine.

Si respiratio angusta & præpedita, si *Ventriculi* gravitas & inflatio, maximè vero si ructus, si Nausea, si vomitio urgebit; adhibito leni Emetico, sed tamen efficaci, modo vires annuerint & nihil repugnaverit, *Ventriculum* moveri planè opus erit. In Emetico seligendo curam & cautionem multam impendi, neque tantam rem negligenter agi oportebit. Ut enim, modo tuta, vomitio necessaria, ita, quæ languida, est inepta, & quæ justo vehementior, est periculosa. Qui sunt *ἐυέμετοι*, iis satis esse solet *Foliorum Theæ viridis*, vel *Cacuminum Cardui Decoctum*, copiosè potum; ad quatuor, quinque vel sex egurgitandi vices; ad octo, decem, vel duodecim libras, si cum *ἑυφορία* fieri potest, demissum. Quibus segne nimis hujusmodi Decoctum, neque satis irritans, iis conducatur libris singulis, alternis, tertiiisve, *Salem Vitrioli* pro re nata adjicere. Qui non nisi difficulter vomunt, iis opus esse videatur initio *Vinum vel Oxymel Scillit*. Vel ex eorum æquis ponderibus compositum, ad duas vel tres uncias sumere; & post horam quasi dimidiam, possetum aliquod simplex, vel amarum. Qui verò *Arthritici* possetum, aquam tepidam, vel liquidum aliud aliquod quantitate benè magna, vel nequeunt, vel nolunt bibere; iis ne detur ex officina Emeticum, maximè cavendum. Ut enim aliis id incommodo esset, ita quidem *Arthriticis* præcipuè: Ne viz. allecta è sanguine ad *Ventriculum* materia multa, ejecta verò nulla, laboret æger. Est ubi nec possetum, neque decoctum, neque Medicamentum aliud quodvis exhiberi potest; propterea quod, ex eorum quopiam,

Torminibus, spasmis cito inutilibus corripitur æger, imprimis Vino deditus: Hoc casu, Vino affatim, & ad vomitum usque sumpto, sæpiusque repetito, rejectoque, (quod simul & Emetici & Cardiaci vires habeat) totum isthuc, utut difficile, & plenum opus alea, non nunquam absolvi; itaque ex fati faucibus ægrum eripui.

Quæ per Vomitum evacuari solet Materia, nunc Biliosa; nunc quæ in *Ventriculo* computruit & coacuit, cruda est; maximè post *Anomaliam* ex *Cere* vel *Baccho* natam. *Respirationis* spatium ex eo dilatari, *Pectoris* gravitas auferri solet: quinetiam ipse vomendi nixus, & quæ ab eo *Sanguinis* agitatio est, ad *Arthritida Ventriculo* excutiendam aliquando non parum facit, & Æger statim *πρασινία*.

Hora post finitum Vomitum, maximè si Pharmaco moveatur, (ut, in *Intestinis* quicquid assumptorum manserit, evocetur) *Enema* vulgare injiciendum; eoque vespere, quo reficiantur vires, *Bolus ex Theriaca Androm.* & *Pul. Cantiano*, unà cum *Vini ustulati Haustu*, dandus. Tunc infusionis amaræ *Vino Lusitano*, vel *Xeresano factæ Haustum*, cum *Pul. Cantiani* ℞j. vel ℞ss. ter quaterve in die assumat æger, donec Alvo tempus erit inanientis.

Si vires ægri patientur, interposito die uno post Vomitum, instituat Pur-gatio: Sin imbecilliores eam veterint, in aliud tempus differatur: quam autem primùm commodè fieri potest, eam aggredi juvabit. In ea ordinanda curæ esse oportebit, ut ægri viribus conveniat; ut, in ductu alimentari quicquid insit alieni, tuto il-

lud emittatur; sed neque Medicamento tam forti, tamque Elaterio, ut faciat *Hypercatharsin*. Uti hæc ægroto non nisi periculo plena, ita quidem Purgans nimis lene exhiberi, malum erit. Hoc casu enim, nisi brevi repetita fuerit Pur-gatio; illuc, ubi peccatum erat, postea, majori cum incommodo, redeundum, & Venter iterum movendus. Ratum enim esto, auspiciatissimam hujus *Anomalæ* Curationem fore, si à *Ventriculo* & *Intestinis* bene purgatis ordiatur. Mihi solenne est, per *Tincturæ sacre* ℞iii. vel iv. vel per *Extr. Rudii* ℞ss. ad ℞ii. vel per *Pul. Warwicensis* quasi ℞ss. vel per *Mannæ & Salis Cathartici Solutum*, addito *Elixir Daffæano*, Alvum ducere; & si spatio sex horarum nihil effluerit, Clysterem immittere; Vesperi post purgationem, (uti post vomitum) Bolum exhibere.

Interdum accidit, post utramque *Catharsin*, non nimis parcam aut debilem, *Nauseam* manere importunam; ipsaque Medicamenta, quæ *Sanguini* suscitando, *Arthritidique* transferendæ sunt à Medico destinata, Ore confestim reddi. Hoc, uti conjicio, fit per acre illud *Arthriticum Miasma*, quod *Ventriculi* Tunicis inhæret. Ad Vomitum hunc inanem, imò noxium conspescendum, *Laudani liquidi* gtt. instar x. cum *Aq. Cin. fort.* vel *Abs. C.* vel *Sp. Menthe* ℞ii. quarta, quinta, vel sexta quaque hora misceantur; ea nempe dosi, & frequentia, quæ Vomitionem tollat, & in *Ventriculo Podagragoga* retineri faciat. *Laudanique* Dosibus, post Vomitionem aliquantisper compositam, intervallo ea medio interponantur, sic, ut si *Laudanum* horis sexta & duodecima, remedia *Arthritidem* mo-

ventia tertia & nona exhibeantur. Quamprimum ea retinet, *Ventriculus*, tanquam inutile quoddam, ne dicam ineptum, & postea nocivum, omitti Laudanum, & in methodo præscripta progredi juvabit.

Hæc autem omnia circa Catharsin à me proposita, de iis tantummodo ægrotis intelligi velim, quibus & Purgationis utriusque opus, & ejus sustinendæ vires sunt. Quoties autem ejus nulla in conspectu necessitas; (quod in *Anomala* per Moerorem inducta, aliisque paucis observare licet) vel quoties eam admittere nequeat ægrotantis imbecillitas; à *Podagragogis*, omissa ea, incipiendum: De quorum usu verba jam proximè faciemus.

XII. Peracta re Cathartica, quæ prior erat medendi *Intentio*, ad alteram illam, quæ *Arthritidem Ventriculo* moveri jubet, & quoad fieri potest in Artus amandari, properandum est. Hoc ut effectum reddam, iis utor non modo Stomachicis, quæ *Ventriculo* contra inimicum defendendo; verum etiam iis Cardiacis, Alexeteriisque, quæ sanguini, eum in corporis ambitum pellendo, quæ Miasmati exturbando conferant. Quoniam verò istarum Classium Medicamenta non profunt omnia; selectiora quædam, & huic proposito utiliora, in medium feram.

Possunt illa vel *Pulveris*, vel *Boli*, vel *Pilularum*, vel *Infusi* forma exhiberi: Atque hisce pene omnibus *Ferri* (propter ejus excellentiam, & in *Arthritide* expellenda vires mirificas) Præparatum aliquod adjiciam.

℞. Pul. è Chel. C. C. (vel *Purpurei*, vel *Lapidis Contray.* vel *Goani*, vel *Rubri Exon.*) ℞i. ad ℞iib.

Serp. Virg. ℞b.

Chal. Nutriti gr. v. misce f. Pulvis.

Loco Rad. *Serpent.* dare licet *Gentianæ*, *Zedoariæ*, vel *Contrayervæ* tritæ; eandem vel majorem quantitatem.

℞. Pul. Rad. Ari C. P. Rubri Exon. aã ℞i. Alcohol Martis gr. v. misce f. Pulvis. Vel

℞. Spec. Diamb. (vel *Aromat. Rosat.*)

Pulv. Gascon. aã ℞j. ad ℞b.

Chal. prædicti gr. v. misce f. Pulvis. Vel

℞. ZZ. in Indiis Cond. ℞j. (vel *Piperis in racemis C.* gr. vi.)

Pul. purpurei ℞j. ad ℞b.

Chal. N. gr. v.

Syr. Abs. S. q. s. f. Bolus. Vel

℞. Spec. Diambæ.

Pul. Lap. *Contrayervæ* aã ℞j.

Alcohol M. gr. v.

Conf. Alk. q. s. f. Bolus. Vel

℞. Spec. Aromat. Rosat. (vel *Dianthos.*) ℞ij.

Flor. Salis Armon. gr. x.

Syr. Garyoph. q. s. f. Bolus. Vel

℞. Conf. Abs. Rom. Pul. è Chel. C. C. aã ℞j.

Ol. è Sem. Carvi gtt. j.

Chal. N. g. v.

Syr. Cort. Citreor. q. s. f. Bolus. Vel

℞. Theriac. Androm. (vel *Mithridatii*, vel *Elect. Stomach.* à Clarissimo Fullero descripti)

Pul. Gascon. aã ℞j.

Chal. prædict. gr. v.

Syr. Menthæ q. s. f. Bolus. Vel

℞. Camphoræ gr. v.

Pul. Rad. *Contrayervæ* gr. xv.

Extr. Rutæ q. s. f. Pil. Vel

℞. Piperis longi pul. (vel *Spec. Diatr. Piper.*) gr. v.

Pul. Gentian. ℞b. Myrrhæ gr. v.

Extr.

Extr. Cent. Min. q. s. f. Pil. Vel
℥. Pul. Serp. Virg. ℥j.

Chal. N. gr. v.

Syr. Aurant. q. s. f. Pil.

Cum omni Bolo, Pulveris, vel Pilularum Dosi, fumendus est Julapii Haustus.

℥. Aq. Cardui, Menthae, Lactis Alex. Gent. Comp. Abs. C. (vel Cin. fort.) aā ℥iij.

Marg. pp. ℥ij. Sacch. q. s. f. Julapium.

Olea Chymica, Sacchari beneficio, in Julapium addita, longè illud efficacissimum reddunt. In forma liquida placet hujusmodi Infusum:

℥. Rad. Zedoar. Gentianæ.

Cacum. Absinth. Rom. Agrimon. (vel Trifol. Palustr. aā. ℥ij.

Coccinell. ℥j. Cort. ext. Aurant. ℥ij.

Infunde in Vini rubri Lusitanici, vel Xerani ℥ij. ad idoneam alterationem; tunc f. Colatura. Dosis ℥ij. vel iij.

Simili modo ex Aromaticis, Cortice Winterano, Fruct. Cubeb. Sem. Cardamom. Ex Seminibus Anisi, Carvi, Fœnic. d. Cochleariæ paretur Infusum. Quilibet autem Infusi sive Amari, sive Aromatici Haustus habeat Tinct. Martis Februrianæ, vel cum Succo Limoneo præparatæ gtt. x. vel Alcohol. M. gr. v.

Pauperibus *ὑπόριζον* esse potest Allii, Croci, Zinziberis, & Radiculæ rasæ, cum Absinth. Roman. Cacuminibus infusum. Et ubi nulla in forma sicca placent Medicamenta, neque ulla quidem Infusa. Hoc casu, tum prodesse, tum placere potest Spiritus Menthae, vel Juniperi, vel Spiritus Absinthii. Non nullis magni æstimatur, & quidem multarum virium est, Aqua, quæ nuncupatur Hispanorum Arthritica; cujus hæc est Formula.

℥. Caryophyllorum Aromaticorum, Nucum Myristic. Ziberis, Maceris, Cinnamomi, Piperis nigri, Croci, Zedoariæ, Galangæ, Baccar. Juniperi, Corticum Citreorum & Aurantium, Spicæ nardi, Cubearum, Aloes Hepaticæ, Ligni Aloes, Calami Aromatici, Stæchados, aā ℥℞.

Cacum. Salvia, Ocymi, Rorismarini, Menthae, Majoranæ, Baccarum Lauri vulg. Pulegii, Ras. Gentian. Florum Sambuci, Ros. alb. & rubr. Chamæpit. Chamædryos, Calamenthae, Melissa, Origani, Matricariæ, aā Mij.

Ficuum, Dactylorum, Amygd. amar. Nucum Pinearum Nucleorum, Uvar. passar. major. aā ℥vj.

Mellis Virginis ℥j. Sacchari optimi ℥j. Moschi triti ℥j.

Incisa & contusa indentur Spiritus Vini Canarini optimi ℥. xv. Infunde dies x. vel xii. tunc in MB. destilla.

In affectibus Stomachi & intestinorum Arthriticis valentissima habetur.

Dosis ℥℞. cum Sacchari momento, vel cum Mica panis, uti videbitur, repetenda.

Est etiam externi usus, ad Dolorem mitigandum Articulare; modo calidissima dolenti articulo superlinatur.

Transacta Catharsi, vel si nullus ei locus fuerit, prætermissa, ad jam dicta Medicamenta, sive iis non multum absimilia, descendo; eaque hoc fumenda ordine præcipio. Mane, horam circiter nonam, Infusi Haustum ministro; tertia pomerid. Pilulas, vel Pulverem; nona vespertina Bolum, maximeque Theriacalem; & tertia matutina Pulverem, vel Pilulas exhibeo; cum Vini Lusitanici, vel Julapii Haustu, post eorum quodlibet.

Aliquan-

Aliquando tridui, vel etiam bidui spatio, interdum citius, hujusmodi Remediis, hac methodo datis, exturbatur *Arthritis*, & Articulis impingitur; ubi nimirum Sanguis tener, & tractabilis subito Medicamenta sentit, eisque facile obtemperat: Alias, non nisi longo tempore, fit Translatio: Alias, non nisi aliis insuper Remediis in auxilium, & operam lociam vocatis.

Quando biduum istiusmodi *Podagragogis* dicatum fuit; si Tumoris, si Doloris nihil erit obortum, Locis ἐν τοῖς ἕωτεν occupari solitis, admoveatur, vel *Empl. Cephalicum cum æquali quantitate Picis Burgundicæ*; vel *Ceratum viride*; vel utriusque Cubito, sive Tibiæ *Epispasticum*, quo in Artus humor evocetur.

Si remedia tum interna, tum externa modò dicta, viribus ita junctis, *Arthritidi* removendæ minimè sufficiant; intendatur, oportebit, eorum alterum, vel utrumque, & auxiliis (si videbitur) novis & ascriptitiis augeatur. In Remediis ficcis, *Chalybis Nutriti Dosis ad ℥β.* in liquidis *Tinctura Chalybis*, ad guttas xx. amplificetur. Porro, hora quaque media, remediis præscriptis interponere juvabit *Vini Lusitani* *Hauftum*; sic, ut ejus ℥ij. vel iij. Nycthemeri spatio, (si quantitatem ejus, isto tempore, quæ per se, quæ cum Medicamentis sumpti, universam comprehendamus) ebibantur. Hoc autem in iis præcipuè locum habet, qui *Vino* diu consuevere, & sine noxa indulgent; verum, ex contrario, non abstinent sine noxa: quorum è numero non pauci sunt, *Anomala* isthac ægrotantes. Qui *Vinum* hoc modo potare nequeant, ii *Spiritus C. C. succinati guttas aliquot*, cum *Julapii Haustu*, horis istis interpo-

fitis fumant. Eo autem usque (ut huic præcepto fidem imponant) evehendus, eo continuandus, ore datorum, tam Vini, quàm Pharmacorum usus, si nihil repugnaverit, donec, æstu & Orgasmo in Sanguine factò, *Ventriculus* allevabitur.

Intendenda eodem tempore Externa, & quidem eo usque, quoad in locum aliquem externum, *Arthritidi* recipiendæ aptum, Humor coactus, & in eo Tumor excitatus fuerit. Hunc in finem Pelle Vervecina recens extracta, Artus involvantur. At nihil certius hac in re, nihil præsentius quàm *Phœnigmū* acrem & stimulantem applicare calidissimum; & dum Tumor oriatur, tantisper renovare frigescentem. Qui verò auxilium illud, ut graveolens; hoc, quia crudele, abhorreant delicatuli; per *Lanterem*, aut *Ferri Laminam calefactam*, *Linteoque inclusam*, & loco admotam, idem præstare poterunt.

Ut autem promptiùs *Arthritis* educatur, vel in lecto, vel cubiculo, se à frigore, per omnem hujus Methodi decursum, tueatur *Æger. Panatella*, *Gelatina C. C. Jusculo pullino*, & ejusmodi tenuibus, concoctuque facilibus vescatur. Si Dolor, arte factus, forte fortuna nimius, ad *Lipothymiam* tēdat; de eū facientibus, de Cutim irritantibus aliquid detrahendum. Si Febris exardeat; vel minuenda, vel omittenda sunt *Cardiaca*, quæ sanguinem accendant. *Decoctum album* ad arbitrium suum bibat, itaque temperetur *Æstus*. Eo denique modo, peragantur omnia; quo, cum ἐποεία finem propositum ægrotus assequatur; quoque per tolerabilia semper usurpata, cito tutoque foras *Arthritis*, etiamsi non jucundè, eliciatur. Ne quis autem, Methodi hujus sive novitate,

tate, sive insolentia motus, Cardiacā tam fortia, tamque larga à me præscripta, tanquam aliquod *υπερμετρον* actum improbare; sciat omnino velim, ut hoc semel dicam, copia, quæ rem efficiat, me contentum esse minima; sed neque nesciat, eam (quod profecto non temere dictum) & magnam sæpe oportere, & sine damno, esse. Nam (ut, meos quod attingit, dicam) etsi complures ea medicina ferventes, & ad tempus ejulantes novi: eorum tamen multos, ad sanitatem perductos; neminem verò unquam hoc æstu læsum, quod meminero, observavi. Cujus id in causa esse videatur, quod, quibus illa Fortiora, & quasi *μοχλικά*, sive interna, sive externa, opus sint, iis sanguis plerumque frigidus; nunc malis moribus, nunc ætate debilitatus, nec ad Febrim concipiendam aptus.

Quam primum Orgasmo satis vehementi Sanguis exagitatur, solet ille virum *Arthriticum*, quod in *Ventriculi* Tunicis inhæret, & Vasis capillaribus continetur; abluere, resorbere, circumvehere; & tandem, quocumque vocant extremitatibus applicata, ibi deponere: Sic, ut unius horæ spatium, post *Phæ-nigium* admotum, Tumor interdum oriatur.

Dum morbus ore sumptis oppugnetur; aliquando ea, quibus Venri extrinsecus impositis, Viscera foveantur & corroborentur, non negligenda. Placet igitur, bis vel ter in die, Fotu sequenti, vel huic consimili, ope Stuparum è Panno *Wallico*, aliove quovis raro, uti.

℞. *Cacum. Abs. vulg. Menthæ*,
Flor. Rosar. Chamæm. aã ʒʒ.
Sem. Anisi, Carvi aã ʒij.
Pulv. Cinnam. Cubeb. Garyoph.
Aromat. incis. N. M. aã ʒj.

Sp. Vini vulg. ℥ʒ.

Vini rubri Lusitanici ℥ʒʒ. mace-
 rentur horas tres vel quatuor, vitro bene clauso, in *Balneo Mariæ*: Colatura calidissimè adhibeatur.

Vel *Emplastrum* Abdomini admotum, continuo geratur.

℞. *Terræ Japon. Bals. Chiliens. vel Peruan. aã ʒʒ.*

G. Galbani ʒj.

Picis Burgund. ʒij.

Empl. Stomach. Mag. ʒʒ.

Ol. Cin. chym. N. M. aã gtt. ij.

Ista verò, post Purgationem maximè profutura judico; Et quidem maximè, vel ætate, vel morbo enervatis; quorum Viscera Topicum postulent auxilium. Ne verò, quod in robustioribus & sanguineis suspicari oporteat, non tam illa *Ventriculum* defendant, quàm ipsorum abusu *Arthritidem* allectent, Medico curæ erit.

Tumori jam facto, & ad magnitudinem conspicuam & notabilem evecto, (ne, quod insit humidi, in Sanguinem remigret) admoveere soleo *Epispasticum*; itaque Serum in eo contentum educere. Salsum illud, acre, virosumque esse constat; Cutim etenim inflamat; Pruriginem facit permolestam. Dies sæpè fuit complurimos; aliquot interdum Hebdomadas; & ad libras interdum aliquot: Ut, ipsum *Arthritidos* Miasma, ipsam causam continentem una cum Sero ejici, non sit dubitandum.

Hactenus occupati fuimus in adducendis *Ποδαγραγωγούς*: verum, ut primū Tumor cum Dolore factus est idoneus, statim de Remediorum internorum sive dosi, sive frequentia, sive utraque, remittendum est aliquid; neque majori copia jam utendum, quàm quæ, *Arthritidi*

vidi continuo propellendæ, & , ne intus refluat, inhibendæ, satisfaciat. Huic autem operi pars eorum dimidiata plerumque sufficit. *Bolum* igitur e. g. duodecima quaque tantum hora, *Chalybisque Dosis* non nisi vicibus alternis & duplo intervallo damus.

Sin eveniat, ut, vel ob aëris inclementiam & tempestatem perfrigidam; vel, ob erratum in cibo & potu, aut aliud quodvis, Artubus relictis, *Ventriculum Arthritis*, dum hæc aguntur, repetat, (quod quidem minimè rarum est) causa ejus recidivæ diligenter exquirenda, & sine mora removenda est. Si novæ in *Ventriculo* Cruditates, aliæve impuritates sint collectæ, Leniente quodam & alvum molliter inaniente, deducantur. Si ex Algore contrahatur *Cutis*, itaque repercutiatur Humor in Tumore comprehensus; per Calorē externum, per Vestitum, aliaque, jam dicta, applicata, denuo evellatur. Utroque verò casu, Interna plena manu sunt administranda: Ut nempe locum, quo per infortunium, vel ex incuria & negligentia cæssimus, eum industria & vigilantia recuperemus.

Et quidem nullo, quod sciam, hujus *Anomalæ* casu (ut tandem hoc argumentum aliquando finiam) *Podagra* goga vel fortiora, vel majori quantitate danda; quam ubi illa recidiva est, aut in corpore Cruditatibus onerato; propter imbecillitatem minimè purgando, longaue Morbi obsidione debilitato. Illi enim ex *Chalybe*, *Zinzibere*, *Pipere* composita: Illi *Spiritu* maximè volatili referta, & , quam à nobis dictum est, longè copiosius sumpta, sæpe vix sufficiunt; imo sæpenumero ne vix quidem. Æger enim, miserè afflictus, *Spiritu* inexplicabili dejectione lan-

guens, inter Remedia, utut ardentia & Cardiaca, de *Ventriculi* Frigore & depresso animo clamans, è vita, & quidem interdum inopinato, stupente undique astantium multitudine, excidit.

Quamvis id desiderandum, & quidem imprimis optandum, ut *Articulo* *ἰν τοῖς ἔξωθεν* aliquod figatur *Arthritis*; nihilo minus interdum satis erit, e. g. in *Arthritidis vagæ Anomalia*, si ad internodia sua reducatur: Imo quidem ex Miasmate tantum resorpto, & in Sanguine retento, itaque *Ventriculo* immuni factò, ægrum aliquando novi servatum. At in *Arthritidos fixæ Anomalia*, omnium commodissimum, exoptatissimumque erit, si denique in *Articulo* aliquo defigatur.

Id autem observatu facillimum, pariterque visu jucundissimum, quod, quibus gradibus Dolor, Tumor, aliaque rectæ *Arthritidis* Symptomata in extremis partibus oriantur & augeantur; iis planè illa, quæ post Vomitum manent *Ventriculo*, leventur, & imminuantur: Speciatim, iis omnino passibus *Ἀνοξεία*, *Ventriculi* Dolor, Cibi fastidium, *Cardialgia*, *Nausea*, &c. vincantur & fugentur: quibus succedit *Fames*, Cibi concoctio, *Oculorum* vigor, & scintillulæ, aliaque redemptæ & recuperatæ salutis indicia. Ut ægrotanti denuo rectam in viam reducto, è re sua sit in eadem sedulo & constanter progredi; donec *Arthritidis* materia *ὑπερῶς* emissa, spumaque omni effusa, tum is alacriori tum etiam tutiori vita fruatur.

In hujus *Anomalæ* Prophylaxi valent *Aquæ Ferratæ*, diu recteque potæ; quibus adjungi possunt remedia *Stomachica*, *Famem* & *Cōctionem* promoventia,

cum modicè restringentibus; speciatim è *Cons. Abs. R. Flor. Ros. rubr. Fruct. Cynosb. Pul. Rad. Ari C. Sale Martis, Ente Veneris, & ejusmodi aliis, lege medica, composita & assumpta*. Danda etiam opera est, ut *Dyspepsia, Frigus, aliæque Causæ evidentes, maximè quam primum repullulavit, & in Sanguine renovatum est Arthriticum Miasma, evitentur*. Prodest etiam Fonticulum in Brachio, vel infra Genu, prout *Chiragra, vel Podagra, est frequentior, aperire*. Qui verò sibi hac in parte prospicere minimè curabunt, *Anomalam* eos expectare par est, tum crebro, tum graviter recidivam.

Hæc est illa Medendi Methodus, quam meīs utilem & salutiferam, in tractanda isthac *Anomala*, expertus, si pertenuitatem nostram licuerit, aliis commendare velim; donec ea meliorem dies docebit.

HISTORIA I.

In Ventriculum & Intestina irruens
Arthritis, foras expulsa.

Historiarum agmen ducat Venerabilis & Prænobilis Dominus, *RICH. ANNESLEY*, in Ecclesia Cathedrali nostra, *Exoniensi*, Decanus; in *Hiberniæ* Regno Baro *Altham*; Magni Comitatus de *Anglesey* Filius: Qui, cum Naturæ Muneribus eximiis, cum Ingenio planè divino, ex Illustrissimo Parente derivatam (nam, ut dictum est, *ad bona cuncta ne quidem Agamemnon natus*) accepit *Arthritidem*. Id autem huic *Arthritico* bene cessit, quod per annos complures aptè, quodque rectè doleret; & quod, in Paroxysmis quoties Spuma è Sanguine effunderetur

Arthritica, non id cum Vitæ periculo, (sic, ut in plerisque solet *Anomaliis*) sed cum Ægri emolumento & tutela perageretur.

Ita illi Vitæ ratio si non integra, minimum incolumis diu fuerat; quum, ab *Arthritide* aliquando feriatum ultra modum, ex ea tanquam antecedente causa, Miasmate *Arthritico* Corpus habens *ἐμπιπλάμενον*, in malum incidit gravissimum, in summum Capitis periculum.

Nam horæos fructus nimio plus devorans, biduo vel triduo post, nempe quam primum in *Ventriculo* putrescentes illum aggravarent, Primum, *Cardialgia*, tum *Animi deliquio*, *Motibus Convulsivis*, *Spasmo Oris Cynico*, ut vel ipsam animam agere videretur, est correptus. Statim, atque *Tragœdia* incepit, arcessitus ad ægrum advolavi, malique tam atrocis, tam etiam repentini sciscitando causam indagans, eam, quam memoravi, esse inveni; neque nisi Vomitione tolli posse judicavi.

Quando verò huic ægroto, Medicamentorum minimè amanti, propter aliquod ex Natura fastidium, *Emetica* abhorrenti, neque sine periculo toleranti, ea, quæ Pharmacopolii sunt, *Emetica* non conveniret, vel liceret dare; aliam tentare viam necesse habui. *Vini*, Ægro familiaris, rubri, Lusitanici quantitatem bene magnam exhibui; eaque Ore rejecta, Haustum repetii; & quidem eatenus *Vino*, & tam celeriter dato, donec *ὄνω* Cruditatum massa omnis eiceretur; quæ quidem magna erat, impura, acida, graveolens. *Emetici* hujus *Cardiaci* beneficio factum est, ut tum *Ventriculus* exoneraretur, tum etiam eodem tempore à deliquiis Æger incolumis

mis fervaretur. Tormina, quæ postri-
die supererant, *Intestina* etiam premi
ostenderunt: Et quidem aliter, quàm
in vulgari *Colica*, ea premi mox consti-
tit. Nam cum Æger jam diu ab *Arthri-
tide* claudus fuisset; ea, quæ jam in
Visceribus congesta sunt, impura, Ma-
teriam Artubus inhærere gressuque
ægrum privare solitam, ad τὰ ἴδιον,
ad se vocarunt: Quod vel hoc inno-
tuit, quoniam Visceribus æger acerbif-
simè dolens, eodem tempore Pedum
factus est compos; & quidem magis,
quam per annos ante multos. Huc
enim illuc expeditè, & erecto Corpore,
quasi Vinculis solutus, ambulavit; ut
ab Artubus ad *Intestina* Materiam
μεθ' ἑαυτῶν. *Arthriticam* minimè ambi-
gatur.

Ad *Intestina* expurganda leniens
præcepi, & deinceps aliquot post die-
bus altera vice. Dolor, qui post Pur-
gationem utriusque generis satis vehe-
mentem mansit, *Intestina* aggravans,
Naturam mali *Arthriticam* adhuc ple-
nius monstravit.

Ut in Artus hospitio novo movere-
tur Hostis, (quod jam proximè facien-
dum) *Pulvere Gasconico*, & , quod in
hac re momenti erat maximi, *Vino* præ-
dicto usus est Æger. Quorum ex usu,
primum, Dolor, deinde Tumor, cum
Cute lævi & nitente, ortus est, & Chi-
ragram indicavit: Tum post longam in-
termissionem rediit Fames, & ex ali-
mento largiori paulatim Vires; ut, qui
sufurro, languidè & debiliter, verba
jam diu ediderat, voce iterum nunc
viva loqueretur; iterumque gravidam
faceret Uxorem.

Ægrotanti profuit, quod ea fuit illi
Spirituum Animalium Vis, & tam *Ela-
stica*, quanta utique rarò observatur;

quanta putari potest maxima: Quæ
quidem plurimum in eo restituendo
valuit.

Annos posthæc aliquam multos exe-
git vir præclarus, Purgantibus, Co-
ctionem corrigentibus, & *Arthritidem*
expellentibus, ea, *Ventriculum* & *Inte-
stina* multum affligente, cum fere con-
clamatum esset, allevatus.

HISTORIA II.

*Arthritis idonea, Balneo frigido in
Ventriculum, & ea quæ intus
sunt, repulsa.*

Homo adolescens, *καλοκαίγαθός*,
ætate provecto Patre oriundus,
eaque de causa Corpore tenerissimo, Spi-
rituque animali minus firmo donatus;
quum è quinto Vitæ lustro nondum ex-
cesserat, *Articulari* morbo plus semel
laboravit. Appetitum habuit admo-
dum languentem, Coctionem immi-
nutam; unde ali desinere cœpit & ino-
pia consumi. Cum eo res deducta erat,
consilio certè non optimo Uxorem du-
xit: Adeo nempe verum est, Infortu-
nia rarò solitaria mortalibus obvenire.
Matrimonio nihil huic humuncioni
gravius, nihil unquam intolerabilius
esse potuit. Corpus citò enervatum, &
Vitæ vix sufficiens innuptæ, maritali
verò impar, Æstus invasit universalis,
Febricula *Συνεχής*; cui postmodum
accessit *Dolor Articularis*, cum Tumo-
re, Rubore, &c. signis *Podagræ παθε-
γνωμονικαίς*.

Ut æstum mitigaret, dolorem alleva-
ret, aliaque, quæ Ægrotum maximo-
pere urgebant, accidentia reprimeret;

quando Calor invitaret æstivus, Aqua Pedes immerfit, in frigida & falsa (nempe marina) consistens. Hic Pedum evanuit Tumor, Rubor, *Podagræ* indicia; simul & Vomitus & Intestinarum Dolor est obortus,isque diuturnus, ingens; sic, ut ex eo planè colligi possit; Materiam ad ductum alimentarem, à Pedibus transferri *voonplw*. Sub id tempus, ut Viscera, quæ multum exæstuarunt, refrigeraret, reficeretque, fructus horæos ad gulam usque devoravit; devoratos, nec eorum, nec cuiusvis generis Cibi tenax, statim eiecit. Cumque iste Victus non unius tantum dieculæ esset, verùm aliquot mensium; & omni eo tempore *Ventriculi* Gravitate, Vomituque, & Dolore, vel continuo, vel ex brevibus intervallic redeunti, Æger afficeretur; & Medicinam aut negligeret, aut ea perperam & perfunctoriè uteretur; isto denique statu erat, quo nullum Medicina præsidium, nullam opem conferre potuerat.

Uti, ad hujus Viri interitum, sociam operam quam plurimam dare; ita quidem ex iis aliquo in numero esse, ne dicam primas obtinere, *Arthritida* verosimile est; quandoquidem *Materiæ voonplw*, sive *Arthriticæ*, Pedibus affixæ, ad ea quæ intus sunt Translatione, tanquam cardine principali, tota res Morbi versa est.

HISTORIA III.

Recta Arthritis, & in Ventriculo Anomala, se vicissim excipientes, cum Anomalæ curatione.

VIR Generosus, ætatis mediæ, *Arthritide* Symptomatica, sed &

ea languenti, neque satis regulari, diu per vices ægrotavit. Anno MDCCIV. circa æquinoctium autumnale, hallucis articuli majoris, globique infra positi Dolore tentabatur; postea verò plantæ Pedis, & deinde Malleoli; sed eo incerto, & vago.

Elapso vix triduo retrocessit Humor (cujus tamen rei quid in causa esset, dubium erat) neque amplius Pedem momordit. Ægrotantem è vestigio invasit Algor universalis, tanquam Febri præludens intermittenti. Huic accedebat *Ventriculi* gravitas, Pectoris oppressio, Nausea, Respiratio angusta, & in suprema regione *Vertigo*, & somno appropinquante subita Spirituum exultatio.

Anomaliis olim *Arthriticis* vexato, & earum non ignaro, laboranti minimè latebat; hunc *Ventriculi* affectum, etsi prima facie vernaculus appareret, esse revera peregrinum; & in *Ventriculum*, relictis Pedibus, *Miasma Arthriticum*, hujusce mali causam, mitti. Qua ductus opinione Possetum hausit, amarum alteratum; ad Vomitum usque copiosum; ad impuræ, crudæ, biliosæ Vomitum materiæ. Ano etiam injecto ea nocte *Enemate*, subducta est ejusdem quantitas non exigua. Cervici admotum erat *Epispasticum*; *Pulvis* datus è *Chelis C. C.* Illo multum Seri elicatum; hoc animales Spiritus, humiles antea & depressis excitabantur. Interposito die uno, *Tinctura sacra* levabantur *Intestina*. *Bolus* è *Pul. prædicto*, & *Theriacæ Androm.* eo vespere refecit ægrotantem. Posthæc, horis tribus medicinalibus, *Alcohol Martis* ℞. cum *Cons. Abs. R. Spec. Aromatici Rosati*, & *Syr. Cort. Citreor.* forma *Boli deglutiit*; cum *Infusi amari*, *Vino Xeresano facti*, vel *Vini*

Vini simplicis ustulati Haustu. Pedibus Emplastra, ex Cephalico, & Pice Burgund. pari quantitate, applicata, continuo gerebantur. Si Caligo, vel Lipothymia postularret, vel quoquo modo Spiritus deficerent, in præceptis erat, Sp. C. C. succinati guttæ aliquot, cum Julapii vel Vini Haustu, darentur.

Hicce aliquandiu usus, Æger beneficium inde bene magnum accepit: Purgatis etenim *Intestinis*, ad τὰ ἔξω amandata est *Arthritis*. Pedum factus est Dolor; tumque brevi tempore Cibum capeffivit Æger: Melius, quàm solebat, eum concoxit. Quin illi lætiores esse Spiritus animales, commodiufque Vitæ rem agi, vel ex una Oculorum acie planè constabat.

Quum eo loci res erat, de Valetudine restituta nimium securus, *Emplastra* Pedibus abjecit: Hoc autem observatu dignissimum consequebatur, quòd intus citò remeans Materia, ab integrò τὰ ἔντερα invadens, Nauseam iterum induxit. *Emplastris* iterum admotis, & Medicamentis ad mensem unum alterumque continenter usurpatis, omnia prosperè cedebant.

Huic ægroto inter alia, Tutelæ gratia præcepi, ut, fonticulum infra genu aperiret; & ut quas olim summo suo commodo potavit, Aquas *Bamptonenses* iterum hauriret.

Habes *Arthritides*, rectam & in *Ventriculo Anomalam*, se vicissim excipientes; cum *Anomalæ* curatione, alienum expellentibus & educentibus absoluta.

HISTORIA IV.

Arthritis semel iterumque in Ventriculo Anomala, toties expulsa.

Agricola suburbanus, ætate maturus, *Arthritide*, uti ex intervallis solebat, dolens, ex Halecum esu immodico, Materiæ biliosæ & crudæ vomitu, Dolore *Ventriculi*, & *Intestinatorum* immuni, Respiratione difficili, Cordis palpitatione, *Cephalalgiaque* premebatur. Magna erat Viscerum oppressio, & quasi constrictio. Tabaci, qui in numero deliciarum erat, usus jam nullus. Ut primum illa intus suborta sunt mala, deliquit illico *Arthritis* externa, quæcunque fuit Articulorum. Nutriculis, & familiaribus palam erat, ab *Arthritide*, Membra relinquente, cum *Intestinis Ventriculum* impetente, totam hanc oriri malorum Iliada.

Medendi Intentio erat, purgato prius Ductu alimentari, suam in Sedem, in Artus propellere *Arthritidem*: Ideoque *Vinum* exhibitum est *Scilliticum*, posteaque *Pulvis Warwicensis*; unde ἀνω καὶ κάτω multum, & cum εὐφορίᾳ purgatus æger: Peracta Catharsis, data sunt *Cardiaca*; iisque postmodum auxilio erant Externa, *Arthritidem* educentia, Articulis admota.

Horum beneficio Visceribus remota est *Arthritis*, & in Artus amandata: Verùm, propter erratum aliquod in *Sex non naturalibus*, quum ad Viscera brevi post redierat, ea, quæ sequuntur, in usum adhibui.

℞. *Theriac. Androm. ʒβ. Pul. è Chel. C. C. ʒij. Conf. Alk. q. s. f. Bolus, omni*

omni nocte cum Vini rubri Lusitanici
Haustu sumendus.

℞. Gentian. ℥j. Zedoar. ℥ij. Infun-
de, igne arenæ, in Vini prædicti ℥ij.
ad idoneam alterationem, tunc f. Colatu-
ra: Sumat Colaturæ ℥iiij. additis Tinct.
Martis, & Aurant. ana gtt. x. horis
duabus Medicinalibus, cum Pul. Rad.
Ari C. ℥ij. Chal. Nutr. ℥℥. Bis in die
sumat Sp. Vol. Oleos. gtt. xv. cum Vini
prædicti ℥iiij. Potui sit Decoctum album,
cum Aq. cin. fort. Utrique Tibiæ appli-
cetur Epispasticum.

Auctis in hunc modum Cardiacis,
& majori quantitate, sed neque nimia,
datis, Viscera planè liberata, Articulis
affixa est Arthritis, Æger restitutus.

At ille, ut erat *δύσπλαγχνος*, &
Arthriticis pronus *Anomaliis*, iis, sed
diversis formis, sæpe recurrentibus
affligebatur: de quibus suo loco.

Historia profert *Arthritidem* in
Ventriculo & Intestinis semel iterum-
que *Anomalam*, toties Arte medica
remotam, foras ad domicilium pro-
prium, ad τὴν Ἀρρὰ pulsam.

HISTORIA V.

Arthritis iterum ac sæpius in Visceribus
Anomala, toties in Artus able-
gata; cum ejus Prophylaxi.

VIR quidam, à prima ætate *Ar-*
thriticus, quinto & sexto Vitæ
lustro, magnos Articulorum habuit
Dolores; septimo & octavo, *Ventri-*
culi Intestinatorumque. Cum enim Cor-
pore valde imbecillo, Sanguine tenui,
cumque infirmis esset Visceribus; post
Frigora, Satietales, & Cruditates ferè
omnes, per hosce annos, *Arthritidi*

rectæ vix sufficientes, ad ea, quæ intus
sunt, appellì solita est *Arthritis*. Ha-
rum *Ανωμαλίας*, ad rem nostram confe-
rentes, non nullas in medium trahere
non gravabor.

Mense Oct. MDCCV. propter cru-
ditates, maximè à Fructibus *ωρῶσις*, in
Ventriculo & Interaneis collectas, omis-
sa, qua ad ea tuenda solebat uti, me-
dicina; Appetitu læso, Nausea, Dolore
Ventriculi, Pectoris gravitate, Spiritus
angustia, Oscitatione crebra corripie-
batur.

Ut tanto onere, *Visceribus* incum-
bente, & *Arthritidem* iis impingente,
levaretur æger; Purgatio per Os, per
Anum, mediocris, & ejus viribus
æqualis, adhibebatur. Quum verò,
propter imbecillitatem ægri, nullus
ei medicinæ, quâ ad Ventrem ina-
niendum opus erat, daretur locus; ne-
que *Cardiaca*, Ore data, tametsi for-
tissima multum prodesse; ire in pe-
jus omnia, conclamata esse rem,
quotquot adstabant, existimarunt om-
nes: Nec quidem temerè; Pulsus enim
debilis, membra pendula, & quasi
resoluta, Faciei pallor, Corpus subfri-
gidum fidem fecit opinioni.

In hoc miserrimo rerum statu, *Vi-*
num Lusitanicum, modica Dosi, sed
crebra propinavi: Quo, ad libras
aliquot sine vomitu potui, Pulsus
augeri, Vires aliqua ex parte refici
notabam. Utrique tunc Malleolo,
ubi sedem habuit primariam *Arthri-*
tis, *Phænigium* admovi, quam ferri
potuit, calidissimum; frigidumque re-
novavi, quoad Dolor & Tumor exo-
riretur: Hoc verò paucis horis spatii
perfectum est.

℞. Cæcum. Rutæ, Sem. Sinapios Ras.
Raph. Sylvest. aã part. j. Fermenti vet. p.

jjj. cum Aceto Vini albi misceantur, & fiat Phoenigmus.

Tumori, ne in Sanguinem alienus humor retrocederet, *Epispasticum* applicui; cuius virtute, quantitas Serii bene magna eliciebatur. Dies etenim permultos, ne dicam Hebdomadas, effluxit; & quidem Flumine tam jugi, tamque magno, ut pro certo habeatur, foribus bis apertis inimicum in exilium mitti; causam *Arthritidis* continentem una cum Sero amandari.

Hujus Sententiæ confirmandæ gratia, duo subjiciam, quæ eam maximo-pere probare, omnique suspitione liberare mihi videntur. *Alterum* est, quod, qua proportione Serum emanavit, ea planè augetur respirandi spatium; ea, rediret Fames: ea, *Ventriculi* gravitas; ea, Dolor reliquaquæ omnia Symptomata tollerentur. *Alterum* est, quod diutiorē ab *Arthritide* vacationem, longiorē ab ejus Paroxysmo quietem, ex eo tempore, quam per annos ante complures, æger obtinuit: Sanguinem nimirum, methodo jam dicta, depurgato.

Ut autem extrudatur *Arthritis*, ut evacuatio Serii tam benigna, tam comoda, præmoveatur; utque ei tolerandæ sustinendæque par reddatur æger; Vinum ei, jam dictum, quotidie dedit bibere, & quidem affatim; *Martisque Alcohol* bis in die sumendum præcepi: Eo quidem cum eventu, quod, uti primæ rerum mutationi conciliandæ multum contribuit *Phænigmus*; ita ei continuandæ *Mars*; utraque verò ratione *Bacchus*.

Biennio post, cum ex *Ventriculi* gravitate, materiæ biliosæ Vomitu, Oscitatione, Pandiculatione, aliisque signis istius *Anomalix* in hoc ægroto

præunciis, eam in propinquo esse præsciverim; *Aquis Purgantibus*, semel iterumque opportunè datis, *Ventriculum* & *Intestina* purgavi; malum, eo loci mansurum; anteverti.

Ut contra *Arthritidem* Ægrotum, contraque *Anomalam* ejus *Ventriculum* defenderem; *Aquas Bathonienses* biberet; ea, quæ roborent *Ventriculum*, simulque faciant, ut bene concoquat, (*Chalybeata* nempe, *Stomachica*, & *Astringentia*) sumeret, ægroto inter *Anomaliarum* initia suasi. Et quidem adeo ille fecit imperata, cumque exitu tam felici, ut, qui claudus antea, Pedum vix compos, non nisi difficulter incederet; milliaria duo tria ambulando jam facile metiretur: Ex eoque tempore sanior & integrior evasit, diuque perstitit. Neglecta verò postea, quam dixi, Prophylaxi; vel parcè, & indiligenter adhibita; multum ille torquebatur *Arthritide*, nunc recta, nunc *Anomala*; donec ea, multis post annis, confectus & oppressus, è vita cessit.

H I S T. VI.

*Cum Plenitudine Arthritidis, partim re-
cta, partim (in Ventriculo) Ano-
mala, Purgantibus & Podagragogis
allevata.*

CIvis *Ischanus*, vitam agens in-
tem, & desidiosam, ea de causa
Plethoricus & *Arthriticus* evasit. Æ-
tate constanti, postquam ex intervallis
sæpenumero recteque doluerat, tumore
Pedis dextri tenebatur, eo, qui tum
Arthritidem, tum *Plenitudinem*, mani-
festè

festè agnosceret. Cum eo simul orta famis imminutio, Cibi fere omnis fastidium, similemque habuit cum eo progressum, & vehementiam. De causa malorum istorum altera, communi, nempe *Plethora*, nemo unquam dubitavit; de altera, nempe *Arthritide*, Pedem afficiente, quando Dolor *Articularis*, cæterumque Pathognomonicon, eum monstraret, non est controversum: Sed de ea locum in *Ventriculo* habente, Æger murmurare; & *Podagram Ventriculi* Morbum esse commentitium, & imaginarium, æstimare visus, multa secum iussitare.

Ego, ut ejus ingenio morem gererem, humanissimum, & priscis moribus, Artisque Medicæ cum primis intelligentem, Dominum Doctorem *Hele*, eo tempore Medicinam hac Urbe factitantem, in consilium vocari, lubentissimè consensi. Huic ego totius morbi, sic, ut erat, compositi, Historiam enarravi; maximè verò *Arthritidem*, olim importunam, nuperis diebus nimio plus quietam, explicui. Quibus auditis, propositam ille viam mecum calcare non est dedignatus. Socia igitur opera, ægroto, antea perpurgato, *Chalybis* & *Pul. Rad. Ari C.* a me datorum usum, sed aucta quantitate, continuantes, hisce verbis consulimus.

℞. *Pul. Rad. Ari C.* è *Chel. C. C. Chal.* cum *Sulf. pp.* aã ðß. *Ext. Calami Aromat.* q. s. f. *Pil. thoris duabus medicinalibus sumendæ*, cum *Haustu seq. Julapii.*

℞. *Aq. Menthae, Flor. Chamæm.* aã ℥v. *Stephani, Gent. C.* aã ℥jjj. *Marg. pp.* ðjj. *Sacch.* q. s. f. *Julapium.*

℞. *Sp. Vol. Oleos. Castorei* aã ℥ij. *miscæ, sumat gtt. xxx.* primo mane, &

hora somni, cum Julapii, vel Vini aliqujus Stomachici Haustu.

Horum usu Medicamentorum, maxime verò *Pilularum*, multo & diligenti, Famem æger conciliavit, unaque opera humores *Ventriculi Tunicis* vitiosos exturbavit.

Historia dicit *Arthritidem*, cum Plenitudine conjunctam; partim relictam, & in extremitate Corporis agentem; partim *Anomalam*, & in *Ventriculo* latentem; sed & eam Medicina expulsum, in Sanguinem relegatam.

HISTORIA VII.

Arthritidem ex Animi perturbatione Anomalam, in viam ducunt Ποδαγραζωρδ.

D Omina R — quinquagenaria major, *Arthritide* frigida diu multata, eaque Pedem nuper afficiente; propter Animi Pathemata, & turbas, nescio quas, domesticas, Materiam νοσνην (interciso Paroxyfimo) in *Viscera* retroactam habuit. Remisere Malaeoli (id est, partis affectæ) Symptomata, Dolor, Tumorque; & simili proportionem intendebatur *Ανοπεξία*, Nausea, acidi & pituitosi Vomitus, Oscitatio, *Σκόρωμα*, cum affectione *Ventriculi* Idiomate nostro appellata (*Waterpangs*;) Nam Oesophagum ascendens, bis vel ter in die, ad ℥jjj. vel jjjj. ab Ægrota, tanquam utero gerente, Aqua ore ejecta est. Hanc Affectionem imbecillitas Spirituum, Palpitatio Cordis, Faciei pallor, Vox tremula, languens, & inusitata animi dejectio sequebatur.

Ab *Arthritide Anomala*, & ad ea, quæ intus sunt, inverſa, Symptomata iſta proficiſci minime dubium erat. Hoc Hiſtoria morbi, & Symptomatum ordo demonſtravit. Utque deviam *Arthritidem* in locum proprium, in Artus ducerem, propoſitum mihi palmarium erat, & medendi Indicatio.

Quem in finem, impedimentis, quæ *Stomachum* & *Inteſtina* premerent, per Alvi ductionem expurgatis, *Infuſum amarum Martiatum*, horis duabus medicinalibus; *Bolum Cardiacum*, (è *Pul. Cantiano*, *Chalybe Nutrito*, &c.) hora ſomni, cum *Jul. Hauſtu*; *Spiritus vol. Oleoſ. gtt. aliquot*, ſæpius in die, cum idoneo quotibet vehiculo dedi. Unde fructus, brevi temporis ſpatio, Spe omni major, Votis par. Reſtituta ſunt Viſcera, ſcintillarunt Oculi, doluit iterum Malleolus, ſervata eſt *Ægra*, & quidem una *Arthritidos* amotione, & in *Pedes* ἐξαγωγῆ.

HISTORIA VIII.

Arthritis vaga primò Partibus ex contuſione læſis; deinde Ventriculo hærens; in Sangüinem reſorbetur, in Artus emittitur.

VEtula quædam, origine *Arthritica*, dolores habuit diu per Artus huc illuc erraticos; poſtea, contuſo Corpore (quum ab Equo forte cecidit) læſis & debilitatis Partibus in hærentes. Hi verò deinceps, locis hiſce relictis nescio qua de cauſa *Ventriculum* invaſere: Namque *Nauſea*, & *Vomitio* ſecuta erat permoleſta, cum *Motibus Convulſivis* & *Hystericis* aliquot accidentibus.

Nihil clarius eſſe potuit, quàm quod ea, quæ olim Membra infeſtaverat *Materia*, peccans & *Pedagrica*, primum partibus contuſis, deinde *Ventriculo* committeretur: Atque huic contuſus opinioni, principio curandum exiſtimavi, ut *Vomitu* ſedato *Materia Ventriculum* aggravans per Anum ejiiceretur. Præmiſſis igitur *Laudani* guttis aliquot, ſub ejus præſidio *Pilulas* exhibui purgantes; quarum ope, ut & *Enematis* poſtmodum immiſſi, ægrota dejecit impura bene multa. Peracta *Catharſi*, *Pulvis* è *Chel. C. C.* & *Rad. Ari Comp.* aã ὄβ. tertia quaque hora, ſumebatur; cum *Julapii* hauſtu *Hysterici*, & *Sp. Vol. Oleoſo*.

Hiſce remediis ex lege uſurpatis, notatu jucundum erat, quibus gradibus ſanitatem *Ægra* recuperaret. Primum, ut ex iſtiusmodi *Cardiacorum* uſu ſolet, *Calor* oriebatur univerſalis; eique tandem aucto, & magnum in modum evecto, *Ventriculi* ſucceſſit allevatio; ſic, ut à *Sanguine* celerius & rapidius circumvecto, *Miaſma Arthriticum*, *Ventriculi* Tunicis infixum, reſorberi, & in *Sanguinis* ſinus recondi cenſeatur.

Ad tuendum *Ventriculum*, & *Arthritida* procul emittendam, *Tinct. Martis* (ex ejus *Limatura* & *Succo Limoneo conſectæ*) *gtt. xx.* ſemel bis in die ſumendas, cum *Infuſi amari alterantis Hauſtu*, præcepi. Quorum ope *Ventriculo* cautum erat, & rectè egit *Arthritis*. Nam ex illorum uſu (uti poſthæc, ex illis repetitis, ſæpe) ægrotavit Anus hæc Articulis; at, per integrum jam decennium, & eo amplius, ne ſemel quidem, ut obſervavi, *Ventriculo*, vel partibus infirmatis. Tanti uſus ſunt, in ordinanda *Arthritide*, *Chalybeata*.

HISTORIA IX.

Multum interesse, quâ tempestate laboret Æger hac Anomala; ad eamque removendam, tam externa, quam interna, non nunquam in Corpore validissimo requiri.

UT autem pateat, multum interesse quo anni tempore, quâ tempestate laboret Æger hac *Anomala*; Exemplum hujusce rei magnum adducam. Homo *Damonius*, propter *Isca ripam* agens, *Arthritidem* habuit à Parentibus ductam, autumnò vel hyeme maxima ex parte redire solitam. Hyems erat, quum, nescio qua de causa, *Ventriculum Arthritis* iniit, eumque crudelissimè gravavit.

Cum eo loci res erat, accitus, de Morbi ingenio & natura ex Symptomatum ordine judicans, *Arthriticum* eum esse comperi, & in Artus materiam amoveri vitiosam quam citissimè debere. Atque illuc cursum dirigens, *Vini* & *Chalybis* eam quantitatem dedit, eoque cum eventu, ut ex animi sententia Pes doleret, *Ventriculus* sublevaretur: Ægri verò rebus favere, & ad educendam *Arthritida* non parum conferre, inventa est Cœli, medio Hyeme, clementia.

Sub id tempus, Vento, qui aliquandiu mitis fuerat, in Aquilonem mutato, tempestas ingruit acerbissima, frigus intensissimum: atque hujus sævitia, ambitum Corporis urgente, retroacta est, in ea, quæ intus sunt, *Arthritis*. Expellentibus altera vice usum, & ut Materia denuo extrudetur, elaboravi: quod tamen, nisi remittente prius Frigore, minimè patratum.

Iterum Pede doluit ægrotans, & quidem eo usque, donec renovato frigore *Arthritis* jam tertio *Ventriculum* invaderet. Huic autem adeo jam per Frigus (quo, ut Terra obrigit, ita valde confrieta fuit ægri Cutis, humidumque intus actum) infixæ est; ut eo loci dehinc ad ipsum Vitæ terminum maneret; neque *Vino*, neque *Ferro*, etsi plena manu exhibito, neque ulla *Cardiacorum*, etiamsi fortissimorum, vi dimoveretur.

Quid per *Phænigmos*, & ejusmodi externa *Arthritidem* evocantia, fieri potuerat, (quando Tyroni, militiam istam nuper ingresso, mihi nullus erat tum temporis eorum usus) nihil habeo, quod dicam. Ex eo verò didici, *Ventriculi* hunc affectum unis ore assumptis, in Corpore validissimo, non semper auferri; verum externa, in auxilium & operam iis sociam adjungi, non nunquam oportere.

HIST. X.

Cibi fastidium, & Asthma, ex Arthritide Ventriculum infestante; ea expulsa, sublata; ea denuo repulsa, recidiva.

Senex *Arthriticus* dolore Pedum, cui olim assueverat, aliquandiu liber, Appetitu læso, difficili Respiratione laboravit; utroque tam urgente, ut in dubio non modo Salus, verum etiam Vita esset. Tum denique de Medico quæritare cœpit. Cum illam esse rerum conditionem, mihi denunciatum est; ab *Arthritide* inversa, *Ventriculum*, & spirandi organa afficiente, turbas
hasce

hasce concitari, sum arbitratus: ideoque, quando Ægri vires infractæ consumptæque Purgationem minime paterentur, primo quoque tempore *Bolum, ex Pul. Cantiano, & Theriaca Andromachi deglutendum, una cum Vini rubri Haustu, Spiritusque vol. Oleos. gtt. aliquot, dedi, & hora quaque quarta repetii. Cardiacis isto forti & generoso, pro re nata, repetito, factum est, ut in Artus statim expelleretur Arthritis; ut ab ea dolerent, tumerent Articula-menta. Felici huic Humoribus μεταβάσει debuimus, quod in mediis periculis, in extremo discrimine non omnino spe destitueremur.*

Ut eum, quem ita nacti fuimus, locum teneremus, *Infusum* dedimus *amarum, Vini Xeresano* factum, modica quantitate; ter in die, potandum. Unde quidem multum Æger Articulis doluit, multum profecit: Hæc autem æstate acta, & favente Cœlo. Vix aderant Saturnalia, cum malum recru-duit, propter Hyemis inclementiam, forsitan gravius & intolerabilius. *Chalibe, Cardiacis* valentissimis tentata est Curatio; sed nequicquam. Morbo, Hyeme, Senecta oppressus Æger è vita excessit. Quid verò per Evacuatio-nes opportunè adhibitas fieri potue- rat, quando earum nulla mihi data fuit opportunitas, nihil ausim affirmare. Iis autem, modo Vires annuissent, opus fuisse autumo.

En *Asthma & Avopeξία, & Arthri- de Ventriculum* infestante: ea verò in Artus expulsa, eadem sublata: repulsa denuo *Arthritide*, recidiva eadem, im- portuna, mortifera.

HIST. XI.

Ex Arthritide Cardialgia, ut & aliàs Avopeξία, per Catharticum & Humores in Artus expellentia, feliciter curata.

Senex honorabilis, à multis annis Paralyticus, *Arthriticus*, Sexage- nario major, Tumore Pedum conti- nuo laboraverat tali, qui Hydropa an- tecedere, præque foribus eum esse videretur ostendere. Totum enim pro- pmodum Pedum ad Genu usque oc- cupavit, Digito prementi cessit, ejus- que foveam retinuit diutinam. Jam- pridem autem, (quod in hoc casu ma- ximi est momenti) evanuit Tumor om- nis, sive *Hydropicus*, seu *Arthriticus*.

Errat insuper huic ægroto, quæ qui- dem Paralyticis familiaris, Sputatio ju- gis; sic, ut diei spatium semilibram sæpe expueret, & quidem quo plus, (quod observatione longa palam erat) eo illi melius. Nam, cum noctu lecto, cum interdiu cathedræ perpetuo figeretur; itaque exercitatione pene omni, ejus- que effectu, tum Urina, tum Perspi- ratione liberiori, privaretur; majori Salivatione usa est Natura, & per eam aliarum Evacuationum defectus quo- dammodo resarcivit. Saliva autem, hoc tempore suppressa, una cum Tu- more Pedum abeunte, aliisque mali- moris Symptomatibus, in periculo ver- sari Ægrum manifestavit.

His adjiciendum, quod paucis post diebus *Cardialgia* suboriretur; quæ, cum perpetua fere esset, & *Avopeξία*; cum *Melancholia*, tanquam satellitibus

stipata, Ægrum adeo confecit, ut simul & Caro multum, & una cum ea Vires absumerentur.

Cum mihi jam antea daretur, Celeberrimi hujus Viri rebus invigilare Medicis, salutique prospicere; malum illud nihil aliud esse judicavi, quam *Arthritidem* inversam, *Ventriculo* fixam, & quæ ab ejus *Anomalia* fluxerunt accidentia. Promdeque, ut *Ventriculus* & *Intestina* primum exonerarentur, & tunc in Artus emitteretur *Arthritis*, conceptis hisce verbis præscripsi.

℞. Aloes rosat. Pulv. Myrrhæ, Scammon. aã ʒʒ. Res. Jal. gr. v. Ol. Abs. Chym. gtt. l. Extr. Cent. q. s. f. Pil. v. mane deglutienda.

℞. Tart. Laxant. ʒijij. cum Jusculi Avenacei haustu, circa horam decimam sumendos; si Pil. tardius operabuntur.

Hora somni post Purgationem, sumat Pul. è Chel. C. C. & Marg. aã ʒʒ. cum Aquæ Cin. hord. ten. Melissæ ana ʒiʒ. Pæoniæ C. ʒijij. Sp. vol. Oleos. gtt. xx. Conf. Alk. ʒj.

℞. Conf. Abs. Rom. ʒj. Pulv. Rad. Ari C. Alkool. M. aã ʒʒ. Syr. Abs. q. s. f. Bolus.

℞. Tinct. Myrrhæ ʒj. Sp. vol. Oleos. ʒʒ. Pul. Gentian. ʒj. misce, igne arenæ digere, f. Tinctura.

Præmissa Purgatione, sumat Bolum bis in die, cum Julapii Haustu; hora ante prandium, Tinct. gtt. à xxx. ad xxxxx. cum idoneo quovis vehiculo.

Pharmacis hisce assumendis, solito diligentius Æger, alias Pharmacorum osor, incubuit; & quidem eorum viribus *Arthritis*, à *Ventriculo*, & iis, quæ intus sunt, remota, in Artus exulare: dolere Articuli; tumere Pedes; quod-

que isthoc amplius, abire *Cardialgia*, redire Fames, incolumitasque, pro Ægri ætate, cæteraque ejus conditione, magna.

Quando, ex quiete nimia, aliisque in *sex non naturalibus* erratis, vitium alio tempore contraxerat *Ventriculus*; paucis post diebus detumuerunt Pedes; fluere desiit Saliva. Malum ex eo notabatur ingravescere. Cibi enim omnis obortum est fastidium, *Intestinorum* æstus; & dolor erat, Faciei pallor. Ab Ore & Pedibus, ad τὰ ἐνδον, ad *Intestina* Humorem *Arthriticum*, & serosum ejus vehiculum ferri constabat. Per *Vinum* & *Oxymel Scilliticum*, perque *Solutum purgans*, *Ductum* alimentarem exinanivi. Pituita & Cruditate omni amota, per *Infusum amarum*, forte & generosum; perque *Chalybeata* factum, ut *Ventriculo* Fames; ut Ori Saliva; ut Pedibus Tumor; ut Faciei Color: Verbo dicam, expulsis, ad τὰ ἔξω Humoribus vitiosis, ut Ægro nobili conciliaretur, quanta maxima potuit, incolumitas.

C A P. II.

De Colica Arthritica.

ARTIC. I. **P**ost affectus eos, qui in *Ventriculo* sunt *Arthritici*, lata ducente via, ad illos, qui attingunt *Intestina*, descendendum est: Quorum è numero *Colicæ* dandus est Principatus; tum quod ea frequentissime omnium occurrit, tum quod (uti solet evenire) magno cum supplicio laborantium. Hæc autem *Colica*, minimè uno contenta *Intestino*, *Fistulam* à *Ventriculo* ad Anum omnem,

nem, etiam si non eodem tempore, tenet, & in ea sedem ponit. Imò quidem sæpe fit, ut, cum *Intestinis* hac *Colica* vexatis, *Ventriculus* etiam, & quidem *ἰδιοπαθικῶς* afficiatur, non nunquam multum affligatur.

II. *Colicæ* vultum induit *Arthritis* & fixa, & vaga; & regularis, & *Anomala*, & *Primigenia*, & *Symptomati- ca*. Horum omnium membrorum omnino nullum exstat, quod interdum ita non faciat. E *Symptomaticis* verò ea creberrimè, quæ *Colicæ* succedit; quæ à *Colica* incipiens, in eam desinit. Ea citissimè partes has invadit;

Ad limina nota,

Ipsa domum se fert;

& *Artus* & *Intestina* vicissim occupans sedem habet ambiguum. In natu grandioribus, & infirmis (qui *Anomaliarum*, uti dixi, *Arthriticarum* mos & consuetudo est) induit sæpissimè; in *Athleticis*, & ætatem nondum mediam ingressis, aliquando. Hujus autem *Metamorphoseos* modus & ratio talis est.

Quum *Æger* diu recta *Arthritide* per vices doluit, & jam ætate proventus est; vel ex debilitate, vel alia aliqua de causa statim exquirenda, *Natura* *Paroxysmos* identidem intermittit; & nullos, aut raros, aut parvos & breves edit. *Paroxysmorum* istam defectionem usitatissimè sequitur, ocius aut tardius, in iis, quæ intus sunt, novum quoddam malum; interdum autem caterva *Symptomatum* illa, quæ *Colicam* manifestè indicat. Primum, universi corporis *Ægrotationem*, & *Ἀνοξιάν* æger; non rarò *Nauseam* quoque sentit: tum *Dolorem Intestinorum*; qui plerumque fixus, & eidem quasi puncto (Pali instar) hærens, por-

tionem quandam *Abdominis* tantillulam (quod sæpe observavi) præcipuè *ἐπὶ τὸν ὀμφαλὸν*, pungit excruciatque. Huic *Symptomati* aliud fere æquale est, pectoris nempe *Oppressio*, & tanquam ab onere incumbente *Gravitas*; quæ, ut hujusmodi *Colica* afflictis fere cunctis accidit, ita quidem iis molestissima est. Hæc duo *Symptomata*, (*Στρόφοι* nimirum, & *Gravitas* pectoris) summa & primaria judicentur; quibus secundo loco adnumeranda *Præcordiorum* distentio, *Βορβορυμοί*, *Ructus*, *Materiæ* plerumque biliosæ vomitus, *Alvi* segnities. Tertio loco, *Accidentia κατὰ Συμπάθειαν* nata; qualia sunt *Oculorum* languor, *Spirituum* dejectio, *Vigilia*, *Animæ* remissio, *anxietas*, & si morbus duraverit, universi *Corporis* imbecillitas & macies.

Etsi non semper, tamen sæpe *Autumno* incipit hæc *Tragœdia*; & nisi opem auspicato *Medicina* fert, per insequentem *Hyemem* ægrum affligit, & quidem miserabiliter. Nam à prima *Intestinorum* aggressione, *Flatu*, *Tristitia*, *Dolore* languet ille & deprimatur: noctu vigilat, interdum lamentatur; dies noctesque calamitosas agit; donec *Somno*, *Cibo*, *refectionibus* *Vitæ* necessariis privatus, *Vomitu* creberrimo laceffit, *Dolor* fractus & enervatus, *Macie* confectus, serius citiusve (prout illius vires sunt) vitam cum morte ærumnosissimam commutet.

III. Ex his *Phænomenis*, de morbi hujus genio & natura statuere, non erit difficile. Quid enim magis in propatulo, quam quod materia ista *Arthritica*, quæ ad τὰ ἄκρα propelli sueta est. (*Natura* novis utente consiliis, alioque

alioque instituto) jam in Visceribus deponatur, ibique dictam moveat Tragediam: Illa Famem tollit; illa *Δυσπεψίαν* infert; illa Vomitus ciet, illa Præcordiorum Inflationem creat; illa Pectus aggravat; illa dolere facit *Intestina*.

IV. Unde sequitur, quod in hoc affectu detegendo, ejusque formanda Diagnosi, quanquam prima facie plurimum valere videantur è prædictis aliquot Symptomata; *Σπρόφοι* præcipuè, & Pectoris Gravitas; tamen, quum *Colicæ* huic *Arthriticæ* illa non sunt tam propria, quin aliis *Colicæ* speciebus eadem convenient; hanc ob rem *Arthriticam* nostram ut rite dignoscamus, alio progrediendum est. A nullo autem alio fonte melius petenda est illius notitia, quam à Morbo præcedenti, *Arthritide* scil. *regulari*: præsertim ab illius nupero Paroxyfmo; ab ejus silentio, sive intermissione, Paroxyfimum istum insequente; & *Colica* isti silentio superveniente. Quam quidem Morbi Historiam, ejusque aliam ex alia parte ordine perspicuo fluentem, quisquis studiosè ponderaverit; de *Colicæ* hujus natura, eamque revera esse *Arthriticam*, ut opinor, minimè dubitaverit.

V. Hæc, de causa hujus *Colicæ* proxima, sive Contingente; quæ est ipsa Materia *Arthritica* τοῖς Ἐντέροις infusa: qui verò ea infundatur, sive quæ sint hujus Morbi causæ remotiores, loco jam proximo dicendum.

Eæ duum sunt generum; Externæ, vel Internæ. Externæ Materiam hanc, extremitatibus sive commissam, sive committendam, intro pellunt, & *Intestinis* illidi faciunt. Cujus ordinis sunt Frigus, Tibialia nimis arcta, Vincituræ, Emplastra, unguenta, Cataplasmata, &c.

Repellentia. Frigus, uti *Colicam* exquisitam ab omni ævo incutere, & vel ideo in causis ejus evidentibus locum non ultimum mereri; ita quidem *Arthriticam* identidem antecedere, eique producendæ multum conferre, certissimum est.

VI. Internæ sunt permultæ: Earum verò princeps habeatur *Intestinorum* à Natura imbecillitas, sive *Ατονία*; qua, ad sustinendum humorum in Corpore libramentum, imparia redduntur illa, & (secundum Leges à Mundi principio ratas & stabilitas) oneri nimio tum accipiendò, tum ferendò, pro-na. Quæ quidem causa, quandoquidem constans & perpetua est, non modo *Colicæ* conducit primum afferendæ intendendæque; sed, quod magis est, eidem postea sæpius revocandæ redintegrandæque.

Alia magnæ ad hanc *Colicam* efficacitatis causa, Impuratum & Cruditatum massa est in Visceribus cumulata. Res notissima est, ab Hepate, à Pancreate, Glandulisque fragiformibus; in ductum *Intestinorum* mitti Sanguinis Impuritates & Recrementa: Pari etiam modo notum est, à *Ventriculo* Cruditates accipi creberrimas; in *Intestinis* sisti copiosissimas. Quoties verò *Arthritico*, quoties *Δυσπλάγχνω* id obvenerit, ad progignendam hanc *Colicam* mirum quantum operetur. Alienæ hujus massæ contagio & afflatu inficiuntur *Intestina*; & *Arthritis* intro (non aliter quam *Emplastro*, sicut ante dictum, aut *Phænigmo* attrahente Pedibus admoto extrorsum, invitata est. Verum, ut hîc loci φαινόμενα, sæpe à me notati, mentionem faciam; nullæ unquam Impuritates hac in re plus efficere videntur; aut ad *Colicam* gignendam

gignendam magis valere, quam quæ sunt *Biliofa*: quod, *Ægrotantium* excrementis, sive ore, sive alvo redditis, ostendi solet. Impuritates in hujusmodi *Ægris* hac via copiosius è Sanguine effundi, id facere videtur; quod, vitam agendo sedentariam, parum ii per cutim emittant; Humoresque per *Διαπύωνυ* expelli solitos, intus ferri, & in *Visceribus* deponi sinant.

Inter hasce *Causas* porro censenda sunt, & quidem merito, aliena ore demissa, ut fructus *ἀγρίος*, &c. Pomaceum nimis acidum, immoderate sumptum; aliaque in *Victu*, præcipuè frigido, errata.

VII. Hujus Morbi notionem quicumque rectam habuerit; à *Colica*, *Humoribus*, aut *Flatu* orta; à *Biliofa*, *Hysterica*, reliquisque speciebus, quantum ille separetur, facile perspexerit. E contrario, quænam species ad hanc nostram maximè appropinquent, & qua in re, ut videamus: *Ratione Originis*, *Colica Humoralis*, quod à quiete nimia & *Aëris* constitutione frigidiori fiat, eatenus cum *Arthritica* concordat, & eandem habet cum ea *Causam* evidentem; quæ *Materiam* utrobique committat *Intestinis*. *Ratione Materie*, *Colicam* hanc maxime repræsentat ea, quæ *Pestilens*; (qualis ab *Ægineta* describitur (a). Hujus autem *Colicæ*, ut & *Humoralis*, cum *Arthritica* similitudo tam languida, tam mediocris; ut in hac re *Medicus*, si *Symptomatum* attendat ordinem *Pathognomicum*, ne decipiatur, non est ut multum vereamur.

VIII. Hæc, ut ab aliis Morbis sejungatur hic *Affectus*, jam à se quem-

admodum differat, & quotuplex sit, examinemus.

Ratione Materie, nunc purè *Arthriticæ*, nunc autem (ut in *Tribus Symptomata*) *Scorbuticæ*, *Scrofulosæ*, &c. *Differentias* habet, cum *affinibus Symptomata* *Tribus Anomaliis*, communes.

Ratione Subjecti; modo eidem quasi *Puncto*, uti *terebrum*, infigitur, modo, sed raro quidem, *Intestina* pervagatur; modo etiam *Ventriculum* comprehendit.

Ratione Causarum Procatarticarum; alias externa aliqua *Materiam* repellente; alias *Massa* in *Ductu* alimentari coacervata, & eam intus alliciente; alias binis hisce *Causis* conjugatis; alias earum agente nulla, sed mera *Viscerum* imbecillitate, contrahitur.

Itaque licet hic *Affectus* unam eandemque retineat *Naturam*; modos tamen, & ejus *accidentia*, præ se fert diversa.

IX. *Colicam* exquisitam raro vitæ spatio aliquid demere, magnaue ex parte periculo vacare, pervulgatum est. E diverso *Arthriticam*, *Morbum* sæpe lethalem esse; semper autem periculosum, habemus exploratum. Si *pectoris Gravitas*, si *Intestinorum Dolor*, præcipuè pungens, diu persistiterit, malum. Gradatim it in pejus *Æger*; donec è medio cedat. Rara unquam, hoc casu *incolumitas*, nisi *Arthritide* in extremis partibus apparente; sed neque ea omni, aut semper. Nam si *Dolor* erit *Articulorum*, manente interea in *Visceribus* sterquilinio; ab isto *Dolore* externo spes evanida, inanis. Intus statim allicitur *Arthritis*, & *Ægrum* sæpe opprimit.

At si *Intestinorum Dolor*, *Pectoris* oppressio,

(a) Lib. 3. Cap. 43.

oppressio, Alvique tarditas penitus tollatur, simulque fit in Extremitatibus *Arthritis*; ea Morbi facies hilarior; is status optabilior.

Si verò prorsus fileant eorum, quæ intus sunt, querelæ; si revertatur Appetitus, & eodem tempore fulgeat in extremis partibus *Arthritis*; tunc demum æger ἐξω βελῶν; tunc Gallum Æsculapio litabit. Quod ut fiat, quaque methodo medendi, jam proximè dicitur.

X. Quandoquidem ad hunc Affectum interdum Febris, à Bile orta, se adjunxit; in Curationis initio id agendum, ut Pulsus, ut Æstus, ut Sitis, ut reliquorum Febris indiciorum habeatur ratio; &, ad præcavendam φλεγμονήν si opus erit Venæ sectione, in ipso limine operis ea fiet; parcè verò, neque supra modum huic Symptomati levando necessarium; ne, eum nimis excedendo, *Arthritidis* posthæc expellendæ tollatur omnis facultas.

Secundo loco videndum, una cum *Intestinis* utrum *Ventriculus* ἰδιοπαθεικῶς afficiatur; præsertim, cruditate & alienis rebus utrum aggravetur: Hoc casu nihil antiquius habendum, quàm ut, epoto *Teæ*, vel *Cardui Decocto* (neque enim *Emetica* suaderem valentissima) cieatur Vomitus.

Postridie Vomitus, si vires Ægri permiserint, aut interposito die uno, fiat Purgatio; vel per *Extractum Eustachianum*, & *Res. Jalap.* quibus, si placet, adjungi potest *Mercurius dulcis*; vel per *Syr. e Spina*, & *El. Salutis*; vel, si Febris urgeat, per *Manna*, & *Salem Catharticum*, *Aqua hordeata solutum*; vel per aliud quodvis Purgans, ad hanc rem appositum. Vespere, tam eo post Vomitum, quàm eo post Purgationem, nihil Paregorici (nisi si ὑπερ-

καθαρῶν, aut aliquid improvisum id exegerit) adhibeo, ne illo *Arthritis*, in Paroxysmum eruptura, tanquam sufflamine retineatur.

Adeò valet hac in re, & tanti est momenti Purgatio, ut, omiſſa illa si ve negligenter acta, si non mundentur *Intestina*, perturbata erit Curatio; & post conatus in ea varios incassum factos, sæpe illuc redire necessum erit, ubi per negligentiam est peccatum; ad *Intestina* nempe expurganda. Quare, si Purgatio minus perfecta fuit, neque rebus ægri conveniens, omnino repetenda est; & quidem eo usque, donec proposito respondebit. Atque hoc casu, diebus Purgationi interpositis, nunc *Pulveribus Testaceis*, nunc *Infuso amaro alterante*; illis, si Acido; his, si Bile abundant *Intestina*; ne planè nihil agam, insisto.

Quibus absolutis, & iis, quæ viam præcludebant, amotis expeditisque, (quo quidem iter quasi medium confici videtur) ad *Arthritidem* extrudendam, nec quidem citius, incumbo. Hunc in finem faciunt, præter *Arthritidem* expellentia, (Capite primo memorata) non nulla Remedia *Colicæ* ab antiquo propria; ut & *Aromatica*; quæ cum prædictis non ineptè complicantur. Hæc autem sunt Pulvis *Zedoariæ*, *P. Rad. Ari Comp.* *P. Aurant. C. Cl. Fulleri*, *P. ejusdem Bezoarticus. Spec. Diatr. Piper. Spec. Calaminth. simp. Spec. Diambrae, Dianthus. Elect. e Baccis Lauri*; *Mithridatium*, ZZ in Indiis cond. cum ejus Syrupo. Olea *Chymica*, *Bacc. Juniperi*, *Seminum Cumini*, *Carvi*, *Fœniculi dulcis*, *Anisi*, & ejusmodi *Carminantium*, & *Aromaticorum*. Vinum *Xeresanum*, aut *Rubrum Lusitanicum simplex*, vel *amaris & Aromaticis alteratum*. His

His munitus auxiliis, ad *Arthritidem* expellendam, & in Artus amolendam, ita progredior. Ægro in lectum dato, *Pulverem*, vel *Bolum*, vel *Pilulas* præcipio.

℞. *Pul. e Chel. C. C.* ḡiβ. ḡij.

Chal. Nutriti gr. v. misce f. Pulvis Comp. Vel

℥. *Pulv. Zedoar. ḡβ. Spec. Calaminth. Simp. (vel Diambrae)* ḡj. *Alcohol Martis gr. v. f. Pulvis. Vel, forma Boli.*

℞. *Elect. e Baccis Lauri (vel Mithridatii)* *Pul. e Chel. C. C.* aā ḡj. ḡiβ.

Alcohol. M. gr. v. Syr. Aurant. q. s. f. Bolus. Vel

℞. *ZZ in Indiis cond. Pul. Rad. Ari C. aā ḡj. ad ḡiβ.* *Chal. N. gr. v. Syr. N. M. q. s. f. Bolus. Vel*

℥. *N. Myrist. cond. Spec. Diambrae* aā ḡj. *Chal. N. gr. v. Ol. Junip. Chym. gtt. j. Confect. Alk. S. M. q. s. f. Bolus. Vel forma Pilulari.*

℞. *Spec. Diatr. Piper.*

Pulv. Serpent. Virg. ana ḡβ.

Chal. Nutrit. gr. v. Extr. Ruta q. s. f. Pil.

Hisce Compositionibus superbibatur *Vini Xeresani*, vel *Rubri Lusitanici*, vel *Julapii* *Hauftus*:

℞. *Aq. Cardui, Menthae,*

Lactis Alex.

Chamæm. Comp. aā ḡiij.

Sp. Juniperi ḡβ. *ad j.*

Marg. pp. 3β.

Sacch. albiss. q. s. f. Julapium. Vel

℥. *Aq. Lactis Alex.* ḡxij.

Sp. Cerevis. Brunsvvicensis ḡiiij.

Marg. pp. 3β.

Sacch. q. s. f. Julapium.

At si Forma arridet liquida, *Infusi* *Hauftus*, cum adjecto *Marte*, detur ebibendus.

℞. *Rad. Zedoar. Galangæ, Calami Aromat.*

Cacum. Absynth. R. aā ḡij. *Bacc. Junip. Croci Brit. aā* ḡj. *Infunde in Vini Xeresani* ḡij. *ad alterationem idoneam, tunc coletur Infusum.*

℥. *Hujus Infusi* ḡiij.

Alcohol. Martis gr. v. f. Hauftus, ante bibendum agitandus.

Ex hisce, vel hujusmodi Medicamentis, sumatur aliquod, quarta, quinta, vel sexta quaque hora, medioque Medicamentorum intervallo, *Vini*, è prædictis vel ejusmodi generosi, *Hauftus*; ea quantitate, quam Æger tuto poterit haurire maximam. Quæ quidem Regula, de Medicamentis etiam tenenda est: Ea nempe *Dosi*, & frequentia, oportere illa dari, quæ non aliam *Febrim*, sive in *Sanguine Organum*, excitaret; quàm quæ, *Arthritidi* ad τὰ ἔξω amovendæ, satis inveniretur.

Ita subinde fit, in robustioribus scilicet, aut *Spiritu Animali* valde *Elastico* donatis; ut à *Purgatione*, maximè si utraque (tam ea, quæ ἐνω movet, quàm ea, quæ κάτω) præcesserit; sive propter agitatam *Sanguinem*, sive propter impuritates (quibus uti dixi, in *Visceribus* retineri solet *Arthritis*) expulsas; ea jam suapte sponte erumpat in *Articulos*, & evadat *Regularis*. Hoc quodcumque fiet, unicum restabit; ut eo loci illa, quicquid iracundiæ permanet, exerceat; quicquid humoris effundendi, effundat. Verum, ut hoc interdum, & quoties fieri contingit, auspiciato fit; ita quidem, è contrario, antequam illuc perventum, & *Arthritis* *Artibus* affixa erit, plures sæpe interveniunt difficultates; plures scopuli deteguntur, qui moras in sanando Ægro medenti

faciant gravissimas; quibus quasi digito demonstrandis, jam proxime incumbam.

Interdum igitur *Intestina* torqueri, & Spasinis ita contrahi manifestum est, ut Medicamentum ea purgans, etiam si *Δρασμώτατον*, non sentiant; multo minus obsecudent, & obtemperent: quo rerum statu, Abdomini *Fotum* admoveere oportebit, eumque aliquoties repetere.

℞. *Cacum. Abrotan. Artemis.* aã ℥j.

Rad. Aristoloch. rotund.

Flor. Chamæm. aã ℥ij.

Bacc. Junip. ℥j.

Sem. Carvi, Fœnic. d. aã ℥℞. coq. in *Aq. Font.* ℥x. ad v. *Colaturæ* adde *Sp. Vini vulg.* ℥j. pro *Fotu Ventris calidissimo.*

Post omnem fovendi vicem, eo, quod sequitur, *Venter* illinatur.

℞. *Unguenti Martiati* ℥ij.

Ol. Tereb. vel Picis liquid.

Rhod. Ch. gtt. vj. f. Linimentum.

Galbanetum Paracelsi, ut apud *Riverium* est, (Capite de *Colica*) *Linimenti* hujus locum implere, & totus eo *Venter* illini potest.

Nonnunquam autem, maxime in teneris Corporibus, etiam postquam *Intestina* fuerint purgata, multæ restant eorum contractiones, multus Dolor; nunc continuus, nunc intermittens: qui quidem eorum Affectus, cum sit omnino *Σπασμώδης*, partim *Fotu*, & *Linimento* prædicto; partim *Enemate* sequenti (quod *Animales Spiritus* mulcere, delinire, & in ordinem poterit redigere) vincendus est.

℞. *Vini Canarini* ℥℞.

Elect. e Baccis Lauri ℥℞. f. *Enema*, alvo diu retinendum.

Est autem, ubi *Ferri Præparata*, propter imbecillitatem, *Intestina* respuant, & quam citissime *Ano* ejiciant, una cum Medicamentis ei conjunctis. His ægrotantibus è re esset, omissio *Ferro*, Medicamenta præscripta per se dare.

Aliàs observare licet non modò *Ferrum*, sed & aliquando *Pul. Testaceos*, *Arthritidis* propellendæ causa datos, duos scilicet difficilesque, descendere, & per alvum reddi. Quoties hoc fiat, astringenda prorsus ea, priusquam in *Arthritide* dimovenda, quicquam profeceris: neque enim, fluente alvo, *Arthritis* expectanda regularis. Ea verò, *Terra Japonica, Creta, Sanguine Draconis*, & ejusmodi mollioribus astricta; per *Ther. Androm. Elect.* è *Bacc.* per *Species prædictas*, è Regno *Vegetabili sumptas*; perque *Olea Chymica*; illa nempe remedia, quæ minus irritent, progredi juvabit.

Quamprimum *Medicina*, quæ *Arthritidem* extrudat, *Ægri* rebus est aptata usui ejus interno, per bidui, vel tridui spatium insistentum est; eoque tempore in ea consumpto, si per hosce dies in Artubus nulla in conspectum venerit *Arthritis*, ad *Emplastra, Cera, Phænigmos* & ejusmodi *Arthritidem* evocantia, (Capite primo relata) confugiendum est. Quinimo postquam in Articulis apparuerit, *Ποδαρχαρωγείς* ore sumendis usque uti conveniet, donec Articulis hærens, & affixa, de suo in *Intestina* reditu & *παλινδρομία*, locum ea suspitioni nullum relinquat. Hoc autem punctum cum attigeris, & in rectam *Arthritidis* viam denique redieris; in ea, cum Remediorum portione dimidiata (duplo scilicet eorum intervallo, vel subdupla Dosi, ut in Capite præcedenti declaratum est) proce-

procedere juvabit; & quidem dies quatuor, sex, vel octo; eo nimirum usque quoad alienum sive per Extremitates eliminetur; sive in eas adeò protrudatur, ut de *Intestinis* iterum, intra breve spatium, impetendis nihil metuamus.

Notatu vero hoc dignissimum, atq; adeò jucundissimum, quod, Articulis quamprimum fixa est *Arthritis*, læto quidem omine, spem & vitam pollicetur. Visceribus statim melius est; quæque intus mali fuerit vestigia, subito tolluntur. Oculorum acies, Vultus vigor, Fames, & Concoctio restituitur, & in vado res salutis est.

Diæta per totum hunc decursum, qualis & quanta esse debeat, ex omni parte κατὰ μέτρον ordinanda est. Nihil admittendum, quo in ea uspiam peccari possit. *Panatella*, *Gelatina*, *C. C. & Eboris*, *Panis biscoctus*, *Jusculum pullinum*, maxime autem *Vinum* prodest, vel *simplex*, vel *Decocto albo* temperatum. Certè *Vino* assuetis ab eò permagna expectatio, permagna est utilitas: quare iis præsertim illud largiter exhibeo; eam nempe quantitatem, quæ Calorem *Intestinis* conciliet; quæ *Arthriticum* Miasma ex iis ad τὰ ἀνωρα pellat; quæque eo loci id impune figat. Hanc autem operam optime navat, quod è *Lusitania* rubrum hodie nobis apportatum est; ægro ad ℥ss. ad libram integram, vel etiam duas, Nycthemeri spatium, si ad rem propositam opus fuerit, concessum. Alvus si dura, (quod, tum lecto incumbenti, tum *Colica*, tum *Arthritide* laboranti familiarissimum) *Enemate Oleoso*, vel è *Jusculo Verveicino*, lubricante, diebus alternis mollienda.

Interdum observare licet, ægrum,

Arthritide è Visceribus expulsa, perque Artus exulante, penitus emancipatum; Ventris adhuc inflatione, doloreque *Intestinatorum* urgeri; sic, ut exspes & despondens ille, per tanta Artis molimina, parum in Salute sua renovanda fieri; postque iter procellosum & scopulis plenum, in ipso portu se denique periturum opinetur. Hæc autem Flatum, & Naturæ morbo debilitatæ, sunt indicia. Valet hac in re, ad Flatus educendos, *Enema, è Vini Canari- ni ℥xij. Elect. è Baccis Lauri ℥i.* diebus continuis, vel alternis immixtum: Valet *Infusum amarum*, & ejusmodi *Stomachica*, quæ tum Famem acuant, tum etiam Coctionem emendent.

Ista medendi methodo, (primas nempe Vias purgando, posteaque foras *Arthritidem* mittendo) *Colica Arthritica* laborantes curare soleo; cumque hanc Methodum, huic *Colicæ* aptam, multoque usu comprobata, & confirmatam esse, noverim; idcirco lubens in medio eam propono; aliorum meliora, modò proferre dignarentur, sequi paratissimus.

XI. In *Prophylaxi* enitendum, ut roborentur *Intestina*, contraque inimicum, ne illuc denuo se intrudat, obfirmantur; simulque, ut reliquiæ τῶν δυσπεπτόων nullæ, Massa impuratum nulla, in iis posthæc collecta, eum ad se alliciat. Qua de causa, hujus Classis *Arthriticos* studere Fami, & Concoctioni; Ductum alimentarem Eccoproctico sæpius purgare; aliisq; *Stomachicis*, cum modicè restringentibus uti, oportebit. *Aquas Minerales* multis hac in re prodesse novi, tam *Purgantes*, quam *Diureticas*. Non pauci apud nos huic *Colicæ* proclives, *Aquas Alfordenses*, vel *Salem Catharticum*, aut

Tartarum laxantem, Aqua hordeata solutum, bis vel ter in anno bibunt: itaque Cruditates, à *Ventriculo* in *Intestina* derivatas, tempori tractantes, *Podagræ* præoccupant materiam, ano expellunt. Nonnulli meo hortatu commodè *Purgantibus* Aquas adjunxerunt *Diureticas*. Ut autem *Aquæ Bathonienses* ab antiquo *Colicæ*; ita quidem ei, quæ *Arthritica* est, præ cæteris adversari censeantur. *Aquarum usui Diureticarum* interponantur ea, quæ ad propositum faciant *Alterantia*. Hora nempe decima, *Infusi amari* Vino albo *Lusitanico* facti, *Haustus*; quin etiam post prandium quotidie, ejusdem *Vini* simplicis *Cochlearia* aliquot. Hora quarta pom. *Elect.* seq. 3i. cum vehiculo convenienti.

℞. *Cons. Fruct. Cynosb.* (vel *Ros. rub. per Set. traject.*) *Abs. Rom. ZZ* in *Indiis Cond. aã 3ß.*

Salis Martis ʒiiij.

Syr. ZZ. ʒiß. *Ol. Cin. Ch. gtt. v.*
f. *Electuarium.* Vel

℞. *Trochisc. Hedych.*

Cons. Flaved. Aurant. aã 3ß.

Salis M. ʒj. *Spec. Diamb.* ʒj.

Alcohol. M. ʒiiij.

Syr. Abs. s. q. s. f. Electuarium.

Quatenus verò ab externo Frigore oriatur hæc *Colica*, Vestitu idoneo, vitatoque aere nimis gelido, illud eatenus fugiendum, hæc cavenda.

Id adjiciam, quod hoc Affectu laborantes, quotquot ætate maturiores, & voluptatibus, aut rebus civilibus impediti, *Prophylaxin* neglexere, rarò sine multa id fecerunt: sæpe quidem magno cum *Salutis*, sæpe cum ipsius *Vitæ*, damno.

XII. Placet denique, citato divini senis Oraculo, monstrare, *Arthritidis*

hanc in *Colicam*, & *Colicæ* rursus in *Arthritida* migrationem, *Hippocrati* non fuisse incognitam. Ita enim ille; Ὡ τὸ Ἐντέρον ἐπὶ δεξιὰ Ἀρθριτικὸς ἐγένετο, ἢν ἡσυχώτερον, ἐπεὶ δὲ τέτω ἰντρέυθη, ὀπίσσω ὄτερον. Id est, *Qui Articulari Morbo detentus, Intestini Dolore dextra parte vexabatur, levius habebat: ubi verò hic curatus fuit, magis dolebat.*

* Quod de *Colico Dolore*, in *Morbo Articulari* obveniente, eumque allevante; postea verò, facta *Humoris* huc illuc transpositione, in *Arthritidem* iterum mutato, est intelligendum. Sed hæc hæctenus.

* Vide *Epidem Lib. vi. Sect. iv.* & in eam *Galenii & Foesii Commentaria.*

H I S T. I.

Colica Arthritica malè tractata, demum lethalis.

VIr ex *Tremulorum* Secta, probus & generosus, ingruente senectute, per integrum decennium, bis ter quotannis ægrotavit *Arthritide*; nunc *Pedem*, nunc *Manum* occupante; semper autem *Regulari*. Annus erat vitæ sexagesimus, cum ea primum intermisit, neque more pristino ægrotum visitavit. Istamne verò quietem, & à *Dolore* immunitatem, bonam, optabilem, & commodam existimaveris? Imo potius formidabilem, exitiosam. *Doloris* enim salutaris, & externi vice, alio intra anni spatium *Intestinatorum*, præcipuè τῶν περὶ τὸν Ὀμφαλὸν acerbo, constanti, & fixo est correptus. Interea temporis elanguit *Appetitus*: languenti prostratoque ei successit *Oculorum*

gravitas, Faciei pallor, totius Corporis macies & imbecillitas. Adhæc Cholericæ & cruda, vomitu emissa, *Ventriculum* aggravari ostenderunt.

Incremento morbo, Empirici consilio, *Aquæ ferratæ*, ut & *Ferro præparata*, aliaque permulta sunt adhibita; eo verò cum eventu, ut ab *Aquis Interanea* nimio algore; à *Ferri præparatis*, utpote concoctu & confectu difficilibus, è vestigio Diarrhœa vexaretur.

Ad senem hunc denique accitus, eumque graviter ægrotantem, neque intra Cathartorum opem (quæ aliàs essent necessaria) locatum inveniens, ore datis *ποδαρχαγωγοῖς Arthritidem* educantibus extra applicatis, ut in Artus ea transferretur enifus sum. At eheu! frustra: *Visceribus* hærens *Miasma Arthriticum*, & Coctionem impediens, aliud sibi malum adscivit comitem; nempe *Ventriculi*, & τῶν *Ἐντέρων* impuritates: quibus utrisque depresso æger, viribus sensim inclinatis, post anni dimidium, è vita discessit.

Sæpe quidem mihi in mentem venit, robusto huic ægroto, tametsi vetulo, fuisse melius consultum; si, *Colicæ* principio facta Purgatione, *Miasma*, per idonea, per stomacho minus gravia, per è *Regno Vegetabili* sumpta *Cardiaca*, fuisset expulsum. Illud initio fieri potuisse, vero non est absimile: At oppresso ei, viribusque deficienti, ipsa Medicamenta, neque nimis consideratè electa, neque nimis scitè data, mortem accelerârunt.

Historia narrat *Arthritidem* diu *Regularem*: at quæ progressu ætatis, *Intestina* perturbans, *Colicam* fecit, neglectaque Therapias opportunitate ægroto mortem maturavit.

HIST. II.

Arthritis vaga, Colicam mentita, ad regularem Arthritida reducitur, cum ejus Prophylaxi.

Pellio quidam ad *Iscæ* ripam, annos habens quadragenos, Athleticus, & bene coloratus, patre generatus *Arthritico*; Dolore Artuum huc illic vago; hyeme præsertim, & tempestate pluvia; cum Articulorum Tumore, Rubore, Nitore crebro recurrente, diu infestatus est. Hujus seculi initio, desubito cessavit Artuum Dolor; sed Intestinorum ortus est obtusus, constans; una cum Febre quadam Symptomata, Pulsu magno.

Nihil probabilius visum est, quàm, in Ægroto jam diu *Arthritico*, materiam alienam *Intestina* invasisse; quod utique judicium, emissi postmodum Sanguinis, superficiem tegens *Gelatina*, crassior certè & albidior (quæ *Colicam* genuinam rarò comitatur, *Arthritidi* verò familiaris est) abunde confirmavit.

Ut ægro prospicerem, nihil prius habui, quàm universum *Arthritidis* ordinem mutare; id est, *Intestina* versus Sanguinis impetum & inclinationem, arte quanta possim maxima, sistere; & materiæ vitiosæ ad defluxum impedire: Secundo, ut ad ea, quæ sunt extra dirigatur; & ex *Arthritide Anomala*, fiat illa *Regularis*.

Ut utrique satisfacerem Indicationi, Sanguinem detraxi, *Catharticum*, ex *Pil. Rud. Scammon. & Calomel.* dedi. Vespere post Purgationem, ut Sanguinis Orgasum incitarem, & simul *Arthritidem* in Artus amandarem, *Pul. è*
Chel.

Chel. C.C. ℥℔. sexta quaque hora, cum Julapii Perlati Haustu miscui; & ordinata re Diætetica, disceffi.

Quid ex eo fit? Intra biduum recrudescit *Dolor Articularis*; cumque vel lecto adhuc ægrum detineri crederem, domi meæ me salutata, alacris, jucundus, deque noviter reverso Hospite gloriatum. Digiti in Pede magni Articulum iste, more suo, primum & majorem, Plantæque Ligamenta potissime momordit. Placuit sane, & pergratum fuit, tam facili ægrotum redimi, durioribus fuetum. Quæ ad *Prophylaxim* facerent, in aliud tempus, & magis opportunum, distuli.

Ea Vere, mense Majo sequenti, sic erant: *Præmissa Venæ sectione, perendie Salis Cathartic. ℥℔. Mannæ ℥ij. Aq. purg. ℥ij. Solutas ebibat, omnique hora deinceps hauriat, donec usq; reddiderit; itaque diebus tertiis, quartisve, ad tres vices, repetat. Postea, omni mane, Aq. ferratarum ℥ij. ebibat; quinta pomerid. sequentis Elect. ℥j. cum Julapii haustu sumat.*

℞. Conf. Flor. Salviæ ℥j. Pul. Rad. Ari Comp. ℥℔. Pul. Cor. rub. è Chel. Simp. aā ℥i℔. Salis Martis Riveriani ℥j. Syr. Caryoph. q.s.f. Electuarium. Cerevisia Cacuminibus Hed. ter. Baccis Junip. Sem. Dauci, in potum ordinarium, medicata esto. His in mensem unum alterumque incumbat.

Ex eorum usu, propitio cum Deo, multos ille annos, tum *Anomala*, tum recta *Arthritide* immunes, egit; ad Medicinam hanc stabiliendam, & figendam, Exemplar utique luculentum.

HIST. III.

Colica, ex *Quiete Arthritica*, in *Arthritida regularem versa*.

MAgnificus senex, *Arthriticus*, *Paralyticus*, aut fellæ, aut lecto complures annos insidens, Humoribus vitiosis (qui, non uno Exercitationum genere, in omnes membrorum partes, cum eorum *Dolore Articulari*, solebant exprimi) occasionem dedit, ut in Viscera plus æquo immitterentur; ut in iis commorarentur.

Ex hac potissimum causa, Mense Majo, MDCCII. in *Dolorem Colicum* Vir Illustris incidit. Interea verò temporis Salivatio, quæ diu magna fuerat, suppressa; Pedum Tumor, qui jam multis annis immensus, imminutus est; facta videlicet Humoribus ad *Intestina* translatione. Pectoris fuit totius gravitas, & oppressio, tanquam ab onere quodam molestissime ei superimposito.

Morbi hujus Historiam contemplanti mihi perspicuum erat, Humores inverti, & jam *Intestina* versus, eorum fieri inclinationem. Quo circa, primum huc incubui, ut Fæcibus, quibus ipsa premerentur, & tanquam retinaculis eo loci detineretur *Arthritis Intestina* quam citissimè liberarentur; ideoque *Pil. ex Calom. Res. Jal. Extr. Eustachiano* dedi; quibus satis ex voto dejecit æger impura, biliosa. Purgationem è vestigio secuta est à *Vomitu*, *Colica*, & *Oppressione* dicta immunitas; uti etiam in extremis partibus *Arthritis*. Hujus promovendæ gratiæ *Guttæ*, quæ ab Inventore nuncupantur, *Goddar-*

Goddardianæ, & *Alcohol Martis*, bis in die, sumpta sunt. Ita Naturæ ferebatur auxilium, aptum quidem, & ejus agendi modo accommodatum: Rectè enim doluit, & ἐυκαίρος, ægro- tans. Quid enim septuagenario, mor- bis & ætate confecto, poterat accide- re fortunatius? Cum *Arthritide* redux & Salivatio, & Pedum Tumor.

Nihil hujus *Arthritidos* in *Colicam* Metamorphosi manifestius: Nihil hu- jus *Colicæ* ad *Arthritidem* reductione desiderabilius.

H I S T. I V.

Colica multarum Hebdomadum Ar- thritica, eadem Methodo curata.

SExagenarius quidam, Ingenio à na- tura subtili, rebus agendis elabo- rato, *Arthritide*, semel bis anno con- stanter reduce, per decennium afflicta- tus est: quo quidem tempore non nun- quam Catharro, Fauces invadente, & in Tumorem eas elevante, sæpe corre- ptus est. Huic Catharro se adjunxit, & quasi latus clausit, Febricula quæ- dam; itaque *Anginæ* speciem præ se tulit. Post dies aliquot, huic affectui su- pervenerunt indicia *Podagræ*; Digni nimirum majoris articuli primi Dolor, Tumor, Ardor: & planè indicarunt istum sive Catharrum, sive *Anginam* esse omnino *Arthriticam*; & *Arthriti- dem* hoc modo deviam, abnormem, *Anomalam*, demum in rectam, con- formem, idoneam migrare.

Cum hujusmodi *Anomalias* iterum & sæpius est perpeffus, Ann. MDCCII. propter usum Pomacei tenuis, acidique,

immoderatum, incidit in *Colicam*; do- lore non tam acerbo, quàm pertinaci, & constanti comitatam; Umbilici Re- gionem, sive potius illius portionem tantillulam indefinenter aggravantem. Ab hac *Colica* Spiritus animales mul- tum oppressi sunt. Crebra hinc suspiria, magna animi dejectio, magna corpo- ris debilitas. Στρόφος; auxit frigidorum usus imperitus, improsperus; Cardia- cis potius, & Calidis evincendos. Dum ex *Colica* defedit Æger, in Articulis externis emicuit *Arthritis*; sed quæ, brevi intus se proripiens, vana spe de- cepit ejulantem.

Quando *Colica*, binos circiter men- ses ægrotaverat, & quidem adeò gra- viter, ut peiori loco res esse vix potue- rat; id egi sedulo, ut, quicquid alie- ni, quicquid Cholericum (quo maximè se gravari renuntiavit æger) Ductu alimentari inclusum esset, quàm citif- simè per Anum ejiceretur: ea scil. opi- nione fretus (quod ante dictum est) vanam & frustra, *Arthritidos* regularis in Artibus excitandæ, spem & exspe- ctationem fore omnem; quamdiu *Inte- stina* fuerint immunda, fæcibusque one- rata. Quocirca præmissis, qui Humo- rem evacuandū molliret, paratumque redderet exilio, *Pulvere Alcalifato*, ma- ne multo *Extracti Eustach.* ℥ss. cum *Aq. Cin. hord.* ℥ij. *El. Salutis* ℥ss. pro- pinavi. Inanitis ex sententia Visceribus, iisque quæ viam obstruerent, amotis, ipsum Curationis apicem attentavi; nempe, ut *Arthritidis* materiam ab *Intestinis* eruerem, & in Artus propel- lerem. Quem in finem, omni mane, *Infusi cochl.* v. cum *Tinct. Martis* gtt. xv. assumenda dedi.

℥. Ras. Gent. ℥v. Cacum. Abs. Rom. ℥ij. Cubeb. ℥j. Coccinell. ℥j. Infunde in
f Vini

Vini Xerani ℥ij. ad idoneam alterationem; tunc fiat Colatura. Hora quarta pom. Bolus, ex Pul. Rad. Ari C. ℥j. Alcohol Martis, Conf. Abs. R. Cort. exterioris Aurant. Cond. aā ℥℥. Spec. Diatr. Piper. gr. iiij. Syr. zz. q. s. Hora somni Bolus, ex Theriac. Andromach. ℥℥. Alcohol. M. ℥℥. Pulv. Cantiani ℥℥. Conf. Alk. q. s. Porro Vini rubri Lusitanici, meo hortatu, ℥ quotidie potavit; Carnibus ἐπιπίπτους, ἐυχόμεους, est nutritus.

Ne multis hac & huiusmodi Medicina, diligenter adhibita, Dolor factus est *Articularis*; levatus is *Intestinorum*, & cum ferè conclamatum esset, ægroti vita & salus in tuto posita: quibus, etiam nunc post quadriennium, illum uti, frui, nuper accepimus.

HIST. V.

Colica Arthritica, Vomitu, Purgatione, Ποδορραγωγίς extra misso Miasmate, sublata.

ÆTate nostra Fullo Exoniensis, Patre ortus Arthritico, etiam si Adolescentiam vix egressus, sæpe doluerat. Erat hujus viri Arthritis nunc Anomala, Fauces invadens; (de qua alibi sermonem faciemus;) magna verò ex parte Regularis. Exeunte anno MDCCI. Pedem occupaverat; per triidui spatium tenuerat; cum, sine ulla ἐκ τῆς ἑωθεν προσπιπτόντων evidenti causa, abscissam excepit Nausea, & Dolor Intestinorum, una cum Anxietate animi, & pectoris gravitate.

Contra hunc affectum, Manna & Salem Catharticum, Aqua Alfordensi

soluta hausit; ea sæpe & opinione, ut Humores alienos, dolorem excitantes, per anum eluendo, restitueretur. Eventus opinioni non respondit. Quare accessit, *Ventriculum* etiam, quod à vomendi cupiditate palam erat, opprimi; neque nisi eo, per *Emeticum* prius purgato, colicam levari posse, monebam. Epoto *Cardui Decocto* (fuit enim ἐννεμύς) biliosa multa ejecit. Eo vespere P. Gasconic. & Theriac. Androm. aā ℥℥. demisit, cum Julapii haustu Cardiaci. Postero mane *Podagra*, Pedis fidistri convexū, marginemque exteriorem invasit. Ex quo statim *Ventriculo*, & iis quæ intus sunt, bene. Dolor, anxietas, pectoris gravitas sublata sunt. Ut autem opus, tam feliciter inchoatum, Medicina perficerem, Chal. Nutriti ℥℥. Pul. Gascon. Conf. Flor. *Salviæ* aā ℥j. cum Syr. *Garyophyl.* q. s. ut f. Bolus, bis in die, cum Jul. haustu propinavi: Æger hac methodo commodissimè doluit, morbo gravissimo levatus est.

Arthritis ista primo Regularis, Cruditatum, quæ in *Visceribus* constructæ & coacervatæ fuerant, illecebris attracta, Colicam facit Arthriticam; iis verò per Catharsin expulsis, Naturæ, & partim Medicinæ viribus effectum est, ut in Arthritida regularem illa denuo remigret.

HIST. VI.

Colica, una cum Capite aggravato, Arthritica, plus semel allevata.

IScanus Artifex, ætatis anno tricesimo quarto, laboravit tertia jam vice Pedibus; post hæc Humero, Cubito, Carpo, per quadriennium, bis vel ter

ter in annum : diversas *Arthritide* Commiffuras attingente , pervagante ; nunquam autem diu affligente . Mense Decemb. MDCCI. Pedum iste Vir dolorem habuit , fed brevem , neque ultra biduum manentem . Abfciffum eum excepit *Distentio Ventriculi* , cibi fastidium , *Dyspepsia* , Vomitus , *Στρίφοι* , *Vermiculatio Intestinatorum* , & *Diarrhoëa* ; quam infecuta est *Suffocatio* , tanquam *Hysterica* ; & , à Flatibus , *κατὰ συμπίεσιν* , Capitis affectus .

Ista quando jam tres circiter menses , eosque hyemales , pertulerat , Ægrum visitavi ; cumque Humores in Ductu alimentari præparantibus , & evacuantibus ; Materiam autem *Arthriticam* , ei adhærescentem , in Artus expellentibus , curari illum oportere reperi , iis suo loco utrisque usus sum : Diem nempe unum alterumque *Pul. e Chel. C. C.* quarta vel quinta quaque hora dedi ; tunc *Catharticum e Pil. Eustach. cum Calom.* dein , neglecto post *Catharsin Paregorico* , *Ferrum præparatum* , una cum *Pul. prædicto* ; usque donec *Arthritis* ad τὰ ἔσθον expulsa fuit . Quod ut præstitum , confestim oculorum acies acuta facta , vigor restitutus : Viscerum , & quæ intus sunt , eorum omnium quærelæ desierunt . Ita quidem ægrotanti opem tuli , simulque , per materiæ in Artus Expressionem , hunc affectum utiliter auferri posse perspexi .

Annus agebatur , alitur quàm solebat , *Arthritide* regulari penitus immunis ; cum , Mense Aprili , MDCCIII. eundem hominem Flatus , Ructus , Nausea , Præcordiorum Distensio , Dolor *Interaneorum* , præcipuè τὸ ὄμφαλον , est adortus . Quibus sese commites adjunxerunt , ex necessitudine

quadam , tanquam eadem stirpe oriundi , & ὀμολογεῖς , Oculorum languor , & Capitis gravitas . Hisce omnibus ut eatur obviam , primùm Venæ sectio ; tum , per *Extract. Eustach. Syr. e Spina* , & *Elix. Salutis* , Purgatio facta est ; qua vincuntur imi Ventris accidentia pleraque omnia . Posthæc *Pul. Gasconico* , *P. Rad. Ari C. Ol. Junip. & Cumin Chym. Ther. Androm. Chal. Nutrito* , *Infuso amaro* , & istiusmodi aliis , *Intestina* roborantibus , *Arthritidemque* expellentibus ; una cum *Empl. Cephal.* parti sæpissimè dolenti admoto , & *Decocto* interea rubicundo potui dato ; Affectui gravissimo penitus succursum est .

H I S T. VII.

Arthritis Intestina atrocissimè invadens , sæpissimè expulsa.

DIcam Viri nobilis Historiam , à me non uno nomine prædicandi , omnium utique cultu & honore percolendi . Erat ille Parentibus *Arthriticis* procreatus ; Corporis habitudine tenera , Spiritu Animali emicante & elastico donatus : Unde sæpe numerotum improvise ægrotavit ; tum etiam citius spe , & contra expectationem convaluit . Amplo illi , & diviti malè id obvenit , quod Hæreditas , à longa Majorum serie derivata , in tractu non nimium molli sua , Aëre frigido , & magnam anni partem immiti , perflata esset : quæ quidem cœli solique inclementia Dolorem *Colicum* , atque adeo *Arthriticum* Domino , una cum multis aliis , inferre censeretur .

Ver erat , Anni MDCLXXXIV.

quum, nescio qua de causa, qui partes extremas solitus est excruciare dolor, eo jam cessante, intus incidit Morbi vis, & sibi comitem adscrivit Pectoris gravitatem, tanquam ab onere imposito, permolestam. Erant tormenta *Interaneorum* peracuta, quæ ut allevarentur, *Cathartics*, si Diis placet, & *Opiatis* nimio plus elaboratum est. Nã ex nimia *Purgatione* Spiritus (per se agiles, & volatiles) ita perturbati, agitati, & quidem ita profligati sunt; ut jam orbatum somno & quiete ægrotantem, Vertigine multatum, Mentemque captum, Vires planè deficerent.

Hoc modo laborantem, tum primum arcessitus, invisi: cumque, ex totius morbi, maximè verò ex gravati Pectoris consideratione, appareret, eum esse *Arthritidem Anomalam*, Medicina auctã; ut omnibus ejus medendæ Indicationibus simul semelque satisfacerem, (id est, ut somnum conciliarem; ut Vires reficerem, ut *Arthritidem*, ad τὰ ἐξωθεν amolirer; itaque Ægrum in tuto collocarem) *Pulveris Cantiani*, Dosis majusculam, extemplo deglutiendam, eaque nocte repetendam, dedi. Ex animi sententia res successit: somno enim recreatum, & tanquam vitæ denuo restitutum ægrum, quæ perpeffus erat, eleganter enarrantem, mane postero audivi. Ut autem Therapiam perficerem, & Humorem mutata inclinatione Materiam alienam Artubus infligerem, *Ferri præparatum* adhibui; quod paucorum dierum spatio, eam validissimè extrudendo, Pectoris gravitatem, *Intestinatorum* Dolorum omnino omnem evicit.

Hæc erat hujusce mali Therapia: Quandoquidem verò, in Corpore delicato, multumque debilitato, Materia

Arthritica, nunc à frigore externo repulsa, nunc à Cruditatibus in *Ventriculo* & alimentari *Fistula* contentis, intus allecta, *Colicam* hanc *Arthriticam* identidem revocaret; quibus eam auxiliis, qua methodo, quo demum eventu recurrentem oppugnavi, hisce paucis accipe.

Menses aliquot agebantur, læti quidem & dolore expertes, cum ex *Fructibus ωπαίους* aliisque pravis avidè ingestis, & frigore eodem tempore contracto, redintegrata est *Colica*: Facta verò, per *Decoctum fol. Teæ avæ* per *Catharticum mite*, κατὰ *Purgatione*, datoque *Pulvere Testaceo*, & *Chalybe*, *Arthritidem* expuli, regularem feci.

Cùm aliàs in eodem ægrotante *Arthritidem* mero frigore repelli, & *Colicam* mentiri noverim; non nisi purgatis primùm *Intestinis* adhibitoque tum demum *Diaphoretico*, in fugam mitti illam, externa solùm causa factam, expertus sum. Materiæ verò emittendæ nihil in hoc ægroto melius conducere, aut votis respondere magis potuerat, quàm *Pulvis* ille prædictus; qui larga (3j) Dosi, & quidem crebro (tertia nempe quaque hora) demissus, *Dolori Intestinatorum* allevando, partium extremarum illi movendo augendoque maxime sæpe fuit momenti, & efficacitatis.

Cùm verò aliàs hæc invaluit *Colica*, neque adversus eam *Vomitio*, *Purgatio*, *Pulveres Testacei*, ipsum *Martis Alcohol*, viribus junctis, vel nihilum profuere; ad *Bacchum*, miserorum præsidem & consolatorem, *Arthritidis* Averuncum confugiens, ejus auxilio planè divino, materiam in Artus commodum ablegavi.

Postremò addam, quum neque Medicina, neque Vinum huic ægroto, eadem Colica aliàs affecto, prodesset; languenti, & animam tantum non agenti, quam ruinosa, conturbata, conclamata viderentur omnia, (quod quidem omnium expectationem vicit) opem ei, sed madido, sed bene potò, tulit Phænigmus: Articulis dolori fuerit admotum, aliam fecit Humorum inclinationem; ægrum manifestissimè servavit Remedium præsentissimum.

Ita quidem, multos annos Θεσσαλονίκη παλάμα, Viro illustri medicinam feci; & tametsi, propter Viscerum imbecillitatem, Victus rationem non semper optimam; ne dicam Ambulationem, Equitationemque, quibus exercere se, & Humores vitiosos extra pellere consuevit, intercisas; & Prophylaxin omnem aut penitus omissam, aut indiligenter actam; Intestinis ii minima quavis de causa infunderentur: tamen ita factum est, ut in hujus Colicæ Accessionibus, & creberrimis & difficillimis, æger semper relevaretur; & quidem eatenus, ut non nisi consumptis & exhaustis Viribus, nulla verò Arthritide intus agente, supremum ille obiret diem.

HIST. VIII.

Colica Arthritica, cum superveniente Paralyfi.

MOribus honestis & ingenio singulari Vir, Arthritide per viginti annos, autumnò quoque altero, (is fuit illius hoc in ægroto Typus) laboravit. Loci, quem invasit, diversitas ea fuit; ut nunc dexterum, nunc

sinistrum, nunc uno eodemque tempore Pedem utrumque, sed dexterum maximè lacefferet.

Excipiendum autem est, per hosce Annos, quod Typum ea semel atque iterum mutavit; quod Autumnò illo altero deficiens, insultum Mense Februario fecit. Quibus verò autumnis intermisit Arthritis, iis semper ægrum adorta est Epiphora; qua ex Oculis, per Hebdomadas sex vel octo, serum acre & pungens emanavit; & quidem adeo perpetim & constanter, ut Arthritidis vicem gerere, & ejus Materiam secum ferre, non immeritò crederetur.

Autumnò Anni MDCCV. quum, in Sanguine & Visceribus, sordes & illuviem, otio & fatietate, contraxerat; crassior & obesior eo factus, Dolore Colico corripiebatur; eoque, propter iter intempestivum, urgente frigore & imbribus, infirma valetudine susceptum, gravi demum molestoque cruciabatur. Interdum huic adjuncta est Diarrhœa, qua cum alvus exonerata fuit, Dolor remisit; ea verò sistente, recruduit, unà cum Vomitione, nunc Cholericæ, nunc Pituitosæ. Ut utrique mederetur æger, Clysteribus, Emetico, & Purgante usus est; ex eoque mala ad tempus allevata, brevi autem ex novo frigore recidiva.

Cum ad ægrum arcesserem, & præter jam dicta in Morbi res minutas inquirerem; (tales initio judicantur eæ, quæ facta indagine ad explicandam Morbi naturam interdum maximè conducunt:) præcipuè, quæ Arthritidos esset conditio; quæque ad præsentem Morbum ratio, quærenti patuit. Primum, Dolorem Colicum esse, τὰ ὦτα ἢ ὀμφαλὸν afficientem, iis cohærentem; Vento insuper Intestinorum Appetitu læso,

Oculorum languore, Facie pallida, Pulsu debili stipatum: Tum paulò ante *Podagram* fuille, Pedis primum unius, deinde alterius; nunc autem Talum, nunc Pollicis *Metacondylon*, eam invadere, sed edentulam, neque satis crudelem: Deinde, Ægrum tabescere; Vires ejus enervatas, & (quod præcipuè notandum erat.) Partes externas, non modo *διαπνοή*, sed & calore fere privatas, ac si vitæ *Lampas* extingueretur, multum frigescere.

Cùm ista, maximè quatenus *Arthritida* respicerent, animo perpenderam *Arthritidem* esse malum, ea, quæ intus sunt, ingressam, & *Intestina* cruciantem, existimavi. Hoc, in homine significavit *Arthritico Colica*, tam curatu difficilis. Hoc palam fecit ipsa tum temporis, etiamsi mitis, in Artibus *Arthritis*.

Quare id conatus sum, ut è *Visceribus* hostis in Artus excuteretur, & quidem iis, quæ sequuntur; Primò, *Catharsis* instituta est, per *Extr. Eucstach.* 3ß. *Scam. pul.* gr.v. *Bals. Per.* q.s. eaque nocte *Paregoricum* cum *Bolo Cardiacò* datum est. Quando *Nausea* Alvi ductionem maneret, Vomituque opus esse indicaret; *Emetico* levi, Posseto nempe amaris alterato, is peractus, ea sublata est.

Catharsi præmissa, *Arthritidi* protinus expellendæ memet accingo, compositionibus hisce usus.

℥. *Theriac.* *Androm.* *Diascor.* aã
 ℥j. *Spec. Diamb. Flor.* *Salis Armon.* aã
 ℥. *Chal. Nutriti* gr. v. *Ol. Cin. Ch.*
 gtt. j. *Syr. Garyoph.* q. s. f. *Bolus*, nona *vepertina*, tertiaque *matutina* demittendus, cum *Vini rubri*, *Lusitanici*, tepesacti, ℥iij.

℥. *ZZ. in Indiis Cond.* *Diascor.* aã

℥j. *Pul. Serp. Virg.* 3ß. *Chal. Nutrit.* gr. v. *Ol. e Sem. Anisi* *Ch. gtt.* j. *Pul. Macropip.* gr. iij. *Syr. ZZ.* q. s. f. *Bolus*, nona *matutina*, tertiaque *pomeridiana* cum eodem *vehiculo* sumendus: Porro, *Nycthemeri* spatio, epota alia *Vini prædicti* ℥j. *Emplastrum ex Diascord.* & *Empl. Stom. mag.* aã *paribus mensuris*, cum *Picis Burg.* q. s. *Ventri* impositum.

Horum usui, dies instar octo impenduntur: eoque factum est, ut Pulsus, antea debilis & parvus, jam augeatur; & carni, antea subfrigida, laudabilis & naturalis æstus concilietur.

Roborato itaque Cruore, ad mutandam humorum inclinationem, eamque τὰ Ἀέρθρα usque vertendam *Phænigminum* utrique *Pedi* calidissimum, eoque frige facto, ad quatuor vel quinque vices, novum imperavi applicandum: posteaque *Malleolis* ambobus *Vesicatorium*. Hinc acre Serum *Ulcusculis* elicatum; hinc *Podagra*: hinc *Gonagra*; & pro eorum ratione *Ἐντροδίω* indolentia. Qua utique animadversa re, medicamenta, sed paulatim, minuimus; nunc eorum Doses extenuando, nunc assumendi tempora extrahendo.

Interea verò, *Sorbitiones*, ex *Juscullo Pullino*, *Avenaceo*; ex *Chocolata*, & ejusmodi cum tenuibus, tum *Analeptics*, sæpius in die, sed modicè demittuntur. Carnes etiam *εὐχομοί* & *εὐπεπτα* quam primum per *Stomachum* liceat, apponuntur. *Pedis* sinistri *Calcem*, dextri *Astragalum*, utriusque *Hallum* occupavit *Podagra*; rediit verò cum ea *Fames*, & *Concoctio*; rediit *oculorum acies*, *animi alacritas*, *Spirituum robur*, & *ovatio*; aliaque *Vitæ & Salutis indicia*.

Cùm ita res salva esse videretur & omnium

omnium opinione in portu navigaremus; alter ecce Turbo exoritur, quo in procellosum Mare rursus abripimur.

Podagra, laudabilis & invidenda, (ad quam accessit *Chiragra*, ejusdem generis) æstu mordaci, cum stragulis æger coopertus incalesceret, eum noctu affecit: qui tamen per sudorem, brevi temporis spatio, magno cum ægri fructu, solitus est abire. Hujus æstus, rosionis hujus impatiens ille, ut eam vitaret, rarò se in lectum commisit; Cathedra totas fere noctes, hyeme frigidissima, consumpsit. Perspiratione multum hinc diminuta retunditur Appetitus, Brachia *ἄρδύοντα*, &, nisi opportunè miasma *Arthriticum* e Corpore fuisset emissum, de Ægro procul dubio actum esset. Lecto ei denique affixo, Diaphoreticis motum; Aqua *Bathoniensis* famen restitui. Post menses quinque tristes sanè & dubios, summo vitæ periculo liberatus, Æger, dicta methodo, (favente Vere, Deo Consilia nostra fortunante,) convaluit; excepto, quod Digiti vehementer resoluti, quamvis iis multum profuit Balneatio, ad consuetudinem suam autumno sequente, quo hæc scribo, minimè redierant. Scripsit enim, & quidem pristino Characterè, lectuque facili; sed literas vacillantes, neque semper ex æquò ductas: Cetera bellè se habuit, &, quam Morbo primùm incunte, longè melius.

C A P. IV.

De Diarrhœa Arthritica.

ART. I. **C**olicam prædictam sequitur ejusdem numeri *Diarrhœa*; naturam habens, & Cura-

tionem postulans quodammodo privatam. Diximus, *Arthriticum* in sanguine Miasma, *αἰὲς Φυόμενον*, fere perpetuo revocari, & certo quodam temporis spatio repullulare: Diximus, adauctum & vectum in *Intestina* sæpe mitti. Hisce positis, advertere licebit, non nunquam Pancreati, & Glandulis *Intestinorum fragiformibus* (à Clariss. * *Listero* primùm, uti verisimile, detectis; à Clariss. † *Peyero* plenissimè descriptis) illud infundi, atque hinc in cavum *Intestinorum* à Natura pelli; & demum, urgente ejus acrimonia, Spiritusque animales stipulante, crebris Dejectiunculis è Corpore exterminari.

II. Hanc autem *Diarrhœam* esse revera *Arthriticam* si Symptomata, tum ea, quæ intercidunt, tum quæ alia ex aliis, insigni profecto ordine, emergunt, accuratè, & suis ponderibus diligenter examinemus; per ea satis superque declaratum est. Quis enim, quotiescunque veteri *Arthritico*, mediis in Doloribus versato, ex causa aliqua evidenti, Materiam in *Intestina* derivante; accipit *Diarrhœa*; eamque statim excipit Doloris, & Tumoris externi diminutio; postea verò libertas ab *Arthritide* diutior: quis, inquam, inficiabitur, hanc *Arthritidem*, initio rectam, *Intestina* jam petere, perque Alvum effugere; id est, *Diarrhœam* illam esse *Arthriticam*.

Ita certè, *Arthritico* dolenti quæ hujusmodi obvenit, *Diarrhœa* est planè *Arthritica*: Quæ Dolore immuni contin-

* Vide *Acta Philosophica Londinensia* N.º 25.

† Vide Clariss. *Peyeri Parerga Anatomica*.

contingit, & Materiam, adhuc in Sanguine latentem, sed in Artus abituram, manifestè alio divertit, perque *Intestina* exprimit; quamvis argumento fortasse minori, certè tamen satis valido, & firmo, non alia, quàm *Arthritica* est habenda.

III. Hic Affectus, si consideremus ejus indolem, & Causam Continentem, est tantummodo unus quippe qui *Arthritidos*, per *Intestinorum* Externicula, perque Dejectiones, quam ex consuetudine, frequentiores, fugam comprehendat, oculisque semper obiciat: Si verò illius initia, sique exitus varios evolvamus, longè à se diversus est. Miasma in Sanguine *Arthriticum* nunc à Natura directè, & quidem eo nomine quod ingravescat, deorsum pellitur; atque istiusmodi fluor Paroxysmos interdum *Arthriticos* antevertens, salutaris esse reperitur. Expulso etenim inimico, clauduntur Januæ; pax, & quies restituitur; viget Oeconomia. Hoc autem in Corporibus *ισπλάγχθοις*, id est, Fibris robustioribus, firmis Spiritibus donatis. Sæpius autem multo, vel assumpto *Cathartico*, vel à Cruditatibus, *Intestina* irritantibus, *Ventrem* aperientibus, Miasma illud è Sanguine elicitur, &, una cum illuvie *Intestinorum*, Ano expellitur.

Hujusmodi *Diarrhœa* incerti admodum eventus est; si enim tempori cohibeatur, neque modum excedat, utilis sæpe invenitur; & quidem *Arthritidis* Materiam, etiamsi via non usitatissima, tamen tuta emittere: Cui isthuc consequens, quod Paroxysmus non nisi diu post recurrit *Arthriticus*. At in iis, quorum *Viscera* satietate crapulaque sunt debilitata; cum Natura *Ven-*

tris impetum comprimere, Crisique legem imponere nequit; *Diarrhœa* nimium pertinaci, minimeque tolerabili, illa identidem opprimitur. Non tantum Inimicus, verum etiam Amici, Spiritus scil. ipsi, Vigiles & Præsides salutis, in exilium mittuntur: Oeconomix subversio est, & planè *ωαιολεθρία*.

Hujus utriusque Casus Exempla mox in medium vocabo.

IV. Therapiam hisce Casibus ut accomodem, in *Diarrhœa* ista *Arthritica*, quæ in Sanguine initium habet, nihil inepta sedulitate stultius, dicam, an periculosius? quæ, Pharmacis perperam ingestis, Naturæ opus sæpè interturbet, interdum abrumpat. Suo potius arbitrio ea, patiaris, agat; quodque intus læsurum erat, suo utiliter ingenio effundat; Si verò *Diarrhœa* nimium excurrat, Viresque excedat, Astringentibus sistenda est; Cardiacis Æger roborandus. Sive per se desit *Diarrhœa*, sive per Medicinam, ejus reliquæ *Aquis Purgantibus*, *Tartaro laxante*, & *Manna* (si opus fuerit) adjectis, post tempus aliquod egerendæ sunt.

Sin à *Cathartico* accidat ista *Diarrhœa*; similiter, atque Casu præcedenti, parum utilis Medicina; de *καίριαθάρσι*, tantum Cautio sit.

In *Diarrhœa Arthritica* Cruditatibus exorta, quæ omnium mihi periculosissima videtur, alia res est: Hic, *Ventriculus* sæpissimè aggravatur; ideoque, si ita sit, *Decocto Teæ*, vel *Cardui*, movendus. Postea, (sive Vomitu neglecto,) Venter leni *Cathartico* subducendus: tunc ad *Adstringentia*, & *Fluorè cohibentia* festinandum. *Bolus ex Diascord. Spec. Conf. de Hyac. Croco Martis*

tis astr. Terra Japonica, Syr. de Ros. s. quarta, quinta, vel sexta quaque hora demittatur, cum Julapii Cretacei Haustu. In Alvum detur Enema, ex Vino Canarino, cum Gelatino Amyli, vel Discordio: Ventri admoveantur Lanaea, Decocto Rad. Bistort. Tormentill. Balauft. &c. Cerevisia generosiori facto, immerfa; & sæpius repetantur. Potioni sit Infusum Ros. rubr. vel Decoct. album: Et, ad vires instaurandas, Vinum rubrum ustulatum.

Si Pulsus finet, optime conducet Opiatum, Laudani puta guttas aliquot, vel potius Opii quasi granum, cum Theriac. Androm. ℥℔. ℥ij. dari.

Si periculum est, in Dysenteriam ne transeat Diarrhœa, fumatur Emulsum sequens.

℞. C.C.C. ℥℔. G. Arab. Tragac. aã ℥ij. coq. in Aq. Oryzatæ tertiæ Decoctionis ℥iiij. ad ℥ij. Colatura Amygd. d. cortice nudatis, & Sem. Pap. albi inter contundendum affundatur: iterum colata, Aqua Cin. fort. aromatizetur; Saccharo dulcetur.

Quæcunque vero Vomitus & Purgationem excitent, ea non, nisi caute, in usum trahenda; ne, quæ auxilio esse debuerant, Ægroto imbecilli graviterque laboranti obsint. Quod quidem in monitis ideo præcipue à nobis positum est, quoniam hujusmodi laborantes, Fluore multum enervati & depressi, Catharsi tolerandæ sæpe impares inveniuntur: quo quidem in Casu, Cardiacis & Astringentibus solis utendum est.

Cujuscunque demum Originis sit Diarrhœa prædicta, Prophylaxis optime per Aquas ferratas, & quidem jucundissime, parata est: quibus addi potest, ut in Artus Eructatio fiat Ma-

teriæ, è Ferro Præparatum aliquod; omnium autem optimum id, quod Alcohol Martis appellavi.

HIST. I.

Diarrhœa Arthritica crebra & salutaris.

MAtrona quædam, in Regione Civitatis septentrionali, multos annos Arthritide per vices ægotavit; initio Vaga, deinde fixa; nunc Recta, & idonea, nunc Anomala. Primum Guttore, tum Manu dolentem; Angina primum Arthritica, tum Chiragra laborantem, invasit aliquando Diarrhœa: de qua, ut illam supprimerem, cum arcesserem; ejus de vehementia frequentiaque percontanti, mihi narratum est, neque tam urgentem, ut quæ non possit tolerari; nec quidem aliam esse eam, quam quæ commode & utiliter possit; pariterque, Alvo soluta, Paroxysmumque finiente regularem, non sine ingenti fructu, Ægram iterum & sæpius fuisse.

Quæ cum ita esse acceperam; vitæ hinc, quæ Diarrhœam intenderent; illinc autem maxime, quæ contraherent, in operam navavi, ut Ægra mediocritatem, multo usu comprobata, probatione multa commendatam teneret; ipsamque Naturæ, Medicorum Principis, in sanando Methodum, omnino persequeretur. Nec quidem minus aliquid, imo majus eo factum esse arbitror; quàm si inutili, ne dicam ancipiti plane, πειρησι, corrasis usquequaque Medicamentis, multaque arte compositis, Ægra, tanquam Corbita, oneraretur.

Hoc autem, in tempeſtivæ illius Negligentiæ laudem, addi inſuper oportebit; quod, tametſi Ægra ſæpius ex eo tempore deſedit *Arthritide*, ea- que ſemper in *Diarrhœam* deſinente, perque Alvum exeunte; nihil illa damni propterea tulerit, lucri vero permultum. Cujus quidem rei cauſa neſcio an ulla probabilior excogitari poſſit, quam quod Ægra, Spiritibus firmis, conſtantibus, ad munera ſua obeunda paratiſſimis, (qui nempe tum malum Civem prompte expellant, tum eo expulſo foribus occludendis ſubito in- vigilent) donaretur. Rara autem hæc, *Arthritide* ἐν τοῖς Ἐντέροις ægrotantibus felicitas; quorum pars maxima, Alvo vel liquida nimis, vel nimis dura, eſſe obſervatur. Ægra, poſt ſex Hebdomadas ab *Arthritide* triſormi immunis, ſanior & vegetior evaſit.

Hiſtoræ tradit, ex una eademque Febre, ad amoliendum Mialma *Arthriticum* fulcitata, diverſis poſſe illud deponi locis, perque diverſa Excernicula proturbari; nempe per Glandulas Oris *Salivares*, per Artuum *Mucilaginosas*, perque *Inteſtinorum Fragifor- mes*; &, cum *Arthritide* regulari, *Diarrhœam* eſſe poſſe ſimul *Arthriti- cam*, eamque ſalutarem.

HIST. II.

Diarrhœa ex Cathartico, Arthritica opportunè ſuppreſſa.

Aliam novi Generoſam, lectiſſimam, cultu & honore proſecto digniſſimam; quæ, cum Marito juncta eſſet *Arthritico*, ipſa etiam citò laborare cœpit. Cubitos, Humeros, hos

illos in Manibus Articulos habuit afflic- tos. In Cubiti dextri extremitate Tofus erat, à durato Steatmate, Juglandi par: Digitus ejuſdem Manus longiſſimus, Tofis diſtensus, metu privatus. Articulamenta, præcipue medium ejuſdem Digiti inſarctum. Malleolus item, Pedis Planta, Calcis tendo, & Genua laborarunt. Paroxyſmi ſolebant eſſe graviſſimi, dolore multo comitati, menſem integrum, interdum etiam alterum, permanentes.

Nuper autem, quum per hoſce ſex menſes urgeret ægrotatio quædã; Torpor videlicet, Inertia, una cum Vertigine, Viſu Oculi dextri imminuto, Dolo- re ejus, ut & univerſi Corporis externi moleſtiſſimo, Appetitu depreſſo, (quæ quidem omnia, neque ſatis fixæ, neque ſatis rectæ *Arthritidos*, erant accidentia) ſumpto, neſcio cujus hortatu, Cathartico, ſed neque eo fortiori, aut Elaterio; Vomitu illa, & *Diarrhœa* Materiæ viridis præcipitante, corripiebatur; ſic, ut ſex dierum ſpatio ſexageſies minimum dejiceret. Sordium hæc *Arthriticarum* erat per Ventrem Evacuatio copioſa, neque ex omni parte inepta. Nam Symptomata hinc collapſa ſunt, & evanue- re omnia. Digitorum Tumores, ob *Arthritida παροξύνουσαν* eo tempore magni, ſubedere; quæque ab iſta *Diarrhœa* fluxerunt incommoda, lucro & compendio eam conſequenti, facile cedebant. Ab effuſis hæc Purgamentis, Corpus liberum, & ad tempus aliquod incolume.

Hoc pene totum Naturæ opus, unum Artis erat, *Diarrhœa* nimium ne excurret, curare, & Ægræ vires ſuſtentare. Hoc ego propoſitum, hanc metam ſpectans, nihil aliud, quam aſtringens & Cardiacum aliquid, præcepi; illud autem

autem opportune adhibitum, languenti, debilitatæ, pulsuum humilem & imbecillum habenti, Alvum comprefsit, Vires instaurovit.

Habes Exemplum *Arthritidos* (Cathartico viam monstrante) in fugam se per *Anum* conjicientis; *Diarrhææ* habes *Arthriticæ* Curationem.

H I S T. III.

Arthritis Vaga Intestina occupans, solo Externorum usu evocata est, & Artubus affixa.

DUodeviginti annorum Adolescens, Patre inde ab incunabulis *Arthritico* natus, Artuum habuit Dolores; à longo tempore vagos, & ut amicorum opinio tulit, *Rheumaticos*; cum Tumore albo, submolli, Articulorum intervalla sæpissime, ipsos etiam Articulos aliquando infestante. Sanguini, quidem identidem & copiose detraxi, Cutis usque crassa & densa, brevi semper innatavit. Et ejus *Dyscrasiam* auferat, ætate anni MDCCV. hortatu nostro, varia periclitatus est æger; *Succum* nempe *Taraxaci* & *Cochleariæ* depuratum, cum *Hordei*, *Rad. Gram. C. Fœnic. d. Asparagi* Decocto; *Crystallum* item *Minerale*; *Chalybeata*; suoque loco *Lactinia*, & *Aq. Bathonienses*. Ex quibus omnibus utilitates & fructus cepit aliquam multos, Observantiæ pares: Intermisit dictus ille *Rheumatismus*.

At post sesquiannum, cum Æger Sanguinem, uti par erat minime correxerat, *Intestinatorum* Tormina, cruciatus subsit immanes, *Diarrhæam* per-

tinacem, neque Medicinæ facile cessuram: Unde enervatus, multumque debilitatus Æger, neque morbum diutius, neque remedia ferre posse videbatur; sed in ipsa mortis propinquitate versari.

In hoc ancipiti & pene deplorato statu, morbi naturam plane *Arthriticam* animo advertens, Methodo, quam in *Arthritide Intestinatorum Anomala* interdum non infeliciter adhibueram, uti animus fuit. Neglectis scilicet Medicamentis, quibus ore sumendis impar erat Ægrotus, externis incumbere. Ideoque iis utriusque Brachii locis, quos excruciare solita est *Arthritis*, è *Fermento veteri*, &c. *Phænigmos* jussi calidissimos applicari, & cum refrixerint iterari; donec aborti fuerint Tumores, iis, qui à *Rheumatismo* credebantur esse, persimiles. Tumores his, ex voto factis, admovi *Epispastica*: unde Ichor, ad *Hebdomades* aliquot, jugiter effluxit.

Quantum hinc utilitatis, quæ comoda, quam subita Curatio, capi vix potest. Quo Tumor est evectus, pari certe cum eo passu sublata Tormina; suppressa *Diarrhæa*: quinimo novatur Appetitus, & restituntur Vires. Ægroti status, sive Viscera, sive Artus spectemus, omni dolore paulo post immunis, quam per annos aliquot antea etos sanior, & quidem multò jucundior evasit.

En *Arthritidem*, Artus pervagari solitam, *Intestinis* adhærescentem; cum Torminibus, *Diarrhæam* inducentem solo Externorum usu ad *Ἐξωδον* evocata.

HIST. IV.

Cruditatibus exorta Diarrhœa Arthritica, Medicinæ viribus inhibita.

Vir amplissimus, antiqua *Damnionii* Nobilitate natus, *Podagra* utroque stemmate derivata conflictatus, ejus impetum bis vel ter in annum constanter est perpessus. Ad Hospitem tam certam, tam fidelem, pro utriusque ingenio accipiendam, mundum ille *Arthriticum*, comptum adeo ac elegantem, in promptu, apparatus habuit; ut, ἐ-Ποδαγραϊάδων natione magna & lauta, raro ullus unquam magis.

Annos ille permultos hunc in modum (id est, duriter) exegit; cum ad tuendam Concoctionem opera, diligentiaque, quam omni Vere & Autumno, per Catharsin, &c. ponere solebat, penitus omissa, vitaque acta nimis sedentaria; primum, plane conticuit *Arthritis*; neque, more suo, in extremis Partibus eluxit: mox, in *Ventriculo*, & *Intestinis*, sordium Massa collecta, compressa est. Hinc *Avopeξία*, Ructus sæpe impuri, Sapor ingratus, à pastu Ventriculi gravitas, Præcordiorum distentio; hisce Oscitatio creberrima (Symptoma *Arthritidos*, in *Visceribus* latentis, huic *Ægroto* familiare;) Dolor à Flatu lateralis, pungens; illarum videlicet Impuritatum indicia. Hæc subsequitur *Diarrhœa*, qua tum illæ tum quæ *Visceribus* adhæserunt *Arthritica*, per anum exprimuntur.

Cum autem ista *Diarrhœa* neque Naturæ rebus, nec *Ægroti* votis responderet; per *Decoctum Teæ*, Ventri-

culum; per *Rhubarb. Infusum*, addito *Salutis Elixir*, *Interanea* purgavi; itaque facta, quanta opus erat, Evacuatione, per *Diascordium*, per *Crocum Martis*, & ejusmodi alia, *Ventrem* cohibui. Aqua, sed cocta, & Vino mista potui daretur; Cibi, sed solidi & intus mansuri, paululum caperetur, in præceptis posui. Ut autem appetitum languentem, & prostratum excitem; ut *Arthritica* Sanguinis recrementa ad τὰ ἐξοδα propellam; & in Artubus, uti moris erat, deponi faciam; *Aquas Bathonienses* omni mane hauriendas, *Bolum* è *Pul. Rad. Ari C. Cons. flor. Salviæ, Chal. Nutrito, Syrupoque Garyoph. cum Vini haustu demittendum, præcipio*: Itaque in viam *Arthritida* reduxi; *Ægrum* οὐδὲ θεῶν restitui.

Diarrhœam, Cruditatibus exortam, *Miasma Arthriticum* ad τὴν *Εντέραν* invitantem, perque Anum effluentem, arte curatam, exhibet *Historia*.

HIST. V.

Diarrhœa Arthritica lethalis.

Dominus C. tum *Cereris*, tum *Bacchi* cultor egregius, *Arthritidem*, non uno nomine hæreditariam, malis moribus, victu autem inordinato maxime, auxit & exasperavit. Ab ineunte Pueritia minime temperatus, Adolescentiam vix ingressus, *Cacochymia* factus est *Arthritica* Gurges, neque tam Affectu isto tentari, quam ab eo occupari diceretur; anni enim vix dimidium vacavit.

Cum ita materia gravaretur *Arthritica*, eaque de causa in statu esset dubio; casus intervenit, qui exitum *ægro-tanti*

tanti fecit non minus severum & tristem, quàm improvisum & inopinatum. Ea fuit tempestas, quæ Fructibus ἀγαθῶν cœpit abundare: Hos ita devotavit, præcipue (quod maxime appetiit) Fragum; ut diu nihil aliud esculenti capeffiverit. Vini autem loco, quod πῶν ἀπαίων frigidum mitigare debuerat, Lac, vel Aqua Fontana erat, Saccharo dulcata.

Gulæ tam insolitæ post impensam circiter Hebdomadam, *Diarrhœa* immani Æger est correptus; quæ non solum Massam *Ventriculo* & *Intestinis* inclusam, verum etiam *Arthriticam*, in Sanguine contentam, & exilio paratam, Ano ejicere jure merito censeatur. A Dejectionibus ita crebris & immodicis, vires adeo prostratæ sunt & pessum datæ, ut Ægri res (iis, quæ opportune data auxilio esse potuerant, neglectis, (statim in pejus ire cernerentur. Primum enim, Pulsu debili, deinde Sensu communi vacillante; tum Motibus Convulsivis, & Deliquiis atrocissimis, & brevi tempore revertentibus est oppressus.

Ita quidem Ægrotans, qui, dum *Arthritidis* impetus fecerat idoneos, etsi vitam non beatissimam, at non temnendam, imo tutam egit; *Diarrhœa* (quam quidem solitariam, & *Arthritidi* minime conjunctam, tutius & melius, si non ἐκφόρως subire valuerat) hac exortâ, illico una cum Morbo, vitam effudit.

HIST. VI.

Aliud Exemplum Ægroti Diarrhœa Arthritica occidentis.

HUic consimilis est Historia Viri, apud *Damnonios* olim notissimi;

quæ, quantis in angustiis, qualique discrimine versentur ii, qui Fluore alvi laborant *Arthritici*, luculenter explicat. Fuit ille ætate integra, laxo & obeso Corpore, alvo (quod habitioribus solenne) plerunque liquida. Inordinata Victus ratione, quicquid occurrit avidè ingerendo, Vomitus assiduos, & *Diarrhœam* arcessivit; quodque temere dimisit, statim Ore, vel brevi temporis spatio Ventre reddidit. Hoc etiam modo *Arthritidis* Paroxysmos, quibus in singulos annos affici solebat, regularibus & idoneis, (ejus scilicet materiam ad *Intestina* sollicitando, *Diarrhœa* fere perpetua per Anum expellendo) ingruentes abscidit; plus biennium aspulerat; neque ad fastigium aliquod notabile, & observatum dignum, unquam, eo tempore toto eveni permiserat. Prostratus Appetitus, Ciborum omne genus fastidium erat; Caro absumpta, Cutis flaccescens, languentes Oculi, Faciei macror, quasi ab Aurugine, flavescens; Urina exigua, & colore rubro; Suspiria crebra, Animi dejectio miserabilis; Pulsus debilis & celer, Sitis importuna. Quibus animadversis, non hæc ab una *Intestinarum* imbecillitate (tametsi illam esse non negaverim,) aut Natura quasi confecta; sed ab aggravata potius, & *Arthritide* ἀνωμάλως agente oppressa, oriri contendebam; ideoque *Arthritidem*, deviam & palantem, ad externas Partes, ad Artus expellendam. Cui quidem Opinioni cum Medicus Ægri Ordinarius, & Σωεργάτης meus est astipulatus, primum, ut sordium Massa, quæ *Ventriculo* onerosa, *Arthritidem* eo loci detinere visa est, dimoveretur, Emeticum dedi: *Decoctum* nempe *Cardui*, cum *Vino Lusitanico*, propter Ægroti

imbecillitatem, admisto. Phlegma dejectum est, cum *εὐφορία* copiosum. Nullum eo vespere Paregoricum. Postero mane, Respiratio liberior, Vigor Oculorum vegetior, major animi alacritas. Et, quod desideratissimum, etiam Manus & Pedis Dolor, Tumor, Rubor *Arthriticus*: Qui, in statu tam lubrico, ut augeatur, *Bolus ex Ther. Androm. Croco M. astring. Pul. à Chel. C.C. Syr. de Ros. s. quarta quaque hora sumitur, simul cum Vini rubri prædicti haustu; cui Tinct. Martis nutriti gutt. xx. sunt adjectæ. Sp. C. C. Succinatus subinde datur, & Potui Vinum, Aqua Fontana cocta dilutum.* Quinimo, ut quem auspiciato nacti sumus, eundem cautè & diligenter locum tueamur; *Phœnigmos* (è *Seminibus Sinapios, Raf. Raph. Sylv. añ p. j. Fermenti vet. p. iij. Aceti Vini albi q. s.*) Tumoribus *Arthriticis* calidos admoveri, &, quam primum refrixerint, iterari præcipimus; donec in molem illi majorem elevarentur. Auçta hoc modo utraque Inflammatione, ad evocandum illius Serum, & materiam simul *Arthriticam Epispastica* super eam imposuimus, quibus Ichoris falsi virosique libræ minimum duæ, spatio quatruidui, sunt elicite. Pallidior hinc paulatim Urina, & ab *Arthritide* Quies.

Finito Paroxyfimo, ad instaurandam Coctionem, & robur *Interaneorum* confirmandum, socia opera, primo *Lene Catharticum*, deinde *Chal. Nutritum* adhibuimus. Diætam omnem quantitate & qualitate aptis, accommodavimus.

Quamdiu *κτ' μέτρον* egit, monitis & præceptis his obtemperatus *Æger*, tulit Observantiæ fructum. Cibum avidè satis appetiit, tenuit, di-

gessit; raro, neque nisi laudabiliter dejecit: integra & tuta videbantur omnia. Ante vero, quam vires, nuptera tempestate labefactatas, resarcire valuerat, suo se iterum more genus, & Genio indulgens, *Diarrhœa* subito recidiva, Motibus Convulsivis, &c. stipata, paucarum horarum spatio est surreptus.

C A P. V.

De Dysenteria Arthritica.

ARTIC. I. **Q**Uæ tormina, qui *Intestinorum* cruciatus, graves utique & terribiles, ex *Arthritica* Materia illorum Tunicis impacta orientur, in superioribus tractatum est. Tentemus ultra, &, utrum hæc tantummodo, an etiam alia; an his majora miseros mortales interdum non excrucient, & demum Morti objiciant, serio expendamus. Quocirca, hoc Capite de *Dysenteria Arthritica*, & in sequenti de *Abscessu Intestinorum Arthritico* sermonem inferemus.

II. Et quidem hæc res inspicienti palam erit, acrem illam & virosam *Arthritidos* Materiam, & Causam Continentem; qua Dolores passim in Corpore crudelissimi concitantur; qua Membranæ vellicantur, & exulcerantur, qua ipsa interdum Ossa corrumpuntur, & Carie conficiuntur: *intestina* etiam aliquando mordere: illius rosione perfodi, & exedi Vasa eorum exilia: sicque fieri posse *Dysenteriam* quam tradimus, *Arthriticam*. Verum, ut ab hujus Morbi probabilitate, ad ejus *επαρξιν* & experimenta medica trans-eam, revera dari hunc Affectum explorato

plorato constat. Ejus autem ἰσθμὸς καὶ ἄσθμα, quantum expiscando consequi valeo, tale est.

III. Gracili & tenero Corpore *Podagrosos*, *Intestinis* præcipue teneris donatos, & δυσπλάγχνος aggreditur. Præire solet Dolor Colicus, pariter *Arthriticus*: & cum crebris ejus accessibus læsæ & corruptæ sunt *Intestinatorum* Tunicæ, debilitatæque flaccent eorum fibræ; Miasma *Arthriticum*, Causa aliqua externa illud intro pelente, vel intus posita eo alliciente, in Arterias, (*Cæliacæ* nempe *Intestinalis* ramum, & utramque *Mesentericam*) *Intestina* irrigantes, ἀθρόως infunditur. Hinc Dolor *Intestinatorum* mordax, erodens; cum Pulsu celeri, & Febricula quadam. Si eodem tempore externis partibus *Arthritis* insit, celerrime omnis evanescit, ad τὰ ἔντερα festinat. Vasis Sanguine distentis, erosio, ruptis, in Fistulam demum alimentarem is exstillat; qui, in ejus cavo collectus, alvo, & interdum ore ejicitur. Emissi quantitas sæpe unius libræ, aliquando binarum pondo. Qui tantum, & humoris tam commodi dispendium excipiunt languores, ab eo cavernæ *Interraneorum* commisso magni sunt; ab expresso, & è Corpore expulso, majores. Collabuntur Vires, Artus frigescent, frequens est Deliquium, planè in dubio Vita. Levantur ex hac evacuatione Tormenta, & si Æger insultus vim & ferociam tolerare valeat, † quies se-

† *Dysenteria* solvi posse *Arthritidem* notavit olim *Hippocrates*, hisce verbis. ἰόντας τέττις [Ποδαγριώντας] δεισα μὲν Δυσεντερίαι ἢ ἐπιγινώσκται, Σαναντ hos (*Podagrosos*) optime *Dysenterix*, si successerint. Prædictorum Lib. 2. Sect. xv.

quitur, & à Paroxyfmi impetu *Arthritici* ad tempus aliquod induciæ. Materia modo jam dicto per *Intestina* exulante aliena, non iterabitur Insultus, donec in Sanguine nova condatur, & coacervetur; quam autem primum illud fiet, tam in Artubus citissime, vel *Interraneis*, iterum expectandus erit.

IV. Observatu facile est, ingenio & natura quam singulari sit hic Affectus, & à *Dysenteriis*, quotquot uspiam inveniantur, aliis, quam diversus: Quod ut pro certo habeatur, animadvertendum (præter istam τῶν ἔντερων imbecillitatem, qua dirigitur Sanguis, & in ea derivatur) ab una *Arthritidos* Materia in Sanguine contenta, Affectum hunc, constanti norma & ratione manifesta, dependere: ab ea ebulliente, fieri, ab ea minuta, minui; neque nisi ab ea renovata, & in novum Orgasimum excitante Sanguinem, renovari: Quo quidem argumento, ad confirmandam morbi hujus Αἰτιολογίαν, nihil gravius, nihil, ut opinor, validius afferri potest.

V. Ad hujus morbi exitum, sive Prognosin, ut descendam, non semper ille missione Sanguinis contentus unica; verum, è contrario, Insultus sæpe repetens, *Arthriticis* illos facit Paroxyfimis, si Typos & utriusque frequentiam spectemus, respondentes & analogos. Adhæc, vel prima vice, vel postea (secundum Miasmatis *Arthritici* in Sanguine incrementum) recurrens, quando videlicet Miasma in Tunicis *Intestinatorum* adhærescit, aut affigitur & eas suo more mordet inficitque, nunc in Ulcus *Intestinatorum*, nunc in abscessum degenerat, itaque notas illis inurit tristissimas, morbos inquit ærunnosissimos.

VI. Profluente Sanguine, commo-
dissimum erit, ut Æger conquiescat: ne,
Corpus nimium agitando; ne proflu-
vium, supra quam ferri potest, inten-
dendo, gravius ille luat: quare Lecto,
vel Cathedræ se det, quam primum
Morbus ingruerit. Nefas autem ha-
beatur, ea quæ, Cardiacorum titulo,
ubique ad manus sunt Matronis, (quæ-
que sua, modo opportune propinentur,
non carent utilitate) sic ingerere; ut
Sanguinem accendendo, noxam magis
augeant, quàm Ægrum levent. Cautè
ista, neque largius adhibenda, quàm
ad Spiritus reficiendos, & à Deliquio
sustinendos, opus esse invenietur. Con-
tra, si Profluvium *εὐποστὰν* excedat,
Laudano illud comprimendum; ideo-
que Linguæ super illinantur, Ore tene-
antur illius Guttæ aliquot, (quoniam
demissæ vomitione reddi possint,) do-
nec cohibeatur. *Romanis* in curanda,
quoties importuna fuit, *Dysenteria*,
Aquæ bene frigidæ, Potio in * usu erat;
quippe quæ astringat, Vulnusque sanet:
& à † recentioribus, unde confirman-
tur illius in sanando Vires, præclara
multa referuntur: quorum autoritati in-
nixus, *Decoctum album*, *Dysenteria* hac
afflictis, non sine fructu & emolumen-
to, sæpius præcepi. Oportet autem mo-
dice, sed crebro, Laborantem forbere,
& quidem eo, ad tempus aliquod, lo-
co cibi potionisque omnis, solo uti.

Quibus curæ fuerit, ne *Intestina* ni-
mium aperiantur; iis etiam, ut ne
astringantur nimium, aut præpropere
claudantur, vitium nempe contrarium,

* Vide *Synopsin Discursuum Magistri*
Vander Heyden: Impressum Londini:
Anno 1653. pag. 53. & quæ sequuntur.

† Vide *Celsum, Lib. 3. Cap. xviii.*

est caveodum; &, si Corpus astrictum,
leniter est solvendum. Est enim illa
Dysenteria omnino Critica, ex alteru-
tra parte, sive major, sive minor æquo,
vitiosa; cum mediocris, optima. Et
Virium contemplatione debita, Me-
diocritas illa tum intelligenda, tum
item obtinenda.

Post breve temporis spatium expel-
li solet inimicus, & jam tum pacari &
deliniri Sanguis: quod si aliter eveniat,
& Sanguis pertinacius descendat; quæ
eum sistant, & Vulnus contrahant, ex-
pediet dari: *Tinct.* puta *Japonicam*, *De-*
coct. albo, vel *Traumatico instillatam*;
vel *Balsamum Lucatelli*, cum *Olibano*,
Mastiche, *Sanguine Draconis*, & *Croco*
Martio astringentis, vel *Bolo vera*, for-
ma Pilulari; vel cum *Cons. Fr. Cynos-*
bat. Rosar. rubr. per setaceum traject.
Spect. Conf. de Hyacintho cum Syr. de
Rosis siccis, forma Boli, ex eodem ve-
hiculo. *Tinctura Japonica*, solvendo
Terram ejusdem nominis, sive *Gummi*
Catechu, in Spiritu Vini rectificato, vi-
tro probe clauso, igne arenæ confici-
tur. *Lanea*, *Decocto* astringenti, cui
adjectum est Vinum rubrum, immer-
sa, super ventrem imponantur.

Si prope Anum Vena dehiscat, ex
Gelatina Amyli, vel ejusmodi *κολλητι-*
κοῖς, *Hæmorrhagia* persistente, immitta-
tur Enema, & diutius retineatur. In-
terea vitentur, etsi astringant, Acida;
ne (propter eorum stimulum) major ex
eorum usu damni metus sit, quàm emo-
lumentum spes. Cibus ex *Gelatina C.C.*
Eb. aut Pedum Vitulinorum: ex Ovo tre-
mulo & sorbili; ex *Lacte*, cum *Oryza* ei
incocta; vel ex *Oryzæ Cremore*, & ejus-
modi aliis, quæ simul nutriant, & increas-
cent, quæque Vulnura conglutinent.

A Therapeia *Dysenteriae*, proprie sic dictæ, hanc *Arthriticæ Dysenteriae* Therapeiam multum abludere, quilibet harum rerum vel imperitissimus videbit: quando ista Purgationem, eamque interdum repetendam, enixe postulat, & nisi illa esset, raro unquam perficeretur; hæc ut nunquam, aut certe perraro Ventrem medicamentis solvi patietur.

Cum ad *Prophylaxin* accedas, nihil valentius, nihil ex omni parte fructuosius, quam *Aquæ Tunbrigenses*, sive *Bamptonenses*, vel istiusmodi Ferratæ; quæ, satis diu recteque potæ, *Intestinorum* adyta ingrediantur, Vulnere persanent, Ulceribus medeantur, Fibras constringant, Tunicas corroborent: Hæc porro Humorem vitiosum per Renes efficacissime avertunt, itaque *Intestina* maximopere defendunt. Hisce vero, ad mutandam Humorum inclinationem, & deducendam in Artus *Arthritidem*, non incommode adjiciantur, cum astringentibus, è *Ferro* præparato.

H I S T. I.

Tenesmum & Dysenteriam inferens
Arthritis, omisso Externorum
usu, lethalis.

Quum rure, Anno MDCC. mense Maio, fortè agerem ad *Ischanum* ostium; me consuluit Septuagenarius *Arthriticus*; qui ita sæpe doluit Articulis, & quidem Vere tum nuper elapso, ut in rem esse arbitremur. Sub initium Aprilis, nescio qua de causa evidenti, (nisi hoc in numero ponenda, propter res domesticas, quæ illum mire exercere, Animi perturbatio) derelictis

Artubus, ea, quæ intus sunt, invasit *Arthritis*. Fames, antea naturalis, ab eo tempore multum imminuta, fere nulla: animales Spiritus, humiles & depressi. Vidimus, at non sine commiseratione vidimus ægrum, in lecto jacentem, Oculis concavis, & retractis, Respiratione difficili, cibi omnis fastidio, Nausea, Ventriculi gravitate pene perpetua, *Αγρονία* etiam afflictum.

Malis hisce, circa eorum initia, vires & incrementum dedit *Lac Amygdalinum*, pessimum omnium eduliorum, & alia istiusmodi frigida. Hæc ille interdum, noctu, demisit affatim; Calida & Cardiaca (ne videlicet Dolorem moverent in Articulis) Cane pejus & angue, fugiens. Ab ipso victu confirmatum est cibi fastidium, ceterorumque malorum agmen.

Puduit sane misertumque fuit ægroti, (hominis aliàs sapientis, & civili prudentia præclari) in tanti re momenti, in ipsius Vitæ re, tam egregie hallucinati. Calidorum enim egentissimus, frigida calidis præposuit.

Malum indies aggravescens adduxit *Tenesmum*, & dein *Dysenteriam*: unde pejus omnia. Ut his occurrerem, primo *Theriacæ Androm.* & *Diascord.* añ. ʒʒ. cum *Julapii Cretacei* *Haustu* dedi; ex intervallis sæpius repetii. Potui datur ordinario *Decoctum album*. Hinc alvus suppressa, *Dejectiones* solidæ, & bene coloratæ.

Hasce vero inducias, quando parum fidas esse suspicarer; nisi etiam *Arthritis*, quæ τὰ Ἐντρεπὰ jam ipsis nutriculis aggravare visa est, πρὸς τὰ Ἀρθρα extruderetur; eum in finē *Podagragoga* interna (nempe ex *Rad. Serp. Virg. Pul. Cantiano*, *Lapide Contrayerva*, *Conf. Alk. Bolum*) præcepi, cum istiusmodi aliis:

h Quorum

Quorum beneficio malleoli, & ad genu usque; Carpi, & ad cubitum usque dolor: quaque ratione proportioneque doluerunt Artus, liberata sunt *Intestina*. Erat autem adhuc pectus aggravatum; erat, tanquam à cingulo, strictum abdomen.

Ne vero hisce remediis, Sanguinem exagitantibus, in ægroto *Dysenterico*, nimium insisterem; in *Arthritide* removenda, quantum operis maximum potueram, Externis, *Arthritidem* educantibus, agere institui. Quocirca, Pellem vervecinam, jam tum extractam, Artibus applicari, in præceptis dedi.

Ille his gravatus: omnium, quæ Dolorem excitarent, os acerbissimus, eorum usum non admisit; non sine indignatione respuit; ut vel perire mallet, quam dolere. Neque salutis, neque ipsius vitæ consideratio, etiamsi ab amicis amantissime proposita, studiose commendata, ut animum mutaret, vel hilum fecit. Retrocessit denuo *Arthritis*; & Æger, viribus infractis, Morbo dicam, an Pertinacia? periit.

HISTORIA II.

Dysenteria Arthritica in Abscessum migrans.

Doctrinæ, hujus *Δυσεντηρίας* in superioribus traditæ, fidem conciliat Agricola *Devoniensis*, antiquis moribus, & malo tantum habitu infelix. Fuit ille tener, gracilis, Visceribus imbecillis, *Arthritide* primo permultos annos idonea, tum *ἀνωμάλως* *Intestina* simili frequentia impetente, aggravatus. Post *ἀνωμαλίας* hujusmodi com-

plures, (quibus sublevandis non incassum ei Medicinam factitavi) per quas effectum est, ut ad *Intestina* citius & facilius diverteret *Arthritis*; tandem, Anno seculi novissimi postremo, exeunte Vere, *Arthritide* omni jam diu vacans, novum in morem ægrotavit. Prægressa enim Corporis Plethora, Vomitu Sanguinis & *Dysenteria* corripiebatur, adeo vehementi, ut brevi spatio libræ aliquot Sanguinis ore & alvo redderentur, & Æger animam agere videretur.

His angustiis versato, *Bolum astringentem* (ex *Cons. Ros. r. Dj. Pul. G. Arab. ὄβ. Sang. Drac. Boli veræ, añ gr. v. Syr. de Symphyt. q. s.*) bis in die, cum *Julapii Cretacei* *Haustu* sumendum, præcepi. Potui datum est *Decoctum Album*, & in cibum *Pedes Vitulini*. Ad Sanguinem vero quam citissime reprimendum, & intra cancellos suos retinendum, *Laudani* aliquot *liquidi* *Guttæ*, bis ter quaterve in die (modo postularet *Hæmorrhagia*, & vires ægripaterentur) repetendæ. Id enim agendum arbitrabar, ut *Hæmorrhagiæ*, quædam ex parte forsan necessariæ, & huic Ægroto salutari, modum ponerem, naturæ rebus convenientem: nec quidem alienum egi; quandoquidem hac mendendi via, ne lethalis ista, ne injuria esset, provisum est. Hisce difficultatibus liberato (qua *Vulnus* sanaretur) *Tereb.* dedi *Vinetam*; forma pilulari, cum *Pul. Dialthææ*, bis in die sumendam, & quod superbiberet, *Julapium*.

Quando vero posthæc, propter restitutas Ægri vires, Sanguinem instauratum, & *Arthritidem* interruptam; Pulsu ille magno, Cibi fastidio, *Intestinorum* æstu immodico, Doloreque pun-

genti, cum aliis mali hujus reversuri notis, urgeretur; Brachio Sanguinem detraxi; Orgasimum ejus mitigavi; *Interaneis* prospexi: utque pacem, quam eo nactus sum modo, confirmarem, *Aquas Bamtonenses*, vivas & de fonte, per mensem biberet, imperavi. Paruit *Æger*, adjecitque cuilibet Aquarum febræ, *Syr. Balsamici* ℥℞. & hora somni, *Balsami Gilead* ℞. ex ejusdem *Syrupi* cochl. deglutiit. Recte bibendo, Medicamenta recte sumendo, recteque vitam instituendo, quantos ille progressus fecit, vel hinc conjicere liceret, quod Fame & Concoctione domum rediit laudabili, Vultuque bene colorato. Vitæ res & salutis cetera, qualis sano, & incolumni solebat esse; &, quam dudum, multo integrior.

Nondum annus effluxit, cum *Arthritide* pertinacius silente, nec in Artubus unquam quicquam moliente, Materia vero ejus (uti licet opinari) in Sanguine congesta, eadem fere, atque nuper, *Intestinorum* Accidentia, Materiam eo loci denuo coire, manifeste ostenderunt: Quæ quidem Mala, methodo pene eadem, qua prius, erant sublata. Verum, ut tutelam *Ægro* certam & diutinam præstarem, eum hoc admonui; ut de Plenitudine sollicitum se haberet tanquam Morbi hujus Genitrice certissima, Altrice paratissima.

Quæ cum ita præciperentur, vel *Ægri* incuria, vel Morbi magnitudine, & ad renascendum propensione factum est; ut aliquoties, nec opinato, recurreret *Dysenteria*: Cujus accessiones cum jam quatuor aut quinque essent; cæque omnes, ex intervallo anni quasi dimidii; (quo temporis spatium novam *Arthritidis* materiam pullulare credibile est,) *Dysenteria* tandem in *Absces-*

sum migravit, suo loco tractandum.

Observatu facile est, Primum, ab hoc Affectu, pristinis in Ventriculo & Intestinis *Arthritidos Anomaliis* succedenti, licere nobis opinari, earum locum illum tenere, & quasi numerum explere: Deinde quod, cum omnes illæ *Anomaliæ* (qua in hac regione pristina, qua novæ & *Dysentericæ*) rectos & idoneos *Arthritidos* Paroxyfimos subsequantur; horum Paroxyfimos illæ vicem gerant; nihilque aliud sint, quam *Arthritis* commissa *Intestinis*, & illac exulans: Cujus quidem rei argumentum, idque nostra sententia firmum est; quod deseruerit *Ægrum Arthritis* recta, quo tempore, & qua proportione occupavit eum *inversa*, sive *Anomala*; & quod, *Arthritidi* rectæ, & *Anomalæ*, Accessionum essent intervalla plane eadem; distantia par: quo nihil magis probare potest, Affectus hosce, (si tantummodo vultus eorum intueamur) varios & diversos inter se; ab una eademque propagine derivari; eademque fieri Materia; pari semper ratione nata, &, quantum in se est, pari modo semper operante; sed, propter aliquod sibi externum, & locos novos ingrediente, & diverso in iis modo agente.

Huc quodammodo referri potest *Dysenteria*, quæ ad *Arthritidem ex Lue Venerea* generatam pertinet; cujus olim protulimus * Exemplum, si placet, adeundum.

h 2 CAP.

* Vide *Dissertationem De Arthritide Symptomata*; Cap. vii. *Hist.* iv.

C A P. V I.

De Abscessu *Intestinorum* Arthritico.

ART. I. **A**bscessus sequitur *Intestinorum Arthriticus* : hic enim est Naturæ ordo, quæ à *Dysenteria* ad *Abscessum* migrare, ut ab *Hæmoptoe* ad *Phthisin*, observatur. Alienum & virosum, e Sanguinis sinu expelli, Partibus à corde remotis & debilibus immitti, Tumoremque iis usitato inferre, passim experientia confirmatum est : Ad *Abscessum* vero conficiendum proclive, & suapte sponte pronum esse Virus *Arthriticum*, vel eo constat, quod in Artubus is identidem cernatur; eorum Articulos, post duras & iteratas accessiones, quibus Materiæ multum illis illiditur, aggravans & extendens; sic, ut veteres *Arthriticos*, (quos omnium frequentissime Morbus hic affligit) hac de causa claudos, eorumque Pedes Manus laqueis obvolutos, sæpe tueamur.

II. Virus illud, *Intestinis* à Sanguine commissum, in eorum Tunicis nidulatur : Fibras earum corrodit, excedit; Spiritus iis inclusos extimulat, in Spasmos adigit. Hinc Calor interdum acris, pungens, lancinans; quem ut deliniant, & Humoris acrimoniam diluat Natura, (non alio modo, quam in Apoftemate Gingivarum ex Dolore Dentium; vel alio quovis Apoftemate, ex aliena & virulenta materia) Sericopiam suffundit. Ex his Humoribus hoc in loco depositis, conflatur & efficitur *Abscessus*; qui, serius citiusve, (pro ejus Compositione, & Calore innato, vel adventitio) maturatus, exten-

sa primum, mox rupta, vel aperta, qua includitur pellicula, Pus evomit. Quod utique, si Natura copiose ejicitur, vel Arte eximitur, ceteraque Curatio recte procedit, Ægroto commodum; proscripto malo Cive, conciliatur incolunitas: purgato Sanguine, salubritas: si vero latice nimis exiguo Pus exprimitur, Ægroto, propter retentum malum Civem, difficultas; propter reliquias intus servatas, affectarum partium Durities, & nonnunquam in Gangrænam degeneratio.

III. Causæ hujus Tumoris manifesto binæ sunt; quarum altera *Intestinorum Imbecillitas*, sive *Ατομία*; quæ, ad *Intestina* Sanguinem invitat, eumque (prout Leges volunt *Hydraulicæ*) facit inclinare. Hanc autem esse, ipsa Morbi natura arguit; evincit id, quod hominibus vel ab incunabulis, vel malis moribus *Δυσπλάγιγγοις*, hic Affectus sæpissime contingat. Altera, *Sanguinis Depuratio*, sive Miasmatis *Arthritici* (secundum normam, à Natura in alienis rebus exturbandis, observari solitam) expulsio: Utque binæ istæ causæ se habent, & majores aut minores sunt; *Abscessus* inde orti accidentia, mores, conditiones sint, necesse est.

IV. Magnus hic *Intestinorum Abscessus* esse solet, duarum trium aliquando librarum Materiæ capax; contra, quam qui vulgo sunt Extremitatum: hi etenim fere parvi. Notandum etiam, nullam totius Trunci partem magis, quam alimentariam Fistulam, infestare: ut hæc illi Regio gratissima; hæc sedes † Principalis esse censeatur. Tertium, addi potest, (quod huic nos-

† Vide *Celsi*, Lib. v. Cap. 28. §. II.

tro *Abscessui*, præ ceteris sive Artuum *Arthriticis*, sive totius Corporis *Abscessibus primigeniis*, privum & peculiare) esse eum creberrime, paucis post mensibus, recidivum. Hæc autem omnia Causis modo dictis, alteri nempe vel utrique potentiori, sunt attribuenda.

Quo enim celerius *Arthriticum* Miasma in Sanguine denuo condatur; quo frequentius Natura conditum expellere, & e Sanguine conetur in exilium ejicere; quo exulanti, & expulso ei recipiendo, propter imbecillitatem, proniora sint *Intestina*; eo hi illorum *Abscessus* majores; eo frequentiores, &, qui repleantur, aptiores sint, necesse est.

V. Si in *Ano* fuerit *Abscessus*, eadem prope *Curatio*, ac in *Abscessu Ani* primigenio. Si in *Oesophago*, *Ventriculo*, vel *Intestinorum* aliquo; (quæ, extra Sensum posita, ortum, & incrementum, vix unquam manifestum esse sinunt;) ante ruptam *Vomicam*, & Pus evacuatum, ejus sæpe nulla, sive *Ægroto*, sive *Medico*, vel minima incidit suspicio. *Abscessum* hisce locis oriturum una, quantum video, prædicat *Vomitio Sanguinis*, sive *Dysenteria* quæ appellatur *Arthritica*: qua prægressa, ejus *Prophylaxi* magnopere studendum: hæc enim adversus *Vomitionem*, adversus *Dysenteriam*, adversus *Abscessum* erit utilissima.

Rupta autem *Vomica*, in *Lectum* se det *Ægrotans*, vel minimum *Quietis*, quoad poterit, indulgeat. Si copiose nimis, supra vel infra, Pus emissum fuerit, *Hipnotico* moderanda evacuatio, minime sistenda. *Laudano* madescant tempora, *Nares*, *Lingua*, donec cohibeatur, & ad *εὐφροειαν*, ut ne vi-

delicet eam excedat, redigatur. Puris autem diluendi, gradatim & partitis vicibus educendi, ulcerisque detergendi gratia, hujusmodi *Apozematis*, quarta, quinta vel sexta quaque hora *Cyathus* assumatur.

℞. *Hordei mundati* ℥β. *Rad. Symphyt. maj.* ℥j. *Cacum. Betonicæ, Santiculæ aã* ℥ij. *Coq. in Aq. font.* ℞ij. ad iij. *Colaturæ adde Mellis Rosarum* ℥ij. vel iij. f. *Apozema*.

Julapium præsto sit *Cardiacum*, aut *Vinum* aliquod generosum; cujus, in *Languoribus* summis, *Cochlearia* aliquot hauriantur. Interea temporis (ut *Celsi* verbis utar) *Nihil facere oportet, quominus, quicquid est Puris, exeat*.

Cum *Vomitus*, & *Diarrhoea*, & *Puris* evacuatio desierint, ex usu erit *Tereb.* à ℥β. ad ℥j. cum *Ovi Vitelli* pondere æquali temperatum; vel *Bals. Lucat.* ℥β. cum *Myrrhæ pulv. q. s. in Pil. redact. bis in die, ex Apozematis haustu demitti*. Vitentur *Acida*, vitentur *acria*, &, quibus læsa pars exasperetur, quibus noxa augeatur, omnia. *Ipforum Cardiacorum* vitetur ea *Vis*, quæ *Sanguinem* nimis exagitet, & e foribus jam apertis eum eliminet. *Eboris, C.C. Pedum Vitulinorum Gelatinis; Hordeaceis, Avenaceis, Pullinis, Ovinis, Vitulinis*, & ejusmodi sorbitionibus, vescatur *Æger*. Si *alvus soluta* nimis fuerit, potioni sit *Decoctum album*; si dura nimis *Hydromel*.

Prophylaxis, sive in *Ano*, sive intus sit *Abscessus*, *Aquis Diureticis* optime perficitur; quibus adjici potest *Sal* & *Crocus Martis, Myrrha, Terra Japonica, cum Syr. Cydon. forma Pilulari*. His enim partes vulneratæ debilitatæ quæ contrahuntur, & defenduntur; quodque maximi est momenti, Ma-

teria vitiosa per Renes emittitur; unde Visceribus major, etsi non ubique certa, erit Tutela. Conducet item *Vena sectio*, præsertim in Corporibus Plethoricis, sique nihil repugnauerit. Conducet *Ambulatio*, *Pedum Frictio*, & in Aquam calidam immersio. Purgatio fugienda.

VI. Unum huic Capiti, veluti Coronida, subnectam: Veteres *Arthriticos* non tantummodo Colica, aliisque *Interaneorum* morbis, (ut ante dictum,) verum etiam morbis *Ani Arthriticis* identidem affligi, nonnunquam misere cruciari: maxime cum ætas exacta est, & Vires jam imminutæ, ad Miasma in Artus expellendum minime satisfaciant. Ea morbi mutatione, in *Ano Materia* deponi *Arthritica*, in eam infundi videtur: Cujus utique rei Argumentum hoc est, quod quamdiu *Ani Abscessu, Fistula, vel ejusmodi Morbo* aliquo gravi afficiantur homines hi *Arthritici*, tam illi diu raro Articulis ægrotent, ubi vero ea tollantur *Ani vitia*, recurrat *Arthritis*, (quod iterum & sæpius observavi) in extremis partibus *regularibus*.

VII. Hæc, & hujusmodi alia, quum ab *Arthritide* fiant in Visceribus, sexcenta mala; videre licet, quam apposite, quam belle sit à * Luciano, ex Erasmi Schmidii versione, de ea dictum.

* Σπλάγχμων δ' ἐπ' αὐτῶν διάστρον ἀρέχθ
κακόν,
Δίνασι φλομῶν σάρκα πυρπολέμενον,
Ὅσοια κρητήρ μεσ' Αἰτναίς πυρός,
Ἡ Σικελὸς αὐλῶν ἀλιπόρε διασφάγ',
Ὅσα δυσεξέλικτα κυματέμεν
Σήραγγι πετρῶν σκόλι' εἴλεται κλυδῶν.

Visceribusque in ipsis ignitum discurrit
Malum.

Vorticibus Flammaram Carnem ignis
more depascens;

Veluti crater plenus Ætnæi ignis,
Aut Siculus Canalis æquorei interstitii,

Ubi confuse fluctuans,

Ob fissuras petrarum, obliquus volvitur
æstus.

HISTORIA I.

Abscessus Intestinorum Arthriticus
auspicato sanatus, recur-
rendo Lethalis.

Abscessum in Visceribus, *Arthritica* fieri posse materia, probat Agricola, prædio nudiustertius suburbano agens. Fuit ille Corpore pertenui, *Δύσπλαγχνος*, annos *Arthritide* permultos, primum *Regulari* tantum, mox etiam *Anomala*, τα Ἐντόσθια premente, *Dysenteriam* inferente cruciatus.

Dysenterico ei medicinam, ex utriusque nostri sententia, iterum ac sæpius feci; ductoque Prognostico à vulneratis multumque læsis & debilitatis *Intestinis*, uti etiam ex eo, quod illa jam frequentaret *Arthritis*; de *Abscessu* ægrotantem, de eo, tanquam impendente & pertimescendo, monui. Nec quidem aliter evenit: Namque elapso ab *Arthritidis* Paroxyfmo brevi spatio, cum jam repletum esset Corpus, & dolerent *Intestina*, (quæ duo Accessiones itidem *Dysentericas* solebant antecedere) Materiam, rupto in *Intestinis* *Abscessu*, purulentam ἀνω καὶ κάτω reddidit. *Vomitum* & *Diarrhæam*, ut ne violenta nimium urgeret, *Laudano* compescui; eorum lævitiam mitigavi. Fi-

nita Puris Evacuatione, Bolum astringentem (ex Conf. Ros. rubr. Croco Martis, &c.) bis in die, Pil. Balsamicas, ex Bals. Lucat. Pul. C. C. C. hora somni demittendas, cum Julapii Haustu dedi. Potui, quod dilueret Puris acrimoniam, simulque reprimeret Diarrhœam, Decoct. Album tenue dabatur. Cibum, e Jusculis & Gelatinis, erat Analepticus. Porro, Prophylaxeos ergo, decem post diebus, omni mane, Aqq. Bathoniensium ℥ij. paulum tepefactas, hausit; singulis selibris adjiciendo Vini Canarini cochl. unum alterumve. Per Elect. Lenientis Dofin, uti opus fuit, assumptam, Alvi prævenit tarditatem.

Caro, Color, Vires ab hac methodo augmentur; sic, ut Hyeme sequenti, menses inde post quatuor vel quinque, Pedibus iterum doleret, & omni periculo liber esse prima facie videretur. Contra vero ob ipsa hæc indicia salutis, (ita vulgo æstimantur) censenda erat hujusce ægri salus in dubio versari. Quandoquidem illa, tametsi quodam modo salutem, modo longe majori contrarium indicarent, & Intestina denuo gravari minarentur. De Venæfectione, ut de Intestinis mihi curæ fat esset, deliberavi: vetuit Corpus à Natura tenerum: vetuit male constitutum, Morbis multatum, atque adeo Arthritidi rectæ vix obeundæ par.

Anni circiter dimidium erat, cum recurrit acris ille & pungens Intestinorum Dolor, novum materiæ coitum ostendens. Subsequitur, paucis post diebus, Puris tenuioris subalbidique, ad tres minimum libras, paucarum horatum spatio, per Os, per Anum excretio. Vires ægri statim collabuntur, & Cardiacis frustra, licet copiose datis, oppressi. Oculis obductum est $\Theta\alpha\tau\alpha\sigma\iota\omicron\ \mu\acute{\epsilon}\lambda\alpha\nu\ \nu\acute{\epsilon}\phi\omicron\varsigma$.

Notatu dignum erat, Arthritidem ex quo Intestina primum est aggressa, nova illa sede adeo delectari, ut intra triennium sexies eam inviseret; & toties vel Dysenteriam, vel Abscessum eo loci faceret: Visceribus scil. à natura imbecilibus, & Morbi crebris insultibus enervatis, depositum, imo infusum erat, expulsionem jam tum idoneum, Miasma Arthriticum. Sed neque præteriri illud oportebit, quod, qua proportione Visceribus inhæserit, ea usque Arthritis Artubus pepercit. Quinetiam observari potest, quod ab Arthritidos Paroxysmis regularibus, per Accessiones Dysentericas & Abscessus hosce Intestinorum, magna ex parte defenderetur Æger; quandoquidem hisce crebro revertentibus, illi tum rariores, tum etiam mitiores invenirentur: ut, tum Arthritidos, tum Dysentericæ, tum etiam Abscessus Causam continentem & conjunctam, eandem prorsus, nonnunquam Artus, aliàs Intestina, sed alio alioque modo infestantem, esse constet.

H I S T I I.

Abscessus Ani Arthriticus feliciter curatus.

Antistes nobilis, Ingenio summe prædicando, nisi quod Animi magnitudo superaret Ingenium, Arthritide nativa, (ea prosperarum cum adversis, ea rerum humanarum inistura) quam & ipse minime tenuavit, est affectus. Diu ille, semel bis in anno, doluit; sed apte, sed utiliter: Tandem Ventriculum, Intestina, & eorum extremitatem, Anum, à muneribus suis desciscere compertum est, &

novo more affici : hanc humoris nimium recipere, *Hæmorrhoides* extrudere ; illam Cibum minus recte conficere ; istum minus appetere. Hæc autem mala, sive Naturæ per se deficientis & debilitatæ, sive *Arthritidos* inversæ signa erant, (quum *Interanea* multum iis enervari confitendum est) rectæ & externæ *Arthritidi* intus vocandæ, non parum contulere.

Hujus Procatarxeos maleficio factum est, quod, exerrato in re Diætetica commisso, materia, (quæ *Digitos* etiam tum extendit, quæ in Tumores idoneos elevavit,) *Arthritica*, intro invitata, *Ano* impacta, *Abscessum* in ea faceret. Primum, *Offis Coccygos* regionem, *Mense Decembr.* Anno *MDCLXXXII.* invasit : inde per dies aliquot *Dolor*, & totam pene *Hebdomadam* *Ασπυρία*. *Vena*, *Medici* consilio, *pertusa* est. *Nihilominus* increvit *Tumor*; *dextram*, *sinistram*, *Partes* circa *Anum* omnes comprehendens, & ad *suppurationem* tendens. Quo citius maturescat, ei *Cataplasma* admovetur. *Horis* post *triginta sex*, cum jam moveretur intus contentum, & fluctuaret Pus, *Phlebotomo* per *Jenkinsonium* nostrum est apertus : unde *Materiæ* puridissimæ foetidissimæque quasi *libra* effluxit ; *mundificantibus* ab eo injectis *detergitur* sinus, *Fomentis* roboratur.

Curatio perfecta, & absoluta esse visa est, quum, exeunte *Maio*, *Arthritis*, quæ tum temporis in *Artubus* emicuit, ob *απόφασιν* nescio quam, ad *Ani* regionem, non ita pridem læsam, se proripuit, eamque magnopere corrupit. *Pelle* *Ovina*, recens extracta, involvi *Pedes* & *Abdomen* *Ægrotantis*, imperavi. *Hinc* *suppuratio* maturior, at-

quæ adeo celerrima ; adjuvante *Ung. Basil.* &c. per *penicillum* admoto. *Señto* *Tumoris* apice, *Puris* altera quasi *libra* expressa est. *Perjucundum* erat notare, non tantum omnia, statim ab emisso *Pure*, *Symptomata* concidere ; sed & *Appetitum*, aliquandiu languentem, ex eo tempore vigere, latrare, & (quod eo amplius) *Ægrotantem* *comensa* concoquere.

Quicquid hujusce mali reliquum erat, (hoc autem neque grave, neque longum,) id omne laboranti, non nimium morigero, deberi statuendum est ; id etiam brevi sublatum. *Nam* *sartus* *tectus* evasit *Æger*, neque, tametsi sæpe posthac *Arthritide*, hujusmodi unquam *Abscessu*, de integro laboravit.

En igitur *Ani Abscessum*, in quem, tanquam in *Sentinam*, missa sunt *Arthritica* purgamenta : Cujus rei notitia vel eo manifesta, quod ex *Abscessu* favetur *Artubus*, neque iterum, dum nova in *Sanguine* coacervata fuit *Materia* tantisper in eos sævitum.

H I S T. III.

De Ani Arthritica, propter Aloeticum, Inflammatione ; cum instante Gangræna.

Matrona Nobilis, Sancta, Venerabilis, ob causam alibi dicendam *Arthritica*, exeunte anno *MDCCV.* *Dolorem* *Artuum*, huc illuc vagum, & repentem habuit, *Articulos* etiam aliquando, more solito, *perstringentem*. *Sub* isto rerum suarum statu, & *conditione*, *Tincturæ Sacræ* *Dofin*, hortante quodam è *vicinia* sumsit ; heu !
 infausto

infausto omine, & irato *Æsculapio*: *Hæmorrhoidum* enim dolore alias afflicta, tantam earum injuriam, tam grave malum ex eo pertulit, quam quod gravissimum.

Magna vis *Humorum*, qui in *Sanguine* jam eveci & exilio parati erant, ut hac vel illac levi ex causa verterentur; *Aloetico* viam ostendente, ad *Anum* pulsa est, & eam distendi maximeque cruciari fecit.

Non *Ægræ* profuit, quod e *Gallis*, aliisque restringentibus, *Aqua ferrata* incoctis, stuparum ope, *Fotus* adhiberetur; contra, malum ex hoc acerbius. *Ægram* inveni, cruciatus inter & tormenta, misere oppressam. Per *Anum* humor nigerrimus, odore cadaveroso effluxit, & de *Gangræna* impendente me admonuit. Paulo post, in *Ani* margine tumore rupto, tam jugiter emanavit humor, ut de *Ægræ* vita pene conclamatum esset; Parum aberat, quin opprimeretur. *Libræ* minimum binæ effluerunt, quibus nihil foetidius, nihil graveolentius. Non nisi *Cardiacis* copiose creberrimeque datis, *Ægra* sustentari potuerat, iisque mehercule vix quidem.

Sistente demum *Flumine*, *Cisternam* ejus immisso stylo exploravimus. Ab orificio, quod in dexteri *Podicis* medio propter *Anum* erat, versus *Os Coccygeum*, duas circiter uncias sinus intravit, altera vero parte, prope *Intestinum Rectum*, eique parallelus, circa quinque uncias. Tanta verò ejus latitudo, quanta humori contento responderet. Præterea, *Caro* prope orificium ad *Drachmæ* spatium livida, sensuque valde obtuso, *νίρωσιν* in propinquo esse manifestavit.

Ut autem ea prohibeatur, eodem-

que tempore sistatur *Humor*, nimium profusus, per *Injectiones* aptas, aliaque *Topica*, *Chirurgis* adhibita, provisum est. *Turundæ* immissæ sunt, paulatim breviores; & demum, mensis usque spatium, ne nimis cito occludatur, tanquam *Fonticuli*, os apertum est: postea feliciter reclusum. Ex morbo gravi, & prorsus ancipiti convaluit *Ægra*, & partum intra breve spatium gessit.

Commonet exemplum, in *Corpore Arthritico*, materia ad fugam prona saturato, quam dubia, autem, imo quam periculo plena, maxime per *Aloetica*, *Purgatio*.

C A P. VII.

De Melancholia Arthritica.

ART. I. **P**ost *Ventriculi* & *Intestino-*
rum affectus *Arthriticos*, qui appellari possunt *Idiopathici*, (de quibus supra disputavimus;) ad eos jam deveniendum, qui locis sæpe remotis & distantibus, semper autem aliis, *καλὰ Συμπάθειαν*, inesse deprehenduntur. Hi vero, tametsi plures, & quidem prima facie longe inter se diversi reperiuntur, (uti *Melancholia*, *Synope*, *Cephalalgia*, *Vertigo*, *Respirandi difficultas*, aliaque permulti,) quando hoc conveniunt, quod ex causa *primis Viis* contenta omnes exoriantur; eaque sublata, auferantur; eorum *Curatio*, maximam partem, ex prædictis elicienda est. Par autem unum, cæteris prælucens, (nimirum *Melancholia* & *Synope*;) cum utrumque ita interdum ingravescat, ut *Symptoma* evadat *επιείγον*, & morbi rationem ambiat; hoc, & sequenti *Capite*, speciatim exponetur.

II. Nullos æque laceffit hujusmodi *Melancholia* (ut de ea primò loquar) ac qui molles, teneri, delicati, animo præditi pusillo, vel alia aliqua inclinatione naturali, *Melancholiæ* sunt ab incubulis addicti. Quandiu horum *Arthritidis* Paroxyfmos agit regulares; & Natura, Visceribus parcendo, Materiam in Artus alienam exprimit; tam certe diu ægrotorum prospere res succedunt; & in Paroxyfsmorum vacationibus, Cor illi lætum; Vultus hilaris; sudum undique, & serenum est. Quoties autem hoc salutare opus, sive prorsus intercisum, sive remisse & oscitanter actum est; maxime; quoties *Ventriculo*, & *Intestinis* committitur Materia; primum, Appëtitus, & Concoëctio depravata est: hinc eo loci Massa, brevi spatio putrescens, & inepta, coacervatur: hinc Flatus Hypochondriacus, Βορβορυμοί, Præcordiorum distentio, & interdum Dolor *Intestinatorum* fere continuus: hinc illi, per consensum, Cerebri & Nervini generis affectus; illa Μυροϋχία, illa *Melancholia*. Turpis scil. illius Massæ afflatu & contagione, deprimuntur Spiritus, Sensui jam Motuique obeundo impares. Nihil isthoc hominum genere tristius; nihil infelicius. Neque Somnum capeffunt, neque Cibus. Pœnitet, piget, pudet, ipsos Vitæ suæ tædet. Quodque omnium gravissimum est, quæ, in summis calamitatibus, per fugio; quæ Ægrotantibus, solatio; quæ *Arthriticis*, certissimo esse solet præsidio; hosce plane deficit, Spes.

Nullas unquam *Arthritidis Anomalias*, hac nostra diuturniores inveni; nec quidem multas temere frequentiores. Nonò vel decimo circiter ætatis lustro, Ægrotantem aggreditur; & per reli-

quum Vitæ (nisi Medicinæ Viribus depulsa fuerit) eum perraro deserit; quin ex intervallis, iisque crebro brevioribus, affligit. Est autem ad *Arthritidem*, in eodem Corpore *Regularem*, (si ad eam comparetur) Proportione, quæ dicitur, *inversa*: quandoquidem, quò minor; quò rarior; quò mitior hæc: eò major; eò constantior; eò vehementior illa; & è contrario.

III. Quod autem ita sit diuturna, causam esse puto in præcedentibus enunciata; *Dyspepsian* nempe, & *Ventriculi Imbecillitatem*: quæ, ut usitate Materiam ad *Primas Vias* *Arthriticam* invitare solet, crebramque facit (ut ostensum est) hujusmodi *Anomalian*, ita quidem usitata major, (qualis his Ægrotis est) tum invitat allicitque magis, tum etiam arctius complectitur, retinetque diuturnius.

Ne vero, cum *Arthritide Melancholica* idem hic affectus esse censeatur; advertere oportebit, illum esse *Melancholiam* puram, & exquisitam, in *Arthritida*; hunc, *Arthritidem* similiter genuinam, in *Melancholiam* desinentem, eamque propria Materia facientem.

IV. Requirit *Therapia*, ut Mørbo Ægrom prementi, *Ventriculum* & *Intestina*, άνω (si opus fuerit) ρηκάτω purgantibus, primum adversemur. Ista vero blandiora sint, necesse est; è *Decocto* puta *Pol. Teæ*, vel *Posseto Carduato*, *Vomitorium*; ex *Rhabarbaro*, *Pil. Tart. Bontii*, *Stom. cum G.* vel istiusmodi aliquo leniente, *Catharticum*. Statim à Purgatione, eo nempe vesperi, omisso *Paregorico*, locum habeat *Cardiacum*; quod Materiam Visceribus adhærescentem extra propellat: posteaque, cum ad *Alterantia* descendes, ea quantitate pro-

propinentur, sed Dosis idoneis, quæ si nihil repugnaverit, intentioni Therapeuticæ (i. e. Materiæ Arthriticæ, à τοῖς ἰσθμοῖς educendæ, & in Artus ablegandæ) satisfaciatur.

Vult autem Prophylaxis, primum, ut Aquis Diureticis, recte diuque potis, e Sanguine virus evehatur Arthriticum. Deinde, ut Arthritis, vere & autumnno, altero nempe vel utroque, si per se quiescat, Medicamentis ad eum finem datis, cieatur: regulares Paroxysmos, suoque numero perfectos (quoties opus erit) edere cogatur: & ut alias Coctio- nis summa teneatur ratio, in victu minime peccetur. Quare Eccoproticum frequenter adhiberi, putres sæpe extru- di reliquias oportebit; & in eum fi- nem usui erunt Pilulæ, quibusdam in pretio habitæ, Melancholicæ ab Exo- niensibus appellatæ.

℞. Pil. Macri, Stom. cum G. aã ʒjβ.

Rudii ʒj.

Res. Jal. ʒβ.

Ol. Cin. Chym. gtt. x.

Bals. Per. q. s. f. Pil.

Dosis ʒβ. primo mane, omni mense, vel, eodem intervallo, fumatur Tart. laxantis, & Mannæ aã ʒβ. ad ʒj. Aqq. purgant. ℞jj. soluta. Omni vero Pur- gationi Prophylacticæ succedat, hora somni, Paregoricum. Prodest porro Corporis exercitatio, præsertim equi- tatio. Quæ verò reliqua huic affectui medeantur, ex supra dictis hauriuntur.

HISTORIA I.

Melancholia propter Arthritidis accessiones minus idoneas.

TEmpus olim nobiscum Homo tra- duxit alienigena, ingenio prorsus

singulari: affectu Hypochondriaco non parum multatus. Ægritudini importu- næ permolestæque ut occurreret, Bac- cho ille, non nimium modo, verum etiam intempestive (pernoctando sci- licet) indulgit: quo quidem more, Ar- thritidos perniciosissimæ, Senectutis tristissimæ posuit fundamenta.

A dolescentiam vix egressus, Arthri- tide, malo hæreditario ægrotavit; quod Melancholiam vel primum intulit, vel magnopere auxit. Quamdiu Paroxys- mos edere soleret Arthritis ista regula- res, (satis scilicet magnos, & frequentes) nihil illo homine mutabilius, aut sibi dissimilius; utpote Lætitia nunc elato, Mœstitia nunc depresso. Quoties enim Paroxysmus aliquis finierat, Can- tu, Jocis, Salibus effundendis, Carmini- bus aut pangendis, aut recitandis oc- cupato eo, nihil usquam gentium festi- vus jucundiusve: quamprimum autem Baccho, Cerere, & Ignavia, nova in Sanguine cumularetur Materia, & jam expulsionem parata esset, nihil illo tri- stius, lugubriusve.

Nondum annos compleverat qua- draginta, quum Arthritis rarius & re- missius agere occœpit; & pro illius re- missione, Ægrotanti evenit male: nam Melancholia ingravescere reperta est, & quidem eatenus, ut in eam demum mutaretur Arthritis: quibus autem mo- dis, & qua Metamorphoseos ratione, (quippe ad explicandam Melancholie hujus Arthriticæ naturam cumprimis faciens) narratu dignissimum.

Qua proportione Paroxysmi, sive ea- rum acrimoniam, sive frequentiam spectemus, cessavere; ea semper, rata perpetuaque, crevit Avopexia; ea Δυσπε- ψia; ea, Flatus immodici; ea, Do- lor, & innumeræ Ventriculi querelæ;

ea, *Melancholia*: ut Materiam ad τὰ ἔξω *Arthriticam* minime propulsam, Visceribus infundi, res sit evidentissima.

Chalybem ille *Amara*, non unius generis *Cardiaca*, initio commode; *Corticem*, cum *Vino*, omnium multo commodissime; postea vero frustra, ingessit. Validus à Natura, & Athleticus, Morbo gravi & ærumnoso, animum cum corpore pessumdanti, impar, ætate adhuc constante, succubuit,

Victima nil miserantis Orci.

HIST. II.

Arthritis Melancholico salutis.

Homo *Damnonius* per omnem primam juventutem Coctionis pravitate, Ventriculi à pastu distensione, flatu, Capitis gravitate identidem afflictus, de majori malo adveniente monebatur. Annis aliquot post, exorta est *Arthritis*, nunc uni eidemque Articulo inhærens, nunc per Artus erratica; semper autem regularis, & cum Morbo *Hypochondriaco* (uti cum *Polluce Castor*) vices habens alternatas. Quæ istorum affectuum *Ἐπαμηνλία*, communem utrisque Materiam esse, nunc, quæ sunt intus, afficientem; nunc, quæ extra, corrodentem ostendebat. Grave do etiam, per hosce dies, humorem multum, & acrem, in vacationibus *Arthriticis* emittere, sicque Capitis gravitatem minuere solebat.

Sub finem Anni MDCCII. Paroxyfimi, qui lenes semper, & parvi reperiebantur, *Arthritici*, præter morem intermiserunt; neque jam per annum integrum emicuit *Arthritis* ulla, sive fixa, sive contraria: quanto vero Ægro-

ti cum discrimine, vel ex eo disci potest, quod nausea frequens; quod appetitus exinde prostratus; quod Coctio vitiosa, neque nisi liquidorum ulla; quod flatus, ἀνω καὶ κάτω sæpe emissi; quod, eis aliquantisper retentis, Auditus ad tempus aliquod omnino nullus; quod Dolor Lateris pungens; quod Spirituum defectus miserabilis; quod Marcor, quasi junctis undique copiis, Ægrotum pene conficerent.

Considerata istius Morbi natura, plane visa est *Arthritis*, quæ diu recte egisset; jam verò, Brumæ urgente frigore, Sanguinemque deprimente, intus in *Ventriculum*, &c. repelleretur, & dictam faceret *Melancholiam*.

Proposita Medicinæ via, ut languentes Spiritus fuscitarem, ut inimicum ab intestinis dimoverem, & ad Artus propellerem; eam ingredior. *Aquarum Ferratarum*, quæ in propinquo erant, *Tawtonensium*, modice tepefactarum selibram, hora septima matutina, hauriendam; omnique horæ quadrante, ad horas usque duas repetendam; cuiuslibet vero selibræ Sp. vol. ol. gtt. x. vel xv. instillandas: Nona sequenti, *Infusi Teæ*, eadem Aqua comparati, ℞℞. hora deinde post, *Infusi amari alterantis Coch.* v. quarta pom. *Bolum Absynthiatum*; hora somni, *Cardiacum* sequentem, cum Julapii, aut Vini Xeresani haustu demittendum, imperavi.

℥. Rad. Zedoar. ʒij. Gentian. ʒ℞. Cacum. Agrim. ʒij. Coccinellæ ʒj. Cort. ext. Limon. Flor. Rorismar. aã ʒj. Infunde in Vini Xeresani ℞j. ad idoneam alterationem; tunc coletur Infusum.

℥. Pul. Rad. Ari C. ʒ℞. Cons. Abs. R. ʒ℞. Syr. Z. Z. ex Indiis q. s. f. Bolum.

℥. Pulv. Gascon. ʒ℞. Spec. Diambrae ʒj. Syr.

Syr. *Garyoph.* q. s. f. Bolus.

Carnibus *εὐπέπτοις καὶ εὐχύμοις*, Pul-
lina sc. Vitulina, Agnina, & ejusmo-
di aliis vesci; & loco Cerevisiæ, huic
Ægroto pestiferæ, Aquam dari bibere,
prædictam, cum crusta panis incocta,
Xerano demum addito, præscripsi. Utri-
que *Bolo*, paucis post diebus: nempe
quamprimum *Martem* ferre valuerat
teneritudo *Intestinorum*, adjecta sunt
ejus *Nutriti* gr. v. primoque Aqq.
Haustui, omni mane, *Tinct. Martis Fe-*
burianæ gtt. xx.

Porro, ad caput per Nares purgan-
dum (quoniam hoc innuere visa est
Gravedo) *Pulverem* adhibui *Sternuta-*
torium, sæpius in die usurpandum.

℞. *Caulium Tabaci* ʒj. *Cacum. Ma-*
ajoranæ, *Rorismar. Salviæ* aā ʒʒ. *Rad.*
Helleb. albi ʒj. *Moschi* gr. jj. e *Siccatis*
f. *Pulvis* ΕρρίνϞ.

Ista Medicina, vix credibile est,
quam celerrime restituta, & quanta
Ægroto sanitas. Spiritus Animales, ab
assumpta Aqua maxime, & quidem
subito recreati: paulo post vigere cœ-
pit, & deinde latrare, appetitus; par-
tim Medicamentis, partim victu, sed
aqua potissime, vegetior factus, ocu-
los homo sustulit, Vultum explica-
vit *Arthritide* recta, Pedem alterum
occupante, postmodum est tentatus.
Maximi erat momenti Dolor iste re-
gularis; utpote qui Materiam, relictis
visceribus, *πρὸς τὰ ἔξω* arceri compro-
bavit. Medicina eadem, vel simili, dies
quadraginta usque continuata, memet
Exoniæ visitavit; ex moestissimo, & tri-
stissimum in modum languente, in sa-
num & vividum, in lætum & alacrem
mutatus. Ego, ut Morbi recurrentis
metum adimerem, & in tuto rem om-
nem ponerem, ad dies adhuc viginti

plures, Medicinæ usum protuli. Quin-
imo, contra *Melancholiam*, aliaque
Ventriculi & Intestinorum mala, ut in
posterum se incolumem præstet; de
Arthritide curet, exhortor, ut ea rec-
tum, & idoneum, semel minimum an-
no, Paroxysmum edat.

Historia narrat *Arthritidem*, intus ad
Ventriculum & τὰ *ἔντρόςδια* missam, Æ-
grotum mirifice lædere; *Melancholia*
gravi afficere; demum Medicina ad τὰ
ἔξωθεν auspicato pelli.

H I S T. III.

Melancholiam, & *Hydropa* Arthriti-
cum, sanat, arte comparata,
Arthritis idonea.

Aliud dicam *Melancholiæ* hujus
Arthriticæ Exemplum, nobile &
inufitatum. Vir Reverendus, antiquis
moribus; per ætatem mediam, nunc
Arthritide, nunc *Melancholia* preme-
batur: hujus sc. accessionibus olim,
ante annos viginti; illius nuper, omisso
Tabaci usu, ante sexennium, ortis: hu-
jus, perpeffu gravioribus; illius, tum
minus molestis, tum etiam raris; at
semper commodis, semper utilibus;
siquidem *Melancholiam* illi ad tempus
diutinum, ad annum quasi dimidium,
semper abegerunt.

Sub finem anni MDCCII. post Ap-
petitum aliquamdiu læsum, *Melancho-*
lia ille multum angebatur; *Μίση*
χία & depresso Spirituum impor-
tunissima, incredibili stipata. Lamenta,
querimonias, ejulatus die noctuque
effudentem, tanquam Ægrotorum
post hominum memoriam afflictissi-

mum, audivi. Mehercule! se arbitro, nemo unquam mortalium, nec quifquam gentium æque miser. Paulo post emicuit, qui sævitia longe *Melancholiam* excellere visus erat, Tumor Pedum, deinde Femorum, profundas digitorum foveas accipiens; isque ferofus, Hydropicus. Umbilici Regione exudavit, tanquam è colo, Liquor. His accessit difficultas spirandi, debilitas univèrsa, & *δυσκωνία*, brevi tempore, fere Paralytica; sitis etiam insatiabilis, Urina pauca, & lixiva, potionis nec quadrante plus: Ut, de Ægroto plane conclamatum esse, non immerito omnium fere sermone percrebuerit opinio.

Quo affectui tam periculoso Medicinam facerem, idcirco primum ex usu esse judicavi, Seri vim minuere, Hydragogis amandare; tum, quibus rebus possem, *Arthritidem* (quam horum omnium causam esse suspicabar) evocare, & τοῖς ἕξαιδεν infigere. Hac proposito medendi lege, *Pil. Aloeticis* facta semel iterumque Purgatione, meo jure sic præscriptum est.

℞. Rad. Gentian. ℥j. infunde in Vini albi Lusitanici ℔jj. ad alterationem idoneam; Colaturæ adde Tinct. Aurant. ℥j. misce. Dosis ℥j. sexta quaque hora, cum seq. *Pil.*

℞. Sal. Martis, Chal. Nutriti, aā gr. v. Pul. Serpent. Virg. ὄβ. Syr. Absynth. simp. g. s. f. *Pil.*

℥. Sp. Vol. Ol. ℥j. Tinct. Stom. cum M. ℥j. misce sumat gtt. xxx. cum idoneo quovis vehiculo, bis in die, sæpiusve, si languores urgebunt.

Quantum Ægrotanti ab hac Methodo utilitatis, opinione majus est. Quando per evacuantia, Seri, quod nimium erat, vix dimidium expelleretur; ita

quidem factum est, ut Natura, per Cathartica, perque Chalybem adjuncta, tum in Pedem *Materiam* extruderet *Arthriticam*; tum etiam Serum per Renes abundanter emitteret. Septem, octo dierum spatio usurpandis hisce *Pil.* dicato, Pedis sinistri doluit Malleolus, & Digiti majoris Articulus major, ejusque Orbis. Dolori paulo post successit Urinæ profluvium, tam jure, tamque copiosum; ut, diebus quinque vel sex, Pedum & Femorum Tumor omnis Hydropicus, etiamsi immanis, auferretur; & simul cum Tumore, parique proportione, Sitis. Ex sententia succedere omnia. Alacrem, vividum, cibi appetentem, animo plenum denuo conspexi; Vitam hodie quadriennio postquam ita fuit correptus, vivit; & quidem eam, quæ sola vita est vocanda: ut vel uno hoc Exemplo demonstrari possit, quantum *Hydropa*, quantam *Melancholiam* faciat *Arthritis Anomala*, quantum etiam utrumque sanet *Regularis*.

Hactenus de *Melancholia Arthritica*; ad ejusdem originis, & naturæ *Synopen*, accedo.

C A P. VIII.

De Syncope Arthritica.

ART. I. **A**lius est affectus, ei, qui præcessit, sive causæ utriusque Continentis & proximæ, sive κατὰ συμπαθειαν ortus, habeatur ratio, congener & geminus; *Syncope* nimirum *Arthritica*, hunc in locum aptissime referenda.

Ante dictum est, *Arthritidem*, maxime in Corporibus senecta, vel ebriofitate

sitate læsis, & enervatis, *Ventriculum* & *Intestina* minima quavis de causa petere. Quinetiam exploratum est, in eas Partes ingressam *Arthritida*, non semper *Anorexian*, *Nauseam*, *Tormina*, *Diarrhæam*, & hujusmodi Morbos *ἰστοραθμῶς* inferre; sed, uti nonnunquam *Melancholiam*, (in superiori Capite tractatam) ita etiam interdum *Syncopen*.

II. Compertum, inquam, est, à Portione nimis frigida, & tenui; vel *δυσπείρω* aliquo, ore sumpto, & *Ventriculum* aggravante, Primum, universo Corpori male esse; tunc paulatim Os pallere; sudore frigido deinde Cuticulam madere: Pulsus imbecillum, modo nimis tardum, nunc inæqualem, reddi; interdum minui tantum, alias intermittere; solvi denique Spiritus animales; Sensum, motumque deficere; Vitæ omnes corruere Facultates: Interea vero temporis, *Arthritidem*, (si qua forte in Articulis, antequam hæc inciperet Tragœdia, comparuit) desubito recedere. Ne multis, Ægrum, nisi remedio quodam efficacissimo præsentissimoque, nisi Deo in vicinia mortis opem ferente, servatus fuerit, e vivis exturbari.

Hanc ego *Συνκωήν*, quatenus à Miasmate *Arthritico* commissa est, *Arthriticam*; quatenus vero per omne Corpus se diffundens, à causa (in *Ventriculo*, & τοῖς Ἐντέροις sita) longe posita elucet, *κατὰ Συμπάθειαν* natam appello.

III. Huic ut occurratur, ancipiti prorsus, & acuto morbo; nihil æque valere judico, ac, Cardiacorum permagna dosi potentium adhibita. Indicationem Vitalem tueri; Spiritus animales sistere, & instaurare; ut & alienum (si modo id fieri possit) ad τὰ ἔξωθεν arcere. Quo

circa *Aquæ Hispanicæ* quantitatem amplam, in ægri rem, plus semel dedi bibere: proque re nata repetii. Ubi illa defuit, aliam, quæ sequitur, (quando Medicamenta in forma liquida citius adjuvant, & propterea solidis anteposenda sunt) præscripsi.

℞. *Aq. Abs. C.* ℥xjj.

Sp. Menthæ.

Tinct. Lavend. C. aã ℥jj.

Sacch. albiss. q. s. f. Julapium.

Dosis ℥β. j. ad jj. ubi usus veniat, adhibenda; &, ut per usum videbitur, iteranda.

Cum Dosi prima, vel secunda, si placeat, demittatur *Bolus*, seu *Pulvis* sequens.

℞. *Theriac. Androm.* ℥β.

Flor. Salis Armon. ℥β.

Cons. Anthus ℥j.

Syr. Cort. Citreor. q. s. f. Bolus: vel

℞. *Pulv. Serpent. Virg.* ℥β.

Spec. Diambrae ℥j. (ad ℥jβ.)

Macropig. gr. jii. jiii. v.

Ol. Cin. Chym. gtt. j. f. Pulvis.

Paupertinis, & indigentibus (uti etiam aliis, ubi medicamenta non ad manus erunt aptiora) *Spiritus Vini* datur ustulati quantitas ea, quæ proposito respondeat: vel *Aquis Cardiacis* superaddi possit, *Spiritus C. C. Succinatus*.

Cum hisce *Friktiones* simul adhibendæ sunt: & in *Vino*, vel *Spiritu Vini* calefacto immersæ *Stupæ*, *Scrobiculo Cordis*, & toti *Abdomini* applicandæ crebroque renovandæ sunt.

His, vel hujusmodi similibus, utendum eo usque, donec Æger refectus, & (modo hoc effectum reddi potuerit) in solido locatus fuerit: quod utique raro fit, priusquam *Arthritis* in Articulos ablegata, & iis sit infixata.

Si à Δυσπείπτω aliquo temere comeso Syncope proficiscatur, & Æger facile vomat, aut ad vomendum pronus sit; quamprimum ita factum sit, ad se ut paululum rediret, per *Decoctum Teæ*, vel *Cardui*, largiter exhaustum, alienum ejiciatur. Verum, si ad incitas ita redactus sit æger, ut moræ locus relinquatur omnino nullus; quin, ad salutem Ægroti quicquid peragi possit, uno id, necesse fuerit, eodemque tempore peragatur omne; hoc casu, inquam, *Vini* quantitas ebibatur ea, & quidem ea celeritate, quæ tum Viribus redintegranda, tum Vomitu movendo satis esse reperitur.

At si revertantur, & importunæ fuerint hujusmodi Συνοπαι; ut iis initio statim occurratur, præsto sint oportet istiusmodi *Cardiaca*, prout facto opus erit, ingerenda. Quanquam enim fanis, integraque valetudine usis, nullum unquam potionis genus hisce *Cardiacis* (*Spiritibus* nempe, & *Aquis generosis*) pestilentiis aut magis noxium, si in usum communem trahantur, excogitatum fuit; tamen *Arthriticis* veteribus, præcipue Vino deditis, hisque *Lipothymiis* invadi solitis, nihil, quod sciam, utilius, salutariusve. Adeo, videlicet, quibus alii, certe permulti, rebus conficiuntur, & e vivis extruduntur; iisdem ipsis alii servantur, & multos annos eorum beneficio, vivunt valentque. Hoc autem, uti re ipsa constat, animoque à me sincero, & in humanum genus benevolo dictum, boni velim consulatur; nec in pejorem partem, & sui perniciem, à quoquam, tanquam ad malos mores licentia, rapiatur. Qui *Cardiacis* hac occasione nimio plus indulserit; qui erratum tanturpe, tam stultum erraverit, ipse viderit.

HISTORIA I.

Syncope Arthritica, foras abacta, hoste, curata.

MOribus & ingenio præstantissima Fœminarum, eadem fere de causa, quam in sequenti Historia repetam, se in vitæ periculum redegit. Diu enim *Arthritide*, culpa non ex sua; laborans; Paroxysmo gravi, imo quidem omnium, quos unquam est perpeffa, longe gravissimo, vix ad exitum perducto; Aquam illa fontanam, & frigidam potavit; eoque forte largius, quoniam antea non solum impune, verum magno suo commodo fuerat aquæ potrix. At in rebus humanis, utramque facit paginam opportunitas: multumque refert, in iis agendis, quæ sint earum singulis accidentia.

Circa idem tempus (ut aliud esse solet ex alio malum ἐπὶ δ' ἀλβεῖον ἀλγεα κείται) cibo quodam inepto, & difficili comeso, mirum quantum ab eo in victu errato, & quam mox adductum est discrimen. *Ventriculo* primum ægrotavit, nausea & fastidio gravata: Doluit deinde vehementer, tanquam spasmis arctissime contrahentibus. Orta tunc erat *Hysterica* (talis esse videbatur) suffocatio. Erat Vomitus, sed inanis. Sensuum, & virium erat diminutio. Dum ista fiunt, *Arthritis* (quæ in extremis partibus Paroxysmum, aliquot jam per menses, exercuerat) illico regressa est, ad ea, quæ intus sunt, vocata.

Plumæ juxta comburuntur; ut nimirum Spiritus animales, præpostere agentes, odore foedo coerceant, instruantque,

struantque, *Aqua datur Hispanica*, semel atque iterum; quanta nempe *Ventriculum* reficiat, & *Arthritidem* horum adigendo, inque artus pellendo, *Ægram* restituat. Trium, aut eo amplius, horarum spatio, *Syncope* remisit. Dolor in extremis partibus recruduit; *Ægra* servata est.

HISTORIA II.

Ejusmodi alia.

NAvis olim Præfectus, neque *Veneris*, neque *Bacchi* cultor parcus, & infrequens, propter iniquam eorum observantiam, *Arthritide* multatus est. Graviter, & diu ille doluerat, cum forte fortuna simul in eadem domo essemus, & de Navarcho nostro, tanquam animam agente, ex improviso clamaretur. *Ægrum* adolavi; quid hoc clamoris, inquisivi; Pulsus inveni languidum, imbecillum, rarum; qui solebat esse maximus, & durissimus. Os expalluit. Anhelitus sublimis, & cum intervallo longiori tractus. Corporis superficiem Frigus Sudorque occupavit. Sensus, Motus, Vires universæ sunt collapsæ; ipsiusque propemodum *Oeconomix* subversa ratio.

De mali causa interroganti declaratum est, *Ægrum*, *Pedibus dolentem*, febricitantem, sitientemque fontanam paulo ante aquam hausisse frigidam, ad ejus quasi selibram; itaque sibi malum arcessivisse.

Aquæ ego *Cardiacæ*, maximeque generosæ, Dosis illico prælargam, cum *Sp. Vol. Oleos.* guttis aliquam multis, in os immisi; & post tempus aliquod, cum *Theriac. Androm. & Pul. Gascon.* aâ 36.

repetii; imò quidem *Hauftum* tertia vice, spatio quodam interposito repetere, necessum habui. Ne plura, non nisi remedium summe *Cardiacorum* imensa vi restitutus est *Æger*.

In eo vero restituendo, duo notatu digna erant: Primum, neque ea *Cardiaca* Febrim; sed è diverso *Æstum* modo benignum, sudorem blandum, & auspiciatum inferre: Cujus id in causa esse videbatur, quod *Ægro* mari versato, frigori assueto, *Cardiaca* minime nova essent, & quod illius Sanguis, *Arthritide* diuturna depressus, non cito incenderetur. Deinde, non multo post, quam in Artubus Calor redierat; quod *Dolor* redierit *articularem*, & cum eo incolumitas.

Habetis *Synopem Arthriticam*; Facultatium omnium perturbationem; animalis vitæ Eclipsin; *Arthritide* revocata, & ad ea, quæ intus sunt, allecta factam: Habetis eam, *Arthritide* foras abacta, sublevatam.

HISTORIA III.

Arthritide diu ignava & inertigenata Syncope, illius Paroxysmo regulari sublata.

VIR Melancholicus, solers, ingeniosus, Patre natus *Arthritico*, ætate progrediens ipse doluit *Arthritide*; sed ea, quæ segnis, & ignava, paucos habuerit Paroxysmos; & ex iis paucis, idoneos & laudabiles certe paucissimos. Hujusmodi anni prope viginti erant, cum, ingravescente jam ætate, diu quieverat *Arthritis*; & in ista quiete quando fortuito accidit (tanquam *επιφορισ*, sive causa evidens)

dens) in potulenti erratum, Æger ultra morem largiore Vino menses aliquot usus, non ita diu post *Syncope* correptus est. Frigus occupavit Artus; Pallor Faciem; Spiritus animales perturbati, & depressi sunt; Pulsus in carpo humilis, ic̄tuque omni tertio intermittens. Nihil fuit propius, quam ut periret. Stupebant astantes, unde, & quia ex causa, malum tam grave, tamque repentinum oriretur.

De *Arthritide* interrogavi, quam illa pridem *παραζώνυσα* esset; & quam perfecte. De insultu ejus tum raro, tum miti certior factus, operam dedi, ut per *Arthritidem* (quoad ejus fieri posset) in Artus exturbatam, malo præsentī occurreretur. Quocirca, præter *Hauftus Cardiacos*, *Spiritusque CC.* vim magnam, iterum atque sæpius datam; *Electuarii Arthritici* quasi ʒj. ter quater in die sumendam, imperavi: quumque horum, & *Pul. Gasconici* ope, fausto quidem omine, Pes inciperet dolere; ut bene res feliciterque verteret, & inceptus promoveretur opus, *Alcohol Martis* grana aliquot ex *Julapio* propinavi.

Nondum ejus Scrupulum demisit Æger quum paucis hauris spatii tantus in Sanguine factus est Orgasmus, quantus observatione dignissimus. Pulsus illico celerior, elatior: Æstus universalis ingens: Venarum Hæmorroidum apertio; Sanguinis eruptio; Sitis immodica; Spirituum agitatio vehementissima; quæque spes & ratio sanitatis erat, in Pede sinistro digiti & articuli maximi Tumor, Ruborque Orgasnum indicavit.

A quantitate *Martis*, ut ut valentissimi, tam exigua, tantas excitari turbas, equidem perrarum est. Cassum

aliquod, & viribus spoliatum *Martem*, esse nostrum hoc illius præparatum, nemo prudens affirmabit; quando tam *Cardiaca*, prius sumpta, tam longe virtutibus exuperet; tamque potenter *Podagram* expellat.

Ut autem Humor evocetur, vel minimum in Articulo retineatur, *Vesicatorium* alio alioque loco impositum est; loco autem affecto *Emplastrum*, ex *Picis Burgund.* & *Emp. Cephalici* paribus mensuris. Pede vero toti, ex *Cerato viridi* Cothurnus, fascia lanea constrictus.

Propediem Humerum, usque sumptis ore *Cardiacis*, invasit *Arthritis*, ejus alliciendæ ergo, *Empl. e. g. Carranna*, cum Vestitu laneo, illi superpositum est. Horum, qua intus, qua extra, adhibitorum usu, partim per *Podagram*, & *Ὠμάρταν*; partim per *Diaphoresin*; alienum amandatum & exemptum est, Spiritusque instaurati; &, quam vidi gravissima, multoque omnium atrocissima, *Syncope* levata est.

C A P. IX.

De Calculo Renum Arthritico

ART. I. **R**Enum ille *Calculus*, qui Concretio est *Arthritica*, cum eorum *Calculo* vulgari, tam per omnia concordat; ut, de eo verba hoc loco facerē, supervacuum opinarer; nisi in ejus *Therapia*, & *προφυλάξι*, ne dicam *Historia*, quædam occurrerent, quorum consideratio specialis sit habenda.

De *Calculo* primum annotatu dignum est, raro cuiquam unquam Morborum eum frequentius supervenire, quam

quam *Arthritidi*: quod ut aliis in Regionibus aliorum observatione palam factum, ita in *Damnonio* nostra esse certo scio. Minime verò cogitandum est, *Arthritidi*, tametsi gravi vetustæque, Calculum esse *Comitem individuum*; nec quidem *fere individuum*: quando *Arthritides* aliquas nunquam, aut certe raro, ille comitetur; (raro enim *Frigidam*, quæ dicitur, *Arthritida*; raro languentem; quæ tamen *Arthritidis*, late sumptæ, partes utique permagnæ sunt,) nec quidem ullas semper.

II. Qui à cunabulis ad affectuum horum alterum, maxime vero qui ad utrumque sunt proclives; ipsa nonnunquam adolescentia *Calculo*, ne dicam citius, afficiuntur. Alias vero ita fere res habet. Cum *Cereri*, & *Baccho* æger diu indulset, tam mala vitæ ratione condi, & in Sanguine coacervari solet, aliena illi materia, quæ, Naturæ molesta, & inimica, partim per *Articulos*, (unde *Morbus Articularis*;) partim per *Renes*, una cum Sero, quod illi vehiculum esse videtur, amandata est. Ad *Ureterum* autem initium adhærescens, in *Arenulas* eo loci primum coit, uti postmodum *Arenulæ* in *Calculum*. Huic autem *Materiæ*, in Sanguine cumulandæ, maxime conferre censeatur *Diæta*, succo lapidescente abundans, eumque Sanguini impertiens: confert etiam mala *Concoctio*: *Vasorum* conferunt *Lateorum Ora* nimis aperta: ut & *Renum* à natura imbecillitas.

III. De *Calculi* humani, generatim accepti, productione; multa quidem, tum ex ejus *Analyti Chymica*, tum etiam *Pondere Specifico* proferuntur; quæ *Offibus* magis, quam *Lapidibus*, eum appropinquare annumerarique oportere, non parum arguunt.

Hæc autem omnia non tam naturæ *Calculorum*, quàm certis quibusdam eorum accidentibus; præcipue *Crassamentis*, à Sanguine acceptis; quæ *Calculum* magna ex parte conflant & efficiunt, debentur. *Calculi* vero ipsa *Γένησις*, ex particularum quarundam *Lapidearum*, cum affine *Sale*, (*Calcarii* nempe *Lapidis*, cum *Sale* suo *Calcario*; vel *Ocræ*, cum *Sale Vitriolico*) coitione fieri; iisque sanguinis *Crassamenta*, tanquam vinculis, connecti judicentur. Ista vero quando non sunt hujusce instituti, & à *Clarissimo Listero φυσικωτάτως* & dilucide, sunt tractata; ad eum libens quidem *Lectorem* remitto. *

IV. *Calculi* autem *Arthritici* partes, & compositionem, si attente inspexerimus; eandem fere, quæ *Calculi Renum* vulgaris, & *non Arthritici*, esse inveniemus. Hæc autem res ex duobus *Leevenkookii* pronunciatis, elucebit. *Calculum* cremavit ille, crematoque adjecit *Aquam Fontanam*: Idem fecit cum *calcaria*, & *tofacea Arthriticorum* *Materia*. In his *Lixiviis*, beneficio *Microscopii*, apparuit *salinarum* copia particularum plane similibus; rigidarum nempe, concretioni aptarum, dissolutioni resistentium. Jam vero, (ut, quod dixi, inferam) si *Calculus*, ex *Corpore non Arthritico* extractus, adeo cum *Tofo Arthritico* conveniat; multo magis, qui est *Arthriticus*, cum utroque, cum *Calculo* præcipue, convenire judicetur. Hoc autem, utut primo aspectu probabile, non tam *Argumentis* quam *experimentis* statuentum, & definiendum.

k. 2

V. Cal-

* Vide *Dissertationem ejus Medicinalem, de Calculo Humano, & de Petrificatione.*

V. *Calculi* jam facti, sive *Arthriticus* fuerit, sive non, *Symptomata* prorsus eadem inveniuntur: at à vulgari *Arthriticus*, eare potissime distinguendus; quod *Arthritidis* quum sit *Επιπέμνη*, Naturam ejus participet; Materiam amplectatur, & comprehendat. Ideoque, utrum *Æger* in *Ποδαργιάντων* numero fuerit habendus, & à *Paroxysmo* quamdiu vacaverit, diligenter inquirendum, ut de *Calculi* natura constet.

A *Colica* exquisita differt, per ea, quæ *Calculum* exquisitum ab illa differre faciant: A *Colica Arthritica*, quod nullam spirandi difficultatem, nullos in *Umbilici Regione* *Στρόφος*; sed neque *Melancholiam* adeo tristem, & urgentem; aut *Materiæ crudæ, acidæ, biliosæ*ve *Vomitum* adeo constantem habeat.

VI. Medendi etiam intentiones eadem, ac in *Calculo* vulgari; at, quod in hoc nostro momenti est præcipui, per auxilia quædam propria, per Methodum particularem exequendæ. Nullus enim hic, aut certe perrarus, *Acidorum* usus; quinetiam *Fotus, Lini-menta, Cataplasmata*, aliaque Dorso applicari solita, maxime si *Paroxysmus* simul *Arthriticus* erit, tanquam periculo plena, sunt prætermittenda, fugienda.

At ejus *Dolori*, si cum *Artuum Dolo*re concurrat, & intolerabilis fuerit, deliniendo conducunt *Paregorica*; & quidem maxime, si nulla *Sanguinis* de-
tractione (quæ in *Calculo* alias utiliter præmitti solet; at in hoc nostro, ad ea quæ intus sunt, vocare possit *Arthritida*; vel, ut ne exulet, inhibere) præmissa, *Ægroto* propinentur. Illa vero *Paregoricorum* *Dosis*, ejusque repetitio optima; quæ, *Dolori* sublevando sa-

tisfaciens; *Cerebro* interea non obfuerit, neque *Materiam* ei vitiosam impegerit.

Si, nullo *Arthritidis* comitante *Paroxysmo*, *Calculus* erit; alia rerum facies, aliaque medendi via est. Hic enim, in *Plethoricis*, & multo *Sanguine* distentis, ad prohibendam *Inflammationem*, secetur *Vena*: *Enema*, ex *Decocti com. & Ol. Amygd. d. rec. aã ℥ss. cum Tereb. Ven. Ovi Vitello solut. ℥j. injiciatur*. Postero die, *Electuario leniente, Pul. Rhab. & Syr. Violac. forma Boli commistis*; vel, *Jusculo Avenaceo, cum Foliis Sennæ incoctis, & Manna superaddito, purgante*, *Venter* aperiatur, eoque vespere *Paregoricum*, (quale sunt *Pil. Matthæi* grana totidem, quot *Opii* granum continebunt unum) locum merebitur. Quinimo, si à *Calculo* *Dolor* urgebit, ne *Intestina* *Spas-
mis* contrahantur, ad hosce præveniendos, & illum compescendum; horas aliquot ante *Purgans*, sumatur *Paregoricum*; ipsumque *Purgans*, si justo lenius fuerit, suo tempore sequatur *Enema*.

His, ad dilatandas *Urinæ* vias, actis, ad *Calculum* exprimendum usui erit *Balsamum Gileadense, Chiliense, vel Peruvianum*, ex *Syrupo Dialthææ, vel Balsamico* datum; & bis, ter, quaterve in die, repetitum.

Syrupus Balsamicus, quem vidi, elegantissimus, hoc modo præparatur.

℞. *Aq. Hordeatæ, (tertiæ Decoctio-
nis) colatæ, & per subsidentiam clarificatæ, ℥iij. Bals. Tolutani ℥ij. Infunde calida, ad ℥j, consumptionem: deinde adde Sacchari Crystallini optimi ℥ij. leniter coque ad consistentiam Syrupi tenuioris, quem per Linteum densum, frigidum trajice, & usui serva.*

Si forma *Boli* arridet, *Opob. Æb.* vel alius *Balsami Dosis*, cum *Ovi Vitelli* ðj. temperetur, & intervallis jam dictis assumatur.

Hiscæ vehiculo esse potest *Alla* nostrorum hominum *Mustea*, (*Grout-Ale*) præsertim *Alba*; quæ cum primis generosa, tum etiam maxime *Diuretica*: vel, *Rad. Althææ*, *Glycyrr. Eryng.* *Cond. Hordei*, aliorumque his similium *Apozema*; *Saccharo Crystallino*, vel *Syrupo Balsamico dulcaturum*. Ad eundem finem utile *Foliorum Teæ Infusum*, libere potum; vel, ex *Decocto præscripto*, & *Amygd. d.* *Emulsum*; vel id, quod sequitur.

℞. *Amygd. d. corticibus purgatarum*, *N. x.* inter contundendum, affunde *Infusi Teæ* ℥ij. postea coletur *Emulsum*; eique adde *Aq. Rosac. vel Cin. hord.* & *Sacch. cryst. q. s.* Nonnullis *Vinum album*; vel *Decoctum modò scriptum*, cum *Ol. Amygd.* adjecto *Sacchari cryst. momento*, propinamus.

Extra, *Cuniculi Adipem*, Dorso superillitum, adversus Colorem mirifice valere, à Sene calculoso, tanquam expertum, accepi.

Ad *Prophylaxin* optimè conducunt *Aqq. calidæ Bristolienses*; quibus adjungantur *Opobalsamum*, & *Syrupus* è prædictis lubricans. Quibus nulla istiusmodi *Aquarum* copia illis usui esset *Teæ Citreæ Infusum*, omni mane bibere. Novi *Calculosum*, qui methodo sequenti *Renes* subinde purgans, ad *Senectutem* veterem & tutam est perductus. Ter, quaterve in Anno *Terebinthinæ Venet.* quasi ℥j. cum *Pul. Glycyrr.* forma *Pil.* sumpsit; *Cerevisiæ*, vel *Posseti* libras aliquot superbibens: confestim milliaria quatuor, vel quinque, Equo succussatore mensus est: Unde sæpe

Arenulas excrevit, seque, si non immunem, tamen incolumem servavit. *Cerevisiæ* omnium optima, quæ cum *Aqua pluviali* comparata: illam volo, quæ, neque in *Nivem* unquam, neque in *Glaciem* mutata, sincera sit, & pura, nulla *Tecti Calce*, nullis *Salibus*, aut *particulis lapideis* inquinata: Ea *Aquarum* omnium levissima; ea cum primis *Diuretica*. Medicamentis autem *Urinam* moventibus præmitti, & nonnunquam interponi oportere, *Ventrem* & *ductum alimentarem* inanientia, lippis notum & *Tonsoribus*.

Libet his adjicere, in *Dysuria*; (quæ *Calculo* interdum accedit) quoties à *ductuum urinosorum* spasmis oriatur ea; nihil efficacius, conducibiliusve, quam *Opiata* cum *Diureticis* juncta; quibus, utut *Urinæ* alias sistendæ illa conferant, simul & remittantur spasmus, & *Urina* cieatur.

At, à *Dorsi Dolore*, de *Renum Calculo*, ne quis temere statuat, unum his subjungam. Olim *Vetulæ*, *Hydrope* interemptæ, *Anatome* interfui; quæ, cum per annos aliquot eo *Dolore* gravaretur, *Calculoque* effici à familiaribus haberetur, illo tamen, ut ex *Cadavere* aperto constat, omnino caruit. *Reni* dextro ingens adnata erat *Hydatis*, sive *Vesicula*, Sero insipido plena, *Doloris* fortasse causa.

Atq; hæc de *Calculo Renum Arthritico*.

HIST. I.

Calculo & *Chiragræ* una occurrentibus, facta simul *Medicina*.

Quarto ab Urbe lapide, propter *Isçæ* Ostium, sexagenarius *Ar-*
k 3 thri-

thriticus, simul & *Chiragra* & *Calculo* doluit: Illam ostenderunt Tumor, Rubor Articulorum, aliaque *Arthritidis* indicia, ordine & concursu *Pathognomonico* apparere visa: Hunc in Dorsi regione lumbari Dolor, ut & Intestinarum quasi Colicus; quodque fidelissimum hac in re Symptoma, *Arenule* sub id tempus excretæ.

Morbis adeo diversis ægrotanti, ea dari par erat, quæ contra utrumque prodesse, quæ neutri faverent. Itaque Therapiam, *Balsami Peruani* quantitate, bene magna & frequenti, cum vehiculo idoneo, tentavi, atque adeo perfeci. *Balsami* hujus Guttæ plus minus x. ex *Syr. Balsam. coch. j.* bis, vel summum ter in die, sunt adhibitæ. Hoc, qua *Cardiacum*, in extremas Corporis partes *Arthritidem*, qua lubricans, & *Terebinthinum*, è *Renibus* Arenulas per Urinæ vias expelli fecit: sicque una eademque fidelia, non infeliciter duo simul dealbati sunt parietes.

H I S T. II.

Adversus Calculum Arthriticum Prophylaxis.

Viro præcellenti & eximio, qui diu *Arthritide* per vices doluit, aliquando etiam *Calculo*, in se à Patre derivato; quum adversus utrumque malum *Prophylaxin* exigeret, consului; ut, Exercitatione pertinaci, & crebra, sabulum è *Renibus*, è Sanguine materiam alienam exturbaret; itaque Salutis suæ prospiciens, Senectæ viam faceret incolumi.

Facta per *Lac Scammonii* Purgatione, Aquas hausit vir Illustrissimus Ba-

thonienses, menses binos, libere & recte Equo assidue Corpus exercens. His adjunxit *Balsami Peruani*, Stomachum non ingrati, *Renibus* utilissimis, guttas aliquot, omni nocte, ex *Syr. Balsam. coch. j.* cum ejusdem Aquæ Haustu. *Renes* inde melius habuere, Sabulo purgati. Dorsi Calor, qui Ægrotantem multum afflixerat, evanuit. Hac, & hujusmodi *Prophylaxi*, Aquis scilicet Purgantibus & Diureticis, statis annis temporibus, iteratis, Equitatione, Ambulationeque fere continua, contra malorum par crudele, hodie Vir Insignis se defendit, momenta Vitæ propugnat.

Fatendum autem, quod hujusmodi *Prophylaxis*, non nisi Corpore perpurcato, & evacuationibus generalibus exonerato, in usum trahenda sit, ne videlicet in *Renibus* Sanguinis impuritates effundantur. Quinimo notari fas est, quod ipsæ interdum *Aquæ Diuretice*, Succum lapidescentem habentes, non tam è *Renibus* Arenam eluant, quam iis impertiant, & in iis concretam faciant. Atque hoc casu, *Infusum Teæ*, *Aquæ pluviatili* confectum, *Diureticis* illis *Aquis* anteponendum.

H I S T. III.

Calculus Arthriticus, Vertigo Arthritica, & Arthritis regularis se mutuo excipientes.

Quoniam vero à nonnullis, de *Calculo Arthritico* dubium existimetur, utrum ille Concretio sit *Arthritica*; annon potius ex Sanguinis recrementis, emeritis, & inutilibus; per quietem, & vitam nimio plus inertem;

in *Renibus* depositis, nata atque ficta: Unum his subjiciam, quod (opinionem nostram) tollendo huicce dubio omnino satisfacere poterit.

Vir summa familiaritate mihi conjunctissimus, ex intervallis diu *Arthritide* recta conflictatus, enormem eam ætate supra habuit. Loco rectæ, primum *Vertigine Arthritica*, longa utique, ancipiti, & periculosa (quippe, quæ in humum ne irrueret, sæpe quidem summum erat periculum) est correptus. Postea vero quæ primus iste Capitis affectus inclinavit, Æger *Renibus* dolere cœpit, *Calculosque* varios, non sine ingenti cruciatu, per *Urinam* excrevit: nunquam autem *Calculo*, nisi *Vertigine*, & *Arthritide* regulari liber, ægrota- vit.

Post menses aliquot, *Pedibus* denuo laboravit; verum eo tempore, tum *Vertigine*, tum item *Calculo* immunis. Et quidem ita res erat, ut, tametsi horum affectuum alio, atque alio posthac creberrime; tamen, eodem tempore non nisi uno semper, aggravaretur. His etiã adjiciendum, quod eundem ordinem minime tenuerunt hi affectus; verum *Calculus* interdum, post *Arthritida* diu vacantem, (cum in Sanguine nova materia coacervata, novaque facta esset illius germinatio) Ægrum per se invasit: interdum *Arthritidis* Paroxysmum è vestigio excepit, tanquam Morbus ei geminus, à communi stirpe oriundus; vel potius, in alia Corporis regione, ejus pars altera.

Magni vero hęc momenti esse arbitror notare, quod, ex quo *Arthritidi* se adjunxit interdum *Vertigo*; alias *Calculus*; pro istorum Morborum malitia frequentiaque tenuata sit *Arthritis*; & quidem ea proportione, ut, ab illa de-

mi, quicquid istis attribui, confirmetur.

Istorum autem Morborum Ortus, Incrementum, Ordo, Vicissitudo, & inter se Relatio, numquid aliud significant, quam, quod ii omnes simili gaudeant causa continente; quæ nunc, in Artubus, *Arthritidem*; nunc, in Capite, *Vertiginem*; nunc, in *Renibus*, *Calculum*; & quidem hosce omnes, pro istius causæ renovatione, viribusque; tum crebros, tum vehementes pariat, & producat.

C A P. X.

De Asthmate Arthritico.

ART. I. **T**Ractata imi Ventris *Arthritide*, ad eam jam progredior *Anomaliam*, quæ est *Thoracis*; quæque respirationis Organa præsertim afficit: Ubi primum de *Asthmate Arthritico*; tum de *Tussi Arthritica*; de *Phtisi Arthritica*, deinde sermonem faciam.

Asthmata sunt hujusce tituli per multa, quæ à causis alibi locorum, nec in *Pectore* extantibus, oriunda, (Nauseæ, verbi gratia, Colicæ, Anginæ, vel hujusmodi Morbo alicui *Arthritico*, κατὰ συμπαθειαν, ἐπιγίνονται, & istorum, quibus superveniant Morborum Caputibus, sunt vel dicta, vel dicenda. Unum, hoc Capite, *Asthma* dicam *Arthriticum*, nimirum ἰδιοπαθεινόν.

II. Hoc affectu omnium creberrime laborant ii, quibus breve, vel aliàs male compositum Pectus, aëri recipro- cando minime accommodatum; & quorum Parentes *Asthmate* & *Arthritide* fuerant, maxime vero si utroque, gravati.

Hic

Hic enim, multo apparatu & molimine, producendo huic affectui, quasi studetur: cumque, nato & perfecto homini, respiratio usus sit perpetui, & ad vitæ opus sustinendum, continui; mirandum non est, illius impeditionem, & difficultatem aliquam insignem, sæpe periculosam, sæpe lethalem esse.

III. *Asthmati* huic inferendo (ut, de Aëre spisso, Carbonum fumo, Ventis, aliisque tam hujus *Asthmatis*, quam vulgaris & primigenii causis evidentibus, nihil dicam) huic, inquam, inferendo confert Miasma *Arthriticum*, Pectori inflictum; illius utpote causa continens, & conjuncta: itaque ut, tametsi plures illud causas evidentes & remotas, (alio sc. tempore & corpore aliam) unicam tamen habeat continentem, & proximam, videlicet *Arthriticam*.

IV. Pectori Miasma nunc Opiata, perperam adhibita, infigunt; nunc quicquid aliud *Arthritida* repellat, & Pectus appelli faciat: nunc, urgente nulla vi externa, sive causa evidente, pectus angustum, gracile, gibbosum, breve, aliterve male formatum, ipsa per se *Arthritidis* intrat; tanquam domicilium maxime conveniens. Interdum evacuatione aliqua solenni (qualis est Fluxio Sanguinis, Ulcus, vel etiam partus naturalis) suppressa; quæ Miasma sensim amandare solita est; in Sanguine cummulatum illud, neque, uti par est, in Articulos expulsum, Pectori committitur. *Arthritica*, Utero ex more non gerentis, *Asthmate* hunc in modum aggravatæ, exemplum memoratu dignum his subnectam.

V. De hujus *Asthmatis* ἰσχυρῶς, & de ejus natura plane *Arthritica*, ut patam fiat, advertendum est, *Asthma*

nunc è vestigio sequi *Arthritida* regularem intercisam; & à τοῖς ἔξωθεν, ad ea, quæ intus sunt, Materiolæ vitiosæ fieri μετασσω, aperte monstrare: nunc, è contrariò *Asthma* in *Arthritidem* mutari; antiquam Sedem, & avita Regna, se denuo ingredi, Materiam indicare: Nunc, hos affectus se mutuo excipere, vicesque agere alternas: Nunc ab *Asthmate*, *Arthritidem* vinci, absorberi; uti nonnunquam, ab *Arthritide*, *Asthma*. Qui quidem istorum malorum ordo, reciprocatio, habitudo, & ratio inter se nihil magis significat, quam quod, ex eadem Materia, *Arthritidi* propria, nunc in Artubus, nunc in Pectore vires exercente, utrumque producat; & *Asthma* illud sit revera *Arthriticum*. Quod quidem enunciatum eo magis probabile, quoniam *Arthritidem* sua gaudere Materia, peculiari & propria, quæ in alias aliquando Regiones evagetur; omnino constat; *Asthma* vero, non tam à propria ulla Materia, quam à vitiosa aliqua communi, (sive alia quavis inimica, & aliena;) una cum mala Corporis febricitatione, Partiumve respiratori dicatarum imbecillitate, causa hujus Morbi privata, fieri.

VI. Quæ vero hujus profapix *Asthmata*, dum sunt generum; alterum (uti de exquisito *Asthmate* pronunciatum esse solet) siccum, alterum humidum. In sicco isthoc *Asthmate* anhelum videre licet *Arthriticum*, & tanquam animam agentem, Spiritu difficili, Respiratione brevi, Pectore gravato, Tussi vel nulla vel mediocri, Sputatione parca laborantem. Qui Vini Spiritus dediti fuerunt *Arthritici*, eos sicco hoc *Asthmate* plus semel ægrotare novi.

Asthmate, quod *Arthriticum* est, humido affecti, tussiendo Sputum plerumque crassum, & viscidum, idque nonnunquam vitreum exantlant, unde levare solet *Asthma*, donec, nova in *Pulmonem* missa, Seri vitiosi copia renovabitur: Hoc autem, in teneris Corporibus, tenui, laxoque Sanguine, & ad colliquendum apto, donatis, & quidem Autumno maximè, locum habere mos est.

VII. Pituita crassa involvitur; una cum eo, *Pulmoni* incutitur; Tussique ejicitur Miasma *Arthriticum*: Sic, ut per multos interdum annos, inversa *Arthritis* hac via fugam capessat; eaque Sputatione, (simili fere modo, atq; Paroxysmo *Arthritidis* regulari) à periculis gravioribus defendatur Æger. Et quidem *Arthritidum*, quotquot observantur, *Anomalarum*, nullæ videntur esse benigniores, aut minus timendæ, eo, quod nunc dico, humido *Asthmate*, & *Diarrhœa Arthritica*; eo videlicet, propter Materiam *Pulmonibus* emissam; hac autem, *Ano*.

VIII. Ex diversis hujus *Asthmatis*, qua sicci, qua humidi Symptomatibus, opinari fas est; in priori, Membranas, Nervos, aut Musculos Spiritui trahendo inservientes affici, & iis Miasma impingi; unde *Respirationis*, cum siccitate labor; In altero, Miasma, Sanguinis Sero implicatum irretitumque, una cum eo *Pulmonibus* committi, & iis inhærendo respirationem impedire: Atque pro diversitate Symptomatum, diversa Morbi hujus *Subjecta* esse, non temere judicamus.

IX. Nonnunquam equidem *Arthritis* (quod ante traditum) ipsis à Carceribus, ipso ab initio devia, neque Pede, neque Manu salutata quidem, *Pulmonem*

adit, occupat, laceffit, tanquam *Asthma germanum*; nec ab eo facile distinguitur, donec, ætatis progressu, aliquando foras erumpat, Artus exerceat, recteque se gerat. Cujus quidem in Artus Translationis, hoc effectum esse solet, quod, quo rectius se gerat *Arthritis*, eo *Pulmoni*, & posthac reliquo Corpori universo, melius. Qua de causa licet existimare, malum isthuc nihil aliud esse, quàm *Arthritida*; primùm in pectore deviam, ipsoque principio *Anomalam*; postea suo loco regularem.

X. Hujus *Asthmatis* πρόγνωσις quam legitimi, veri, & genuini, longe alia videtur. *Legitimum enim, curatu difficilimum, Juvenes non sine magno labore, Senes nunquam eo liberari dicuntur.* * Contra verò exploratum, hoc *Asthmate* laborantes, facilius allevari, sæpius liberari; & quidem interdum, (quod de vero *Asthmate* rarius affirmari potest) ex toto.

Ut autem in re tam multiplici distinctius dicam, adjiciendum, *Asthmate* isthoc humido gravatos; Sputatione, quod dixi, servos, sæpè diu vixisse: *Arido* affectos maximo sæpè in periculo versari; brevi tempore, non raro strangulari; sed &, ope medica opportune adhibita, factaque humorum Metastasi, nonnunquam subito restitui: denique, nulla Arte sublevatos, eo se modo habere, & demum è vita cedere, tanquam *Asthmate* legitimo oppressos.

XI. Curatio tollit impedimentum respirandi; vel è Corpore illud evocando, vel in Artus amandando. Materiam è Corpore vitiosam evocat *Venesectio*,

* Vide Riverium, Cap. de *Asthmate*.

næfectio, & Purgatio; quarum illa Plethoricis, & nimio Sanguine distentis; hæc Gulæ deditis, Satietae læsis utilissima: Utraque vero talis fit, oportet, ut ab ea *Arthritidis* $\alpha\pi\delta\omicron\varsigma$ $\tau\alpha$ $\epsilon\zeta\omega\theta\epsilon\nu$ expulsio promoveatur. Hoc autem optime fit Sanguinis detractioe mediocri; Purgatione quæ per *Drastringum* aliquod, & Sanguinem exagitant, peracta. Detrahantur igitur, (quando res postulat, & Vires ægri patiuntur) Unciæ quasi novem: *Enema* brevi post injiciatur: die proximo *Purgans* (ex *Aloe, Syrupo domestico, Pil. Cochleæ*, vel ejusmodi aliquo) sumatur, sine Paregorico vespere frequenti propinando.

Post Evacuaciones hæc generales, in *siccò Asthmate Arthritico*, magnarum virium & momenti sunt *Sp. C. C.* aliique istius generis *Volatiles, & Flores Salis Armoniaci*.

℞. Pul. è *Chel. C. C. Conf. Tussilag. añ* ℥j. *Flor. Salis Armon. ℞. Syr. Balsam. q. s. f. Bolus, quinta, vel sexta quaque hora, cum idoneo vehiculo demittendus.*

In *Humido, Vesicatorium* Dorso inter Omoplatas applicatum, allevandis *Pulmonibus* summopere confert. Pituitam movent, eodemque tempore *Podagram* expellunt è *Sulfure* præparata; qualia sunt *Tinctura, Balsamum, & Flores Sulfuris*: uti etiam, his affinia, & plane congenera, *Gummi Antiasthmatica, Ammoniacum Bdellium; Balsama Naturalia, Peruanum, Chiliense, Capivi, &c.* Placet *Tinct. Sulf. gtt. xx. vel Balsami seq. gtt. x. ad xv. ex Syr. Balsam. coch. dare, & sexta, nona, vel duodecima quaque hora, prout opus fuerit, repetere.*

℞. *Tinct. G. Guajac. Bals. Per. añ p. aq. misce.*

In utroque vero, tam humido, quam sicco *Asthmate*, remediis hisce, cum vehiculis idoneis, uti juvabit; usque dum *Pulmoni* conciliabitur quies, & inducendo Spiritu facilitas.

Clysteres, & Purgantia, quæ in vulgari *Asthmate* non incommode plus vice simplici adhibeantur, in *Arthritico* hocce post primam vicem minime præscribenda: ne videlicet humorum in Artus eruptionem, quæ rebus quibuscunque aliis longe præferri debeat, sufflamment.

Pulmoni Phlegma quod impactum est, *Oleo Amygd. d. Ol. Lini, Syr. Balsamico, Cap. Ven. & aliis ejusmodi Anacatharticis* movendum, excreandum.

In *Paroxysmo*, siquidem urgebit ille, neque auxiliis supra dictis mitigabitur; maxime valet *Oxymel Scillit. vel cochleatim, & per vices datum, ut eo spirandi spatium adaugeatur, vel ea dosi, qua Vomitus cieatur, humorum inclinatio mutetur, & in Articulos vertatur. Certe, per unam Vomitionem, Arthritidem ex Anomala Regularem fieri, plus semel novimus. Nonnullis in Paroxysmo profuit Fumus Tabaci, Potio Coffee. Valent suo loco frictions. Non magni æstimantur Unguenta, vel Linimenta, Asthmaticis vulgo commendata, in re præsentis parum valitura.*

Prophylaxis in Humido Asthmate, præmissa Purgatione, instituitur per *Diuretica*; quæ Serum apte & tempori amendant: per *Antiasthmatica*; quæ *Pulmenem, & spirandi Organa* tueantur: per *Fonticulos*, Dorso inter Omoplatas apertos; vel *Epispastica*, maxime diuturna: perque ea, quæ *Arthritidis primigeniæ Prophylaxin* agant.

agant. *Siccum* autem *Marte*, cum *Antiasthmaticis*, *Gummi* puta *Ammoniaco*, &c. juncto; iis videlicet, quæ *Spiritus* animales una cum *Pectore* respiciant, fugandum. In utroque, usus est im-
 mensi *Aër* apricus, & probe agitatus; uti etiam bona victus ratio: quam ut teneat ægrotans, fugiat necesse est, τὸ ποικίλον τῆς Διάίτης, à Medicis non sine causa passim improbatum, & cibo simplici vescatur.

HISTORIA I.

Adolescens, ab Arthritide Asthmaticus, Empirici Narcotico peremptus.

AD trium supra viginti annorum Adolescentem, in regione Urbis septentrionali, vergente seculo superiori, anxie & propere arcessebar. Ut ætatem hominis adimpleret, à Natura ille destinatus esse videbatur. Erat enim forti, & quadrato Corpore, Vultu colorato, uno Miasmate *Arthritico*, quod à Patre acceperat, infectus. Sanguinem, ab ipso vitæ exordio vitiosum, ipse malis moribus non parum inquinavit. *Spiritus ardentis* avidè potavit: malam victus rationem affectavit: Coctionem; quasi de industria, pessum dedit.

Podagra, quæ Paroxysmum regularem plus semel ediderat, & dudum Artus exercuerat, nescio qua de causa relictis artubus, ad ea, quæ intus sunt, translata, *Respirationis Organa* invasit: Hinc *Pectus* aggravatum, *Spiritus* difficilis, *Respiratio* brevis & laboriosa.

Visa est *Materia*, vel è *Musculis* Re-

spirationi inservientibus aliquem, vel eorum *Membranas* occupasse; vel in *Nervorum Paris vagi* fibras se insinuasse. *Asthma* enim siccum erat; nec quicquam *Sputum*, nec quicquam *Tussim* sibi adscivit.

Dum ita res erat, *Empiricus* è *Laniorum* vico, ad *Vitam* & *Salutem* (Proh Deum atque Hominum fidem!) instaurandam, est accitus. Ille, *Historiæ* neque caput, neque finem ob oculos habens, ἀποίεγί: familiari & usitata, multa factitavit; nihil egit: donec elapso penè quatridduo, propter ἀγρυπνίαν (hanc *Argumenti* speciem obtendebat) *Paregoricum* audax, & nequam, sub noctem dedit. Hinc illæ *Lacrymæ*: hinc ille properus ad *Medicum* nuncius.

Ægrum ego ὄσφυρτόν inveni, moribundum, & jam, per totam, quæ præcesserat, noctem, animam agentem. Rem astantibus palam feci, & (honore habito) discessi. Τοῖς ἰεγοῖσι, τὰ ἰερά.

HIST. II.

Asthma siccum Arthriticum, Venæsectione, & Cardiaco sublatum.

Ingenio, Scriptis, & Eruditione Vir præclarus, *RAD. BOHUN*, *Hypochondriacus*, *Asthmaticus*, *Cruditatibus acidis*, *Dolore Artuum Arthritico*, sæpè vago, interdum fixo, diu afflictatus; *Dolorem* istum nuper acutum, ex improvise abruptum, & intercisum habuit. At brevis ista mali intermissio, Ægrotantem, olim Collegam meum, & eo tempore Convictorem,

rem, visitavi, Lecto inveni prostratum, jam per noctem anhelum, & ea respirandi fuit difficultas, reciprocatione crebra quasi animam agentem. Neque *Sputatio*, neque *Tussis* erat ulla. Pulsus in carpo fortis, & elatus.

Ex omni parte re perpensa, Materiam *Arthriticam* in *Pulmonum* Adyta, in eorum Membranas, Nervos, aut iis movendis inservientes Musculos, per *Μεμερητισμὸν* ingredi, & eos occupare censui.

Pertusa meo consilio Vena, Missus est Sanguis; cui, post horas aliquot, innatavit, Gelatinæ viscidæ similis, placenta. Deinde, ut è Castris inique usurpatis hostem exturbarem, *Spiritus Volat. Oleosi* copiam, ex idoneo vehiculo, propinavi; & pro rei necessitate repetii. Auxiliis hisce paucis, & paupertinis, sed opportune adhibitis, sine difficultate respiravit Æger: *Pulmone* liberato, & relicto, in Pedum & Manuum articulos (non novos illi locos) fugatus est Hostis: confirmatus Æger.

HISTORIA III.

*Arthritidis in Paralyfin & Asthma
Metamorphosis.*

Quidam Artis Sciens Chirurgicæ, semel aut iterum in anno *Arthritide*, per lustra quatuor recurrente, multum ægrotavit; ætate verò proventus, neque tam crebra, neque tam vehementi, per biennium minuta, & sensim mitigata est *Arthritis*; quum in ejus locum mala, multo graviora, simili modo & mensura, successere; sinistri nempe Brachii, Pedif-

que resolutio, cum totius Lateris imbecillitate: deinceps *Asthma*, tam molestum, tamque importunum, ut non nisi recta Cervice Spiritus traherentur. Siccum autem erat *Asthma*, Paroxysmos habens, sed nullo *Typo* regulari signatos. Mari Æger diu Artem exercuerat; ubi *Spiritum Vini* nimium pythando, tum *Arthritidi*, tum *Paralyfi*, tum etiam *Asthmatis* viam fecisse, & fundamenta jecisse non immerito censeatur.

Ita laboranti *Venæsectio*, *Oxymel scillit. Purgatio, Antiasthmatica Podagræ* juncta, cum Aere aperto, non nihil profuere. At cum illa Morbi natura esset, quæ Nervos, eosque valde afficeret, quæ Spiritus in iis contentos, (id est, intimum totius Corporis humorem) mirifice debilitaret; eum ætas simul ingravesceret, ægroque ferè jam inutilis esset Medicina; partim morbis partim ætate consumptum eum, sine ullo in Articulis dolore renovato, abstulit *ἀποθνήσκων*.

Eatenus verò rei nostræ conducit Historia; ut ex ea disci potest, maxime verò ex denso Morborum ordine, subitaque mutatione; *Arthriticam* in Nervos transferri Materiam; & tum *Paralyseos*, tum *Asthmatis*, causam fieri proximam, & continentem.

HISTORIA IV.

Arthritis in Asthma, & Hydropa, desinens.

Mulier *Exoniensis*, brevi Pectore, neque Respirationi satis apto; diu *Arthritica*, nuper omni dolore libera, nec pro more utero gerens;

gerens ; propter hasce Causas , annum circiter quadragesimum , *Asthmate* & *Tussi* corripiebatur ; illa non parum , isto multum excruciatâ.

Audita morbi Historia , Symptomatum ordinem & momentum meditati mihi , luce clarius videbatur ; illius Materiæ , quæ per uterum , perque Articulos soleret amandari ; quod in Corpore relictum , vel de integro cumulatam esset ; in respirandi Organa infundi , eorumque motum impedire. Qua quidem Opinione ductus , ut Aere puro , & aperto , frueretur ægra , (perpurgato prius Corpore) tus illam misi ; sed *Antiasthmaticis* , & *Arthritidem* expellentibus munitam. Neglectis autem Medicamentis , nulla in Articulis visa est *Arthritis* ; verum è contrario nova , tum in imo , tum medio Ventre , coacervata est Materia : Unde tantus Abdominis Tumor , Spiritusque tam gravis , ut non nisi cum sono & anhelatione spiraret Ægra , propemodum strangulata.

Clysteribus ex Urina crebris subducta est alvus , Tumor Abdominis sublatus : atque sic amotis impedimentis , *Sp. C. C. Succin.* aliisque *Podagrâgogis* , uno eodemque tempore , extrusa est in Articulos *Arthritis* , & amplificatum respirandi spatium : atque adeo (quod attendendum) æqualiter.

Hinc aliqua Curationis Spes ; at fallax , & inanis. Natura enim deficiente , neque operam conferente , frustra omnis Medicina. In *Hydropa* incidit Ægrotans , *Diarrhœa* , & *Narium Hæmorrhagia* , Symptomaticis , & sæpe recidivis , comitatum : quibus demum oppressa , Mortem , omnium Morborum finem , oppetiit.

HISTORIA V.

Asthma , cum *Iliade malorum* , *Arthritidos defectu* regularis , exortum.

VIr Reverendus , quocum magna pervetusque mihi familiaritas , Natura firmus , temperamento sanguineo , vultuque colorato præditus ; post Juventutem non tam intemperantem , quàm delicatam , & dapsilem ; matura ætate corpulentus , & habitior factus est ; Annoque MDCLXXIV. & deinceps , *Arthritide* per vices ægrotavit.

Postea solum , & coelum , (quorum illud siccum , hoc perflatum erat) humido , & minus salubri mutans , ætateque procedens ; *Arthritide* non , ut ante , fixâ , verum per Artus , ad instar *Rheumatismi* , vaga & erraticâ , laboravit. Sed neque diu Morbus istud *is* retinuit : Nam paucos post menses , quam in Corporis ambitu ille sævierat , *Catarrhis* & *Tussi* correptus est Æger : unde Sputum magna ex parte laboriosum ; utpote crassum , viscidum , ab imo *Pectore* citatum. *Tussi* accessit *Asthma* , grave profecto , importunum , & quod Ægrotantem multos annos , autumno maximè & tempore hyemali , divexarit. Quamvis autem *Asthma* , nec interdium unquam , neque noctu penitus cessavit ; ea tamen natura erat , ut , eadem Nycthemeri hora constanter redux , (tanquam ad Horologii fidem) & quidem multos in menses continuos , Paroxysmum ageret. Dum ita res erat , *Venæsectione* , *Vomitu* , *Purgatione* , *Decoctis Pectoralibus* , *Spiritibus* , *Gummi* , &c. *Antiasthmaticis* , plus semel levatum *Asthma* , minimè verò sublatum.

Aliàs *Hæmorrhoidum* Tumore, magno utique, & diutino, torquebatur Æger; eoque tempore illud præcipue notandum, quod neque Spiritum difficulter traheret, neque *Articulis* dole-ret.

Aliàs *Vertigine* tenebatur, adeo vehe-menti, ut quæ Ægrum neque ambu-lare pateretur, neque erectum sta-re: durante vero illa, cetera bene se habuit.

Mense Junio, MDCLXXXV. ex Vino nimio plus potu, incidit in *Pleuritidem*, *Hæmoptoe* comitatam: Auxilio, cum plerisque aliis, sed omnium multo maximo, fuit Sanguinis detractio, ite-rata, copiosa. *Pleuritidi* nondum pe-nitus evictæ, subnata *Arthritis*, in extremis Corporis partibus, regularis, ea vero, nescio qua de causa, sive qui-escente, sive repulsa; febricitavit denuo ægrotans, *Angina* affectus. *Anginæ* paulo post suborta est *Arthritis* (uti post *Pleuritida*) regularis.

Anno plus minus MDCLXXXVII. suadente nescio quo, fortissima fumens *Hydrotica*, ut erat Æger re-mediorum Empiricorum amantissimus) Sanguinem, à natura calidum, adeo exagitavit, ut *Impetigo* statim erumpens Corporis superficiem mire turparet. Tumore lato, & inæquali, facies inflammata est. In *Squamulas* subalbicantes, & *Furfur*, abiit Tumor; eoque exeunte, loci, tanquam à *Variolis*, Robur apparuit. Multum, & diu, gravissimo hoc affectu laboravit Æger. Alio enim loco restituto sana-toque, alium, sed à novissimo distan-tem occupavit; & quidem ita, ut *Maculas* crescentes, maturas, arescen-tes simul semel aspicere daretur, facies autem maxime, & pene con-

tinuò scedata est. Cui addendum, quod Æstus Corporis universalis, pru-ritus, & ex eo Spirituum inquietudo, Ægrum, molli teneraque constitu-tione præditum, supra quam dici po-est, excruciauit. *Impetigo* Sanguinis missione, Purgantibus cum Calomel. sæpius iteratis, *Antimoniatis*, est cu-ratus.

Verbo dicam: ex quo *Arthritis* idonea, & regularis, Ægrum deseruit; affectu hoc, vel illo, raro autem mi-tiori, & minus periculoso, annis fere singulis, urgebatur; sæpe tantum non opprimebatur.

Ex *Impetigine*, mutata rerum facies; namque, anno post uno, vel altero, redux *Arthritis* (tanquam ex postli-minio) Paroxysmos ἐν τοῖς ἐξώθεν, aptos & satis crebros, agitavit. Nihil op-portunius, nihil commodius esse po-tuit: nam *Arthritidis* denuo regularis ope, servatus Æger, per extremum vitæ decennium multo magis, quàm sole-bat esset, immunis, non tam Morbis, quàm Ætate fractus, è medio ex-cessit.

Hic animadvertendum (quod qui-dem maximi, in re præsentis, grande pondus argumenti) Ægrum, quo tem-pore sive *Asthma*, sive *Tumor Hæmor-rhoidum*, sive *Vertigo*, sive *Pleuritis*, sive *Angina*, sive *Impetigo* locum ha-buit, *Articulis* nunquam doluisse; nec quidem, in istorum morborum inter-vallis, ita crebro, aut tam graviter, atque ante *Asthma*: Unde verisimile, hos affectus, aliqua saltem ex parte, per materiam *Arthriticam*, (in Pul-mone *Asthma*, & singulos affectus in singulis eorum locis facientem) exci-tari. Cujus enunciati fides eo confir-matur, quod in *Arthritidem*, etsi mi-nutam,

nutam, & parvam, tum *Pleuritis*, tum etiam *Angina* semel; *Asthma* vero sæpius mutaretur. At, quod (Testium mille instar) omnem Argumenti metum adimat, hoc est; per *Arthritidem*, iterum recte, & debitis ex intervallis, edentem Paroxysmos; tum *Asthmate*, tum *Impetigine*, ne dicam alios affectus omnes, Ægrum liberari; difficilimisque Vitæ annis, supra quam spes, aut amicorum expectatio fuit, defendi.

Minime vero credendum, Morbis hisce procreandis unam sufficere Materiem omnibus *Arthriticam*; quin potius serosa Sanguinis eluvie v. g. in *Asthmate*, eam involvi, irretiri, & simul cum aliis Sanguinis recrementis, per *Pulmones* exterminari. Quod vero de *Asthmate* propositum, de *Impetigine*, cæterisque affectibus jam dictis, aliqua parte affirmari posse, cogitandum est.

Hinc opinari par est, Aegrotantem illum, bono Corporis habitu à Natura donatum, Vitæque ratione non adeo prava, aut inepta usum; in tot gravissimos affectus, forsitan non alia potius de causa, incidisse; quam quia *Arthriticum* Miasma, quod, ἀσθμῶν ex more usitato, & regulari minime, sic, ut debuit, expulsus fuit) in ea, quæ intus sunt, ferretur; ibique dictos, vel ex toto, vel ex parte, eaque nunc majori, nunc minori, faceret affectus.

Unde probabile, si, longo illo multorum Annorum spatio, (discessum inter reditumque rectæ, in Artibus molestæ, & vehementis *Arthritidos*) quo toti tantisque modis Æger afflatus erat; habita *Arthritidos* ratione, fuisset ille tractatus, & in *Arthri-*

tide reducenda, locata fuisset opera Medendi viam tutiorem, Ægroque multo fuisse commodiorem.

 HIST. VI.

Asthmatis Vultum induens Arthritis.

Nonnunquam Artus, ut ante dictum est, relinquit *Arthritis*, & ingressa *Respirationis Organa*, vel ea continuenter urget, vel accessionibus adeo crebris & molestis; ut, in illa Corporis Regione, non tam peregrinus, quam Morbus indigena, & vernaculus esse videatur. Hujus rei exemplum hic subjiciam, mihi notissimum; Virum medendi Arte percelebrem, eamque hodie feliciter exercentem. Fuit ille parentum altero, diu *Asthmatico*; altero *Phthisico* procreatus: brevem, & male formatum habens *Thoracem*, tanquam ad *Asthma* factus, *Pectoris* affectibus ab ipso ortu proclivis existimari potest.

Post Adolescentiam floridam, sed & temperatam, ætate matura, laboravit *Arthritide*, crebro recurrente, satisque apta. Anni aliquot hunc in modum agebantur, cum à *Catarrho* spirandi difficultas *Arthritidi* succrevit, progressu temporis ingravescens. Huc non parum contulit Aer, Fumo Carbonum, salinis (è vicino mari), Vaporibus, & Officinarum, quæ in propinquo erant, graveolentia repletus. Flante Euro, vel Euro aquilone, raro ille sine difficultate spiravit; ut vel ea de causa, (Vento nimirum eo exorto) sæpe lecto se ejicere, & Corpus erigere cogeretur. Eo durante Vento, semper ἀσπνῶν; cessante eo, vel in alium

mutato, tanquam incantamento, levatus est. Cena interdum obfuit immodica, & in Victu error fere omnis. Obfuit Cutis, alias à Frigore, alias ab Aere nimis spisso, constipatio, & impedita *Διασπασίς*. Quin etiam *Asthma* nonnunquam intulit, ab Equitatione, vel Ambulatione, vel alia aliqua Exercitatione nimia, fatigatio; uti etiam nonnunquam Aeris, & Platearum ardor æstivus: unde Spiritus animales, sive exhausti, sive debilitati, reciprocando Pectori vix sufficerent. Sæpe à Cruditatibus incepit *Asthma*: namque inde Flatus; inde Abdominis distentio; inde Thoracis coarctatio, in Spiritu trahendo, inde labor, & difficultas.

Sanguis huic Aegrotò, *Inflammationi* contrahendæ admodum pronus erat; sæpe in *Peripneumonias*, aliasque *Pebræ*, (nunc *Sudoribus*, nunc *Diarrhæa*, nunc *Urinæ profluvio* signatas) evehctus; semper autem pertenuis, quique minima de causa colliqueret; qui nunc per *Renes* efflueret; *Pulmones* sero qui nunc obrueret, & Spiritum elideret. Illud autem Serum, post aliquam in *Pulmone* moram, vitreo sæpè colore exantlatum est.

Ingruente *Asthmatis* insultu, reliqua ejus Symptomata antecedere solebat Ventriculi inflatio, cum Intestinorum Vermiculatione, & Dejectione postmodum insequente: magna Pectoris erat Constriictio; Lateris præcipuè dextri, subtus Mamillam: ubi loci Aeger in omni *Asthmate*, potissime torquebatur.

In Paroxysmo *Asthmatis* (quoniam unum idemque rarò diu profuit) Medicamenta in usum trahebantur varia. *Mixtura* nempe *Riveriana*, *Tabaci*

Fumus Tubo haustus, *Empl Epispasticum Dorso inter Omoplatas admotum*. *Ol. Amygd. d. cum Diacod. Potio Teæ*, cum adjectis *Bals. Sulph. Terebinthinati* guttis aliquot: at omnium maximè, certissimeque, *Inflationem* mirum in modum cicuravit, compescuit *Potio Coffee*.

Ad *Prophylaxin*, & adversus *Asthma* sui tutelam, Aeger, (auxilium ab exploratis fumens) *Eccoprotico* identidem adhibito, temporari Cruditates exterminavit; itaque malum anticipavit. Profuit *Decoctum Corticis*, eo namque Sanguini robur conciliatum. Profuit *Dietæ* ratio accurata; *Coena* parca, vel nulla; loco *Cerevisiæ*, *Vinum Burdegalense*, aqua dilutum; profuere *Fonticuli*, *Dorso* aperti. Id autem, ut rectè concoqueret, & Frigus evitaret, Aegro præcipuè curæ erat.

At, quod rem nostram maximè attingit, eamque non parum illustrat, ex quo tam gravi *Asthmate*, omni mense, ne dicam *Hebdomade*, recidivo laboravit Aeger (id est, per decennium ultimo lapsus, & quod excurrit) rarius, minus ille doluit Articulis: &, quod imprimis notandum, hujusmodi Dolor, quoties occurrit; è vestigio *Asthmatis* insultum est secutus, eique connexus: ut, ab eadem causa communi, nempe *Arthritica*, non immerito fieri credatur, uterque hic affectus; & quod *Asthmatis*, natura tam *Arthritico*, per *Arthritidis* Paroxysmum regularem, (modò *Vires* aliæque Aegri res annuerint) utiliter occurratur.

Huic quidem Aegro persuasi, ut quo fieri posset Artificio, præsertim *Marte*, & *Phænigmis*, à Pectore longè arceretur, in extremas partes evocaretur *Arthritis*; ea nimirum opinione ductus, quo

quando ab eadem causa, nempe *Arthritica*, idem *Subiectum*, nempe *Pulmonem*, afficiente producantur; propter hanc earum inter se convenientiam, & necessitudinem, una, non inepte hoc *Capite*, tractari fas est. Ut autem de illis clare, & perspicue dicam; primum, earum communia, quæ omnibus, vel minimum plerisque sunt; tunc quibus illarum, quæ propria sint, edifferam.

II. Omnibus hoc commune est, illas tam cito nullos unquam invadere, nullos æque male habere, & multare, ac quos sive gibbosos, sive graciles, sive *Pectore* nimis brevi aut acuto, aliove quovis modo angusto, nec satis apto, *Natura* fabricavit, aut etiam *Constitutione* nimis tenera donavit. Si qui etiam *Ictu*, *Casu*, *Vociferatione*, vel *Exercitatione* aliqua vehementi injuriam *Pulmoni* intulerunt; vel à Parentibus *Phthisicis*, aut *Asthmaticis* exorti, vel ipsi tales fuerunt. Hos, inquam, omnes *Arthritis* sæpe larvato Vultu aggreditur; quumque ejus suspicio ne vel minima incidit; *Pulmonis* Aduertum intrando, *Membranas* ejus corrodendo; tarde crebro, ac certo, perimit. His enim *Corporibus*, *Pulmo* læsus, & debilitatus, alienum facile recipit; difficulter rejicit, itaque tandem acri, & viroso eo corrumpitur.

III. Hujusmodi Corpora vexantur his *Anomaliis*. Utrum vero *Arthritis*, vel quousque ea, priusquam se *Regularem* ostentavit, & in *Artibus* unquam emicuit, *Pulmonem* afficiat; quoniam indicia non habemus manifesta, & fide digna, explicari nequit. Suspiciari vero licet, *Naturam*, in iis, qui parentibus nati *Arthriticis*, una cum ipsa vice *Lampade* *Miasma* ac-

cepere; quoties illi, ætate prima & ineunte, *Achoribus*, *Catarrhis*, *Tussi*, aliisque hujusmodi malis supra modum urgeantur, (eos autem crebro fit urgeri, & *Morbis* his alienum aliquod exterminari constat) *Miasma*, à Parentibus acceptum, in *Natorum* *Sanguine* retentum, ibique copiis adventitiis quotidie auctum, hisce morbis, aliqua ex parte ablegare. Hoc autem, utrum ita revera sit, an secus; ex *Natorum*, & *Parentum* malis simul comparatis, optime (tametsi, propter rei obscuritatem, non sine aliqua dubitatione) colligendum. Quare in *medicis*, uti dixi, *Suspicionibus* hoc habendum, eoque magis, quoniam, data positaque conjecturæ hujus veritate, *Medicinæ* *Arthritidem* expellendæ reducendæque, ætate hac tenellula, omnium minime locus inveniat.

IV. Ad eas transeo *Anomalias*, quæ disquisitioni nostræ magis exponantur, & patefiant. Postquam *Arthriticis* *Paroxysmos* aliquot idoneos, & regulares sustulere, non raro accidit; maxime, si iidem *Corpora* modo descripta habent; à *Paroxysmo* sive *interciso*, nimis leni, vel raro, *Materiam* in *Pulmonem* transferri *voceq̄n*. In *Paroxysmo* *interciso*, vel *abrupto*, sæpe per *Emplastrum*, *Cataplasma*, *Frigus*, vel externum aliquod aliud istiusmodi repellens, ad τὰ ἐνὸς τῶν retro agitur materia, cujus utique *Repulsioni* statim superveniunt *Pectoris* *Gravitas*, & *Fartura*, *Spirandi* angustia, aspera *Arteriæ* *Titillatio*, *Tussis*, *Sputum* primò tenue, postea crassius; quæ quidem accidentia, qua sunt proportione, *Pulmones* affici, & in eos humidum impelli *Arthriticum*, aperte indicant. Hæc est *Arthritidos* in *Pulmonem*

Translatio, omnium maxime evidens & certissima.

Est autem ubi, *Paroxysmo* minime abscisso; verum, propter ejus sive lenitatem, sive raritatem, mala eadem oboriantur; & dubium magis reddant, sintne ipsa *Arthritica*, annon. Hoc autem dubium, *Arthritide* brevi post in *Paroxysmum regularem* erumpente, non raro eluitur: & ea, recte nunc demum agendo, se nuper minus rectam fuisse confitetur. Ita, ex *Arthritide* regulari præcedente, comitata, vel insequente, habes, de istarum *Anomaliarum* natura prorsus *Arthritica*, quibus tuto possis acquiescere.

V. Porro, in hoc concordant hæ *Anomaliæ*, (uti cum iis cateræ fere omnes) quod sæpissime Seniores, interdum media ætate Viros, at rarissime Juvenes, quantum observatione constat, adorianur. Ut de meis loquar; ex hujusmodi laborantium numero, quem vidi, non exiguo, unum tantummodo Adolescentem inveni: alios omnes aut ætate grandi, aut saltem matura, ac constanti.

Hujus rei causa minime obscura est; quia, licet *Arthritide* nativa, & à Parentibus ducta, Ægrotantes, ipsa quidem Adolescentia, nonnunquam Pueritia, dolent; hoc in *Arthritide* acquisita non temere cernendum. Ebrietate, Gula malisque ea moribus acquiritur; atque ideo, ante medium vitæ, raro *Paroxysmos* inchoat regulares; perraro *Ανωμαλίας*: in sexu vero muliebri, raro ante Partus, & Catamenia finita.

VI. Sputi ratio est habenda: Primo illud tenue, nec quidem multum esse solet; brevi post tempore copiosius: aliquando cum Humorum tanto

in *Pulmonem* flumine, quantum Pectus aggravet; *Pulmonem* infarciat; Vocem obtundat, Spiritum impediat, quodque, si diuturnum esse contigerit, Ægri Corpus attenuet, infirmet, & demum opprimat. Qua vero proportionem *Sputum* excreatur, eadem fere minuitur, in extremis Partibus, *Arthritis*, sic, ut quo plus *Sputi* ejiciat Ægrotans, eo minus *Articuli* afficiatur. Etsi vero istiusmodi *Sputatio* maxima ex parte salutaris (quoties nimirum non immodica, neque temere suppressa) esse reperitur, in extrema tamen Senectute, nimiam, & perniciosam, interdum novit, sic, ut ea multum Æger enervaretur, & demum enecaretur. Hoc autem, ut opinor, rarissime occurrit.

VII. Nihil hos affectus esse *Arthriticos*, evidentius significat, quam unum illud, quod sint omnes *Arthritidi inversa* ratione, qua *Paroxysmum* vel regularem, vel interruptum excipiant, vel absentem introducant; vel deficientem suppleant, & quidem ita, ut quo minor, rariorve ille, eo hi majores: ut ex imminuta *Arthritide* externa, pro affectuum horum acrimonia & importunitate, internos hos affectus *Arthritica* origine esse constat; & à Miasmate *Arthritico* *Pulmonem* in eunte, *Tussim*, vel *Catarrhum*, vel *Peripneumoniam* excitari.

VIII. De *Anomaliis* hisce singulatim sumptis, jam proxime dicendum; & quidem, primo, de *Tussi* observandum, illam harum omnium esse frequentissimam, quæque *Paroxysmum Arthritidis* regularem usitatissime insequatur, raro autem comitetur, nisi ægroto valde *Arthritico*, *Pulmonem* admodum imbecillum habente: Hujusmodi ego *Arthriticos*, nimirum *Phthi-*
m 2 *sicos*,

sicos, Ægrotantes, uno eodemque tempore Tussientes, & Dolentes, aliquando inveni. *Tussis* hæc *Arthritica* nonnunquam in Paroxysmum regularem, (Materia in Artus translata) suapte sponte desinit; promptissime vero, si *Cathartico* non nimis leni, sed Sanguinem miscente, & turbante, fuerit adjuta.

De *Tussi* porro aliud notavi, silentio minime prætereundum; nempe, in nonnullis *Arthriticis* Paroxysmum eam omnem antecedere; Ægrum, dies quatuor, vel quinque exagitare; inter Accessionis Symptomata prænuncia, jure merito censerit; quumque ea Sputi multum ejiciatur; (aliquando permultum ejici exploratum habui) una cum eo Miasmatis partem aliquam *Arthritici*, per *Anacatharsin*, quod probabile videtur, expelli.

IX. Hujus generis *Catarrhos*, uti semper *Asthma* comitatur; ita interdum *Hæmoptoe*: Immenso Sericopia Spiritus viæ occluduntur, unde *Asthma*; & in eodem Sero demum exantlando, quia *Pulmo* (simul cum universa *Pectoris* compagine) concutitur, rapide convellitur, ipsumque Serum, acre & mordax, vascula exedit; ab ista agitatione, acrimonia, fit interdum *Hæmoptoe*. Quæ, tametsi Ægro terribilis, horroremque ei, forsitan alias meticulofo, incutiat; minime tamen pertimescenda, tanquam pessimi prorsus ominis: modo *Pulmones*, à natura *εὐτροποι*, nulla evidenti causa læsi, & Curatio matura, & apta fuerit instituta.

X. Hæ *Tusses* sæpe, & interdum hi *Catarrhi* ex intervallo aliquo revertuntur, quando nimirum Miasma, (ut est semper nascens) in Sanguine renovatum, ac cumulatim, *Pulmoni* infigatur.

Accessionibus his imprimis favet Autumnus, qui, quum illud tempus sit, in quo, ad τὸ παραξίνεσθαι, & Miasma emittendum, moveri soleat *Arthritis*; & in quo *Catarrhi*, & *Tusses* grassentur exquisitæ; quidni hisce nostris favere judicetur. Unum autem hisce omnibus inesse, & quidem magnopere ad eas contribuere censeo, nempe *Pulmonum* à natura imbecillitatem, & Ἀτονίαν: unde ii, *Arthritico* Miasmatis, (quandocunque fuerit in Sanguine congestum, & expulsionem aptum) Pectus ad-eunti, in se recipiendo, arctèque complectendo, perpetuo sunt parati.

XI. *Tussientibus* his *Febricula* seu nulla, sive lenis esse reperitur; sin eos algere, aut Cardiacis nimium indulgere contigerit, (unde *Febris* sive accendatur, sive augeatur) *Peripneumoniam* est quod timeas. Quacunque vero de causa initium capiat hic affectus, signa eum ostendentia, quæ *συνδρομῶν* constituent *παθογνωμονικῶν*, plane sunt eadem, ac in *Peripneumonia* vulgari, & absoluta; &, utrum affectus hic *Arthriticus* sit, an vero minime, (nisi forte Dolor *Articularis* simul occurrat, extraque dubium rem ponat) ex ejus *Historia* tantummodo petendum est. Quoties autem *Arthriticus* esse apparebit, hujus rei in eo curando rationem aliquam haberi, oportebit.

XII. *Anomaliis* hisce medendi Indicatio generalis, eo, quod alienum est, citissime tutissimeque *Pulmonem* liberat: illud autem in diversis his affectibus, modo non uno perficiendum. In iis omnibus *Venæsectio* prodest, ubi nihil adversatur: In teneris, & debilibus, vix unquam administranda; in morbis, & ætate fractis, ne vix unquam. *Hæmoptoe*, & *Peripneumonia* labo-

laborantibus est aptissima; præcipue *Peripneumonia*, qui omiſſa *Venæſectio*-
ne raro curantur. Ubicunque vero
inſtituta fuerit, caute & provide ca-
vendum eſt; ut, *Arthritidi* poſtmodum
in Artus expellendæ fugandæque, Na-
tura ne reddatur impar.

Proximo loco de *Purgatione* cogitan-
dum: Ea etiam omnibus hiſce malis oc-
currit: & probabilis videtur, ubi *Vires*
Ægri conſentiunt; maxime vero, ubi
Corpus craſſum, & plenum; aut Intefſti-
na ſunt immunda, & nulla fuit *Venæſe-*
ctio. Illa vero *Purgantia* jure merito
præferenda, quæ ſanguinem exagitan-
do, & turbando, ad *Arthritida* moven-
dam conferant: de quibus iterum, &
ſæpius alibi.

Præmiſſis hiſ, ad ea deſcendimus,
quæ *Arthritidi*, hoſpitiſ novo, & inep-
to, (*Pulmone* ſcilicet) excitandæ, &
foras eji-
ciendæ faciant. Hiſ adjungi,
& cum iis ſimul componi juvat illa,
quæ, *Pulmoni* dicata, ei, ſive per *Ana-*
catharſin, ſive alio quovis modo inter-
viant. En horum Exemplâ.

℞. Alcohol. M. Balsam. Capivi aã
ʒʒ. Conf. Fruct. Cynosbat. ʒj. Syr. Cap.
Ven. q. ſ. ſ. Bolus.

℞. Flor. Sulſ. (vel Benzoin) Chal.
prædicti aã ʒʒ. G. Ammon. ſoluti q. ſ.
ſ. Pil.

In *Tuſſi*, vel *Catarrho Arthritico*,
(modo nulla *Febris* ſuſpicio fuerit,) ſu-
matur *Bolus*, vel ex *Syr. Balsamici*
coch. j. Pil. bis in die, cum *Decocti Pecto-*
ralis hauſtu: quem quidem *Syrupum*,
vel ejuſmodi aliquem, alias ſæpius in
die lambat: Alias, forma liquida ſiqui-
dem arridet, iisdem temporibus propi-
netur *Hauſtus*.

℞. Syr. Tuſſilag. (vel Cap. Ven.)
ʒʒ. Tinct. Sulſ. gtt. x. quibus probe mi-

ſtis adde Pul. Olib. Chal. N. aã ʒʒ. Aq.
Hyſſopi ʒʒʒ. ſ. Hauſtus.

Loco Tinct. Sulſ. Balsamum ejus
Aniſatum, vel *Terebinthinatum*; Bal-
samum Capivi, *Gileadenſe*, *Chilienſe*,
vel *Peruanum* certis ſuis Doſibus ad-
hibeantur.

Quando malum inveteravit, ad pro-
hibendam *Sanguinis Colliquationem*,
Decoctum Corticis aliquoties præſcripſi,
in *Ægroti* emolumentum non medioc-
re.

Tuſſienti profunt *Troch. Nigri Lon-*
dinenſes, *Ecligmata*, & ad *Sputum*
educendum, & *Tuſſim* mitigandam,
quæque tuto faciant *Arteriaca*.

Quum Remediis internis dies tres,
vel quatuor impertiveris; unde roboretur
Sanguis, & ad τὸ Παροξύσεν exſtri-
muletur; ſi nulla in *Articulis* appare-
bit *Arthritis*, applicetur extra, Parti
creberrime dolenti, *Empl. Cephalicum*,
per ſe, aut cum *Picis Burgund.* quanti-
tate æquali; vel *Ceratum viride*. Sin
iſta, nimis imbecillia, Materiam non
movebunt, & ex eorum uſu nulla *Pul-*
moni fiet utilitas; validioribus opus erit
auxiliis, & majori mole pugnandum.
Hoc caſu *Phænigmi*, *Veſicantia*, *Setacea*
poſſunt uſurpari. Eo autem modo in
eorum uſu, progredi juvabit; ut à mi-
tioribus ſemper incipias, neque, niſi illa
frustra fuerint, ad ſeveriora aſcendas:
quumque ſeverioribus uti neceſſum
erit, non niſi Naturæ permiſſu, &
ſic, ut ejus vires pati poſſunt, id ten-
tandum.

XIII. Hac methodo, in hiſ affe-
ctibus, *Pulmoni*, ut opinor, optime pro-
ſpicitur; maxime ſi, Tutelæ gratia, in
Dorso *Fonticulos* aperiat, ſique aëre ſic-
co, & ventis agitato utatur *Æger*, ſi-
que eo omnia dirigat, ut recta perſtet

Arthritis, & ex intervallis debitis recurset.

Hiscæ vero prætermiſſis, aut odioſe, & negligenter actis, *Tuffis* ingraveſcit, Corpus non alitur, nullus in eorum, quæ decedunt, locum ſubeuntibus, ſuccedit *Macies*: Pituita, quæ principio tenuis erat, jam craſſior fit, exſcreatuque difficilior, & interdum cruenta. Exulceratio fit *Pulmonum*, unde, tanquam exquisita *φθίσις*, oppreſſus æger, e medio excedit.

XIV. In *Peripneumonia* vero *Arthritica*, rapidiori gyro verſatur res. Inter initia, Morbo protinus occurrendum; alias ſane non facile vincendo. Sanguinem cito detrahi, Enema poſt horas aliquot immitti, *Purgationem* die poſtero inſtitui, oportebit. *Linctus* ex *Oleo Amygd. d.* vel *Oleo Lini*, omni fere hora delingendus. Vitanda ſunt *Emulſa*, & *Decocta* nimis frigida; ſiquæ apparebit in Artuum aliquo *Arthritis*, vel, eam educi poſſe, Spes erit; per eam educentia conſulendum eſt Ægroto. Hoc enim perpetuo ratum eſſe arbitror, *Peripneumoniam*, ex *Arthritide* inverſa, & in Febrim adaucta, natam, ejuſdem *Arthritidis* expulſione, & in Artus amandatione, & in viam reductione (modo hoc effectum reddere licebit) commodiſſime poſſe removeri.

XV. Non ignoro Clariffimum *Sydenhamum*, Medicum *ισόθεον*, de ſanandis his affectibus aliter ſcripſiſſe: nimirum, *Metaſtaſi* *Materiæ* vitioſæ facta in *Pulmonum* lobos, Intentionem medendi non ad ipſam *Podagram*, eſſe dirigendam; verum, (hoc ſymptoma, *pari modo tractandum*, quo *Peripneumonia* *absoluta*; *Venæſectione ſcilicet repetita*, cum *Diæta*, & *Remediis* refrigerantibus, ac *incrāſſantibus*: *Purgandum*

inſuper Ægrum, inter *Venæſectiones*, idque *Potionibus* lenientibus: *Sudorem autem obeſſe*, *materiam Pulmonibus impactam indurando*; unde generantur *abſceſſuli* & tandem *Ægri mors certiffime ſubſequitur*.) At ego per *ῥυτίαν*, per *Æſculapium*, per ipſius *Sydenhami* Manes, oro obſecroque; quænam *Morborum Venenoforum* (cuiuſmodi ſunt hi omnes) *Curatio* probabilior, quam per ipſius *Veneni* è Corpore, vel in Artus, in Partes à Centro vitæ remotas, & minus nobiles, expulſionem? Annon *Natio Medicorum* omnis, ipſeque alias *Sydenhamus ἀνεπιτήδειον*, quoties ingraveſcat, & in *Orgaſmum* evehatur, exterrinari, exturbari, ejicique jubet? Annon hoc ipſum *Naturæ* opus; eique *miniſterio*, & *auxilio*, *Medicorum* eſſe: prædicatum eſt. Hiſcæ vero, tanquam *Baſi* & *Fundamento*, poſitis, quæ (ſecundo loco) *Medicina* hanc alieni expulſionem magis promovere poſſit? ea, videlicet, quæ *Venæſectiones repetitas*; quæ *Diætam*, & *Remedia refrigerantia*; quæque *Cathartica* blanda, & lenientia, (quæ quidem omnia, Sanguinem deprimendo, *Venenum* in eo retineri faciant) ſpretis interea, neglectiſque *Diaphoreticis*, *Arthritidem* expellentibus, comprehendat; An, è contrario, quæ ex *Remediis* calidioribus; *Venenum*, ad *Naturæ* votum, & proſitum, in Artus tuto extrudentibus; quæque ex *Venæſectione* & *Purgatione*, ad hoc opus accommodatis; quæque auxiliis, extra admotis, *Arthritidem* evocantibus, ſit compoſita? Si à *Febre*, *Medicamentis* *Calidis* ne inferatur, erit periculum? hoc ut devitetur, miſſione *Sanguinis* ſufficienti, & *Calidorum* uſu non nimio, cavendum eſt; ſed neque rei ullius, propter ejus, qui incidere

dere possit, abusum, spernenda protinus utilitas; præsertim ubi magna, & humano generi salutaris. Altera vero ex parte *Veneno* retento, licet depresso; quam exulante, & amoto, tum commodi minus, tum periculi plus, oriri certum est: itaque esse, non suadet *Opinio* temere suscepta, sed cogit *Experientia*, non subleptæ fidei, verum iterata, firma, & (uti mihi videtur) rationi consona.

HISTORIA I.

Tussis Arthritica.

DUm hæc in manibus sunt, memet interea consulit è propinquo quidam, humili loco natus, annos circa quinquaginta; Pectus aggravatum, Vocem impeditam, & *Tussim* habens media ætate molestissimam. Sreatu ille multum ejecit, *Tussi* exantlavit; nonnihil elanguit; febricitavit. Erat, quod *Tussim*, qua magnam, quæ diutinam, qua tempestatu non nimis congruentem, ingenio & natura esse singulari, submonere videretur.

Quæ per Anum Materiam è Sanguine, leniter educerent, ex usu medico Remedia præscripsi: quibus sumendis, postquam Aeger dies aliquot, tam utiliter, quam sedulo, incubuerat; novum ecce malum, improvisum, inopinatum est exortum; *Genu* nimirum dextri *Dolor*. Cumque didicerim, *Pedibus* illum antea, more prorsus *Arthritico*, doluisse; per annum autem integrum, & quod excurrit, minime; *Dolorem* hunc *Arthritidis*, sese in *Paroxysmum* efferentis, indicium esse existimavi. Cum brevem eum, medio-

crem, neque satis acutum observaverim, partim *Materiae* per Anum, partim per *Pulmonem* ejici, *Tussimque* illam revera *Arthriticam* esse, judicavi.

HISTORIA II.

Tussis Paroxysmi Arthritici Symptoma prænuntium.

Senex perhonorificus, morum suavitate, animique integritate clarus; quum de varia, & multiformi *Arthritidis* natura, sermones unà fecerimus; de sua, qua triginta jam annis per vices ægrotaverat, sciscitanti mihi confirmavit, se *Febricula*, per omnem fere juventutem, quotannis fuisse, deinde vero *Rheumatismo*, affectum; cum hoc eventu minime reticendo, quod, ex quo hic primum apparuit, illa plane desierit, neque semel unquam *Ægrotantem* ex eo tempore invasisset.

Rheumatismo ut moderetur, hortatu Medici, per totam *Angliam* tum temporis, celeberrimi, *Diaphoretica* sumpsit; iisque affatim assumptis, quæ per Artus hic illic sparsa erat *Materia*, jam *Articulis* affixa est, & vulgi quidè opinione *Æger* *Ποδαγία*. Eo more *Paroxysmus* erat; ut *articularem* (*Digitum* maxime) *Dolore Tumoreque*, noctis unius spatium, excitatis, se ostendere; & omni Vere, & Autumno, multos annos reverteretur. Quod vero memoria dignissimum, *Paroxysmum* omnem præivit *Tussis* importuna, vehemens, molesta, qua, dies quatuor, vel quinque, *Ægrotum* exagitante, multum ille tussiendo semper ejecit, & una cum *Pituita* (quod quidem verifi-

verisimile) Miasmatis *Arthritici* partem. Cetera vero, quantum ab ægroto accepi, *Arthritis* se rectè gessit.

H I S T. III.

Sputatio *Arthritica*, in extrema ætate nimia.

TAbernarius quidem in vicino Oppidulo, per ætatem mediam & constantem, *Arthritide* doluit recta, & idonea; grandior autem, inversa & *Anomala*. Nunc *Ventriculum* ea, nunc *Pulmonem* est ingressa; illi *Ανορεξία*, *Δυσπεψία*, Nauseam inducens, huic, *Tussim*. Erat *Tussis* admodum molesta; Pituitæ tantum movens, quantum Ægrotum ætate pro-
 vectum debilitaret, alimento privaret; macilentum redderet: qua vero ratione gliscebat in *Visceribus Arthritis*, in extremis partibus ea remisit, & quidem è vestigio; sic, ut de *Materia*, ad *τὰ ἔνδον ἀ τοῖς ἔξω*, translatione, & de his affectibus, ab eadem causa communi oriundis, nihil omnino dubitandum. E *Cortice*, *Marte*, & *Sulfure* præparatis, varia præcipiebantur, una cum incrassantibus, & Sanguinem roborantibus: eo videlicet, ut in Artus expelleretur *Arthritis*, itaque defenderetur *Pulmo*. Natura autem viribus deficiente, (*απώτων μὲν πάντων δὲ φήσι*) frustra erant omnia. Medicamenta, utut probabilia, sexagenario, annis & tristitia fracto, parum profuere. Sputatione nimia, Virium imbecillitate, Animi moerore, propter res domesticas depressum, & Medicamenta vix sentientem, Mors abstulit, *ultima Morborum Medicina*.

H I S T. IV.

Anacatharsis Arthritica Salutaris.

INeunte seculo supra millesimum septingesimo, ad Presbyterum *Exoniensem* arcessor, qui, eo tempore quadragenarius, constitutione tenerrima, & jam annos septem *Arthriticus* fuit. Paroxysmo dudum gravissimo affectus est, Manus, Pedes, Genu alterum obfidente, eoque adhuc consistente, mox apparuit *Catarrhus*, Nares, Os, Pulmonem, more pene *ferino*, obtuens. Hinc *Pectoris* farctura, Spiritus difficultas, *Tussis*, Sputum primo tenue, postea crassum & copiosum, & imo Pectore, magnoque cum molimine eductum. Quemadmodum illud *σπυρσέρον* (*Sputum volo*) increvit, ad eundem plane modum & rationem, signa pure *Arthritica* (id est, *Dolor* & *Tumor Articularis*) sunt minuta. Ut *Arthriticum* Miasma aliqua ex parte per *Anacatharsin* expelli, compertum habetur.

Ad *Tussim* mitigandam, & *Sputum* simul movendum, *Syrupum Balsamicum* & de *Meconio*, sæpius in die lambendos; & *Pil.* hora somni, sed modica quantitate, *Styracinas* dedi: Quod Humorum nimiam inhiberet *Colliquationem*, & ab ea Sanguinem tueretur, *Decoctum Corticis*, iisdem *Syrupis* dulcatum, imperavi: quæ cum fructu, & emolumento non mediocri adhibebantur.

Biennio post, ab una eademque causa evidenti, nempe Frigore, & *Articulis*, & *Tussi* laboravit Æger; eoque procul dubio magis, quoniam,
 cum

cum Autumnus esset, ille Sanguini depurgando non parum faveret; Is erat *Dolor Arthriticus*, quo nunquam huic *Arthritico* major, nunquam acerbior; ea vero *Tussis*, quæ, Sputatione multa, & Pituita larga vi emissa, Dolorem penitus abscinderet; ejusque causam, per *Anacatharsin*, amoliretur. Cujus rei veritas vel hinc eliciatur, quod Dolores interruptio *Sputum* derepente sequeretur, & pari passu comitaretur. Hujus *Sputi* movendi citandique gratia, *Opobalsamum*, ex *Syrupo Balsamico* sæpius in die, non sine fructu, datum est. Omnia denique sic comparata sunt, ut *Arthritidi*, per *Pulmones* fugam molienti, via patefieret. Ex sententia res successit.

HISTORIA V.

Peripneumonia Arthritica.

Matrona lætissima, sanctissima, majores habens inter Aborigines *Dammonios*, stirpe tam nobili dignissima; *Pectore* à natura brevi donata, nonnullis ejus affectibus, ea de causa proclivis esse visa est. Quæ, ab ipso vitæ initio, *Pulmonem* illius ingredi, *Tussimque* facere sueta fuit Pituita, crassiolem jam, & ætate progredientem *Ægram*, magis aggravavit. Hinc *Tussis* illi, per ætatem omnem mediam, permolesta; hinc *Dyspnœa* fere perpetua.

Vitæ annum circiter quinquagesimum, cessante *Tussi*, locum ejus supplevit *Dolor Artuum* erraticus. Tumuerunt *Digit*i; doluerunt *Articuli*, præsertim *Genua*, & *Carpi*; qui interdum *Tumore*, sed in omni *Paroxysmo*

Dolore sunt affecti. Ruboris, Splendoris interea nihil unquam est visum.

Cum Materia crebro *Subjectum* mutaverit, nunc quæ extra, nunc quæ intus sunt; obsidens; frequenti observatione palam factum est, ea foras erumpente, & in *Artibus* subsistente, *Pulmones* esse tutos, *Respirationem* integram: contra, intus agente Materia, immunes esse *Artus*. *Tussienti* nihil magis profuit, quam *Trochisci nigri Londinenses*, & istiusmodi *Pharmaca* Pituitam educunt. Potioni fuit *Pomaceum*, *Cerevisia* longe commodius. Nihil algore pejus, hoc enim *Spiritus* brevi impeditus, *Ægra* pene strangulata.

Quum iter hinc in locum, *Carbonibus* & *Fumo* celebrem, facere decreverat; *Plethoricæ*, *Tussienti*, *Asthmaticæque* suasi, ut, priusquam inciperet, *Sanguinem* detrahendo, *Ventrem* inanendo, *Sputum* movendo, *Materiam* in *Artus* vitiosam expellendo, itineri (quando *Hyems* erat) inauspicato, *Civitati Tussientibus* infestæ, se quodammodo paratam redderet. Prætermittis autem hisce, *Tussis* itinere adaucta est. *Fumo* *Spiritus* impeditus, ut, accedente ad hæc *Febre*, (*Medico* longe nobilissimo frustra vocato) vita paucis post diebus cederet.

Per *Tussim* veterem & humidam, id, quod alienum erat, *Naturam* exterminasse; sicque *Articulis* pepercisse, non improbabile est: per abruptum *Articularem* *Morbum*, ejusque *Materiam Pulmonibus* impactam, fieri *Peripneumoniam*, interfici ægrotantem, manifestum est.

HIST. VI.

*Catarrhus, Asthma, Tussis Arthritica,
per Humorū in Artus Ἀρθρώσεων,
& deinde Evacuationem,
mitigata, sublata.*

A Bhinc annos tres vel quatuor, forte mihi obvenit hujusce Tituli Historia, nisi fallor, observatu, memoratuque digna. Erat in suburbiis *Totonesii*, de meliore nota, Vir, olim Athleticus, valentissimus, Corpore quadrato, constitutione firma, senectutem eo tempore ingressurus; qui septem ante annis algere, & levi quavis ex *προφάσει* tussire solitus, hunc in modum sæpe graviter afflictus est. Frigore quod *Tussim* & Algorem creberrime præcurrit, interdum etiam effectum est; ut per Artus Dolor incertus, & erraticus pervaderet; ut internodia, sive Articulorum intervalla, magnopere pungeret; ac si esset Rheumaticus; ut aliquando *Articulos*, (præsertim *Humerum*, & *Coxendicem*) morderet: Cum Dolore Tumor. Rubor etiam interdum *articularis* erat, ut de mali natura nulla restaret dubitatio.

Olim hic illi valetudinis status erat: nuper autem, interciso, nescio qua de causa, in extremis Partibus Dolore, tanto in *Pulmonem* impetu & copia, Morbi infusa est Materia; quanto raro advertatur. Seri vi immensa Pectus aggravatum est: Tussit Æger indefinenter, & quidem enixe. Non nisi difficillime spiravit, neque nisi erecta Cervice. Sæpe Tussienti deliquit animus, neque Spiritus, (cogitandi munus ex-

ercentes,) agitati jam & profligati, pristinum ordinem cito recuperarunt. Sputum modò tenue, & falsum; modò Sanguine, ex Tussis importunitate, interspersum. Facies pallidior, Corpus attenuatum.

A quo tam mire affectum est *Pectus*, id est, per menses duos, vel tres novissimos, nullus in extremis Partibus (qui tamen alias creber esse consueverat) *Dolor*; nullæ querelæ. Quibus omnibus recte ponderatis; uti etiam quod à Patre, post homines natos maxime *Arthritico*, gigneretur æger; ea fui sententia, non alium esse Morbum, quàm *Arthritida* vetustam, membra olim ὀρθῶς nunc *Pulmonem ἀνωμάλως* excruciantem; neque facilius expeditiusve posse illam removeri, quam ejus Materiam, *Pulmonem* occupantem, in membra, sedem illi propriam, quaqua possit arte, expellendo reducendoque.

Ita mecum arbitratus, post *Venæsectionem*, utrique malleolo *Phænigium* (ex *Fermenti veteris part. iv. Seminum Sinapios, Fimi Columbini, Ras. Radiculæ, Cacum. Rutæ añ p. j. Aceti Vini albi q. s.*) calidissimum applicui, frigidum usque renovavi, donec Tumor utriusque Pedis est exortus. Tumori hic illic factò, vel quam proxime eum, admovi *Epispasticum*. Hæc, ut *Arthritis* evocaretur; ut autem expelleretur; eodem tempore *Ποδαγραγωγὰ* præscripsi.

℞. *Pul. Gascon. ʒβ. Ther. Androm. ʒj. Bals. Per. gtt. v. Conf. Alk. q. s. f. Bolus, vespere sumendus cum Julapii Haustu. Interdiu vero, loco Theriac. Chal. N. ʒ. cum prædictis, forma pilulari, ex Syr. Balsam. cochleari. Pro potu ordinario Decoctum Pectorale, ex Rad. Helenii Cond. ʒβ. Eryng. C.*

℥j. Raf. C. C. Eb. aā ℥jjj. Bals. Tolut.
 ℥jj. Sem. Coriand. ℥jj. Aq. Hordeat.
 ℔jjj. ad ℥j. incoctis. Ad Tussim miti-
 gandam Eclegma datum est, (ex Syr.
 Balsam. de Mecon. aā ℥j℔. Tinct. Au-
 rant. ℥jj.) sæpius usurpandum. De Tussi
 caveret, monui; ut ab ejus acrimonia
 Pulmo læderetur; ideoque Bechicis
 sæpe uteretur.

Hiscæ positis, & jure meo præce-
 ptis, medendi viæ Ægrotum com-
 misi; ea spe plenus, si Pulmones ad-
 huc integri & sani essent; sique ad
 τὰ ἐξωθεν Humor transferretur, ser-
 vari posse restituique Ægrotantem, si
 aliter res fuerit, occubiturum.

Dolori, Siti, & Languori, à Phæ-
 nigmorum usu ortis, propriis remediis;
 Paregorico leni, Decocto sitim extin-
 guenti, & Julapio Cardiaco medetur.

Phænigmorum ope Tumor factus
 est utriusque Pedis, ad usque Suras,
 egregius, immensus. Vesicantibus Seri
 non parum elicatum est. Quod vero
 maxime auspiciatum, & omnis erat
 optatissimi; qua Serum elicatum est, ea
 penitus proportione mitigata Tussis;
 ea restitutum est Pectus. Qua de cau-
 sa Vesicantium Ulceribus, cito nimium
 exsiccatis, (ut, quod inesset Tumori-
 bus Seri, penitus educeretur) in utra-
 que Sura Setaceum meo consilio fac-
 tum est. Hinc juge Seri flumen: quic-
 quid ab Epispasticis defectum, hinc
 suppletum est.

His auxiliis, extra, intus, simul se-
 melque adhibitis, factum est; ut à Tussi,
 ab Asthmate, à Pectoris gravitate,
 ceteroque ejus malo omni liberaretur
 Æger: eorum autem loco subortus est
 Humori Dolor plane Arthriticus; isque,
 si consideremus Serum nuper evacua-
 tum, satis acutus.

At quia longa Morbi obsidione Pul-
 mones enervatos, & debilitatos esse
 jam liqueret; propterea (tutelæ gra-
 tia) quando Setacea Serum emittere
 jam finierant; utroque Sp. næ latere,
 inter Omoplatas, aperiri Fonticulum,
 magno certe Ægri cum emolumento,
 jussi, & Hydragogum aliquoties adhi-
 beri.

Hac ille medicina, Morbo certe
 ancipiti, & periculoso liberatus, ha-
 bitum & colorem brevi tempore bo-
 num obtinuit, omnino convaluit; ne-
 que sublesta fide testabatur, Rheuma-
 tismum illum veterem, quo per annos
 aliquam multos se gravari Æger opi-
 natus erat, Arthritidem revera esse
 erraticam; nec non illum Pectoris affe-
 ctum, istius esse Arthritidos Ἀρμαλία.
 Sic opinari suadet Historia Morbi sit
 Curatio.

C A P. XII.

De Phthisi Arthritica.

ART. I. **A**ffectuum in Pulmone
 Arthriticorum proximus,
 longeque periculosissimus est Phthisis:
 quæ, ut permulta habet cum absoluta
 Phthisi communia; ita quidem pro-
 pria, (sive causam ejus continentem,
 sive medendi methodum intueamur)
 tam multa, momentique tam magni
 habet, ut eam præterire nefas æstime-
 tur. Hujus autem Morbi hæc con-
 ditio esse solet.

II. Arthriticus, ex Materia vitiosa,
 vel per causam aliquam externam in
 Pulmonem repercussa; vel per ejus im-
 becillitatem allecta, acceptaque; pri-
 mum, Pectoris gravitate, Dyspnœa, &

raucedine corripitur : deinde, Sputum exscreatur ; quod, initio tenue, paulatim crassescit. Progressu temporis, Caro flaccescit ; simili fere proportione, qua crassum id ejicitur ; & paulatim absumitur ; Vires enervantur. Interea vero dum ista fiunt, nullus in extremis Partibus Tumor, Dolor nullus articularis ; aut, si ullus acciderit, parvus, & brevis spatii, apparet. Crescit autem Faciei pallor, & Corporis universi Macies ; & comitem, (propter vasa, frequenti, & violenta *Tussi* exagitata, & disrupta,) interdum nanciscuntur *Hæmoptoen*. Demum, Calor *Hecticus* exoritur ; cum Pulsu celeri, Cute arida, præsertim vesperi ; quibus mane succedunt Sudores Symptomatici. Atque ita *Æger*, Tulse pertinaci, Sputazione multa, Sudore colliquante, *Diarrhæa* impatibili, nec quavis arte diu sistenda, vel (si non sit *Diarrhæa*) Tumore Pedum aggravatus ; &, tanquam exquisita *Phthisi*, certe ei similima, oppressus, cum Morte, ærumnarum requie, Vitam miserimam commutat.

III. Etsi vero ultimum hujus *Phthi-seos* stadium, ab *Exquisitæ* ultimo, (tanta earum inter se convenientia est) vix potest internosci, aut signis *Diacriticis* distingui : duo sunt, in ejus stadiis prioribus, (Incremento nempe, & Statu) quæ *Phthisi exquisitæ* raro convenient, aut de ea dici mereantur.

Unum est, quod, aliter quam *Phthi-sis exquisita* ; quæ Adolescentum, aut Jüvenum Morbus esse, neque alia, quam firmissima ætate, facile reperitur, hæc nostra *Phthi-sis*, è contrario, Adolescentes raro aggreditur ; sæpius autem constantes, & interdum (quod de *Exquisita* nondum videre licuit)

Viros natu grandiores: Mulieres autem maturius ; propter Naturæ privilegia, (Partus sc. & Catamenia, quæ tum *Arthritida*, tum *Phthi-sin* arcent) maturius cessare solita.

Alterum, quod *Calor Hecticus* (qui in *Phthi-seos* exquisitæ statu, & initio, gravis esse solet, reliquaque interdum Symptomata præcurrit omnia) serius in *Phthi-si Arthritica* ; nec quidem usitate ante Sputum largiter exscreatum, Corpusque eo debilitatum, oritur. Cujus quidem *φανομένη* ratio, partim ex jam dictis (hunc affectum non nisi annosiores, id est, Sanguine frigidiori præditos, invadere) eliciendum ; partim ex eo, quod *Arthriticorum*, siquidem juniores fuerint, Sanguis, propter frequentes *Arthritidis* Paroxysmos, neque temere incendatur, nec quidem incensus adeo exæstuet : Et quidem *Phthi-sis Arthritica* lenta esse solet, neque multa *Febre Hectica*, nisi ultimo vertente stadio, comitata.

IV. Prædicto fere modo res agitur, quoties in *Pulmonem*, à natura debilem, *Miasma Arthriticum*, gravi aliqua urgente causa externa, impellatur ; alia-ve quavis ei infigatur ; neque Medicina satis efficaci, vel satis opportuna, removeatur.

Interdum autem ad *Pectus*, non adeo recta itur ; verum, à τοῖς ἐξωθεν, ad τὰ ἐνδον, & retro, variæ sunt itiones, & rediciones ; eæque, non nisi annorum aliquot spatio, peractæ: donec denique, post *Tusses* varias, graves, & importunas, succedit *Phthi-sis*, absolutæ similis, *Arthritica*. At, ubi *Pulmonis ἐνδον* est, & Medicina temporis fuit adhibita ; *Materia vitiosæ* partim in Artus exturbatur ; scretu partim ejicitur ; *Pulmones*, crebris insultibus debilitati, sanantur ;

Æger & colorem, & robur pristinum acquirit. Quibus autem modis hæc præstari possint, statim exponetur.

V. Ex supradictis (ut opinor) liquet, nullo modo hujus Morbi indolem, & ingenium, posse magis patefieri, quam per ejus Γενεαλογίαν. Quæ enim dixi, illi propria, quando neque semper, neque soli competant; atque adeo fidei non spectatissimæ perpetuæque, verum è diverso dubiæ, sint habenda; ut de Morbi hujus ingenio constet: Quæ illi cum *Arthritide* necessitudo; quæ conjunctio, quam illa prope *Paroxysmum* excipiat; utrum e vestigio, an è longinquo: utrum, & qua de causa, intercisum; an vero deficientem suppleat, & ejus vicem gerat, pro ejus declinatione, increscens: Ne plura, utrum ejus ratio, *Arthritidi* rectæ sit, & quatenus sit, inversa, sedulo quærendum est.

VI. Curatio postulat ut levetur; ut hoste infestissimo, quàm citissime, liberetur *Pulmo*: id autem modis, alio alioque tempore diversis, & quam in *Arthritica Tussi* aliis, elaborandum est.

In principio Morbi, ubi *Tussis* urget, & tantum in propinquo *phisis* est; multum à *Phlebotome* & *Catharsi* rite factis, expectare licet. Hisce potest fieri, ut e Corpore exturbetur, vel minimum ut è *Pulmone* eruatur id, quod alienum. At quia non semper hoc effectum est, nec evacuationibus illis commode confiditur; ita illæ fiant, oportet, ut *Paroxysmi* regularis excitandi habeatur ratio; id est, intra modum: ne Natura nimium debilitetur, & expellendæ *Arthritidi* impar reddatur.

Post Sanguinis detractionem, & Alvi ductionem; alteram nempe, vel u-

tramque; vel, ubi inutiles censebuntur, iis omiffis, ad alia confugiendum, *Bechicis*, & ποδαγραγωγοῖς utendum: His, ad Materiæ in Artus expulsionem; illis, ad exspuitionem. Hos in fines *Linctus* (ex *Ol. Amygd. dul. rec.* vel *Ol. è Seminibus Lini*, & *Syrupo Balsamico*, vel *de Prassio*, vel *de Rapo*, aliove quovis *Sputum movente*) componendus; & hora quaque altera, tertiave, ad cochleare unum adhibendus. Atque ubi nulla Febris indicia repugnant; *Pilulæ ex Pul. Gascon. Chal. N. Succo Glycyr. Bals. Peruan. sexta, vel octava quaque hora*, adjectæ, isto ex vehiculo sumantur, & in Potionem ordinariam *Apozema* detur *Pectorale*: Vel, in forma liquida, cochleari *Ecligmatis* instillari possunt, octava quaque hora, *Bals. Peruan. vel Tinct. Sulf. gtt. x. &*, intervallo omni medio, *Chal. N. gr. vi. vel viii.*

Eo vero usque calidis hisce Remediis utor, quoad siverit à Febre periculum, & *Arthritidis* expulsio postulaverit. Et quidem eo lubentius hac via progredior, quoniam à calidis hisce, præfertim in senioribus, & *Arthritide* crebrò recurrente depreffis, non magnum unquam oriri periculum observavi; & si quod unquam extiterit, defubito tolli posse, non vana spes est: at commodum è diverso uberrimum est: adversis hisce longe uberius. Et, ne Medicina hæc nostra, tanquam nimis calida, & *Phthisicis* inepta, male accipiatur, sancte profiteor, me ea prospere, magnaque Ægri cum utilitate, plus semel fuisse usum: cujus ego rei statim *Exempla* proferam.

Si vero Febris, ceu per se, ceu Pharmacis excitata; quam ad rem præsentem opus fuerit, major exar-

deat, *Pulmonique* φλίσσον intendat : ei, per detracta isthæc calida ; per *Enemata* ; per Sanguinis missionem ; per *Corticem Peruanum*, tempori adhibitum, &, quamdiu incurfat Febricula, repetendum : perque alia, quæ *Peripneumoniam* tenuare solent, est cavendum. Neque enim *Arthritidem* ex *Pulmone*, nisi tuto, licet amoliri ; neque Vitæ, nisi per ei conducibilia, prospicere. Febre vero tenuata, Medicina jam dicta (quoad commode fieri potest) similis, in usum denuo vocanda.

Quando Remediis istiusmodi internis, (*Arthritidem* expellentibus, una cum *Bechicis*) dies aliquot teruntur ; nimirum duo, vel tres ; citiusve si, in Articulo & τῶν ἀκρῶν aliquo Dolor fuerit excitatus ; Articulo jam affecto, vel qui sæpius efficitur, extra id, quod materiam educat, applicari par est ; eo, quo, in Capite præcedenti, aliasque passam, modo declaratum est. His autem eo magis insisto ; quoniam ab antiquo commendari video, veterumque usu confirmari. „ *In Tabe, ubi*
 „ *vehementior noxa est, ac neque Fe-*
 „ *bricula, neque Tussis quiescit, tenuari-*
 „ *que corpus apparet, validioribus opus*
 „ *esse auxiliis, inquit * Celsus: & exul-*
 „ *cerandum ferro candenti, sic ne sa-*
 „ *nescere sinas Ulcera, nisi Tussis finita*
 „ *fuerit.* Quod quidem auxilium, etiamsi acre & severum ; tamen, ut in *Phthisi* absoluta commodum ; ita in hac nostra, propter Venenum intus contentum, eliciendumque, commodissimum.

Unum hic monendum, ægrotantibus hisce ponderis & momenti non

exigui : *Opiata*, licet vulgo *Phthi-*
cis utilissima, in hoc casu suspecta esse, neque copiosa temere præscribenda : Ne videlicet *Miasma Arthriticum*, jam in *Pulmonem* inditum, eo loci infigant. Dentur itaque sic, ut *Tussim* supra modum importunam inhibeant, & quietem ab ea tutam concilient. Quod autem de *Opiatis* dictum, id etiam de iis, quæ *Pituitam* faciant crassiolem ; quæ *Pulmonem* obstruant, eique impedimento sint ; ex parte aliqua dicendum.

Quoties hac, vel hujusmodi via, in extremas Corporis partes amovetur *Arthritis*, mirum quantum inde levetur *Pulmo* : Nihil, ut opinor, Ægrotantibus his commodius : quo enim magis *Articulum* illa mordet, eo minus *Pulmonem*. Vidi equidem *Tussim* hac arte primum fieri tolerabilem ; Sputum minui ; utrumque post auferri : vidi restitutam Oculorum aciem, *ὕσαρπίαν, εὐχροίαν*, & à *Phthisi* incolumitatem. Quæ quidem omnia, quo certiora fiant, opus erit, *Arthritidem* tam expellentia, quam evocantia (id est, tam interna, quam externa) continuare ; donec omne id, quod naturæ alienum est, e *pulmone* fuerit dimotum.

VII. Quoniam vero *pulmonem*, *Pituita* diu gravatum, enervari debilitarique necessum erit ; ad ejus robur instaurandum, cum primis facient *Aquæ ferratæ* per *Urinam* exeuntes, & *Aer*. Finito igitur *Arthritidos* Paroxysmo regulari, aliasve Æger restitutus, Prophylaxeos ergo ; bibat per mensem integrum istiusmodi *Aquas* : Sin earum Copia non detur, vel ex ægroti re civili non sit, eas bibere, bibat omni mane *Fol. Theæ Infusi* quasi se-

libram,

* Lib. III. Cap. XXII.

libram , per menses aliquot. *Cerevisia Herbis pectoralibus, Hederæ nempe terrestris, Linguae Cervinæ, Capilli Veneris, Abietis, Cupressi cacuminibus; Bardanæ, Dauci Sylvest. Seminibus; Juniperi Baccis; Milleped. siccatis medicata esto, & potioni detur ordinaria.*

Aeris gratia , commodissime *Toposamum* ex *Isca* itur: quoniam ille , maritimus , *pulmoni* benignissimus sit; & *Nautæ* raro *Tussi* vexentur; rarissime *Phthisi* moriantur. Si ægri imbecillitas , aut loci ratio aëre maritimo uti non patitur , Equo vectari , & quidem sæpius , juvabit. Aerem vero profuturum arbitror , tam quia Spiritus animales recreat; quàm quia *pulmonum* subintrando , eum roborat confirmatque. Profunt etiam *Friktiones*; modo vehementer , bis terve in die , perfricentur externæ Partes. Profunt *Fonticuli* in Dorso magni , aperti , juges. Placet *Sorbitio* ex *Chocolata* , adjecto , si lubet , *Ovi Vitello*. Cavendi vero , & quidem maximopere , *Catharri*; ne *Miasma* , denuo germinans , & in *Sanguine* renovatum , ii ad *Pulmonem* abripiant : quod quidem hisce laborantibus , si *Frigoris* sint impatientes , (ut sunt plerique omnes) non inusitatum; præsertim eo temporis spatio , quo repetere solet *Paroxysmus*.

Hac de causa , præter jam dicta , quæ *Pulmonem* tueantur , *Pectoralia*; quæque in primo *Phthiseos* stadio , cum fructu adhibeantur; istiusmodi reliqua frequenti sint in usu , quæ contra hostem non jam victum , quam repulsum , & viribus redintegratis insultus iteraturum , eos defendant. Quare , per anni dimidium hyemale , *Decoctum L. Sassafræ* , cum ejusdem *Cortice* , *Rad. Chinæ* , & *Sarsæ* , bis in die sumatur.

VIII. Hæc de *Phthisi* , à *Miasmate Arthritico* , per *Sanguinem* , cum *Pulmone* communicato. Siquis autem *Phthisin Arthriticam* , à *Fermento* e *Nervis* suppeditato ortam , ejusque indolem; & tractandæ modum intueri velit; *Clarissimi* adeat *Mortoni* , Collegæ , dum viveret , amicissimi *Phthisiologiam*; *Lib. III. Cap. XI.*

Ut autem pateat , Antiquitati non latere , materiam *Arthriticam* in *Pulmonem* aliquando invehi , & morbum ei incutere quàm gravissimum , *Fluxionis Arthriticæ* mentionem fecit * *Galenus* , primum per universum *Corpus* oberrantis; tum à *Pulmonibus* ad se attractæ , donec *Æger* fuerit suffocatus; idque se in multis exploratum habuisse.

HISTORIA I.

Phthisis Arthritica lethalis.

INeunte anno superioris seculi novissimo , *Fœmina Clistenfis* , è multis una , fere quinquagenaria , me vocari voluit. *Tussis* illi fuit , eo tempore gravissima; cum *Sputo* , interdum *Sanguini*

* Τα μὲν γὰρ ἄλλα τῶν φαρμάκων , ὅσα εἰν ἀπαλλαγὴν τῷ νοσήματι οἱ ποδαγριῶντες πίνουσι, τὴν μὲν ἐπὶ τοὺς πόδας τῷ ρεύματι φορὰν κωλύει γίνεσθαι , ἢ ἐξαναλίσκοντα δὲ τὴν τρίτην τέτων ὑγρασίαν , ἄλλως πρὸς μείζονος νοσήματι γενέσιν ἐράζεται. Πλανωμένον γὰρ ἐν τῷ σώματι τῷ ρεύματος ὁ πνεύμων ἀεὶ κινούμενος διὰ τῆς ἀναπνοῆς ἀνάγκη , καὶ διὰ τὸ μακρὸν τῷ σώματι δέξασθαι τὸ ρεῦμα ῥαδίως δυνάμενος , τὸ πᾶν αὐτὸς , ἐξ ἑαυτοῦ ἔλκων , ἕτω πνίσει τὸ ἄνθρωπον , ἢ ἑπερὶ ἰσορρικῶς ἐπὶ πολλῶν ἐγὰ τῆς πείραματίμαθον. *De Theriaca, Lib. I. Cap. xv.*

Sanguineo ; semper autem, quoties ab imo Pectore duceretur , crasso, & purulento. Respiratio porro difficilis, Vox tremula, & (ab imbecillitate) cum clangore quodam : Pedum item Tumor, Pulsus debilis, & Hæticus, Tabes universalis, Virium prostratio fuit ; ut in ultimo *Phthiſeos* stadio *Ægra* ; *Febris* autem mitior, quam in *Phthiſi primigenia* affectis eo morbi tempore solet, esse videretur.

Difficillimi, & jam obfirmati hujus Morbi originem, & causam antecedentem, inquirenti perscrutantique mihi, ipsa narravit ; Matrem sibi fuisse diu multumque *Podagra* cruciatam, eaque demum extinctam : sibi autem ipsi, ante annum, & quod excurrit, tumere Tarsum, & Pedis convexum ; atque adeo rubere, nitere, dolere : sed, quum mature nimis Tumor aut evanesceret, aut repelleretur, quod *Tussis*, (qua, per multos ante annos, fuisset identidem afflicta) desubito ingravescens, *Phthiſi* Viam aperuerit : ut à Materia *Arthritica*, Pedem languide nimis afficiente, in *Pulmonem* irruente, longaque eum obsidione subvertente, *Phthiſin* hanc oriri ; & (auxiliis medicis sive neglectis, sive inscite usurpatis) inveterare, res esset fide omnino digna, paucis post diebus, è vivis excessit *Ægra*, *Phthiſi*, sed *Arthritica*, quæ vero à primigenia *Phthiſi* non facile distingui poterat, oppressa.

HISTORIA II.

Phthiſis Arthritica Medicamentis calidioribus sæpe levata.

Mercator *Exoniensis*, gracilis, *Arthriticus* natura factus, ætate con-

stanti leves habuit Paroxysmos ; extrema vero, & decrepita, jam diu nullos. Bellum pax secuta est, omnium opinione alma, tranquilla, salutaris. Sed (ut eventus comprobavit) dubia, sed fide Punica. Aliquanto post (Septembri, MDCCIII.) suborta est Sputatio, cum aliquo Spiritus impedimento ; cum *Pectore* gravato ; sed, ex crassa mane Pituita, affatim citata, exantlataque, ad tempus aliquod immuni languit Appetitus ; flaccuerunt Artus ; obtusa fuit Oculorum Acies, & decolor Vultus. *Tussis*, sed *Arthritica* est ; & *Phthiſis*, ultima Senectute, tempore prorsus inusitato, incipiens.

Ut contra hostem, atrocem & truculentum, ore lavato redeuntem, me paratum habeam, præmissis, ad Intestina leniter inanienda, *Eccoprotico*, *Infusi amari alterantis coch. v. Tinct. M. git. xv. bis in die. Tract. vero Sulfgtt. xij. ex Syr. de Succo Erysim. coch. j. hora somni, cum Julapii Pectoralis haustu, demittenda meo jure præcipio : Spiritus item Vol. Oleosi guttas subinde aliquot, cum veteris Malacani haustu. Eò nempe hæc omnia, *Phthiſicis* raro præscripta ; ut Medicamentis hisce calidioribus, in Artus, si qua fieri possit, Hostis expellatur. A præscriptorum usu melius certe se habuit ; tumere Pedes ; levatus est *Pulmo*, *Tussis* elisa.*

Mense proximo Decembri, nescio qua de causa, detumere Pedes ; *Catharrus* ortus est propemodum *ferinus*, cum Sputo tenui copioso. Ut humorum partim eliminaret, *Decoctum Senæ* (duplicatæ) *Gereonis* ; partim, ad τὰ ἐξωθεν, ut amandaret, *Bolum è Pul. Rad. Ari C. 3j. &c. cum Infusi amari haustu*, horis duabus medicinalibus sumendum dedi. Medicamenta ex voto pro-

profuerunt: Pedibus iterum paulo post, ab eorum usu, doluit Æger.

At vere sequenti, (qua anni tempestate infultus iterare solita est,) quum jam plane siluit *Arthritis*; in illius locum tanquam sublecta, *Tussis* recruduit, importuna, pertinax; cum Sputo tenui, Raucedine, Tracheæ titillatione fere perpetua, spirandique difficultate. Ad quæ *Pomacei*, ægro gratissimi, usum pene quotidianum non nihil conferre, verisimile est. *Tussis* ista negligenter habita (toto enim sesquianni spatio, nihil unquam medicamentorum, uti decuit, assumptum est) *Tussis*, inquam, inveteravit; Caro absumpta est, Pulsus plane Hecticus. Mense Julio MDCCI. iterum arcessitus, ea, quæ sequuntur, adhibui: Bis scilicet in die, *Decocti Corticis Chalybeati* ℥ij. cum *Syr. Balsamici* ℥j. *Aq. Cin. fort.* ℥j. *Hora vero somni Tinct. Sulf. gtt. x. è seq. Ecligmatis coch. j. cum Jul. Pectoralis haustu.*

℥. *Syr. de Mecon. Balsam. Aq. Hyssopi aã p. æq. misce: de quo insuper Ecligmate, nocturno tempore, sæpius ad deliniendam Tussim pitisset. Cerevisia Cacuminibus Hed. terrest. Rad. Chinae, Sarsæ, Eryng. medicata erat. Inter Omoplastas, utroque Spinæ latere Fonticulus, sex pisorum capax, aperiebatur.*

Medicamentis hisce dies xx. usurpatis, micuit Oculorum acies, Vultus *εὐχρόνως*, remisit *Tussis*, largiter ex intervallis faciens Pituitam. Hinc Pectus liberum; hinc *εὐπνοία*. Pro Hectico, Calor mitis, blandus, benignus, plane naturalis; cum Diaphoresi, tam utili, quam jucunda. Verbo dicam, omni ex parte sanior evasit Æger, & à *Phthisi* visus est incolumis. At eheu!

Senibus incerta res Salutis: Autumno proxime sequenti, sine causa evidenti ulla, in *Diarrhæam* incidit, gravem, & impatibilem; Excrementis liquidis, & biliosis signatam: quæ, Alvum indurantis suppressa, brevi recurrit; & una cum Tumore Pedum Hydropico, Naturæ subversionem ostendens, Ægrum, ætate grandem & imbecillum, media Hyeme occidit.

HISTORIA III.

Phthisis Arthritica incipiens curata.

Memorabilis certe Historia Domini C. ex Insula *Iskana*, Adolescentis septem supra viginti annorum, Patre *Arthritico* procreati, gracilis, teneri, Frigus sine injuria non facile tolerantis, & diu *Phthisici*. Ante triennium *Arthritide* correptus ille, anno novissimo (tanta morbi fuit pertinacia, Pedum, Manuum alium aliumque digitorum invadentis, & vicissim occupantis) vix binos menses egit immunes. Paroxyismi non ex illo fuerunt genere, quod Inflammatione, ceteroque istiusmodi satellitio more suo stiparentur; quin potius lenes, mites, quique in longum idcirco tempus extraherentur. Quoties animus (is autem creber fuit) Pedibus imminentem antevertere Paroxysmum, Tibialia ne vel lectum ingressurus exuere consuevit; tam noctu, quam interdiu gerens; neque sine successu: hoc enim artificio, *Arthritidem*, Paroxysmum molientem, identidem protelavit.

Hujus seculi initio, mitius se habuit *Arthritis*, & diutius solito conticuit:

Pulmonem interea obsedit Pituita; quæ spirandi intulit difficultatem, Anhelationem immodicam, Pectoris gravitatem, *Tussim*, Sputum, tam mane crassum, quam etiam copiosum. His accessit Faciei pallor, universi Corporis imbecillitas, Languor, & in propinquo *Tabes*.

A Materia *Arthritica* Pectus aggravante, malorum hanc catervam induci, luce clarius fuit meridiana; neque enim tunc primum istius in *Pulmonem* Metastasin, etsi nunquam antea tam magnam, & tam molestantem, est perpeffus. Tutos autem *Artus*, & dolore liberatos, quoties *Pulmo* premeretur; & è contrario, *Pulmonem* liberum, quoties aggravarentur *Artus*, semper observavit. Calor autem vespertinus, & Sudor ei usitate superveniens; qui, prædictis hisce accidentibus, in *Phthisi* affectis, præcipue hac anni tempestate, solent se adjungere; certe in hoc nostro Ægro tante nondum emicuere.

Quibus omnibus serio pensitatis, in eo operam & studium impendi; ut primo Pituitam, *Pulmoni* impactam, *Ανακαθάρσις* amolirer: Secundo, *Arthritidem* deviam, & *Anomaliam*, ad τὰ ἴζω ut reducerem, itaque tuerer *Pulmonem*. Ut Indicationibus hisce satisfacerem, Haustum ex *Aq. Hyssopi*, *Cardui ben.* aã ʒj. *Tinct. Croci* ʒj. *Alcohol. M.* ʒʒ. *Syr. Bals.* ʒʒ. omni mane sumendum. *Pilulas*, è *G. Ammoniaci* ʒʒ. *Mirrhe pul.* *Alcohol. M.* aã gr. v. *Picis liq. q. s.* hora quarta pom. Alias vero è *Bals. Lucat.* ʒʒ. *Pul. Dialthææ q. s.* hora somni, ex *Syr. Bals. coch. j.* demittendas cum *Julapii Pectoralis* haustu, præscripsi. In potionem ordinariam, *Apozema* è *Rad. Chinæ*, *Sarsæ*, *L. Saffaphræ* aã ʒj. *Cort. ejusdem* ʒʒ. *Uvarum passerum exacinat.*

ʒj. in *Aq. font.* ℥ʒʒʒ. ad dimidium coctis; colatura *Saccharo crystallino dulcata.* Ægrum porro sæpius apricari, & *ἑσπεριῶν vesci*, parce cænare jussi, & *Hydromel* interdum bibere.

Vix per unam, & alteram Hebdomada, præscriptis usus fuerat; quum, exantlato fere omni Phlegmate, Spiritus liberior evasit; *Tussis* minus importuna, imo rarissima. Vires, & cum iis Vultus *εὐχρῶτα* rediit. Quicquid fuerat Symptomatis, breve intra tempus obtusum, & mitigatum est; paulo post subactum. Quinimo Corporis æstus universalis, sed blandus, salutaris, benignus, quique Naturæ vigorem, potius quam *Febrim* indicaret, est subortus. Posthac intra triduum in Pedum altero successit Dolor, Tumor, Rubor, *Arthritidos Regularis* signa. Hinc Pectus sanum, à *Phthisi* graviter urgente liberum; & si *διάθεσις* excipias à natura *Phthysicam*, bono cum Deo, usquequaque integrum. Imo quidem postea, per annos sex septem, bona usus fuit valetudine; nisi quod *Arthritide* laboraverit, recte interdum recurrente & quidem (uti licet opinari) propter eam ita recurrentem, bona.

C A P. XIII.

De Angina Arthritica.

ART. I. **P**ost Febriculam, ad expellendum Miasma *Arthriticum*, à Natura in Sanguine concitatam; quoties ea per *Fauces* illud expellere conetur, & eo loci, una cum vehiculo, id deponens, Inflammationem afferat, spirandi deglutiendique vias obstruen-

obstruentem; *Angina* fit *Arthritica*: Morbus certe H^o habens peculiare, & à Medicis parum adhuc considerata; ab *Angina* pura, & exquisita (ne dicam alios affectus, ei, consimiles, & congeneres) sive *Therapiam* intueamur, sive *Ætiologiam*, accurate distinguendus.

II. Ut autem initio, de Morbi hujus *ὑπάρξις*, verba faciam; dari hujusmodi *Anginam* omnino liquet, Primum, quod ex eodem Æstu Febrili, simul cum Articulorum Dolore, tanquam illi gemina, *ὁμογίεσθαι* ea sæpe deprehendatur: & quidem (ut frequenter accidit) interposito quodam intervallo post *Arthritidos* regularem Paroxysmum; quo utique intervallo novam in Sanguine Materiam cumulari certissimum est; uti, cumulatam expulsionem jam esse idoneam, est probabile.

Deinde, quod hæc *Angina*, per se exorta, modo perfecta sit, in Abscessum definens, & copiose Pus ejiciens, Paroxysmi *Arthritici* vicem explere; quod, ejus causam vacuare, quod, ab ejus in cursu *Podagrum*, ad tempus aliquod, immunem & saluum præstare; quod vegetum eum, & lætum reddere, (qua sunt *Arthriticæ* Deceffionis indicia) crebro advertatur.

Postremo, quod *Angina* hæc, per materiæ *Νόσηψις* in Artus Translationem, alias fortuitam, alias Arte procuratam, intercisa, sæpe in *Arthritidem* mutetur *Regularem*; sæpe etiam suapte sponte transeat: eadem plane ratione, qua *Vertigo*, qua *Asthma*, qua *Colica*, vel aliud quodvis *Νόσημα Ποδαγρῶν*, & eodem Ægri cum emolumento. Ut de morbi hujus, perinde ac illorum *ὑπάρξις*, nullus superesse possit dubitandi locus.

III. Eos creberrime invadit hæc *Angina*, quibus, ad eam à Natura factis, Collum breve, crassum, humidum, Tono Fibrarum laxo & imbecilli præditum; itaque Humoribus tum accipiendis, tum retinendis aptum: Viros præ Fœminis (sic enim ipsa *Arthritis*) sæpius, sed & utrosque aggreditur; ex illis præcipue eos, qui media sunt ætate; ex hisce vero eas, quæ Catameniis dudum orbatae; ex utrisque maxime Biliosos, Sanguine præfervido, vel tenui donatos: nec quenquam, uti mihi videtur, unquam; nisi Materia prius *Arthritica* (causa videlicet Procatartica) copiosa, & evecta in Sanguine turgentem, jam jamque Articulis doliturum. Interea vero temporis, à causis *Anginæ exquisitæ* prævalidis, & urgentibus, in partes suas, levem & quiescentem illam aliquando trahi, non est diffitendum; ita vero quæ se habet *Angina*, cum parum *Arthritica* sit, & propriam Medendi Legem minime requirat, non est hujusce Tituli.

Causa hujus *Anginæ*, (externa & evidens) frequentissima, est *Potatio*; maxime Pomacei, aut Vini alicujus tenuis, liberior; maxime vero omnium, si accedat Algor.

IV. Ut ad *Diagnosin* qualemcunque descendam, præcurrit Febris: eaque sæpe, quam in alia quavis *Arthritide* præmitti solet, vehementior: quæ, tamen si prorsus *Symptomata*, Febrium nonnunquam æquare videatur *Essentialem*, ardentem: & est, pro Ægroti temperamento, ætate, & pro causæ evidentis magnitudine, plus minus ardens. Paulo post exoritur *Faucium Dolor*, & *Tumor φλεγμονώδης*, unde deglutiendi spirandique viæ semper arctatae: interdum autem adeo, ut tridui, vel quatri-

dui spatio, nihil unquam Victus possit demitti, neque Spiritus nisi difficillime trahatur. Salivæ interdum affatim emanat; Alvus adstricta est. Sanguis à *Venæsectione* Gelatinam (uti in *Pleuritide*, & *Peripneumonia*) præ se fert, in excipulis supernatantem, puram, tenacem, sebaceam, & quidem, quàm in *Arthritide*, solet Exquisita, magis. Utrum vero *Arthritica* sit *Angina*, necne; id, ex *Arthritide*, vel *Angina* prægressa vel ex ea simul semelque cum *Angina* locum habente; vel, eam è vestigio insequenti; id est, ex horum affectuum ratione inter se, omnino intelligendum est.

V. De *Angina* pura & genuina, passim apud Auctores observatum est; *Viscidum* illud, quæ est illius causa conjuncta, modo in Latus, modo in Pulmonem transyehi; iisque in locis *Pleuritidem*, vel *Peripneumoniam* facere; Morbos scilicet non tam *Materiæ*, quàm locorum affectorum diversitate distinguendos. Eadem de *Arthritica* narretur Fabula: Pari enim ritu *Anginæ Arthriticæ* *Materiam*, sive causa *Continens*, sæpe in *Pedem*, nonnunquam in *manum*, interdum in *Genu* (ut taceam alias *Corporis Partes* quamplurimas) transfunditur; & in illis *Podagram*, vel *Chiragram*, vel *Gonagram* affert; affectus, uti nonnullis visum fuit, longe diversos; at revera ejusdem indolis, & *Naturæ*, *Locorumque* ratione maxime discrepantes.

VI. Curatio vult, ut *Fauces* quam primùm liberentur, & quidem *Methodo* ei, quæ vulgaris est *Anginæ*, longissime diversa. Nam, cum *Indicatio* illa generalis, duobus perficitur; quorum alterum *Humores* evocat è *Cor-*

pore, alterum è *Parte affecta* tantummodo revellit, & in *Artubus* deponit; cumque prius illud, (quod *Venæsectione*, *Purgatione*, *Gargarizatione*, *Vesicatione*, & ejusmodi aliis affectum est) utrique *Anginæ*, puræ videlicet cum *Arthritica* commune est; Posterius vero (quod *Arthritidem* in viam reducuntibus, & *Paroxysmum* ejus regularem facientibus absolvitur) uni *Anginæ* convenit *Arthriticæ*: Nos ea duo conjungentes, medendi legem, quam iterum & sæpius, nec infeliciter fuimus secuti, & aperiemus, & quasi digito monstrabimus.

Quoties igitur ad *Anginosum* aliquem arcessor, explorata prius *Tumoris* magnitudine, reliquisque ejus, quæ maximi sunt momenti, *Symptomatibus*; in illius causas inquirō; & si *Æger* fuerit ex *Arthriticorum* numero, quamdiu ab *Arthritide* vacavit, interrogo. Eam autem si invenio frequenter olim *Paroxysmōs*, statisque temporibus regulares; eosque magnos, & vehementes habuisse; nuper autem præter morem interrupisse; ex eo suspicor, *Arthriticam* in *Sanguine Materiam*, per hanc vacationem cumulatam adauctamque, in eo turbellas facere; jam nunc exulare; & in *Fauces*, ob earum imbecillitatem & ἀνομίαν, immissam, *Inflammationem* in iis excitare. Major autem erit hujusce rei suspicio, si *Nausea*, & *Fastidium*; si *Gravitas*, & *Torpor*; si *Dolores vagi* (uti solent ante *Paroxysmum* regularem) ad tempus aliquod præcesserant.

VII. Hac igitur opinione ductus, primùm *Sanguinem* (nisi nuper ille detractus fuit) detraho, & quidem copiosum. *Enema* paulo post immitti jubeo.

jubeo. Postridie *Venæsectionem*, Purgatio, per *Rhei* puta, *Sennæ*, & *Agarici Infusum*, cum *Syr. Ros. Solut. q. s.* le-
ne videlicet aliquod, instituendâ; quan-
do Sanguinem exagitantia, propter
ejus *Orgasum*, (qui in hoc affectu
jam satis rapidus esse solet) ne obfue-
rint, periculum est. De alvo sollici-
tanda, si *Cathartico* fuit inanita, per
dies quatuor vel quinque, postea nihil
laboro; ne alienum ad τὰ Ἐντερά, con-
tra Naturæ propositum, alliciatur. Cer-
vici *Epispasticum* post Purgationem
applicandum, idque prælargum; quod
nempe Colli dimidium obtegat: huic
autem, horis post viginti quatuor, suc-
cedat *Emplast. Meliloti*, *Cantharidum*
Pulvere aspersum, sæpe renovandum,
ut flumen jure & diutinum sit. Ab ini-
tio morbi usus fere perpetui est *Garga-
risma* incidens, aperiens.

℥. *Aq. Hordeatæ* ℥j. *Diamor.* ℥jij.
Sp. Sulf. per Camp. quantum *Lingua fer-
re potuerit*, fiat *Gargarisma*. Vel *Melli*
Rosaceo addatur *Sp. Salis*, sive *Nitri*,
ad *acorem summum* & *tolerabilem*: In-
datur Ori paululum; & cum *Saliva* post
aliquod tempus ejiciatur. Nihil vero
Pulvere sequenti præstantius effica-
ciusve novi:

℥. *Cryst. Min. Sacch. Crystall.* aã
p. æq. Misce. Teneatur Ore ℥j. donec
Saliva abundaverit: tunc exspuatur, &
horæ post quadrantem vel dimidium,
(modo sinat *Vigilia*) *repetatur. Mirum*,
quantum hinc *Salivæ*.

Profunt *Herbarum Artemisiæ*, *Sal-
viæ*, *Majoranæ*, *Rorismarini*, *Sambuci*,
Chamæmel. Calaminthæ, *Matricariæ*
(quæ acri, & volatili *Spiritu* refertæ, dif-
cutiant) decoctarum *Halitus*, obvelato
Capite, & hiante *Ore*, in *Arteriam* im-
missi. Die perendino, vel etiam ci-

tius, si necesse fuerit, de iteranda
Phlebotome deliberandum. Iterari il-
lam, & quidem interdum plus altera vi-
cè, postulabit deglutiendi spirandique,
si fuerit, difficultas urgens, importu-
na, periculosa; sique *Venam* iterum
secari oportuerit, *Jugularis* esto. In
summo *Gutturis* *Dolore* admoveatur
extra *Cataplasmata*, ex *Rad. Althææ*, *Fol.*
Malvæ, *Ficubus incisus*, *Aqua Hordeata*
coctis; addita hujusce *Magmatis* ℥jij. *Ce-
par. coct.* ℥jss. *Sem. Lini* ℥ss. *Micæ Panis*
℥j. *Ol. Lil. alb. q. s.* *Gargarizetur* autem
Os Aqua Hordeata & *Lacte Vaccino*,
paribus mensuris, ad ipsas *Fauces*, ca-
pite resupino, intromissis. De gra-
vissimo *Symptomate*, (*Spiritu* nempe
intercluso) ut verbum addam, quoties
ita ingravescat, ut *Ægro* pene suffo-
cato statim moriendum, nisi aliquis
Apollo intervenerit; in hoc casu *Laryn-
gotome*, tutissimum præsentissimumque
remedium, omnino facienda. Tuto
certe illam, commodeque posse fieri,
Arteriæ penitus divisæ (cujus *Histo-
riam*, admodum luculentam, videre li-
cet, *Actorum Philosoph. N.º. 258.*) *Cu-
ratio* probat.

VIII. Dum hæc aguntur, & qui-
dem eo modo omnia, ut ne *Materia*
in *Partes internas* transferatur; (cu-
jusmodi *Metábasis* in *Angina Arthriti-
ca*, quam in vera & exquisita, tum fre-
quentior, tum incommodior) alia fa-
ciunt ad *Faucium* allevationem *Arthri-
tida* *Regularem* inducendo, quapropter
Acida, sicut *Pomaceum*, *Vinum Al-
bum*, aut *Rhenanum*, vel alia quævis
Potio, dolorem arcessens *Articularem*,
post Purgationem, & quidem interdum
libere potanda. *Articulo Arthritidi*
usitatissimo, vel *Empl. ex Oxycroc. Ce-
phalico* & *Pice Burg.* aã *p. æq.* Vel, si

efficacioribus utendum, *Phœnigmus* acris & stimulanS admoveatur, & , pro- ut usus erit, iteretur. Huc confert, quæ olim Veteribus familiaris, in Aqua, quanta tolerari potest calidissima, *Pedum lotio*. Tumor excitatus, *Panno Wallico*, aliove quovis raro & molli, vel *Linteo duplicato* vestiatur. Ut ille Tumor *Artuum* in conspectum venit; plerumque subsidit *Faucium* iste, recurrit Dolor, aliaque jam denuo re- etæ *Arthritidos* indicia: Atque tum in tuto omnia, ἐξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα: quod *Hippocratis*, in simili casu, argu- mentum est.

Si rumpatur *Vomica*, *Gargarisma* componendum emolliens, & suppu- rans, (è *Decocto* puta *Hordei*, *Glycyrrhizæ*, *Ficubus*, cum *Syr. Cap. Ven.*) & demum modice astringens. *Jusculis Avanaceis*, *Hordeaceis*, & ejusmodi tenuibus vescatur Æger; & ut *Humorum* effervescentia minuatur, utque *Collum* versus abscindatur *Πωπὴ*, *Lectō*, tempo- re diurno, quantum potest, abstineat; *Sella* erectus sedeat; *Pedes* deorsum versus inclinēt; & in *Lectō* aliàs *Caput* elevatum, habeat. *Finite* re *Pa- roxysmi*, leniente quodam *Alvus* sub- ducenda.

Exempla jam in apertum proferam, quæ lucem, uti spero, non mediocrem prædictis foenerabunt.

HISTORIA I.

Arthritis, Fauces, & Artus simul
semelque occupans.

Homo *Ischanus*, è regione *Portæ*
Australis, decimo ætatis lustro,

ex frigore, quod ante præcesserat, *Angina* laboravit. *Febris*, *Pulsu* celeri, æstu *carnis* immodico signata fuit: *Fauces*, cum rubore, tumuerunt: *Voce* nihil distincte significavit: *Spiritus* difficillime traxit: *Cibi* transitus præcludebatur. Non dubito fore plerof- que, qui ex his indiciis *Anginam* istam simplicem, & veram esse judicaverint; quam vero recte, confestim apparebit. De *Dolore* interrogavi, *Satin* *Salve*? *Numne* alias *Corporis* partes itidem occuparet? *Quem* cum *Genu*, etiam & *Malleoli* *sinistri*, eo ipso tempore, tametsi mitem & tolerabilem esse; cum eum *Articulos* invadere, & more prorsus *Arthritico* reverti, solitum acceperam; *Anginam* hanc non tam veram & exquisitam, quam in *Arthriticarum* numero & classe ponendam æstimavi; ideoque non iis opus esse auxiliis, (*Sanguinis* scilicet missione copiosa, *Clysteribus* crebris, *Emulsis*, & istiusmodi *Refrigerantibus*) quæ quidem omnia, in affectu absoluto commoda, in hoc nostro partim frustra, partim incommoda essent: Sed ab hac *Methodo* deflectendum & id, quod strangulat, aut evocandum, aut in artus transferendum esse.

Quem in finem, *Colli* dimidio posteriore *Vesicatorium* superpono; *Crystalli Mineralis* ἑβ. & *Sacchari* tantumdem (*Remedium* ad *Salivam* hac in re movendam efficacissimum) ut *Ore* teneatur, ut retentum solvatur, ut solutum expuatur, omni horæ quadrante adhibeo: *Hinc* fluidum *Salivis*, *Os*, *Ptyalismus* hinc immanis.

Ut alteram *Curationis* partem aggre- diar, & *Materiæ* reliquum in *Articulos* transferam, ita præcipio.

℞. *Pulv.* è *Chel. C. C.* ἑβ. *Conf. Anthus* ἑβ. *Serp. Virgin. pul. gr. v.* *Conf. Alk.*

q. s. f. Bolus, hora quaque octava sumendus, cum *Julapii* haustu *Perlati*. Potui vero dabatur *Decoctum Sarsæ, Chinæ, Raf. C. C. Eb. Sem. Coriandr. Genu & Malleolo* dolentibus, ut illuc Materia invitaretur, *Empl. ex Oxycroc. & Picis Burgund. aã p. æq.* admovi.

Horum usu, temporis spatio per brevi, biduo nempe, tantus Artuum, & tam acris erat Dolor, ut neque *Bolo* diutius, neque *Emplastro* opus esset, hoc amplius pari etiam modo & proportione, *Fauces* deturgere; Spiritus, Cibique transitum aperiri, *Anginam* curari, certissimum erat. Ægroto gratulabar, quod redierat jam in viam, itaque vale dixi.

Paroxysmo illo, quo quidem nihil unquam utilius, nihil opportunius evenit, jam finito; quum illius eo tempore recidivi, nullum omnino periculum extaret; ut *Alvus* subduceretur *Catharticum*, at (ne materia de novo irritaretur) blandum, & leniens propinavi; cum *Paregorico*, hora somni post purgationem, assumendo.

Menses inde post aliquot, ad *Prophylaxin* obeundam incumbens, *Aquas* omni mane *Diureticas*, quarta pomeridiana *Pil. ex Salis Martis gr. v. Pulv. Chamæpit. gr. xv. cum Syr. Abs. s. q. s.* demittere, initio vero, & deinceps septimo quoque die, per *Salem Polychrestum*, & *Manna aquis purgantibus solutum*. Ventrem movere, in præscriptis habuit.

Historia profert *Arthritidem*, primùm; Febriculam ex Algore generantem, tum *Fauces* graviter prementem, nec quidem Artubus interea parcentem; Deinde, *Faucibus* (Medicinæ beneficio) expulsam, & in Articulos Memborum missam: Quæ quidem omnia, quum ejusdem morbi irritatio & progressus sint, de *Arthritide Anginam* mentien-

te, sententiam nostram magnopere corroborent.

H I S T. II.

Anginæ Arthriticæ ad Abscessum tendentis, in Arthritida Regularem Metamorphosis.

HUc etiam facit agricolæ cujusdam suburbani Exemplum, qui, annorū plus minus viginti, *Arthritide* subinde revertenti diu afflictatus, initio veris, (nescio qua de causa) *Faucium* Inflammatione gravi corripiebatur, cum æstu corporis universali, & pulsu magno. Dies ille cōplures nihil devoravit; voce nihilclare significavit; Spiritum ægre traxit. Sanguis, ingruente Morbo, missus est; cui Gelatina, post aliquod tempus, supernatavit densa, crassa. Saliva jugiter effluxit.

Ut *Fauces* quam citissime relevarem, (hoc enim medendi postulavit Indicatio) Sanguinem, quoniam abundavit, iterum mitteret; & ad sputum augendum, *salis prunellæ saccharique crystallini* partes æquales ore sæpius teneret, solutas postmodum expueret, Ægroto imperavi. *Mistura* porro data est, ex *Syrup. Balsam. & Aq. Cin. hord.* ad delinendam humorum acrimoniã, & *Tussim* mitigandã. *Clysmã* emolliens quotidie injectum. Loco cerevisiæ, *Decoctum Hordei, Rad. Eryng. C. Glycyrrhiz. Calcum. Adianth. cum Syr. Viol.* Brevi post tempore, per opportune recidit, quod Genu alterum diu multumque doleret, tumeret: unde *Fauces* levabantur, facta in hunc Articulum Materiæ reliquæ Translatione: qua quidem re, ut nihil utilius, nihil esse potuit Ægroto desiderabilius; quando per eam Gutturi maxime occaveretur, Vitæ & Saluti consuleretur.

Historia confirmat *Anginæ Arthriticæ* Doctrinam; simulque monstrat, iis, quæ affluxum ad *Fauces* cohibeant, quæ gravatas eas exonerent, (*Revellentibus*, scil. *Derivantibus*, & *Resolventibus*) *Abscessum* aliquando præverti, in *Faucibus*, *Arthriticum*.

H I S T. III.

Materia Arthritica partim Abscessu Anginoso, partim per Articulares Glandulas expressa.

Vir amplissimus, nec uno nomine colendus, humida Constitutione, Collo crassiori præditus; Catarrho Oris fere indefinente, per primam omnem Pueritiam delibutus; circa Juventutis initia, tum *Arthritide*, tum etiam *Angina*, Morbo, uti videtur, hæreditario, verum non eodem tempore, solebat affici. Ætate progrediente, quum, ex levi in Pocolis errato, post Artuum Dolorem vagum, urgeret *Angina*, Spiritus Animales impendio deprimeret, suffocationem minaretur; neque vulgarem Medicinam, etsi multiplicem, sentiret; ad eam allevandam accessit, de *Arthritide* quæro; Nam quando illa nuper idoneum ex more Paroxysmum egisset? Quænam apud Ægrotum illius ciendi ratio probabilior? Cumque ad hoc operis, prævalere ceteris quibuscunque *Pomaceum* inaudiverim; illius subacidi, sed generosi lib. j. alteramque propinavi; eo nempe animo, ut *Arthritida*, quam diutius silentem *ἀνωμαλως* *Fauces* invadere subsensi, in Artus propellerem. Eventus suspicionem comprobavit; paucis enim post horis, emicuit altero pede *Arthritis*. Laneo vestiri, blande tractari, molliter haberi,

secundum illius Genium, admonui. Sub hoc tempus, aperto *Faucium Abscessu*, Pus emissum est: *Gargarisma* supputans, & modice detergens, sæpius adhibitum.

℞. *Decocti Hordei*, cum *Ficibus incisis*, & *Vini Rubri Gallici* añ ℞℞. *Diamori* ℥jj. f. *Gargarisma*.

Doluit interea, cum Ardore tumuit ex animi sententia Articulis: Post exitum Paroxysmi, *Aq. Purgantes*, quibus abluerentur reliquæ Morbi, diu potavit Æger.

Anginam hanc *Arthriticam* esse constat, Primùm, ex diutino *Arthritidos* silentio; Tum, ex Dolore prævio, antequam *Materia* figeretur, erratico: Tertium, ex subita & facili *Regularis Arthritidos* Emerfione: Quibus simul consideratis arguitur, præter istam *Anginæ* causam evidentem (in Potulentis scil. Erratum) fuisse etiam *ἀπονηγμένον*, *Arthriticum* intus in Sanguine Miasma evehctum, ebulliens, ambitiosum; quod, junctis causæ externæ Copiis, Naturam eo usque laceffiverit, donec illa Vires recolligens, Hostem in exilium, Materiam alienam in *Fauces*, (ab Origine debiliores) & demum, Arte adjuncta, in Artus amandaverit.

Docet Historia, in *Arthritide Anomala*, *Anginam* æmulante, Spiritumque elidente, posse utiliter, Artis ope *ιατρικῆς*, *Arthritida* suscitari *Regularem*.

His subjiciam, Ægrotum hunc nostrum, posthac *Articulis* sæpissime laborare, *Angina* vero non item: imo ratione prorsus *inversa*; sic, ut quo minus hac, eo magis illa: Quæ quidem istorum affectuum, adeo inter se dissimiles mutationes pondus aliquod habent; & demum *Arthritida* se in viam dare, & magis rectam esse ostendunt.

HISTORIA IV.

Arthritis primùm Fauces, deinde
Articulos invadens.

Mulier lectissima, dignitate Domus, suaque celebris; nunquam *ἔχουσα*, quanquam Marito satis probabili diu nupta; cum annos quatuor supra quadraginta compleverat, & deficere Catamenia jam menses aliquam multos perfererat, obesior, & crassior evasit. Eo Corporis statu ac conditione fuit, quum, Vere anni MDCCV. ineunte, Febricula & Tumore Faucium repentino corripetur: quibus ut occurreret, suasionem amicorum, primum, Sanguinem detraxit; dehinc Cervici *Epispasticum* admovit: Quorum beneficio quicquid humidi in *Faucibus* depositum fuerat, vel evocatum & elicatum, vel Sanguini redditum & repensum est.

Post *Tumoris* abolitionem, perpaucae agebantur horæ, cum Genu alterum, tum Malleolus, tum Digiti in Pede maximi Globus, & vicinus ei Articulus ordine dolere; tam recte, tamque ex more *Arthritidis* exquisitæ, ut, utrum ipsa esset, an secus, nullus extaret dubitandi locus.

Horum autem malorum ordo, quem exposuimus, *Anginæ* hujus naturam non parum explicat: Nam ut *Anginam* è vestigio secuta est *Arthritis* omnibus numeris absoluta; sic, *Arthriticam* esse hanc *Anginam*, liquido & manifeste probat. Et quidem, utrumque hunc affectum eidem Febriculæ subnasci, ab ea sustentari; & in *Fauces*, & in Artus, alienam è Sanguine Materiam, per eandem Febriculam expelli, minime ambigendum,

Ex hac Historia, & hujus numeraliis, verisimile videtur, non tam extremæ, & decrepitæ ætatis, quam mediæ & constantis Affectum, esse hanc *Anginam*: Certe ea laborantes, qui adhuc usque diem mihi innotuere, Adolescentes, aut juvenes, excepto tantum uno, fuere omnes.

HISTORIA V.

Anginæ Arthriticæ auspiciato supervenit Arthritis Regularis.

Vir Nobilis, HEN. COURTE-
NAY, Regia stirpe oriundus, & Majoribus suis dignissimus, ætate mediæ, plus semel *Arthritide* doluerat; quum, ex intervallo aliquo ab ejus Paroxysmo, (nulla, quod sciam, urgente Causa evidenti) *Faucium* Dolore, Tumore *Φλεγμονώδης*, spirandi glutinandi-que vias intercludente, tentabatur. Gustus summe depravatus, Saliva viscida, Sitis permolesta, Astus universalis, vigilantia gravis, Febris acuta erat. Ad Therapiam Vena illico pertusa est, & postridie per *Pulv. Warwickensem*, Alvus subducta: *Vesicatorio*, Cervice tota posteriori Serum elicatur: Omni horæ dimidio Salivam movens, adhibetur id, quod sequitur.

℞. *Crystall. Min.* ʒijj. *Salis Vol. Succini* ʒj. *Sacchari Crystal.* ʒβ. *Misce*, & divide in partes æquales, N^o. XXIV. teneatur Ore particula, quoad dissolvatur; deinde cum Saliva expuatur.

Potui datum est *Decoctum* sequens, calidissime pytissandum;

℞. *Rad. Gram. Can. Eryng. Cond. aā* ʒj. *Hordei mundat.* ʒβ. *Coccinell.* ʒj. *Coq. in Aq. Font.* ℥ijj. ad ʒj. *Colaturæ*

adde Syr. e Corall. Simp. ℥iij. Tinct. Aurant. ℥j. f. Decoctum. Bolus ex Salis Saturni gr. iij. Nitri purificati gr. v. Conf. Lujul. ℥j. Syr. Melissoph. q. s. ter in die sumendus, cum Jul. Haustu, & ad alvum molliendam, omni vesperi Enema præscriptum est.

Quibus sedulo observatis, Salivam mirum quantam, ac si Mercurio concitatum, ejecerit. Faucibus allevatis, spiravit, glutiit facilius. Restitit Febris, quam in declinante Angina solet esse, pertinacior; & huic rei aliquid amplius subesse, neque omnia conspici, comprobavit. Accessit Podagra, rem totam aperiens; Anginam esse puram putam Arthriticam, Curationem postulare propriam ostendens. Bolo igitur, & Decocto refrigerantibus, ne fraudi sint ægroto, omissis, ad ea, quæ Podagram absque nimio Febris incremento promoveri possint, deflecto.

℞. Salis Martis gr. iij. Pul. e Chel. C. C. ℥ss. Conf. Fruct. Cynosbat. ℥ij. Syr. Garyoph. q. s. f. Bolus, bis in die sumendus, cum Julapii haustu. Et quoniam, ad invocandum augendumque Morbi hujus Paroxysmum regularem, plurimum valere Pomaceum, in Experimentis est, libram illius unam alteramque, Nycthemeri spatio bibat, exhortor. Pedi affecto Ceratum viride admoveo. Doluit exinde Pes, & quidem laudabiliter. Expulsa est ad ejus Articulos Arthritis, & relictis Faucibus jam recte *ωαγοζωιδ*. Aquas aliquanto post, finita Paroxysmi re, Diureticas hortatu nostro hausit, alias aliasque; primum Bamptonenses, anno sequenti Bathonienses, utrasque commode.

In Arthritidis silentio, supra modum longo & ancipiti, Angina si acciderit; utrum Arthritica sit, quam merito suspectum habeas, ostendit Historia.

HIST. VI.

Angina & Abscessus Arthriticus, cum Arthritide insequenti, recta, & idonea.

ANni sunt complures, cum Adolescentem visitavi, sanguineum, robustum, & bene coloratum; cui Faucium cum Dolore Inflammatio fuit, Spiritus & Cibi vias obstruens, (quam Græci *σωδύχλω* nominant) cum Æstu immodico, Pulsu celeri. Numquid Articulis unquam doluerat? interrogo: Dolui, inquit, acerbissime, ter quaterve; istud vero quid ad rem. Ego quidem, maxime, reposui, nec in Curatione negligendum. Sanguinem quamprimum misi, sed, pro Ægri ætate & temperamento, parce; & quam in Angina fieri solet Exquisita, parcus: ea vero Copia, quæ ad demittendos Cibos, & Spiritum reciprocandum satisfaceret. Eo vespere Enema. Postridie Catharticum.

℞. Rhei incisi ℥j. Fol. Sennæ ℥ij. Pulpæ Cassiæ, & Tamarind. aã ℥iij. Coq. in Aq. font. ℥vj. ad iij. Colaturæ adde Salis Cathart. Elect. e Succo Ros. aã ℥ij. f. Potio, bene mane ebibenda. Sæpius desurrexit, cum levamine. Gargarismum resolventem (ex Ficiuum pinguium N°. iv. Rad. Althææ ras. ℥ss. in Aq. Hordeat. ℥jss. adj. incoctis, Mell. Mororum ℥iij. Sp. Sulf. per Camp. qu. s. ad aco-rem temperata) præscripsi, eumque sæpius adhibendum: In Potum Ordinarium, Ptisanam propinavi; Articulis olim dolentibus, ad Arthritidem in eos, si qua fieri posset, invitandam, Empl. ex Cephalici, & Oxycroc. aã. p. æq. admovi.

admovi. Paucis post diebus, aperto Tumore, Puris emissa est quasi Uncia. Lenito, non composito, Sanguinis Orgasmo, post breve tempus, Articuli dolent, tument, rubent. *Arthritis* recte agit, & *Anginam Arthriticam* fuisse monstrat. Finito Paroxysmo, ad *Prophylaxim*, purgatis prius per *Aquas & Salem Catharticum* Interaneis, *Aquas Diureticas* omni mane hausit; hora decima seq. *Trifolii fibrini Infusum*; quarta pom. *Bolum*, cum *Sale Martis*; demisit; *Hydragogo* septima quaque die interposito, Menses binos perstitit; Methodumque in multos annos commodissime repetiit.

Eos, qui dolere solent *Arthritide*, *Angina* cum invadit; sitne illa genuina, an *Arthritica*; recte ambigitur; & *Anginam* contra *Arthriticam*, optimis auspiciis, consilio saluberrimo, *Arthritis* invocatur *Regularis*.

H I S T. VII.

De Arthritide multos annos Erratica; tunc Anginam iterum & sæpius simulante; postremo Regulari Fixa.

ADdam denique Historiam, tum *Anginæ* hujus nostræ Naturam, tum *Arthritidis* morem varium, & incertum, cum primis ostendentem.

Pharmacopœi *Exoniensis*, viginti annos *Arthritici*, Uxor fere sexagenaria, *Rheumatismo* per quinque lustra creberrime recurrente, cruciari visa est: Dolore quippe Artuum, Brachii potissimum sinistri internodia laceffente, rodenti, erratico, vexata: *Rheumatismi*

hujus larvati originem *Pomaceo*, quæ illi Potio fuit, acceptam retulit.

Sub finem seculi superioris, circa vernale *Æquinoctium*, *Anginæ* correpta fuit illa Specie, quam *Synanchen* appellant, adeo atroci, ut (ad illam minuendam, humoresque alio detrahendos, etiamsi Collo *Epispasticum* admotum, Alvus Enemate soluta, Vena semel iterumque perfusa fuerat) toto quatruidi spatio, ne hilum quidem victus ore demiserit. Eodem tempore, & pari ferme proportionem, Carpo exorsus est Tumor, cum Dolore, Rubore, Calore, Nitore prorsus *Arthritico*. Dies minimum sexaginta perduravit, in rugas demum contrahente se Cuticula, & squamatim ultimo decidente; sic, ut cujus generis, quaque esset familia, Tumor omnino palam faceret. Et *Anginam*, & *Chiragram*, ab eadem viscida, & acri Gelatina, in Sanguine producta, fieri credibile est; quæ hic illic Capillariis inhærens, Oppilationes, Tumores, Dolorem, ceteraque Morbi utriusque faceret Symptomata.

Adversus *Anginam*, quum Humores derivantibus, & repellentibus, initio morrem gerere recusaret; & Maturationem affectaret Tumor; *Gargarismum* è *Decocto Ficum, Hordei, cum Melle Mororum* (postea ad detergendum, *Mel* adjectum est *Mercuriale*) in Præscriptis dedi: Externe vero *Theriace Ven. Empl.* Gutturi applicandum. Quicquid intus Purulenti fuit, Tumore post quatruidium, aperto, sensim expressum est.

Contra *Chiragram* imperavi, ut, admoto Parti affectæ *Vesicatorio*, vel (quoniam illud abhorrere visa est *Ægrota*) Panno molli & denso, per Cutim

evocaretur quicquid humidi præter naturam Articulis inesset. Carpi post Paroxysmum mansit Imbecillitas, & ad Motum impotentia, quæ tamen aliquanto post evanuit: Animi vigor & alacritas major; Cibi appetitus, uti ab *Arthritidis* Paroxysmo solet esse, avidior fuit; sic, ut ex trium pene mensium adversa valetudine, melior Ægrotæ & sanior evaserit.

Ad tollendam utriusque causam, & Sanguinem (cujus in Cyatho Facies sebacea) corrigendum, primum, misso *Pomaceo*, & leni per *Salem Catharticum*, &c. facta *Purgatione*, *Taraxaci Cochleariæque Succos* clarificatos; *Lac Asininum*, & *Stomachica* sumeret, imperavi. Medicina vero omni (quod ejus odium fuit) neglecta, insequenti Autumno, vagos iterum Dolores Ægrotæ persensit; qui tamen postea progressu temporis evanuerunt, in Fixos sensim mutati.

Anginam postea sæpissime recidivam habuit, Vere vel Autumno quotannis in annos complures reducem; &, vel ei à latere conjunctam, vel à tergo famulantem *Arthritida*; nunc Carpum, nunc Digitum, nunc Talum occupantem, & κτ̄ λόγον aggravantem: cum solita in decessionibus Animi lætitia, Spirituum alacritate, Ventriculi latratu. Hoc vero cum discrimine, & quasi Privilegio, quod, ex quo figi occoepit *Arthritis*, eo lenius & patientius se vaga gesserit, eoque minus vagata fuerit; & quæ diebus hisce fuit hujusmodi *Angina*, fere blandior observata; *Venesectioni*, *Vesicatoriis*, *Clysteribus*, *Gargarismis* facilius cedens; & in *Arthritida Regularem* promptius, & quasi ultro abitura.

Evincit Historia, primum, *Arthriti-*

dem multos annos πλανητικῶς, & *Rheumatismi* usquequaque similem, & in *Fixam* posse demum migrare: Deinde, in Erraticam retrogradi; iterumque defigi. Tertium, *Arthritidem* in eodem Corpore, ex eadem Febre exoriri posse duplicem; in Faucibus, *Anomalam*, in Artubus, *Regularem*. Quibus hoc adjiciendum, quod Ægrotæ, genere nata saluberrimo, quum nullum habuerit à Parentibus Miasma, itemque diu Veteri juncta fuerit *Arthritico*; hoc Contagii suspicionem alere censeatur, & *Arthritidis* à marito acceptæ.

Ita quidem *Anginæ Arthriticæ*, (Morbi, nisi fallor, hætenus obscuri) secundum illius Symptomata, Naturam, & Morem, quantum in me est, explicui; Curationem exaravi; & Exemplis utramque illustravi.

C A P. IV.

De Dolore Capitis, & Vertigine Arthritica.

ART. I. **A**D Caput jam ascendimus, & ab *Arthritide* factas in eo errationes. Illius autem Morborum, uti vulgo describuntur, numerus est adeo multus; *Ætiologia*, tam difficilis; limites, & fines (propter obscuros illius Partium, & † incognitos usus) explicatione sic egentes; ut nemini mirum videatur, Morbos eos communiter receptos, hos à me prolatos non æquiparare. Paucas in apertum proferam *Arthritidos* in Capite

† Vide Clariss. Stenonis, de Cerebri Anatome *Dissertationem*, impressam Lugd. Bat. Anno 1671.

Anomalias ; sed, quas exploratas habeo ; quas certas, evidentes, & perspectas ; *Cephalalgiam* nempe, *Vertiginem*, *Apoplexiam*, & *Paralysin Arthriticam*. De duabus primis in hoc Capite, propter earum conjunctionem, sicut evenire solet, frequentem ; postea de reliquis ; verba faciam.

II. Eos sæpe invadit iste *Dolor*, (nam de illo separatim, & primo loco dicam) qui, cum multos annos *Arthritici* fuerunt, traducto jam vitæ medio, Poculis & Diætæ nimis amplæ, plus æquo indulgent ; Exercitationi vero interea, laborique (quæ eorum mala possint corrigere) vix satis ; quique ea re *Plethorici* evadunt, & solito crassiores : *Sanguinei* vero præ ceteris quibuscunque, tum graviter hoc affectu, tum crebro affliguntur.

Ex hisce vero illos sæpissime invadit, qui Collo breviori natura fiunt ; vel qui, in *Capite*, vasa Sanguinem vehementia, supra modum magna, habent ; vel, qui nimis imbecillia, Sanguinique in circuitu propellendo minus valentia : Illos scilicet omnes, quibus ea Corporis Fabrica & compago, quæ Humorum in *Caput* inclinationi, diutinæque in eo moræ, nimio plus faveat, opemque conferat. At huc conferre non parum videntur, in *Cranio* foramina nimis angusta ; quibus (veluti *Ligaturis*) coarctentur *Venæ Jugulares*, & Sanguis (sic, ut in *Venæsectione*) Vasa tumefaciat ; itaque *Fibras* extendendo *Nervinas*, *Spiritusque* in iis contentos perturbando, creet *Dolorem*.

Atqui illos maximopere hic infestat *Dolor*, quando jam ætate grandes, aucta Humorum vi & plenitudine simul gravati, simul iis tolerandis im-

pares, illi, malo vehementi pariter, atque intempestivo conflictentur.

III. Sic constituto, & ad Morbum hunc excipiendum aptato Corpore, cogitare licet *Αρετριδισιον* id, quæ est *Arthritidis* causa proxima & conjuncta ; post aliquam à Paroxysmo quietem, iterum repullulans, se iterum movens, & attollens, itaque Orgasmm in Sanguine faciens ; eo nonnunquam ipso ; (pari ferme ritu, ac in Variolarum initio solenne est) *Dolorem* excitare ; *Membranas* scilicet nobiles, tam intra, quam extra *Calvariam* ; aut *Tunicas Vasorum* membranaceas extendendo, *Spiritusque* animales, earum *Fibras* incolentes, irritando vexandoque. Nonnunquam evenire potest, ut, in his *Membranis*, acutissimo sensu præditis, depositum *Miasma*, virulentum & acre, pungat eas, arrodant, atque earatione faciat *Dolorem*.

Quocunque vero modo fiat *Dolor*, omnino palam est, eum *Miasmatis*, sese in Paroxysmum erigentis, Signum esse non raro primum, & prænuntium ; ad dies aliquot durare ; & tunc in Paroxysmum desinere regularem. *Arthritide* vero delinquente, & accessiones sive nullas, sive languidas iterante, *Cephalalgia* sæpe oritur gravis & diuturna, *Ægrum* *Hebdomadas* (ne dicam, *Menses*) aliquot excruciat ; & demum nisi *Miasma* ad Artus transferatur, vel à *Capite* aliàs adducatur, *Apoplexiam* introducit.

IV. At de *Natura* ejus *Arthritica* ut plane constet, non solum ex *Arthritidis* silentio defectuque oritur, (quod tamen unum magni hac in re momenti est, multumque valet) verum etiam pro *Miasmatis Arthritici* renovatione, incremento, & in Paroxysmum

eruptione, renovatur; Periodos eadem, quas *Arthritis* ipsa, servat; frequentissime in eum regularem, & genuinam migrat; & quidem raro finitur, nisi per regularem Paroxysmum, (quo quidem oriente statim evanescit) vel per *Apoplexiam*: Quibus simul sumptis, Morbum hunc Miasmate *Arthritico* in Caput irrepente nasci, nihil, ut opinor, indicio potest esse luculentiori.

Dolor ille non semper magnus, sæpe tolerabilis, sed dierum sæpe multorum; interdum autem pene ad Delirium usque gravem observavi, patientia majorem omni.

V. Quanquam iste *Dolor* insultum aliquem *Arthriticum*, & quidem usitate regularem, vel *Apoplexiam* antecedit; interdum accidit, ex regulari Paroxysmo, (repellentibus, vel animi Pathemate, aliave aliqua causa interciso, & abrupto,) eum excitari; mediaque Naturæ opera, & molimine, primum apparere. Quod tamen eodem pertinet; quando utroque casu miasma, minime sic, ut debuit, expulsum, Capiti inflicto est, in illud vires exercet, καὶ ὀλίγια δάματα ναίει.

VI. Nonnunquam ægrum hæc *Cephalalgia* per se laceffit; identidem *Vertigine* comitata: hæc enim illi est tanquam Soror gemina, & Comes fere individua. Adhæc aliquando accedunt *Tinnitus Aurium*, *Spirandi gravitas*, *Pulsus magnus*, *Artuum Dolores vagi*, *Faciei color saturior*, aliaque istiusmodi manifesta Sanguinis *ὀρραζομένης* indicia: Quæ quidem omnia, ut ab *Arthritide* inertis, neque satis idonea proficiscuntur; ita quamprimum illa Artus occupaverit, & ad tempus aliquod recte se gesserit; confestim ea, simul cum *Dolore Capitis*, recedunt; neque

aliam videre licet *Arthritida*, quam quæ ex omni parte regularis.

VII. *Vertiginis Arthriticae*, sicut omnis, Subjectum est ea *Cerebri medullaris* pars, quæ cogitandi officina est: In qua, dum Spiritus animales ejus inflant Tubulos, & in iis sese movent, uti placuerit *Animæ Rationali*; (cujus sub præsidio, nutu, & imperio, totum isthuc *Cogitationis* opus efficitur;) hieorum Motus, sive pleno flumine, sive tenui; sive in Tubulis pluribus, sive paucioribus; sive prorsum, sive retrorsum; sive magno cum impetu, sive remisso; sive inflectione, sive evolutione; sive demum alio quocunque modo, & figura ferantur illi; ipsæ videntur *Homini*, sani & valentis, esse *Cogitationes* & pro harum varietate talem in numerum variari, ut, quo singula *Cogitatio* formetur exprimatque, suus singulæ Spirituum rite ordinatorum, & huc illuc rite fluitantium, *Motus* respondeat.

Hoc ut clarius ostendatur, quivis seipsum examinando facile perspiciet, quanta sibi in somno Tranquillitas; quam alta quies; &, à sensu Motuque omni voluntario (in Somno, veluti in ipsa Morte) Vacatio. Contra, Somnum excutienti palam est, primum omnium in Cerebri meditullio derepente quoddam *micare*; eodemque ipso temporis articulo, *Cogitandi* solitum munus, & pensum instaurari. Prima vero *Cogitatio*, vel pro re nata omnino nova est; & jam tum incipiens; vel (quod ad hujus rei explicationem non parum confert) quæ Somno interrupta fuit, at jam ex intervallo aliquo resumpta est: quarum prior Modulationi, Organis Pneumaticis inchoatæ, quodammodo similis videtur: posterior,

posterior intercifæ, & medio Systemate fractæ; sed aliquanto post elaboratæ, & ad finem perductæ. Atque istam in Cerebro Spirituum *ἐκλαψιν* illico sequitur (nonnunquam comitatur) Motus, ab ea propagatus, in Corpore Muscularis; &, † Galeno jam olim observante, *Qui expergiscuntur, è vestigio Pulsus magnos, vehementes, celeres, & cum quadam vibratione habent; qui mox mediocritatem assequuntur.*

Quis autem unquam, in Somno Spiritus extingui, & ad nihilum redigi putavit? Annon potius credendum est, durante Somno in medullaris *Cerebri Tubulis* eos stagnare, & (tanquam aërem, in Tibiis Organi silentis) quiescere; *micansque* istud, quod expergiscientes primum sentimus, horum esse *Spirituum* in iis (ad instar Ventis, in Tibiis organi) *Motum*; &, quod erat explicandum, *Cogitationes* humanas nihil aliud esse, quam *Πνευματικὴν γίαν*, sive *Spirituum animalium* certas quasdam, in Tubulis prædictis, *Fluctuationes*; secundum leges, & regulas, ab *Anima Rationali* positas, & datas.

VIII. Hisce præmissis, altero jam loco dicendum est, in *Vertigine* Spiritus animales cogitandi munere exequendo impediri; in Rivulis e suis aliquot ordinandis, eorumque Motibus regendis, interturbari; eumque in modum perverti, qui externa quæque *Objecta*, tanquam in Gyro circumacta,

† Τῶν δ' ἐξ ὕπνου μεταπεπλωκότων, εἰς ἐρεθίσματα μεγάλα, καὶ σφοδροὶ καὶ ταχεῖς, καὶ πυκνοὶ, καὶ τινὰ κλίονον ἔχοντες, μετ' ὀλίγον δ' εἰς συμμετρίαν ἔρχονται. *De causis Pulsuum, Libro tertio, Cap. x.*

repræsentet; itaque, ut ex eo fallatur *Imaginatio, Judicium* autem maneat integrum, & inconcussum. Perinde forsitan, ac in Modulamine faciendo, si una, vel altera Organi *Tibia*, rauca fuerit, & dissonans; ex illius vitio, (tametsi reliquæ omnes claræ fuerint, & illæfæ,) statim Auribus peritis gravitas quanta maxima fit; Harmonia perimitur.

IX. Scio nonnullos, Arte nostra Principes, hac de re aliter opinari; Spiritusque animales, Acie quasi militari, & veterum itionum reditionumque tractibus relictis, in Gyros agi, tradentes, per *Rotationem*, & Spirituum *Εἰληγρον*, *Vertiginis* modum & naturam explicare. Quum vero, quo in Campo eorum Acies instruantur; quo, eorum fiat *Αταξία* nulla unquam detexit Anatomæ: contrà verò, *Cerebrum Medullare* totum, ex *Tubulis*, sive *Ductibus*, in *Cerebri Cortice* incipientibus, una hoc loco colligatis; & in *Nervos* infra divisis, & dispersis constare; sicque Spirituum Gyris, & Vorticibus (aliter quam in *Tubulis*, qui quidem iis admittendis minime sufficient) ineptum esse, quando Clarissimi *Malpighii* Anatomæ detexit oculatissima: longe fatius videtur, per *Tubulos*, perque Spirituum in iis *Motus*; quales in rerum natura esse, pro certo habeamus; (etsi, quis Spirituum *Motus* cui conducatur *Cogitationi*, prorsus ignoretur); quam per ea, quæ nusquam inveniantur, aut esse judicentur, Morbi hujus explicationem aggredi.

Quinimo, dici potest, rerum extrinsecarum, totiusque Hemisphærii visibilis, per ea, quæ sibi sunt dissimilia, veras intus in *Cerebro* posse fieri repræsentationes: (nisi velimus, objecti *Viridis*,

ridis, e. g. concipiendi ergo, *Viride* quoddam in compendio; sicque *Rubri* ergo, *Rubrum*, *Nigri* ergo, *Nigrum*, &c. in *Cerebro*, quo nihil unquam absurdius, statueret:) eoque posito, Rerum externarum falsas Imaginationes, quales sunt in *Vertigine*, per iis rebus dissimilia posse fieri dicamus; adeoque, ad earum in gyro & circuitu moventium Imaginationem, etiam falsam Spirituum in Cerebro motu simili nequaquam opus esse.

X. At qualescunque fuerint eorum motus (neque enim in his *σοχαιομοις* diutius hærere lubet) certe perturbari possunt, vel per alienum & inimicum aliquod, in *Cortice Cerebri* à Sanguine depositum; hæc in penetralia, & sacrosancta Adyta, se insinuans; Spirituum Choro se immiscens; ad eos adhærescens; eosque inter se confundens: vel, per Vasa Sanguinem vehentia, in propinquo tumefacta, Tubulorumque Spiritus continentes coarctantia. Quæ posterior ratio probabilior est, in *Vertigine* Cranii depressionem excipiēte; ubi angustiis Spiritus urgentur, nec, quo possint Choroas exercere, Theatro satis spatioso gaudent. At in *Vertigine* Variolas antecedente, vel ab Ebrietate, & in hac nostra *Arthritica* locum obtinere potest (uti videtur) utraque.

XI. Cetera *Vertigo* hæc, cum *Dolore Capitis Arthritico*, concordat ex amussi: similia namque cum eo Corpora, crassa nempe, plethorica, maximeque senilia, invadit: similem habet Originem, ex Miasmate *Arthritico* repullulante, cristas erigente, fugam è Sanguine consciscente: similes habet Periodos, & Typos, *Arthriticis* Paroxysmis respondentes: eosque in non-

nullis ægrotantibus numero permultos: similes habet Comites, sive Signa *Συμπεσύνωτα*, dyspnœan, Capitis gravitatem, Aurium Tinnitum, Spirituum depressionem: similem etiam exitum; quum Paroxysmo plerumque regulari terminetur; interdum *Apoplexiæ* cedat *Arthriticæ*.

Aliquando levis hic affectus, & *Arthritidis*, Paroxysmum molientis, Signum insuper primum, & prænuntium. Molestus sæpe sic, ut eo laborans, ne in humum cadat, baculo adniti; fere continuo cavere, necessum habeat. Quæ levior est, *Arthritide* regulari, ferius aut citius erumpente, fere concluditur. At quando nulla venit in tempore *Arthritidis*, *Vertigo* interdum adgravescit, & deinde paulo post in *Apoplexiam* migrat. In *Epilepsiam*, utpote Morbum confinem & proximum, *Vertiginem* mutari exquisitam, à Medicis passim observatum est; at in eam mutari *Vertiginem Arthriticam*, ex nostra, vel aliena observatione, ne semel quidem novi; ut Miasma *Arthriticum* *Epilepsiæ* generandæ minime aptum existimetur.

XII. Curatio partim fit per ea, quæ utriusque his affectibus sunt communia; partim per iis propria. Inter communia, primum *Phlebotome* consideranda est; quæ, ut Humoribus è Capite derivandis, tam repentino, quam magno est auxilio, sæpe commoda reperitur; & ubi *Dolor Capitis*, aut *Vertigo* isthæc urget; maxime vero ubi Oculorum Caligine, Faciei rubore, Arteriarum in Temporibus pulsu, & ejusmodi (quæ Sanguinis ad Caput inclinationem indicant, & *Apoplexiam* minantur) aliis comitatur, apprime necessaria est: Ea vero ratione copiaque (quod in malis similibus

similibus alias sæpe dixi) mittendus Sanguis; non qua vulgo in his Affectibus absolutis, & minime *Arthriticis* soleat; sed qua, *Arthritidi* in Artus abigendæ faveatur; nec, quam ad *Caput* allevandum opus fuerit, uberiori.

Pertusa Vena, & Orgasmo in Sanguine novo, Miasma expellente, factò, nonnunquam illico dolent Articuli; sin aliter fuerit, *purgatio* instituenda est. Si qua Ventriculi querela sit, hoc tempore *Vomitio* moveatur, & quidem per *Decoctum Teæ*, vel *Possetum Carduatum* aptissima. Ea vel peracta, vel (tanquam inutili) prætermissa, protinus ducenda Alvus; dato, in eum finem, è *Pil. Ruffi*, vel *Cochiæ min.* vel è *Duobus*, una cum *Res. Jal.* granis aliquot, Purgante; quod nimirum Intestina non solum inaniat; verum etiam Sanguinem exagitet, turbet, & à Miasmate, foras illud expellendo, liberet. Opus istud duplex (Humores alios per Alvum evocandi, alios in Venis agitandi) interdum mitioribus, in constitutione scil. tenera purgatuque facilis perficitur. Interdum *Aquæ*, sive *Alfordenses*, sive *Fontana*, *Sale Cathartico* saturata, rem conficit. Et ubi *Purgatio*, sive propter ejus lenitatem, sive propter humorum colluviem, una vice non sufficiat, atque pro re nata repetenda sit; ita vero ut *Arthritidibus* affigendæ accommodetur.

Purgationem, uti par est, factam creberrime sequitur Extremitatum Dolor: At si usque se Miasma in Sanguine contineat, usque delitescat; turbis in eo intestinis & ciendis, & augendis, quam exilio, pro Naturæ jussu, capessendo pronius; hoc casu, ea, quæ Ore sumpta fortius *Podagram* expellant;

quæque extra admota evellant, usurpentur. Quæ vero, Ore data *Podagram* expellant, non nisi caute (præmissa nempe Venæsectione, Alviq̄ue ductione, & *Capite* multum iis sublevato) adhibeantur; ne, quæ Sanguinis, & simul cum eo Miasmatis, in Artus extrudendi causa præbeantur, contra in *Caput* utrumque pellant; itaque malum intendant, & Mortem arcessant. Et quidem, à *Chalybeatorum* potentissimorum, & *Arthritidem* maxime expellentium usu, manum idcirco melius abstinere possumus; quia *Cephalica*, mox dicenda, suoque tempore propinanda, istorum Medicamentorum magna ex parte vices supplere judicentur.

Quia de causa, in *Dolore Capitis*, (ut ad propria descendam) *Pul. è Chel. C. C.* vel è *Corall. r. è Chel. Simpl. Succini albi*; vel istius Classis alii mitiores; sive per se, sive cum *Conserva Anthus*, vel *Cons. Flor. Betonicae*, & *Syr. Stæchados*, vel *Syr. Pæon. Simp. sub forma Boli*; aut ex iis *Pulveribus*, una cum *Pul. dictamni Cretici*, *Castorei*, vel *Sem. Pæon. & Extracto Gentianæ*, *Pilulæ* componi possunt. Quin etiam hisce, sive *Bolis*, sive *Pilulis*, tuto interdum, & utiliter adjicere licebit. *Salis Martis* (vel etiam *Alcohol. M.* post Evacuationes copiosas) gr. iij. vel iiij; & Compositionem, sexta, vel octava quaque hora, repetere. Omni autem ejusmodi Dosi superbibere oportebit *Julapii* (ex *Aqua* puta *Cerasorum nigr. Flor. Tiliæ*, *Pæon. simpl. & Comp. & Spiritu Lavend.*) *Haustum*: Mediis autem intervallis ex usu erit *Tincturæ Succini*, vel (ubi Febris, non immodica, siverit) *Sp. Vol. Oleos.* vel *Sp. C. C. cum Speciebus destillati, gut-*

tas aliquot, ex Cacuminum *Salviæ tenuifol.* vel *Rorismar.* vel *Teæ*, infus. *Hauftu demittere.* Hæc enim Remedia, præmissis universalibus adhibita, Spiritus animales blande reficiunt, & *Arthritidi* in Artus expellendæ quodammodo opitulantur. Neque *Coffeæ Sorbitio*, quando *Cephalalgia* ritu singulari medeatur, præcipue si *Cephalica* ei superinjiciantur, Ægrotis hisce dene-ganda.

Simili fere modo in *Vertigine Arthritica*, post Evacuationes jam dictas universales pul. *Sem. Rutæ, pæon. maris, Castorei, Rad. Valerian. Sylvest. Cyperi, Cort. Winteran. Cort. ext. Aurant. Species Dianthus, Diamosch. dul. per se possunt adhiberi*, vel eorum aliqua cum *Gons. Flor. Pæon. & Syr. eorum*, vel *Syr. N. Myrist. ex Indiis allato*, Electuarii forma. Porro ex pul. *de Gut-teta, & Ente Veneris*, cum *Extr. Calami Aromatici*, vel *Assæ fætida* solutione, formentur pilulæ: vel, cum iisdem Pulveribus adjungi potest, in eadem forma *Sal. Martis*, vel *Sal. Succini*. Ex his composita sumantur, hora quaque sexta, vel octava; Dosi videlicet adeo tum frequenti, tum etiam magna, quæ Spiritus animales ordinet, recreetque; non quæ confundat, irriterve. Dosi vero cuilibet æger superbibat *Julapii Cephalici* *Hauftum*: Uti mediis etiam intervallis *Infusi* præscripti *Cyathum*, cum *Tinct. Succini* guttis aliquot. Profunt græveolentia Naribus admota, *Sp. Salis Armon. cum Sale Tartari, Castoreum, Assa fætida, &c.* Profunt etiam *Eucodæa: Balsamum*, quod ab humanissimo Sene, D^o. D^o. *Vatherouse*, hac in Urbe Medico, dum viveret, præcellentissimo, communicatum fuit, ad Tempora & Nares inungendas, his aliis-

que *Capiti* Affectibus quamplurimis, utile & jucundum erit.

℞. *Ol. Rorismar. Lavend. Majoran. Thymi, Origan, Hyssopi Chym. aã ʒj. Cinam. Aurant. Angelicæ, Rutæ aã ʒj. Succini ʒß. Garioph. ʒß.*

Ol. Nucis Moschat. per express. ʒiiij. Ambra gris. ʒij. Moschi ʒj. Bals. Per. ʒv.

Ambra gris. & Mosch. ponantur super Lapidem marmoreum; humectentur Oleis; & simul triturentur Lapide molari; donec fiat Massa, instar Pomati, inspissata. Huic mixturæ adde Bals. Per. Per horæ dimidium triturentur. Deinde adde Ol. N. M. per Expressionem, & per horam fiat Trituratio. In phiala servetur usui Balsamum eucodæis Cephalicum.

Quanquam autem ista *Caput* multum allevent, Spiritusque labantes fuscitent, non iis solis adhibenda fides. Nusquam major incolumitas, nulla perfectior Curatio, quam per *Arthritidos* in Artus expressionem. Quare, post diem unum, alterum, *Cephalicis* ore sumptis impertitum, in utroque hoc Affectu (par enim utriusque ratio) *Externa*, quæ *Arthritidem* educant, adhibeantur. Articulo nempe sæpissime dolenti applicetur *Empl. ex G. Carannæ part. ij. Cerae flavæ p. j. Ol. Lumbric. q. s.* vel aliud aliquid *Αρτιορασμόν*. Hoc autem si nullarum erit virium, & *Capitis* Affectus remanebit; maxime, si increscet, tanquam in *Apoplexiam* abitura; ad *Sinapismos, Vesicantia, Vestitum laneum, & Laqueos* hac in re idoneos, (quibus *Arthritis* summopere educatur) quasi ad sacram Anchoram, confugiendum est.

Quam parum autem adjuvent in utroque hoc Affectu; imo quam sus-picio-

picioſa, ne dicam periculofa, ſint *Emulſa, Decoſta refrigerantia, Narcotica, Oxyrrhodina, Epithemata, Capitis Aqua frigida Lotia, & ejuſmodi alia*; quæ ad compoſcendum Sanguinis Organum alias cum fructu uſurpentur, facile apparebit; quando illa Materiam alienam, protinus evocandam expellendamque, Medicina prorfus adverſante, & repugnante, *Capiti infigant*. Neque ſatis, ut opinor, tutus Sanguinis per *Hæmorrhoides* Suſtus; quando eo, nimia ſit Humorum in Anum derivatio; quæ vel *Inflammationi, vel Fiſtulæ* viam aperiat.

Ut autem Materia vitioſa, tutelæ ergo, præſcindatur, alioque divertatur; operæ pretium erit, *Epifpaſticum* Brachio, vel Cervici aliquando imponere: Ineunte Anno, (quod *Apoplexiæ* tempus eſſe ſolet) aliasve, ſi urgebit *Capitis Affectus*, Sanguinem detrahere: *Purgans*, omni menſe, repetere: Alvo nunquam diu aſtricta eſſe: Artus, at præcipue Pedes calidiſſime veſtire. Quin & his Hominibus incumbit *Errhinis*, & Meditationibus, religioſe vero à nimia Potatione, abſtinere.

HISTORIA I.

Ab ignava Arthritide Vertigo, Sanguinis miſſione & Alvi ductione, victa.

Quidam annos quatuor ſupra quinquaginta natus, *Vertigine* affectus, dum in his lucubrandis occupor, è vicino Oppidulo me appellit. Fuit ille jamdiu *Arthriticus*, Paroxyſmos habens, ſive eorum frequentia, ſeu ſeveritas inſpecta ſit, idoneos. Autumno anni MDCCV. *Arthritis*, igna-

va jam & ſocors facta, non eo, quo ſolebat, ardore & vehementia ſe geſſit; Paroxyſmum, uti moris erat, laudabilem non ullum edidit; verum, in mediocri & imbecilli edendo, languide enixa eſt. Loco Paroxyſmi regularis, & acuti, *Vertigo* Ægrum invaſit, multumque cruciavit. Quoties enim lecto ille jacuit dextro latere, ſtatim *Vertigine* prorfus intolerabili (quippe qua univerſa ſurſum deorſum rapidiſſime ferri viderentur) tanquam oppreſſus, & penè moribundus, poſituram Corporis illico mutare, neceſſum habuit. Porro ea fuit Hominis fabricatio, quæ plenum, ſubpinguem, brevique Collo donatum eum, Morbis Cephalicis pronum, & proclivem abunde redderet.

Sic conſtituto ſuaſi, ut quàm citiſſime Venam incideret; *Pilulis Purgantibus* (è *Rudii* ꝑ. Ref. *Jal. gr. v. Calom. ꝑ. Balsam. Per. q. ſ.*) Ventrem inaniret; itemque altera vice, pauculis poſt diebus; niſi Dolor *Articulorum* novus id vetaret. Eo vero redeunte, parti affectæ *Empl. è Cephalidi, & Picis Burg.* æquis ponderibus, imponeretur. Detraſto Sanguini, & parumper in Cyatho quieſcenti, ſuper increvit Gelatina denſa, crassa, cum ſuperficie flavefcente.

Præceptis Æger obtemperavit; & quidem magno ſuo, quod deinde accipi, commodo.

HISTORIA II.

Vertigo Arthritica, Purgatione in Podagram mutata.

AUri faber *Exoniensis*, Vir priſcis moribus,

Integer vitæ, scelerisque purus,
 ætate progressus, & ex ea nimis desi-
 diose acta, crassior jam & habilior fac-
 tus; de nimia Plenitudine, & ad mo-
 tum impotentia; de *Vertigine* gravi, &
 urgente (quæ in negotiis obeundis ma-
 gno illi jam impedimento fuit) me
 consuluit. Cum *Arthritidem*, huiusce-
 modi deviam, & *Anomalam*, me plus
 semel observasse recoluerim. Num *Ar-*
ticulis unquam ægrotaverat? Interpo-
 sui. Olim sæpissime, respondit *Æger*:
Hosce vero per *Annos* minime.

De Morbi indole & natura certum
 me habens, ut eum à *Capite* deduce-
 rem, & in *Articulos*, sedem & domi-
 cilium suum abire facerem (quæ qui-
 dem *Indicatio* rectissima esse videba-
 tur.) Viam, atque in *Vertigine* absolu-
 ta, calcari aliam oportere iudicavi.

Quare Sanguinis detractio (quæ
 propositorum alterum tantum promo-
 vere solet, alterum autem interdum in-
 hihere) prætermissa, *Catharsin*, quæ
 utrisque illis satisfaceret, institui; Pur-
 gante, pro *κοιλίας ἐυλασίᾳ*; satis forti ad
 eam rem electo. *Calomel. gr. xv. Scam-*
mon. pul. ᾠβ. Pil. Stom. cum G. ᾠβ. dum
Bals. Per. q. s. pilulari forma, mane de-
 misit; sæpius hinc dejecit; hinc clau-
 dicavit; hinc convaleuit.

HISTORIA III.

Vertiginem, & in Capite Dolorem fa-
ciens Arthritis, idque usitate, Venæ-
sectione & Purgatione toties in Ar-
ticulos acta.

ARomatarius hac in Urbe, con-
 stitutione Sanguinea, Pletho-
 ricus, sexagenario Major, anno

MDCXCVI, *Vertigine* laboravit. Si-
 mul atque eum novi *Pedibus* sæpe do-
 luisset, suspectumque habui *Capitis*
 hunc affectum esse *Arthriticum*; hac re
 considerata, Primo, Sanguinem detra-
 xi: deinde, Alvum semel iterumque
 movi: postremo, *Animales Spiritus* quæ
 reficerent, eorum *Αταξίας* inhiberent,
 ea suo ordine sumenda; *Fonticulos*
 etiam utroque latere *Spinæ* inter *O-*
moplastas aperiendos, imperavi. Quæ
 autem inde fruges? *Pes* iterum jam
 tum doluit; defensum est *Caput*; *Ci-*
vis servatus.

Anno proxime sequenti, circa ver-
 num *Æquinocetium*, idem pene casus
 altera jam vice accidit. Intermittente
 enim, ultra quam solet, *Arthritide*,
 rediit *Vertigo* cum *Dolore Capitis*: quæ
 quidem ambo *Venæsectione*, *Purgatio-*
ne, *Pharmacisque* jam dictis, in *Pod-*
gram, (qua nihil *Capiti* salutaris esse
 potuit) actum mutabantur.

Æstate anni MDCCII *Æger* iterum
Vertigine, simul cum *Aurium tinnitu*,
spirandique difficultate multatus est:
 quæ quidem mala, *Plenitudine* & *Ar-*
thritide nimis inertia nata, post *Venæ-*
sectionem & *Catharsin*, *Articulari* do-
 lore finire.

Observationibus hisce toties iteratis,
 planum omnino factum est, *Arthriti-*
da suppressam, & à *Paroxysmo* quief-
 centem, *Caput* aliquando visitare; quin
 etiam derelictum illud, præ cæteris in
 Trunco locis quibuscunque, tanquam
 alteram *Domum* frequentare. Porro,
 cum in alieno isthoc, utut caro, &
 amabili loco diversetur, posse in *Sedem*
 primariam, in *Artus*, & *Articulamenta*
 revocari. Denique nonnunquam (in iis
 scilicet ægrotis, qui firmiores, & multo
 robore valentes sunt) per *Venæsectio-*
 nem,

nem, & Purgationem, per meras Evacuaciones; quibus sibi restituatur, & suis viribus uti, suoque modo agere permiffa fit natura, sine multo Πεδαγωγῶν apparatu, posse egeri.

HIST. IV.

Capitis Dolor & Vertigo Arthritica, sæpe revertentes, simili methodo curati.

Medicamentarius *Exoniensis*, quo multos annos utor familiarissime, *Arthritide* diu regulari Affectus, sub exitum seculi nuper elapsi mitius solito, rariusque cœpit dolere. Malorum ex eo tempore statim crudele par exortum est; *Vertigo* nempe, cum *Dolore Capitis* acuto; vel, ægrotum eo deficiente, *Cardialgia*, cum *Ructu* acido, & *inflatione Ventriculi*.

Biennio post, quum *Arthritis* nimium ignava esset, nec, ut opus fuit, *Paroxysmum* ageret, κεφαλαλγία rediit, una cum vagis Artuum Doloribus, & quidem Pedum incertis.

Quid autem annos dicam? Decies ego minimum, hunc hominem hac *Vertigine* laborantem vidi: decies eam mœstissime querentem audivi. Quando enim *Arthritide* multum affligeretur, neque ea semper regulari; quali ea modo se plerumque gesserit, hisce paucis accipite. Præcessit Dolor, hic illic erraticus, per Artus, per Trunci ambitum propemodum omnem: hunc excepit, ita vero, ut illius fere latus clauderet, Torpor, & universi Corporis gravitas; cum *Ανορεξία*, Sanguinis Orgasmo, & tumultu, Venarumque distentione. His accessit alias Articuli-

lorum, alias *Capitis Dolor*, & deinde *Vertigo*. Tam autem magna, tamque molesta *Vertigo*, ut, qua in præceps ne ageretur, sæpe haud immerito pertimeret. Ægrotum autem forti, robustaque, & omnino firma constitutione prædito, ea fuit felicitas, ut, post dies quatuor, vel quinque, *Arthritis* sæpe per se τὰ Ἄκρα peteret, eodemque tempore *Caput* desereret. Si quando gravius urgere, diutiusque *Vertigo* perstare contigerit; quod aliquoties accidisse novi; Venæsectione & Purgatione; (altera earum, vel utraque) in Articulos semper exulavit. Cui & hoc adjiciendum, nunquam Ægri, seu *Vertigine*, seu *Dolore* afflicti, *Caput* ex toto immune, & incolume prius reddi, quam in *Articulis* Dolor oboreretur; eo vero jam oborto, liberari semper, & tanquam auxilio præsentissimo & plane divino, isthuc incolume reddi. Qua utique re, ad istarum *Anomaliarum* & explicandam *Ætiologiam*, & confirmandam *Therapiam* (ut ego quidem sentio) nihil magis potest conducere.

Causam autem ne silentio præteream, quare Sanguis in hoc Ægrotum toties, & tanto impetu in *Caput* irrueret, vel impelleretur; ipsa *Facies* eam monstravit: *Facies*, inquam, hominis Pyropi ruberrima; Venis ubique turgidis signata, Sanguine plenissima. Quæ cum ita se haberet, Vasa, in *Capite* Sanguinem vehentia, supra modum magna, & immenso ejus flumine, quod utrique isti *Anomaliæ* daret originem, distenta esse indicavit.

HISTORIA V.

*Cephalalgia Arthritica, Venæsectione
& Spiritu Volatili, in Podagram
versa.*

Cum vitam aliquot ante annis Academicam secutus sim, quidam è proximo vicinus, oppidanus, Ebrietati satis, Socordixque satis deditus, (quarum altera vim humorum magnam in Corpore congerere; altera non eliminare solet) opem meam qualemcunque medicam imploravit. Erat illi, propter malam Vitæ rationem, Corpus crassum, *cacochymicum*, pingue, morbo non unius generis accipiendo paratum: ita vero constitutum forte fortuna invasit *Arthritis*, & à malis gravioribus, tanquam possessione suam, defendit. Semel, bis in anno Paroxysmos, eosque satis longos, & acutos celebravit; perque omne illud tempus abstinere fecit Ægrum. Demum, nescio qua de causa, *Arthritis* intermisit. *Cephalalgia* statim orta fuit acris, & toleratu difficilis. Membranas *Capitis* majores contrahi, & in Spasmos obstinate constringi, verisimile est. Enim vero tantus Ægri fuit cruciatus, quantus omnem modum excedere; quantus Sensum communem obruere, & pene delirium inferre videretur.

Hæc ut primum novi, & ab *Arthritide* interrupta, devia, & in *Caput* inversa, turbas has oriri intellexi; Sanguinem extemplò mitti, &, quia constanti Vir ætate, firmoque Corpore erat non nimis parce detrahi præcepi. Spiritum posthæc è Volatilibus, cum

vehiculo conveniente, dedi. Quam quidem medendi viam ideo calcavi, primum, ut alienum è Capite revellerem; deinde, ad τὰ ἔξω amandarem, iisque figerem. Neque à scopo aberravi; hac enim medicina factum est, ut dolerent, ut tumerent, utque ruberent iterum Articuli; & quidem (ut illa facta est) statim, maximaque Ægri cum utilitate.

HIST. VI.

*Miasma Arthriticum in Caput immis-
sum, eique Vertiginem & Dolorem
inferens, eo revulsum, & in Artus
amandatum.*

Tenera constitutione mulier, frigida *Arthritide*, & languenti creberrime adfecta, Tumorem ejus pallidum, tanquam à Flatu generatum, in utraque manu, & carpo, magnum ostentavit. *Arthritide* sic gravatæ profecto male evenit, Animi *Pathemate*, propter res quasdam adversas, supra modum affligi. Eo enim effectum est, non ut Spiritus solum perturbarentur, multumque deprimerentur; verum etiam ut Tumores hi *Arthritici* prorsus subsiderent, evanescerent. *Vertigo* statim hinc exorta est, una cum *Dolore Capitis & Colli*; cum Somno non tantum injucundo, sed inquieto, tumultuoso, & frequenter interrupto. Quæ quidem mala, si ex omni parte *Hysterica* dicantur: temere nimis & parum consulte (quod utique rei exitu probatum) id diceretur. *Epispasticum Nuchæ Cervicis* impositum est, deinde utrique Brachio; quibus Seri multum evocatur. *Pilulæ* sumuntur *Aloeticæ* (ex

(ex Aloës Rosat. ℥j. Pil. è duob. ℥. Ol. absynth. gtt. j. El. prop. q. s.) quibus Al-
vus inanita, Sanguis agitato. Spiritu
C. C. succinato, bis die cum Julapii
Cephalici Haustu, & Pulvere Poda-
gram expellente (Chalybis Nempe Nu-
triti ℥. Pul. è Chel. C. C. ℥j. Maceris
Pul. gr. iij.) pariter bis die, cum Vini
Canarini Haustu, per dies circiter de-
cem assumpto, factum est, ut denuo Tu-
mores, & quidem intra breve spatium,
elevarentur; ut Arthritis procul à locis
principibus arceretur; ut partibus à
Centro vitæ remotis infingeretur, & de-
tineretur. Qua vero ratione gradibusque
sunt hæc effecta; Cerebri incolumitas
effecta, ipsius Vitæ res servata est.

HIST. VII.

Cephalea & Vertigo Arthritica, Medi-
cina pari, cum Phænigmis, sublata.

Vir reverendus, ætate constanti,
doluit Arthritide; nunc vaga,
per hæc illa membrorum internodia,
nunc Articulis affixa, dolore: Rubo-
re, & tumore comitata. Primo supra
decimum exeunte lustro, Cephalalgia
& Vertigine laboravit, tum gravi-
bus, tum diutinis. Cum me, consilii
ergo, primum arcessiverit, ex Consti-
tutione Sanguinea, Vultuque florido
judicavi, Plenitudinis, & quidem ejus
unius, has esse soboles; itaque sola E-
vacuatione posse eas auferri: quam ta-
men (excussa omni re, & inito cum
ægrotante colloquio, penitus exami-
nata) sententiam mutare necessum ha-
bui, & alienam, & Arthriticam in
Caput irreperere materiam, apud animum
meum statuere.

Hoc igitur propositum ante oculos
statuens, Venam primum incidi; & mi-
nore quantitate, quam in his affecti-
bus absolutis conveniret, detracto San-
guine, Emeticum præcepi; postea-
que Purgans. Quibus malum quan-
do leniri, minime vero tolli perense-
ram, Pilulas (ex duobus, & Ruffi) Dra-
sticas adhibui, ut in Sanguine major
Orgasmus ciceretur, & alienum profcri-
beretur. Postridie Purgationis, ut Hu-
mores excitati, foras evellerentur, suis-
que demum locis, nempe Articulis, in-
fererentur; Curæ mihi erat, utrique
Malleolo, quem Arthritis locum usita-
tissime frequentavit, Sinapismum (ex
Fermento veteri, Raf. Radicula Sem. Si-
napios, Cacuminibus Rutæ, & Aceto Vi-
ni albi) applicare.

Atque ista methodo, in Cerebrum se
insinuantem, Arthritida revelli; pro-
prio loco (nempe Artubus) mandavi;
suos intra terminos, sua spatia coercui;
Ægrum sanavi.

HIST. VIII.

Vertiginis Arthriticæ, cum Spirituum
depressione gravi, Curatio.

Civis Iscanus, Arthritide regula-
ri, quotannis redeunte, per se-
nectæ initium, est afflictus, Sexegen-
arius autem, vel eam circiter ætatem,
Paroxysmos habuit tum paulatim mi-
tiores, tum etiam rariores, & demum
nullos. At brevis ista fuit serenitas,
& ab adversa valetudine vacatio; uti
etiam dubia: Malum Arthritide gra-
vius successit, longeque periculosius;
Vertigo nempe; cui princeps comitem
sefe

fese dedit *Depressio* Spirituum supra modum molesta, continua.

Cum ita affectum inviserim, pulsum magnum, & elatum observavi; ac si instaret *Apoplexia*. Quare Venam illico pertundi, Sanguinemque ea quantitate detrahi, qua *Capiti* levamento esset, iussi. Porro, quoniam isti *Capitis* Affectus non tam absoluti, quam *Arthriticis* (quod ex malorum ordine vel ipsi *Ægro*, rei Medicæ non ignaro, patuit) existimari possent; quo *Arthritis* educeretur, *Phænigum*, ex ea evellentibus, acerrimum, & calidissimum, utrique Malleolo, quæ *Arthritidis* in hoc *ægro*to fuere stativa, imposui; frigidum, altera quaque hora, renovavi; Tumoribus, eo factis *Epispastica* admovi; unde Seriacris, falsi, vitiosi, *Arthritici* multum est elicatum. *Æger* ex eo tempore convalescens, annos egit postea permultos, eoque pro ætate satis beatos; & tandem Morbo, uti accepi, *Nephritico* occubuit.

HISTORIA IX.

Ex Arthritide Vertiginosus, Victu nimis tenui depressus, è vivis excessit.

Vir mihi conjunctissimus, diu bona valetudine usus, ætate adulta dolere cœpit *Arthritide*; quæ, propter multas Equitationes, & laude dignam in victu temperantiam, raro aliter se habuit, quam quæ maxime regularis, quæque maxime salutaris. *Paroxysmum* enim, semel bis in anno, cumque malo Symptomate nullo comitatum, tanquam ad præscriptum Medici, aut votum *Ægrotantis* egit.

Ita multos annos, si non omni Dolore sensu carens,

(τις δὲ πλὴν θιῶν.

Ἀπαντ' ἀπήμων ἢ δὲ αἰῶν ὁ χρόνον;) beate tamen, & tuto, imo ipsam per *Arthritida* tuto vixit.

Huic, ingruente Senio, accessit *Vertigo*; quæ, paulatim ingravescens, eo increvit usque, ut sæpe ne in humum *Æger* consideret, periculum esset. Quapropter *Venæsectio*, *Emetica*, *Vesicantia*, *Purgantia*, alieque multa, suo quæque loco, sunt à Viris Arte nostra præcellentibus, imperata, &, vel omnia, vel magna ex parte, ab *Ægro* usurpata: Quum vero ista proposito minime responderent, *Vertiginem* eam non tam exquisitam & genuinam, quam notham, & *Arthriticam* esse suspicatus sum.

Sexagenario jam major, *Arthritidem*, uti illi videbatur, nimis gravem, diutius non alere, sed per *Diætam* decrevit tenuare: proindeque, *Cerevisia* potenti & generosa (quam, per annos aliquam multos, interdum ad hilaritatem, at non incommode, potaverat) abjecta neglectaque, non nisi aquosam, nullarum virium, & vilem adbibit. Væ autem illis, qui *Arthritida*, diu Satiæ tati suetam, abstinentia demum nimia tentant evincere. Male habita *Arthritis* intimas in Corpore regiones, ejusque Viscera nobilissima invadit; unde *Ægri* res in pessum abiit, & (ut sæpe accidit) in dubio vita. Minus quidem Articulis, ex eo tempore, doluit hic noster *Arthriticus*; at inauspicato minus. Sanguis enim intempestive, & magna *Ægri* cum injuria debilitatus, alieno amplius expellendo, sic, ut olim, non erat. Faciem depressam, nec, ut ante coloratam, Oculos concavos, Vires enervatas notare familiares, & malum ali-quod præ foribus ominari.

Quum

Quum vero eo res deducta esset, magni aliquid momenti accedit, dictuque non indigni. Recurrente enim *Podagra*, & insultum denuo, qualem potuit, faciente, Aqua frigida Pedes media hyeme immerisit Æger, itaque temere *Tumoris Arthritici* Materiam repercutit. Pectore, Capite subito gravatus primo tussit, & cum impedimento Spiritum traxit; mox Sensus omnis, ipsa etiam Mens defecit; &, tota undique astantium mirante turba, non tam excessit, quam surreptus est è medio.

C A P. XV.

De Apoplexia Arthritica.

ART. I. **D**E Vertigine, & Dolo-
re Capitis *Arthri-*
tico supra dictum est; speciatim, hos
Affectus in *Apoplexiam* non raro mi-
grare, eaque terminari: Quod quidem
malum; quando hodie gravissimum;
eoque gravius, quo minus suspectum,
intellectumque sit; operæ pretium mi-
hi videtur paulo altius ejus rationem
repetere, & totam Historiam, ut po-
tero, describere; qua, nisi me fallit ani-
mus, apparebit, hanc *Apoplexiam*, non
minus quam reliquas hujusce nominis
Anomalias, habere privatum, &
propria indigere medendi methodo.

II. Docuit rerum medicarum usus,
Arthriticos, eos præcipue, qui Consti-
tutione Sanguinea, Collo brevi, & to-
roso donati, multos ægrotarunt annos,
seniumque jam ingressi sunt; maxime
vero eos, qui *Cereri*, & *Baccho* indul-
gentes, ludoque campestri & exerci-
tatione Corporis intermissa, fiunt Ple-
thorici; Sensu Motuque, nunc aliqua

ex parte, nunc omni, subito privatos
Apoplexia non raro corripit. Quæ si
Arthritidis Paroxysmo regulari, sive
interciso, sive dilato, minimique, qua
par est, sævitia peracto, enascatur;
hanc ego *Apoplexiam* non tam exqui-
sitam, & genuinam, quam notham, &
Arthriticam appello. Ea certe est, de
qua, ex communi, &, apud doctos &
litteratos hætenus recepta, *Apoplexia*
Doctrina, minime ferenda est senten-
tia; minime ordinanda Medicina: ve-
rum multo aliter, ex eo, quod huic
Affectui proprium, de utrisque statuen-
dum est.

III. Ut autem proprium illud ex-
plicetur, animadvertendum est, in casu
jam descripto veri admodum simile
esse. Miasma *Arthriticum* in Corpore
diu affecto, neque Paroxysmis utili-
bus, & sic, ut oporteret, expurgato, con-
geri & coacervari: mox Sanguinem,
eo saturatum, fermentescere, turgere,
& in Orgasnum evehi; Natura sc. in
sui defensionem, & tutelam, alieni-
summis viribus expulsionem attentan-
te, moliente. Jam vero si acciderit, vel
propter *Cerebri* imbecillitatem & ἀτο-
μίαν, vel propter aliud quodvis ἀποκατα-
κτικόν, in *Cerebrum* vehementius San-
guinem arietare, & cum majori impetu
partes ejus tenerrimas ferire; ex eo,
primum *Cephalalgia*, & *Vertigo*, altera
nempe, sive ambæ suboriuntur; *Caput*
aggravatum; *Facies* plenior, & colo-
rator est; *Lingua* sæpe titubat; Mo-
tio fit Corporis incomposita; *Gressus*
inæquales: Sique Malum ingravescit,
& validissimo tægrum insultu urget.
Sensu ille, Motuque interdum captus,
cum Oculorum, ac si in ipsa Morte,
vitreo colore, tanquam *Apoplexia*, per-
cussus est.

Hæc hujusce Morbi pars prior; cui si aliud adjiciatur, & ab ejus Curatione ducatur argumentum, (Nullam melius sperari, nullam citius, nullam tutius perfectiusque fieri, quam per alieni, Morbum in *Capite* committentis, ad Articulos expulsionem) profecto quidem, ad confirmandam Morbi hujus Naturam *Αρθριτικῶν*, nihil deesse video.

IV. E prædictis liquet, etiamsi nullam hujus Morbi, quatenus *Arthritici*, Diagnosin, è Symptomatum simul concurrentium globo, poterimus ullo, quod sciam, modo elicere: (nam in *Apoplexia* hac *Arthritica*, atque Exquisita, Motus & Sensus similis est Defectus, Stertor, Rhonchus, eademque his utrisque Signorum *Συν᾿ ὄψει*;) tamen, si *Ægri*, diu jam *Arthritici*; si Paroxyfmi, dudum languidi, & inertis; si *Apoplexiæ*, languorem & Eclipsin illam à tergo secutæ, habeatur ratio, horum, inquam, ex Symptomatum Ordine, ipso Morbi initio facile erit ingenium, & morem ejus *Arthriticum* investigando consequi.

V. Posito ergo hoc Affectu, de ejus *Subjæcto*, de Causa continente, de remota, de Prognosi, aliisque ejus expositioni necessariis, clare dicam, & quoad poterò, enucleare.

Subjæctum Apoplexiæ frequentissimum, omnium, qui de illo verba fecerunt, acutissime, Partem esse *Cerebri Corticeam*, affirmavit Doctrina, Ingenio, & Humanitate Vir Clarissimus, *Guilelmus Cole*, Collega plurimum honorandus. “ Ea (sic ille solidissime
“ me disputat) Morbi omnis Sedes,
“ & *Subjæctum* est habendum; quod
“ Materiam, eum committentem, initio accipere, & in quo defigi illa

“ judicetur: Nullo autem in loco Materia promptius, quam in *Cerebri Cortice* defixa, facit *Apoplexiam* *.
Huc eam apportant Arteriæ nobiles, ingentes, in ramos divisæ tum magnos, tum etiam amplum inter se commercium exercentes. Huc allata, & eo loci sistens, Vasorum Sanguinem vehementium fines, (furculos scil. Arteriarum, & Venarum origines) extendit dilatatque. Vasorum istam extensionem necessario, & quidem è vestigio sequitur, in *Corpore Calloso*, reliquoque *medullari Cerebro*, Tubulorum compressio, coarctatioque. Hinc Spiritus in Tubulis istis animales interpelluntur: In Motu ordinando, eorum Mandata; in Sensu recipiendo, eorum Impressiones; in Cogitationibus elaborandis, eorum Fluctuationes interturbantur, confunduntur. *Sensitiva*, cumque ea *Rationalis Anima* patitur Eclipsin.

Quod vero multum in ea *Apoplexiæ* Sede confirmanda valet; ei datæ sunt à Natura Venæ, prædictis Arteriis, qua numero, qua magnitudine, qua denique commercio respondentem; quæ, quicquid alieni sit advectum, (facta præcipue Sanguinis detractio, vel minimum *Αγτισπᾶσι* debita) resorbent, asportantque. Hoc modo partim, ut opinor, evenit, quod qui gravissima laborarunt *Apoplexia*, sæpe curentur, de integro nunquam in eam incidentes; *Cerebri* nempe *Cortice*, sic, ut par est, exonerato, & deinde pristinam recuperante *ἰστρονίαν*: Quod de *Corpore Calloso* minime, si eum *Apoplexiæ* locum esse fingamus, expectandum: Nam cum ei nulla sint, quæ tam

* Vide Autoris Tentamen Physicomedicum de Apoplexia.

tam grande onus (*Apoplexiæ* nempe *Causam continentem*) auferre possunt, Animam occupabit non *Eclipsis* solum, sed ipsa *Nox*; *Catulli*

Nox, perpetuo dormienda.

Minime vero negandum, *Miasma Arthriticum* ipsos aliquando *Tubulos* intrare *Nervinos*; Spirituum undulas miscere; nubem Animæ, & torporem injicere; & quidem ita semper (alias autem alia ratione) fieri conjicio, quoties hæc *Apoplexia* demigrat in *Paralysin*; ubi nulla videtur alieni, nisi per *Tubulos prædictos*, extrudendi via.

VI. De causa hujus *Apoplexiæ* conjuncta & proxima, notatu dignum est, illam creberrime *Vasculorum* esse in *Cerebri Cortice* *Dilatationem*; quæ *Tubulos* in *Cerebri Meditullio* statim comprimere, Spiritusque facit *Animales* in iis obstrui, & turbari. *Ista* vero *Dilatatio* vel à *Sanguinis* in ea *Vascula* irruentis, & in iis commorati, vitio; vel ab ejus quantitate provenit.

Vitium isthuc, quatenus *Arthriticum* est, à *Miasmate Arthritico*, *Sanguinem* commoyente multumque exagitante ortum, procul dubio hac in re non parum operatur: Huic autem aliud vitium accedere solet, *Sanguinis* nimirum *Lentor*; qui ut omnium pene *Arthriticorum*, maxime vero ætate grandiorum, *Sanguini* inesse; eique detracto, & in *Cyathis* quiescenti, innatare deprehenditur; ita hujusmodi laborantium tum inesse *Sanguini*, tum etiam eorum *Cerebro* inhærere, *Vascula*que (sic, ut dixi) referciendo complere, & extendere jure merito censeatur.

Miasma isthuc *Arthriticum* per se, maxime vero τῶν πλεονεξιῶν involutum; si

Cortici impingatur, & in eo infideat; *Sanguinem* eo loci sistit; itaque *dilatationem* modo dictam infert; & sæpenumero *Causa* hujus *Apoplexiæ* proxima, ut suspicor, & conjuncta est.

Quoties autem *Miasma*, penetrato *Cortice*, *Tubulos* in *Cerebri Meditullio* subintrat; *Spiritus* animales tunc cominus aggreditur; & proxime tunc facta in eos *Impressione*, *Fluctuationes* eorum ordinarias subvertit permiscetve; donec *Morbus* aut in *Paralysin* exit, aut *Morte*, *linea rerum ultima*, concluditur.

VII. *Istam* autem *Sanguinis*, seu vitiosi, seu nimii, in *Capite* moram, & mansionem, (ut de *Causis* remotioribus non nihil dicam) imprimis *Cerebri* creat à cunabulis imbecillitas. Huc confert etiam, quicquid *Sanguinem* impetuosius, & in *Cerebrum* copiosius impelli; quicquid etiam in eo diutius retineri faciat. Copiosius autem impellitur *exercitatione Corporis*, & labore pertinaci.

Anni ferme sunt viginti, cum *Celeb. Matthæus Slade*, *Medicus Amstelodamensis, Londinum, Oxonio* proficiscens, & in itinere collem (ambulandi gratia) pedibus ascendens, vix superato ejus fastigio, quasi de *Cœlo* tactus, *Apoplexia* prostratus est; neque unquam ad se rediens, animam brevi post efflavit.

Infantuli, paucis ante diebus nati, subitoque, sine *Veneni* suspitione, mortem obeuntis, *Corpus* olim aperui. Nulla erant *Veneni* in *Stomacho* vestigia, at in *Capite*, *Arteriæ* & *Venæ Cerebrum* amplectentes, bis tanto majores, *Sanguinem* magna illa nascendi lucta & nisu, in *Caput* *Infantuli* nimio plus intrudi, & tum *Apoplexiæ*,

plexia, tum etiam Mortis Causam fuisse, verisimile reddiderunt.

Diutius Sanguinem in *Capite* retineri faciunt, inter alia *Vincturæ Colli* nimis strictæ: Non ita pridem, in vicinia nostra, quidam madidus, & Baccho plenus, in lectum commissus, intra breve tempus obiit. Rigidus enim, ore livido, demortuus horis post paucis est inventus. Quum, de causa Mortis adeo repentinæ inquireretur, præter ingestam liquidorum vim, *Collari* linteo nimis arcto, & in poculis non exuto (tanquam Fune in strangulatis) Sanguinis reditum, maxime in Corporis situ plano; & *Horizontali*, impediendo, nihil probabilius inveniri, aut quidem excogitari potuit. Quæ à nobis *Apoplexia* puræ, & genuinæ *αποπληξιας* afferuntur (nimirum, ob accidentia prædicta, Sanguinis in *Caput* in vectio largior, & exportatio diminitior) possunt etiam *Arthriticis*, ob accidentia similia interdum obvenire; &, in *Apoplexiis* eorum inducendis, locum obtinere.

Huc porro referendus *Opiatorum*, ut & *Errhinorum* abusus; quibus *Arthritici* Materiam in cruore alienam, magno suo cum periculo sæpe *Capite* impegerunt.

His, quæ ritu peculiari Humorem in *Caput* dirigunt, adjungantur ea, quibus (externis, & evidentibus causis) à τοῖς Ἐξωθεν, Humor repellitur, & intro agitur: quæ quum huic *Anomalia*, simul cum ceteris omnibus *Arthriticis*, sunt communes, alibi tum fusius enumeratæ, tum satis explicatæ sunt.

VIII. De nostra hac *Apoplexia*, si cum *Exquisita* comparetur: observandum, quod uti Vere hæc,

---quum Spiritus Orbis
Bacchatur---

eoque ineunte creberrime occurrit; & Calori, se per Sanguinem humanum una cum Mundi reliquo, tum temporis fundenti, eumque agitanti, debet originem: Ita quidem illa, nimirum *Arthritica*, pendet ex uno Miasmate *Arthritico*, præsertim augente & ebulliente; quocunque anni tempore hoc contingat. Ver autem, & Autumnus sunt tempora, in quibus id *Arthriticum* maxime *ὀργια*, & in *Caput* sæpissime irrumpit.

IX. De hujus *Apoplexia* *αποπληξιας* jam ordine dicendum: Tametsi plures ignorata Morbi natura, & ob eam rem instituta medendi methodo non satis idonea, fato cefferunt; tamen (quod hujus modi laborantibus solatio sit) omnino constat; per multos, ea tentatos; artificiose, sic, ut decet, tractatos, ex ancipiti Morbo hoc convaluisse; vitalem diu postea vitam egisse; &, quam ab *Apoplexia* vulgari, & exquisita, longe meliorem. Cujus id in causa esse censeo, quod, debita Humorum è *Capite* facta primum *Αντισπασιας*, &, deinde, restituto *Cerebri* Tono, saniores, tutioresque Vitæ rationem ineant; libertate missa inutili, imo perniciofa: quod, è Gulæ deditis fiant temperantes; è temulentis, sobrii: itaque omnibus sedulo vitatis, quæ aut Corpus plenitudine gravent, aut gravatum orbent Paroxysmis regularibus, Senectutem habeant tolerabilem. Verum, ut omne id emolumentum, tum Artis Medicæ opus, tum Observantiæ fructus est; Quicumque Fructum istum, minime calcata potiundi ejus via, speraverit; Messem ille, nullo Semente facto, (quod est unum ex absurdissimis) videtur expectare.

X. Medendi Indicatio postulat, ut
quam

quam citissime *Cerebrum* allevetur, ut *Mens*, *Motusque*, & *Sensus* instaurantur. Hoc autem optime faciendum *Evacuatione*, *Revulsione*, & alieni in *Artus* amandatione. Primum omnium inquiratur, utrum *Calceamentis*, aut *Tibialibus* nimis arctis, aliove quovis externo, *Arthritidis à τοῖς ἔξω* repellatur, aut, in ea ne erumpat, inhibeatur. Porro, de *Sanguinis* in *Caput* flumine, nimis largò, & torrenti num intrudatur; num in eo diutius, quam ex *Oeconomix* legibus soleat debeatque, retineatur, est quærendum; & ex hisce *Procatarctis* quæcunque fuerint inventa, sunt initio removenda.

In hujusmodi *Apoplexia* fere omni necessaria est *Venæsectio*: nihil ea certius, nihil citius opitulatur. Detrahantur igitur, quam primum fieri potest, (quam citissime conficies id, tam maxime proderit) *Unciæ* xii, xiv, vel *libra una semis* pro *Ægri* viribus & constitutione. Paulo post injiciatur *Enema* pungens, & acre; sive ex *Urina humana*; sive ex *Decocto communi*, cum *Sale vulgari*, vel *Aloe rosata*; aliove id genus alvum irritante. Sub id tempus adhibeatur *Purgans*, è potentissimis, & *Sanguinem* agitantibus; *Pulvis* puta *Warwicensis* à ʒb. ad ʒij. vel *Res. Jal.* à gr. vi. ad x. cum *Extr. Rudii* ʒj. sive ʒb. *Elix. Propr.* q. s. ut fiant *Pilulæ*; vel ex *Decocti amari Purgantis* ʒiij. & *Syr.* è *Spina* ab ʒj. ad i. *Potio*. Si segnius erit demissum *Purgans*, neque trium, aut quatuor horarum spatio *Ventrem* movebit, *Enema* repetatur. Toto isthoc tempore, vel *Lectò*, vel *Cathedra*, *Corpore*, quoad potest, erecto sedeat *Ægrotans*; ne in *Caput* depressum, & ni-

mis inclinatum, *Humor* impetu, & copia majori suffundatur, malumque au-geatur.

Purgatione facta, de *Venæsectione* iteranda, & quo in loco, *Brachio*, an *Cervice*, deliberandum est. *Curcubitula*, hoc tempore, *Dorso* (inter *Omo-platas*) admotæ, cum multiplici *Scarificatione*, usus sunt eximii.

Vacuefacto *Corpore*, operæ pretium erit *Articulo* nuperrime dolenti *Em-plastrum*, vel è *Pice Burgundica* & *Terebinthina Venet.* vel *Cephalicum cum Euphorbio*, aliudve quodvis potenter attrahens, imponere; totumque *Membrum*, ut è *Capite* *Materia* ducatur, & loco magis idoneo figatur, *Laneis* involucris calidissime vestire. In hujusmodi casu, *Pedes*, in *Aquæ fontanæ Balneum*, quam potuit tolerari, fervidum immittendo, ibique retinendo, *Ægrum*, omni spe vitæ pene destitutum, & animam, ut apparebat, jam tum agentem, ἐν κείνῳ servatum, aliquando novi.

Cum hæc aguntur, ad τὰ ἔξω *Arthritidis* evocari, *Cerebrum* magnopere levare solet: *Natura*, prædictis auxiliis adjuta, in viam redit; & opus, inauspicato cœptum, feliciter & accuratius perficit. Sin aliter res sit, neque per ea sanetur *Æger*; ut alieni fiat *Evacuatio*, quæ nominatur *Topica*, *Collo* posteriori dimidio, *Sincipiti*, vel *Capiti* raso *Epispasticum* applicetur, & dies quatuor vel quinque geratur. *Brachiis* etiam internis, aut *Suris*, (uti *Chiragra*, vel *Podagra* frequentior est) admoveri possunt istiusmodi *Emplastra*. Si vero angustiis prematur *Æger*, & graviter laboret, *Cervici*, vel *Capiti*, ubi *Sutura Sagittalis* cum *Lambdaidea* coit, vel ubi cum

Sutura Coronari (prout Capitis pars posterior, vel anterior magis afficitur) *Cucurbitula* imponatur. Si nihil horum in usum trahetur, tondere minimum ad Cutim oportebit; deinde *Caput* radere, & ad relaxationem Cutis perfricare; postremo, *Emplastrum* è *Cumino*, vel istiusmodi aliud, quod *Διαπνοὸν* exaugeat, & Humores eliciat, applicatum continuo gestetur.

Malo usque permanente, proderit Materiam per nares, per Os detrahere. Valent hanc in rem *Errhina*, quæ sine Sternutatione Serum educant, Sternutationem moventia jure merito vereamur, ne, vi sua & nisu Corporis laboriosissimo, humores in *Cerebrum* impellant, ægrumque obruant. Manducare juvat, quæ sunt acerrima; eorumque beneficio Salivam largiter educere.

℞. *Raf. Raph. Rustic.*

Sem. Sinapios contus. aã 3℔.

Pul. Pyretri ʒj. misce; Melle excepta & Serico inclusa ori indentur, & Sputo identidem ejecto Dentibus conterantur. Huc confert etiam *Electuarium Apophlegmaticum* infra descriptum.

Interea vero temporis, dum fiunt Evacuaciones, ea, quæ Spiritus Animales stimulent, & munus suum obire faciant, magni & quidem frequentissimi usus sunt: quamobrem *Spiritus Volatiles oleosi*, vel *Sp. C. C. succinati*, cum *Jalapii Cephalici* *Haustu*, crebro & affatim, sic, ut requirat usus, sunt adhibendi: Quinimo *Pulvis de Gutteta*, cum *Castoreo*, & *Oleo Succini*, *Assæ fætidae* *solutione* in *Pilulas* temperatus, bis vel ter in die dimittatur, cum *Jalapii* prædicti *haustu*. Hæc quidem Medicamenta eo potius eligantur; quoniam non solum animales Spiritus

instaurant, sed & *Arthritidi* etiam expellendæ quodammodo inserviant: verum præmissis Evacuacionibus, quæ appellantur *generales*, iis potissime utendum; ne, à Medicamentis adeo *Cardiacis*, in Corpore satiato & pleno, malum intendatur.

Si à prædictis ἐν τοῖς ἔξω nulla fiat *Arthritis*; ad auxilia externa, magis efficacia, progredi juvabit; ad *Phænigmos* scil. aut ejusmodi alia; quæ valentissime, quæque Materiam evellant omnium certissime.

Quamprimum Tumor, aut Dolor significabit *Arthritidem* ad τὰ ἄνω appellari, studio elaborandum est, ut eo loci retineatur, neque retro agatur: Hoc autem optime fit per *Epispasticum*, & *Empl. Meliloti*, ordine applicata; quibus per *Ulcuscula* diutine aperta, perniciosus Humor educatur. Atque huic proposito non alienum erit, *Emplastro* *Lanea* superponere; laqueos iis involvere, Pedemque interdium, modo Pes afficitur, deorsum versus inclinare.

Omni hoc tempore commodissimæ sunt *Fricationes*, Artuum præcipue, bis vel ter in die, vehementes: quæ quidem è *Cerebro*, sed non è Corpore, Sanguinem educant, & illius ποτῶν ad Corporis extrema vertant.

Arthritide in extremis apparente, veluti præsentem Numine, servatur Æger. Nihil auspiciatius, nihil ei felicius obvenire potest. Morbi, à quo idoneo & recto Ægri vita & incolumitas omnino pendet, à quo (è contrario,) inverso, & Ἀνωμάλω, ejus periculum, quantum animo comprehendi potest, maximum est obortum; istius, inquam, morbi hoc modo sublata est Ἀνωμαλία, iisque jam denuo factus salutaris.

Quum

Quum Humorum plane mutatur inclinatio ; quique nuper in Caput irrepere, foras jam in Artus adeunt ; ad eos expellendos, & promptius expediendos (nec quidem antea, ne sursum eleventur, & in Partem iis affectam impellantur) lene quoddam *Ποδαρχαζωζόν* oportet dare: *Pulveris* scilicet *Cantiani* quasi *℞j. sexta, vel octava quaque hora*: cui, si visum est, & tuto fieri potest, adjiciantur semel, aut in Constitutione Phlegmatica, bis in die, *Chalib. Nutriti gr. v.* Quod tamen *Arthritidem* expellens, si quovis modo repellatur Humor Articularis, aut Caput desubito male habeat, protinus omittendum ; & auxiliis externis humorem evocantibus, una cum iis, quæ ore data Spiritus animales recreent, utendum est.

Diæta, per omnem hunc decursum, à maximè sit tenuibus : placet *Jusculum Pullinum, Avenacæum ; Panatella, cum Uvis Corinthiacis, aut passis majoribus ;* placet *Chocolata* & ejusmodi *Sorbitiones ;* molles scilicet & faciles Cibi, quibus *Ægri Vires* nutriantur, Stomachus autem non gravetur. In *Cerevisiæ* vicem, aut *Pomaceum*, aut *Vinum* aqua dilutum, aut *Salviæ*, aut *Teæ*, aut *Anthophilli Infusum*. Nihil Gula & Satietae, præcipue vespertina, periculosius. Alvo neque durat neque lubrica sit *Æger*; illa Caput aggravari facit, hæc ad τὰ Ἐντερά malum invitari.

XI. Ad *Prophylaxin* nihil conducibilius quam in Dorso *Fonticulos* aperire; Rus petere; Aëre aperto, & Ventis probe agitato frui ; Vere, & Autumno alvum subducere ; in robustioribus Venam initio *Octobris* secare ; &, quod utramque absolvit paginam, maximeque attendendum est, *Arthritidos*

recte *παροξυώσους* curam diligenter adhibere.

Apoplexiam, in *Cerebri Cortice* locatam, Curatio jam descripta plerumque tollit ; & ea minime recidiva, ægri multos annos immunes agunt : si veri *Cerebri* medullium, sive aliquam ejus partem, Tubulos oppilando *Nervinos*, Morbus occupat ; aut desubito ægrum interimit, aut in *Paralysin* degenerat, Capite proximo tractandum.

XII. Hæc Curatio ei *Apoplexiæ*, quæ à *Cerebro* oppresso fit, accommodatur : si Materia morbum committens, in *Ventriculo & Intestinis* sita est, *Symptomaticæ* illius *Apoplexiæ* (cujus Historiam mox subnectam) Curatio, *Purgatione* tum *άνω* tum *κάτω*, & Medicamentis Spiritus animales excitantibus, & *Arthritidem* expellentibus, est tentanda.

HISTORIA I.

Vertigo Arthritica, cum impendente Apoplexia.

SUbacti Vir ingenii, & in rebus gerendis subtilissimi, multos annos *Arthriticus*, (quo quidem tempore statim ille Periodis, & ut oportebat, doluit) Hyemem anni *MDCCL*. nimia transegit indolentia. Ab hoc *Arthritidis* defectu, pro consuetudine Paroxysmum minime repetentis, (tanquam omissa re quadam usus egregii, & ad Vitam imprimis necessarii) statim *Oeconomix* ratio turbata est: Gravitate, & Vertigine Caput afflictum; Facies supra modum colorata, &, tametsi hominis minime temulenti, perque ipsos hosce dies

dies sobrii; nihilominus tanquam immoderato tumefacta potu. Lingua titubavit, & Voces edidit non satis claras, notabili nempe cum impedimento. Corporis totius Motus incertus, incompositus fuit; neque gestu regulari factus. Quæ quidem accidentia, cum eorum ordine simul considerata, & uti par fuit, expensa, Materiam *Arthriticam*, intus servatam, Ægroti Caput adoriri, & ex ea *Apoplexiam* in propinquo esse, manifeste comprobantur.

Huic autem Affectui in isthoc homine generando, præter jam dicta, viam hæc tria patefecerunt. Primo loco, Corpus ad hunc Affectum concipiendum à Natura promptum; utpote Collum habens perbreve; cujus opera factum est, ut in Caput Sanguis impetu cum majori ferretur: Deinde, crassus hujus Ægrotantis, & generosus Sanguis; qui facile ferveret, minimaque de causa incitaretur, & in Orgasimum eveheretur: Postremo Ver, *Apoplexiarum* tempestas.

His adjuncta *Ξωασιλας*, malum gravissimum, *Apoplexiæ* vicinum, intulit *Arthritis*: Cui ut occurreretur, hanc medendi rationem inii. Primo, Sanguinem misi, & quidem copiose, ad liberam usque integram; hoc ferente Ægri constitutione, Morbo postulante. Tum, adhibito è *Pil. Rudii*, & *Pul. & Scammonii Purgante, Drastico*, (quod in hac re commodissimum esse ostendit usus) Alvum inanivi, Sanguinem exagitavi, *Arthritidem* expulsi. Doluit denuo Articulis Æger, & quidem auspicato doluit. Nam ex ea tam *Arthritidos* ad τὰ Ἄνερα reductione; quam ex humidi, quod nimium erat, è Corpore Evacuatione, malo gra-

vissimo impendente Æger liberatus, & Vestitu, aliisque rebus idoneis, quæ à Capite procul tenerent *Arthritida*, curatus est.

Biennio post, eadem ille causa, (scilicet *Arthritidis* defectu) eadem anni tempestate, (nempe Vere) similimodo est affectus; Capite diu, & impense aggravato, præcipue parte ejus anteriori ea, quæ Oculis sepe reminet. Vena semel iterumque pertusa, *Enemate*, & *Cathartico* fortiori dato, è Capite in Manus & Pedes exturbata est *Arthritis*. Multum hinc Æger, at toto doluit; Ejulatus edidit, at inanes; neque, curato per eos Capite, misericordiam moventes. Huic autem *Arthritidis* translationi non parum contulit (nequid hac in re momenti præmittam) *Empl. Cephalicum*; quod Tendini, ad Pedis Pollicem pertinenti (quem in hoc Ægrotato locum *Arthritis* maxime frequentaverat) applicatum, eo tantopere Morbi vim alexit, ut trium horarum spatio Dolores Æger impatiens, illud detrahere cogeret. Tantæ efficacitatis in hoc Affectu nonnunquam sunt externè applicata!

H I S T. II.

Arthritidi repercussæ superveniens Apoplexia.

Cereris & Bacchi mancipium, Vitæ tam agens desidiosam, ex eo crassum, & ventricosum evasit, ipsoque ætatis flore *Podagrosum*, Annos natus fortasse quadraginta, saginatus iste Lurco doluit: dolenti vero accidit, quod

quod hic loci memoratu dignissimum; non minus insolens, quam grave infortunium. Hallucis Globum, & Articulum majorem occupavit *Podagra*, Calore, Tumore, Rubore comitata; Cruciatibus eum affecit, sed periculi expers. Ut ejus acrimoniam mitigaret Æger Fœminæ cuidam medicinam exercenti, (leniendis ægritudinibus procul dubio doctæ) se commisit. Illa Medicamentum à suis (scilicet!) comparavit: utrum autem ex *Solano lethali*, *Hyoscyamò* *Cicuta*, aliisque id genus *Herbis*, quibus uti solent nonnullæ; An ex *Ovorum albumine*, *Sapone*, & *Spuma Cerevisiæ*, quod utique mihi renunciatum est, in medio relinquam. Constat autem, hora decima matutina Remedium isthuc, quicquid erat, loco adflicto superponi: Constat, Dolorem magnum, acrem, urgentem, horæ unius spatio leniri; duabus horis penitus auferri: Constat, Ægrum lecto surgere, Cibum capeffere satis modicum: Constat, hora secunda pomeridiana, Somno eum gravari, conivere; post paulo obdormire: Constat, hora septima vespertina stertere, &, tanquam in Somno nimis profundo morbofoque, rhonchissare: Constat, tum primum Ægri conditionem Uxorem ejus suspicari; nec deesse, qui de ea, tanquam ancipiti, & periculo plenissima, fide illam moneret. Monitionibus illis, utut amicis, & pendentibus, spretis neglectisque, (ne videlicet *Epispastica*, *Scarificationes*, aliaque *Tormenta* medica subiret Æger, in utramvis autem etiamsi dormiens, seu potius semimortuus) constat illum, mane proximo, horam circiter quartam, è Vita excessisse.

Discant hinc *Arthritici*, quam du-

bii sint eventus, seu potius quam fatalis, ea, quæ Parti extra dolenti superposita, Causam Morbi repercutiant: Discant, eam reperiendam, & in Sanguinem repulsam, posse *Cerebro*, Visceri omnium nobilissimo, impingi: Discant, impactam ferre posse *Aplexiam*, posse mortem. Discant, & caveant.

H I S T. III.

Somnus ab Opiato profundus, &c. ipsa propemodum Mors.

Pari temeritate usus est, sed cum minori damno, quidam mihi notissimus, & jam inde ab Adolescentia familiaris. Fuit ille *Arthritide* multos annos adflictus, & Paroxysmis ejus, tam gravibus, quam diuturnis, mirum in modum emaciatus; quum, Mense Martio, Anno MDCCHII. nescio qua ex causa, *Μίασμα* (quod in hoc *Arthritico* abundans, Sanguinem infecerat universum) Viscera, imo Ventre contenta, subintravit. Dolor Intestinorum ex eo magnus, quem ut deleniret, *Opiati* quantitatem non immodicam assumpsit. Somnus hinc profundus: Horis post sex supra triginta, Delirium. Mane proximo *Σπασμοί*; ipsa propemodum Mors.

Detracto prius Sanguine, *Sp.C.C.* & *Tinct. Castorei*, cum idoneo vehiculo dedi; deinde *Bolum*, & *Pilulas*, alternis, sexta quaque hora.

℞. *Fæcul. Bryoniæ*, *Pul. Castorei*, *Succin. albi*, *Assæ fœtid. aã gr.v. cum Syr. Artemis. f. Pilulæ.*

℞. *Pul. de Guttetæ ʒss. cum Syr. Pæon. q. s. f. Bolus.*

Pedibus totis *Empl. Cephalicum*, una cum *Picis Burgund.* subtriplo : Tibiæ, & Brachio utrique *Epispasticum* ; Cervici prælargum admovi. Erat etiam in præscriptis id, quod sequitur, Salivam movens.

Rz. Raf. Raph. Sylvest. tenuissima ʒj. Ol. N. M. Chym. gtt. v. Mellis q. s. f. Electuarium Apophlegmaticum. Teneatur Ore quasi ʒss. usque dum manaverit Saliva; utrumque tunc ejiciatur; omni hora repetatur Dosis.

Hac quidem Medicina *εν ναισῶ* adhibita, cum in summo quidem discrimine Vita esset, cum fere actum & conclamatum esset, contra omnium opinionem *Æger* restitutus est. Et quidem, malo & intempestivo *Narcoticorum* usu, Morbi vim in *Cerebrum* & *Nervos* infigente, quanta passim incommoda ducantur; apud eos *Arthriticos*, quibus Quies, utut dubia & periculosa, Vita carior est; testimonio nimis amplo, & frequenti patet.

HISTORIA IV.

Arthritis, ex Acidorum usu gravior, in Apoplexiam desinens Symptomaticam.

IScanus Artifex, inde ab incunabulis *Arthritide*, una cum omnibus con sanguineis, imbutus, multis annis ea premebatur Regulari; Artus scil. afficiente, & post debita intervalla recurrente. Quum vero, de Affectu valde molesto prorsus evincendo, Medicos suæ ætatis celeberrimos consultor adierat, & quidem (non sine quodam Artis nobilissimæ & divinæ contemptu) incassum; Sortis suæ impatiens, & absolutæ Curationis Spe allectus,

Acidorum usui, *Servo* nescio, perhor- tante *Medico*, totus incubuit: quali vero cum eventu, & quo fructu, nar- ratione dignissimum est. *Pomaceum* ille Regionis hujus (id est, omnium, ut videtur, acidissimum) elegit; quo, in vicem Potionis ordinariæ, per bien- nium paulo plus aut minus, usurpa- to, Cibi appetentiam, antea tenuem, & languentem, omni fere illo tempo- re acutam & latrantem habuit; uti etiam Paroxysmos tum rariores, tum etiam mitiores. De nova Methodo cum *Ægrotante* sermones sevi, qua- lemque exitum haberet, avidissime ex- pectavi; speciatim, utrum illa Quies, *Arthritidis* esset diminutio; an Paro- xysmi, in aliud tempus, Prorogatio tantum; majori demum discrimine (quod ego plus semel observavi) con- cludenda.

Ab induciis sævior *Arthritis*, hu- jus seculi initio, tum Manus, tum ea, quæ intus sunt, invasit; *Δυσορεξίαν*, *Δυσπεσίαν*, Ventriculi inflationem, Ru- cius, Spiritusque difficultatem intro- duxit. Mense Junio sequenti, post Narium Hæmorrhagiam, Motu Sen- suque omni derepente captus, Spiri- tum ex imo Pectore laboriose traxit, tanquam jam statim moribundus: Pul- sus, à natura magnus, ab effectu major erat.

Sanguinis, quam ocissime, libra de- tracta est; unde Linguam *Æger*, & Ocu- los movit. *Vitrioli albi depurati ʒj.* cum *Decocto Cardui* data est; eaque plus semel iterata, ter quater evomuit. *Enema* posthæc injectum, acre, & sti- mulans; unde largiter ejecit. Non nimis ea nocte dormivit, Mane sudum, & ferenum; uti etiam die postero. Ca- put immune, *Rustus* autem perdura-

vit ingratus, Spiritus difficilis, ut & Cibi fastidium. *Arthritidem*, ἐν τῷ Ἐντοσίων, ore datis, expellere; extra admotis, educere sum conatus. Die, ab insultu, tertio Somnolentia continua, Oculorum gravitas, & color vitreus, Brachiorum Motus interdum Convulsivi, Ægro male ominabantur. *Sp. C. C. Succinatum*, cum *Aqu. Cardiacis* dedi; aliaque feci non pauca, ad avertendum, siqua fieri posset, Insultum; at inani opera: Ægrum eo vespere subripuit.

Θεός τε μέγας, καὶ Μοῖρα κραταίη.

Tametsi primo aspectu videatur, eum hujus Ægroti casum esse, qui, ex *Capite* principaliter, & *Ιδιοπαδικῶς* affecto, apte possit explicari: (hoc enim, Motus Convulsivi, Somnolentia, *Ανασθησία*, *Ακνησία* non parum arguere judicentur; & quidem in primo insultu, nimio Sanguine Caput aggravari, & ex parte lædi, ob beneficium à Venæsectione non negaverim;) tamen, si *Ανορεξίας*, si Flatus, si Ructus, si *Arthritidos*, *Coctionis* Organa diutius obsidentis, habeatur ratio, verisimile est, eam esse hanc *Arthritida*, quæ primario Ventrículum, & Intestina afficeret; *Caput* autem, & *Genus Nervinum*, non nisi secundario, & *συμπτωματικῶς*: & quod ista *Capitis* Accidentia, revera Naturæ, jam pessundatæ, oppressæ, & in ruinam vergentis, essent indicia.

Si Vita, sine *Dolore* jucundior videatur; videndum tamen, ne tutior non sit. Bellum honestum, sui defendendi, & publicæ Salutis ergo susceptum, Paci infidæ, ignobili, periculoque plenæ, longe anteponendum est.

HISTORIA V.

Apoplexia Arthritica feliciter curata.

Mercator *Exoniensis*, humanus, integer, & probus; Vir ita Natura fabricatus, ut, ob Colli brevitate, & temperamentum Corporis Sanguineum, ad contrahendam aptus natus sit *Apoplexiam*; per viginti plus minus annos, *Arthritide* vexatus est; claudus ea jamdudum factus, neque, nisi sustinente illum aliquo, via progrediens. Cum eo ventum erat, & Æger, prope sexagenarius, *Arthritidem* mitescere; neque *Παροξυσμῶς* ex more duros, & laudabiles, iterare senserat; statim huic sereno horrida insecuta est *Tempesta*. Mense enim Junio, *Anni MDCCVII.* subita *Caligine* correptus, Motu Sensuque tam interno, quam externo omniprivatus, *Apoplexia* perculsus est; cum Oculorum, tanquam in ipsa Morte, gravitate. Pulsus, sed & ille perturbatus; cum respiratione, sed alta & gravata, unicum Vitæ restitit argumentum.

Mali causa satis perspecta, Materiam *Arthriticam*, in *Caput* delatam, ex eo evocare nitor: Quem in finem, à vestigio Sanguinem, eumque copiosum mitto. Primum *Enemate*, dein *Cathartico* quam citissime Ventrem emollio. *Epi-spasticis*, Cervici, aliisque locis compluribus applicatis, Serum elicio. Itaque Materiam alienam facta partim Evacuatione, an protinus *Cerebrum*, ejusque incolas, Spiritus animales sistam, & instaurem; eodemque tempore, quod alieni reliquum est, ad τὰ ἔξω amandem; huc ego respiciens, *Spiritu Volatili Oleoso*, *Julapio Cephalico*, *Haustu*

etiam *Arthritidem* expellente usus sum; & ad *Arthritidem* evocandam, *Emplastris ex Picis Burgund.* & *Empl. Oxyroc.* pari mensura mistis, & extra Plantis Pedum impositis.

Quum dolere cœpit Articulus [quo nihil lætius, nihil opportunius huic Ægroto potuit obtingere] primum *Frictionibus*, tum *Unguento*, (ex *Ung. Nervino*, *Spiritu Tereb.* & *Sp. Vol. Oleos.*) Articulum urgente, & irritante ungi; posthæc calide vestiri jubeo: unde doluit Æger egregie, magnoque suo cum emolumento.

Atque ista quidem Medicina (Deo operam fortunante) mentem, & motum Ægro restitui. Cum vero gravior, & diutior infederit *Apoplexia*, sicque *Caput* infirmaverit: quod quidem ex illius Sermone, vix satis constanti, aliisque morbi vestigiis, notatu facile erat; ut *Spiritibus* Vigor; ut *Cerebro*, & *Systemati Nervino* robur redderetur: Villæ suburbanæ Aërem siccum & apertum, Spiritu ducere; & Equo Corpus sæpe exercere, Ægroto suasi. Quibus ille mirifice recreatus, tam Oculorum, quam Ingenii pristinum adeptus est acumen, & angustias; atque annos jam duodecim, *Arthritide* crebro recurrente, verum *Apoplexia* ne semel quidem, egit.

HIST. VI.

Arthritica ut occurratur Apoplexiæ.

M Atrona nobilis, illustri Domo orta, verum *Arthritide* graviter afflicta, nunquam Utero gerens, circa nonum ætatis suæ lustrum, Febre intermittente corripiebatur; ejusque Pa-

roxyfinos, pro Typi ratione revertentes, tres vel quatuor toleravit. Quum hi finierant, neque ulla Medicina, qua Materia, & Causa eorum proxima eliminari posset, in usum traheretur; statim à Febris abitu, in novum aliquod, à proposito nostro non alienum, in extremis Partibus exortum: utriusque nempe Malleoli Dolor, & deinde Tumor plane *Arthriticus*; sed, propter frigidum Sanguinis Temperamentum, Nitore nullo, nec quidem multo Rubore insignitus. Perduravit Dolor, quatuor vel quinque dies; eoque exeunte, mansit Tumor, alteros adhuc complures. Hujus illa modi Paroxyfinos, nempe *Arthriticos*, ex intervallo anni quasi integri, non paucos subierat; quum inopinato *Caput* affectum est, & tanquam invadente *Apoplexia*, perculsum. Ita laboranti, una cum aliis è *Capite* Materiam evocantibus, supra quam expectare merito liceret, profuere *Frictiones*; quæ ad Pedes Materiam invitarunt, & in eorum Articulis Tumores excitarunt. Hinc *Capitis* Tutela; hinc, ejus Malum *Arthritica* esse natura, signum ἀποδεικνύον.

Meum erat Dominæ, *Prophylaxin* ordinando, consulere: Hæc duobus comprehensa est, Primùm, Materiæ vitiosæ, à Patre *Arthritico* acceptæ, nullo Partu minutæ; verum Mensibus obstructis auctæ, [quæ tum Febris Intermittentis, tum Morbi Articularis causa esse videretur] quanta maxima fieri possit, tam *Expulsione*, quam, ne crescat, & repullulet, *Inhibitione*: Deinde cavendo, ne in *Caput* iterum eadem irrepat.

Ut primæ harum Indicationi satisfacerem, Purgatio omni mense, loco ἡ Ἐμμηρίων imperata est; Diebus autem otiosis,

otiosis, *Aquæ Spadanæ*, & *Stomachica*. Ut alteri occurreretur, quotiescunque *Capitis* periculum immineret, & *Arthritidis* id inyaderet, ad eam educendam *Venæsectio*, *Dorsi Scarificatio*, cum *Cucurbitulis*; *Colli posterioris*, vel totius *Capitis*, *Vesicatio*; *Malleolo utriusque Phænigmorum* applicatio, & deinde *Epispasticorum* prope locos tumefactos. Hæc, inquam, una cum *Podagragogis* ore datis, *Ægræ* sunt commendata. Hoc autem loco id præcipue notandum, *Arthritidem* interdum ad *Caput*, ad *Pedes*, æque fere inclinare, & in hos ab illo, levi *Friktionum* ope derivari.

C A P. XVI.

De Paralyfi Arthritica.

ART. I. **V**enio ad *Paralyfin Arthriticam*. Quum *Miasma Capiti* appulsum, in ejus *Cortice*; speciatim, *Vasis illius Sanguinem* vehementibus, non diu commoretur; verum in *Glandularum Ductus*, in *Nervinos* sc. *Tubulos* impellatur; ex duobus hisce, quæ sequuntur, unum semper eveniat, necesse est.

Nunc in iis, quæ sunt *Meditullii*, *Tubullis* sistendo, *Apoplexiam*, *Vertiginem*, *Oblivionem*, *Ἀρροπνίαν*, *Somnolentiam*, aliumve aliquem *Cerebri Affectum* creat; & quidem aliter, quam in præcedenti *Capite* declaratum est, nimirum (ipso *Spiritus* in *Officinis* suis cominus aggrediendo, eorumque confertim *Operas*, & jam proxime disturbando) *Ἰδιοπαθειῶς*; itaque ægro tantem sæpe opprimit. Quod quidem eo usque crebrum existimare licet, ut

Apoplexia laborans *Arthritica*; quoties (*Phlebotome*, *Catharsi* aliisque auxiliis, ei tollendæ necessariis, incassum adhibitis) idem occumbit; *Apoplexia* hujusmodi *Idiopathica*; potius quam ea, quæ in *Cerebri Cortice* locum habet; interim judicetur.

II. Sæpe vero *Miasma* ad eos *Tubulorum* locos propellitur, ubi *Spirituum* meatus obstruendo & vias implendo, *Paralyfin* affert: eamque hujus, vel illius *Membrum*; sicut *Nervius*, qui ad hoc, vel illud *Membrum* pertinet, est affectus. Unde sequitur, istius *Membrum* sive *Motus*, sive *Sensus* tantum, sive uterque læsus, & diminutus; interdum etiam abolitus.

III. In *Causa Paralyseos* exquisitæ, proxima & continente, describenda, *Medicis* inter se non convenit: Alii enim, duce *Erasistrato*, (quod à *Galeno*, ipsis *Erasistrati* verbis utente, traditum est,) ab *Lenta, tractili, & excretu difficili Materia*, *Nervos opprimente*: Alii vero, à vim *Narcoticam*, aut alias virulentam habente, ipsosque *Spiritus* confodiente, *Paralyfin* fieri contendunt.

Profecto, neutrum horum, opinione nostra, penitus excludendum: Enim vero, ita posse accidere non improbabile est, ut ad committendum hunc *Affectum*, ambo concurrant, & viribus sociatis simul operentur. Nam, ut singulatim hæc attingam, usu quotidiano patet, *Arthriticorum* *Sanguini* γλίχρον π* inesse; eique detracto, & in excipulis quiescenti, post breve tempus, innatare; quod utique (sive antiquorum

* Αὐτὴ δὲ γλίχρος, καὶ ὀλίμη, καὶ δυσεκκείη. De *Atra Bile*, Cap. 5.

tiquorum *Pituita*, sive non) ad *Nervos* obstruendos omnino satisfaciat.

Et, quod altero loco dicendum, virosum aliquod in *Nervos* se recipere; *Spiritus* in iis contentos afflatu, & contagio perimere; &, vel per se, vel cum aliquo alio *Spiritibus* inimico *Paralyfin* inferre, Exemplo mox addendo: (*Historia* sexta) manifestum, ut opinor, & testatum fiet.

IV. Ut causas investigem magis remotas, eæ sunt, primum in Sanguine *Diathefis Arthritica*, seu Virus istiusmodi indomitum, ἐτεργενές, in fugam, ubicunque possit, abiturum; in *Nervinum Genus* ingressurum. Quæ quidem *Diathefis*, per se multarum virium, & in hoc Affectu producendo valentissima; Causam interdum adjuvantem habet, nempe *Plenitudinem*; quæ, apud Populum Satietai deditum, cum ea solet jungi, & in hoc negotio *ξυμπαύει*, Certe in hac Regione, eorum, qui ex *Arthritide* perperam agente, & minus *Regulari*, primum *Apoplexia*, dein *Paralyfi* corripuntur; non pauci causam istorum malorum antecedentem in Sanguine duplicem agnoscunt; videlicet *Arthriticum Miasma*, *Plenitudine* comitatum.

Deinde, *Cerebrum* a natura molle, aut Morbo aliquo, aut Ictu, aliave quavis evidenti causa, debilitatum, & *Nervi* supra modum teneri: quibus facile, per Ora plus æquo dehiscencia, Virus admittatur, & diu intra *Tubulos* retineatur.

His postremo loco adjiciendum, quicquid Externæ, sive causæ evidentis, via tam patula Materiam adeo paratam adigat: Hujus autem generis sunt Aër humidus, & palustris; aliaque omnia, quæ in *Paralyfi Primigenia* locum

inveniant: at in hac *Arthritica* præcipue memoratu digna sunt Vita sedentaria & otiosa, mala Victus ratio, frequens *Hyptinocorum* usus, *Spiritus ardentis* immoderate sumpti. *Venus* immodica, Frigus, &, in Corporibus calidis & biliosis, Medicamentorum abusus calidorum; omniaque, quæ *Arthritidi*, ne Articulis infigatur, obstant, aut iis affixam quæcunque repercutiant.

V. Ex hoc causarum apparatu, facile est conjicere, quem in modum fiat hæc *Paralyfis*, & (præcurrente modo *Capitis* gravitate, modo Dolore, modo Vigilia, modo Somnolentia, modo Vertigine, modo Oblivione, modo Tristitia, modo mentis alienatione, modo etiam nullo præcedente *Capitis* Affectu, sed Intestinorum Colico; modo neque hoc quidem) quam expedite Virus *Arthriticum* in *Nervos* intrudatur; quamque, eos adimplendo, aliæve *Spiritus animales* afficiendo, cito *Paralyfin* hanc inducat.

Ægroti vero conditio, sive morbi *ειδος* pro ratione Partis affectæ, aliud atque aliud esse reperitur. Si *Linguae Nervus* ἀρδύεται, aut sonum Æger inconditum edit, aut Verba (Voce confusa blaterans) dimidia: Si, qui *Paris vagis* ramus est, ad *Ventriculum* pertinens, (quod quidem *Arthritico*, *Plenitudine* gravato, & ex ea *Procatarxi* primum *Apoplexia*, tum *Paralyfi* percusso, contigisse novi) Æger omni Concoctione, & quidem Appetitu captus, Cibi fastidio pertinaci laborat; donec, Humororum penu Vitalium indies decrescente, neque novis accessionibus, uti par est, refecto, summa tametsi Copia beatus, paulatim marcet, Tabe conficitur. *Paralyseos Arthriticae*

thritica in Corporibus *Biliosis*, maxime vero *Colicæ Biliosæ* supervenientis, alia solet esse ratio, & quidem priva: Hac qui laborant, Famem habent imminutam, pene prostratam; Corpus attenuatum, Cutim universam (at præsertim Oculorum album) *Icteric* colore tinctam, aridam, neque ex Naturæ lege perspirantem: Adeo nempe diversa Facies hujusce morbi, pro Loci ab eo occupati, & Causæ conjunctæ diversitate.

VI. *Paralysis Arthritidi* Secundariæ, sicut *Primigenia*, multiplex invenitur, *Ratione Subjecti*, nunc unius Lateris; nunc unius membri est; & quidem (uti meis obtigit) præcipuè Linguæ; *Ratione Materiæ*, sive Causæ Continentis, interdum eam habet simplicem, & puram *Arthriticam*; aliquando *Γλοχρότητι* involutam; aliquando Bile, vel alio aliquo commistam alieno: Alias sola, & per se occurrit; alias motibus Convulsivis comitata: Alia denique imperfecta est, qua non satis habiles redduntur Artus; & in motibus obeundis sæpe vacillant, at non ex toto resolvuntur; alia vero perfecta, qua penduli fiunt, & immobiles. Hæc autem omnia, cum *Paralysi Primigenia*, nostræ huic *Arthriticæ* sunt communia.

VII. *Periodicam* neque ego novi hanc *Paralysin*; neque temere, propter materiam *Nervis* impactam, & coherentem, (id est, continenter eos opprillantem) esse posse judico: qualem tamen aliam observavi, nimirum *Αφωνίαν*, stans temporibus, permultos menses, ad fidem pene Horologii, recurrentem, (& *Regiæ olim Societati* *renunciavi,) Contra quam *Galenus*,

qui *Paralysin* nullos habere *Typos* asserit †: nisi forsan (ut illustri *Pergameno* suus servetur *Honos*) de *Paralysi* omnium exquisitissima; & *Primigenia*, sermonem ille facere; nostra vero, jam dicta *Paralysis Hysterica* censetur.

VIII. *Paralysis Arthritica* morbus curatu perdifficilis, idque præcipue duas ob causas: Harum altera Situs est istius morbi in Corpore profundus, nimirum intra *Cerebrum*: ex quo fit, quod adversus eum quæcunque dentur, Ore demittendo, Remedia Colum tam *Cerebri*, quam *Intestinarum* penetrantia, non parum alterentur, nec in alienum, quod est morbi adeo remoti Causa conjuncta, pulsu satis valido arietet, aliasve, uti par est, afficiat. Altera vero difficultatis hujus causa est, quod in Corporibus senio, vel *Arthritide* conflictatis, aliasve fractis, & debilitatis; itaque medicinam minime sic, ut par est sentientibus, locum hic Affectus plerumque teneat.

Verum, ut singularia persequar, si morbus hic *Apoplexiæ* succedat, propter injuriam *Cerebro* inflictam. Curatio longe difficilior; &, si recurrit *Apoplexia*, tanta plerumque vis *Humorum*, & tam *ἀθρόως* in *Cerebrum* impellitur; quanta id obruatur, & ægrotus, antea debilis, e medio feratur.

Sin è diverso *Μίασμα*; sine ulla (sive per *Apoplexiam*, sive alias) in *Cerebrum* gravi facta impressione, in *Nervorum* Tubulos irrepit, & se paulatim insinuet: sique interea medicamenta,

† Ὀλίγα τῶν παθῶν ἐτυπῶνται ὡς Ἀπληξίας Παραλυσίς, κλ. Libro de Typis, Cap. 2.

* Vide Acta Philosophica Londinensia, n. 242.

malo tam immani convenientia, sint adhibita; reliquaque Æger ad præscriptum agat idoneum universa; hæc illius conditio minime desperata. Habet *ἰατρικὴ*, quod (Deo adjuvante) huiusmodi debilem, quod elumbem, quod emaciatum, quod decolorem, motu, Viribus, *ἐννεύσια ἐνσπαρξία*, donet; & ægrotantem, ultra quam expectatio sit, restituat. Quibus autem modis hæc Curatio fiat, jam proxime declarandum.

IX. *Therapia* duplex est; vel quæ, in Morbo auferendo; vel in eo, ut ne augeatur, neve renovetur, inhibendo, quæ summis viribus contendit. In prima ejus Accessione (quæ quidem Indicatio primo loco persequenda.) Ne alieni vis *ἀθρόως* in Nervos impellatur, enitendum; quem in finem, si *Plenitudo* sit cum Pulsu forti, & nihil repugnet; è re futurum arbitror Sanguinem, è Brachio, aut Vena Jugulari, vel *Cucurbitulis*, & *Scarificatione* Dorso detrahere. Horis aliquot post *Venæsectionem*, immittatur *Enema Purgatio* usus fere perpetui est, maxime vero ea, quæ Sanguinem exagitet, & *Arthritidi* in Artus amoliendæ faciat. Porro conducit, quamprimum Morbus ægrum invadat, Articulo *ἐν τοῖς Ἀγκύλοις* sæpissime dolenti, *Cataplasma Clarif. Batei Apoplecticum*, seu de *Raphano Cl. Fulleri*, aliudve quodvis acre, *Φωμυγμὸν* excitans, applicare; & *Arthritida*, quæ jam nunc è Sanguine fugam meditatur, ad *τὰ ἔξω* educere.

Facta Humorum è Capite *Antispasii*, & mutata eorum inclinatione, (nec quidem maturius, ne in *Caput* ii, impetu cum majori, à medicamentis inferantur) ad eos extra pellendos, ægro-

tò dentur è *Pulvere Gasconico*, *Purpureo*, aliisque mitioribus *Ποδαγραγωγοῖς*, sic, ut Artis est Composita; bis vel ter in die, cum *Julapii Haustu Cardiaci*, *Cephalici*. Quamprimum Tumor *ἐν τοῖς ἔξω* fuerit, admoveatur ei *Vesicans*; quod Humorem, in eo contentum, foras eliciat, neque, retro agi patiatur.

Huc etiam confert *Epispasticum*, Cervici, seu Collo posteriori dimidio; huc Capitis ad Cutim *Tonsura*, *Rasura*, & *Emplastrum* ei de *Cumini Seminibus*, aliudve quodvis attrahens, impositum; quod nempe, post *Evacuationes* generales, si aggravetur, *Caput* allevarit. Profunt *Gargarismi*, Salivam jugiter elicientes, & *Diætæ* ratio tenuis.

Interea temporis, *Spiritus volatiles*, *Tinctura Castorei*, *Succini*, &c. cum *Julapii Cephalici Haustu*, vel cum *Anthus*, sive *Salviæ Infuso*; quæque Indicationem Vitalem tueantur reliqua, sive extra, sive intus, ea, qua opus fuerit, Dosi, modo, & frequentia, juvat adhiberi.

Quoties autem materia *Nervis* est impacta, & infixa, ad eam tenuandam, & vias *Spirituum* aperiendas, (quæ medendi Indicatio altera est) iis è *Ligno Sancto*, & *Sassaph.* eorumque *Corticibus Decoctis* opus; iis, è *Ferro præparatis*, *Friktionibus*, *Balneatione*, *Embrosche*, *Vestitu*, *Linimentis*, *Ceratis*, *Emplastris*, & id genus aliis, quæ in *Paralyfi Primigenia* cum fructu præscribuntur. In *Paralyfi Arthritica*; viroso afflatu facta *Decoctum Corticis Chalybeatum* Ægro multum profuisse novi.

Hic autem sedulo videndum, Corpus Ægri frigidum, an calidum; miasma

miasma simplex, seu *πλινθησι* involutum, an Bile mistum; ut in *Paralyfi Arthritica*, *Colicam Biliofam* insequente: Cujus Exemplum mox subjungam satis luculentum. *Calida* enim (si ad diutinum tempus, & copiose propinentur) Remedia in omnes reddunt ægros, inquietos, & perpetuo quasi febricitantes. Spiritus eorum animales, indefinente tumultu & agitatione fatigati, perimuntur; nec a medicamentis hisce, utut valentissimis, & maximè *Cardiacis*, vel minimum iis Robur accedit; contra, turbarum & debilitatis multum. Hujusmodi laborantes *Aqua* seu *Spadana Germanorum*, seu *Bathoniensis*, seu *Bristolensis*, (& procul dubio alia non pauca *Ferro* gaudente, perque *Renes* exeunte) modo viva hauriatur, magnopere reficiuntur: Restinguit enim illa Spirituum ardorem, a Bile factum; Oestrum eorum mulcendo componit, & adjectis, suo tempore, & modo, *Chalybeatis*, hujusmodi affectorum Curatio quam jucundissimè, quam certissimè perficitur.

X. In morbi hujus *Prophylaxi* nihil conducibilius, quam, ut *Arthritidis* Paroxysmos habeat Regulares, studiosè niti. Hoc enim, ut opinor, ratæ, firmæ, indubitandæque fidei Axioma, *Paralyticum* hunc *Arthriticum*, quo plus Artubus ægrotaverit, eo minus *Capite* & *Genere Nervino* laboraturum. Quam primùm igitur crescit, & in Sanguine se attollit Miasma *Arthriticum*; si nihil vetuerit, *Purgans*, & quidem, *Δρασινόν* adhibeatur; posteaque *Martis Alcohol* gr. v. bis, vel ter in die sumi præcipiantur. Quibus in subsidium, paucis post diebus, veniat Externum aliquod, *τοῖς Ἀρθροῖς* admo- vendum, *Arthritidem* evellens; & in

horum usu perseverandum, donec *Arthritidis*, si commodè fieri potest, eruat- tur, & in Artubus sistatur. Interea verò temporis, *Alvus* ne dura sit, & *Humores* ne in *Cerebrum* eleventur, est cavendum; &, ut Janua nunquam non aperta sit, qua Natura, (quoties ei vi- sum fuerit) in exilium Miasma mittat, & foras extrudat; in Brachio, vel Dor- so potius, ut Fonticuli fiant, utque juges sint, curandum.

Hac quidem Medicina, qua *Curatio- nem*, qua *Prophylaxin* exhibente *Paraly- sin Arthriticam* tum perfectam ab- tuli; tum etiam (quantum ex usu li- cet conjecturam facere) quo minus re- verteretur, effeci: & Morbo, olim gra- vissimo, & ad recurrendum apto afflicti, Senectutem, hac tutela (nimirum *Ar- thritidos* beneficio *regularis*) tum lon- gam, tum incolumem sunt adepti.

De *Paralyfi Arthritica* hæc dicta sunt.

HISTORIA I.

Cephalalgia Arthritica, cum *Paralyfi* incipiente curata.

Mulier *Exoniensis*, adolescentis nondum exacta, citius nimirum, quam Viri solent, *Arthritide* laboravit. Sed supra viginti annos habens, per multos ejus Paroxysmos ex intervallis erumpentes; Dolore primùm articulari, deinde Tumore, Nitore, Rubore signatos, est perpeffa: quibus vero modis, & gradibus, increvit Tumor; iis usque remisit Dolor. Maximè affecti sunt Pedes; non nunquam Genu, sub accessionem *Arthritidis* nuperam Articulum dolentem *Linimento* quodam repellente lenivit. Hinc Materia Dolorem faciens, Sanguini reddita; in

Caput translata: quod vel eo palam factum est, quoniam *Ægram Cephalalgia*, (rarò alias, vel nunquam ei molesta) jam tunc invasit atrocissima. Artus etiam aggravatos, & vix satis habiles, non nihil affici, atque adeò insultu *Paralytico* tentari patuit.

Contra *Paralyfin* incipientem, & *Cephalalgia* ex *Arthritide* percussa confirmatam, ea præcepi, quæ sequuntur.

℞. *Aloes rosat.* ℥ss. *Scam. pulv. gr. v.*
Ol. Abs. ch. gtt. j. *El. Propriet. q.s.f.* *Pil. mane demittendæ.* Harum *Ægra* beneficio, ter quaterve, modo laudabili, dejecit. Peracta Purgatione, *Bolum* hora somni, (ex *Theriac. Androm. ℥j. Pul. Purpurei, & Gascon. āā ℥ss. Conf. Alk. q. s.*) & quarta alios quaque hora, *Pulveres*; in eo contentos, per se assumpsit, ex *Julapii Cardiaci Haustu.* Ter etiam in die, *Spiritus Vol. Oleos. gtt. xv.* cum *Posseti*, *Floribus Rorismarini* alterati, haustu. Ut autem hæc, quæ Materiam in Artus expellant; ita comparata sunt alia, quæ, Artubus superposita, eam extrahant. *Emplastrum* nempe, ex *Saponis Veneri, Picis Burgund. Empl. Cephal. aquis ponderibus*: utrique Genu, & Malleolo applicandum; Tibiæ verò utrique, & Cervici *Epispasticum.*

A Dejectionibus *Caput* non mediocriter levatum; ab *Epispasticis* multum. *Emplastra* atrahentia Pruritus sequebatur; uti etiam *Dolor* planè *Arthriticus*. *Ægræ* succursus est; tum magnum in modum, tum celeriter, tum etiam opportunè; brevi, forsan, alias succubituræ. Addam denique, facta hæc, & transacta omnia, tempestate nullo modo favente: Frigidissima enim erat, & *Arthritidi* educendæ, (quod à me plus semel observatum) ineptissima.

Quum verò *Cephalalgia*, longo post tempore, recruduit; iterato *Cathartico*, & ambobus brachiis admoto *Epispastico*, curata est *Ægra*.

H I S T. II.

Hemiplegia Arthritica simili modo curata.

DUm in his conscribendis sum, obviam mihi venit hujusce Morbi Historia; in eo confirmando, explicandoque, momenti non exigui. *Civis Exoniensis*, per omnem vitam sobrius & temperatus, Dolore primùm Brachiorum, Crurum, & Coxendicis, ad mensis spatium vago, & affictus. Hunc ut tolleret, *Theriacam* ille *Venetam* assumpsit; cujus ope proturbatus Humor, in pedis digitum missus est. Articuli enim maximi dolor, ardor, rubor erat; simulque Globi, infra positi, tumor. Raro unquam *Arthritidis* ulla manifestior.

Cùm ita res esset, circumforaneus quidam Medicus, nunc Oneribus bajulandis, nunc autem Medicinæ, uti fors tulit, faciendæ operam dare solitus, *Ægro* persuasit, ut ad Dolorem mitigandum ex suis *Emplastrum*, (nobile quoddam Antidotum, à *Triphone* acceptum) dolenti Articulo superponeret. Quo temere factò, Dolor intra breve tempus sedatus est; Tumor omnis subsidit, & repulsa, in eo contenta, *Materia Caput* invasit. Somnolentia primùm, inexpugnabilis penè dormiendi necessitas oborta est; tum paulò post *Vertigo*; deinde *Apoplexia*, quæ vicos obambulantem *Ægrum* humi prostravit. In domum proximè adjacentem vectum, pulsu dubio & vacillanti, sinistri lateris *Hemiplegia* labo-

borantem, sensu motuque corporis universi prope orbatum reperi. Sanguinis ℥xij. quàm citissimè detractis, & *Enemate* in alvum misso, rejectoque, non nihil levatus est. Ad excitandos Spiritus animales, iis amicos, & *εμολυεύεις*, Volatiles, ex *Julapio Cephalico* largiter, & sæpiusculè dedi. Vertici, & Cervici *Epispastica*, Plantis Pedum *Emplastra* ex *Pice Burg.* & *Empl. Cephalico* admoveri; *Sp. Salis Armoniaci, cum Sale Tart. præparati* sæpe submitti Naribus institui: Postridie *Pulvere Warwicensi* Alvum moveri.

His similibusque auxiliis paucis post diebus Verba distinctè pronunciavit; mediocriter ambulavit; *Capiti* sinistram erexit, debilem verò, & sensus adhuc obtusi. Ut hæc Secundæ Valetudinis initia confirmarentur, utque Spiritus animales recrearentur, & ad munera ritè obeunda stimulantur, ea, quæ sequuntur, adhibui.

℞. *Sem. Rutæ gr. viij. Salis Vol. Succini gr. iv. Cons. Anthus ℥ij. Pul. Serp. Virg. gr. viij. Syr. Pæon. simp. q. s. f. Bolus, ter in die sumendus, cum Julapii haustu.*

℞. *Aq. Pulegii, Rutæ aã ℥j. Bryoniæ C. ℥iv. Marg. pp. ℥iβ. Sacch. albiss. q. s. f. Julapium.*

℥. *Tinct. Castorei, Sp. Vol. Oleos. aã p. æq. sumat gtt. xxx. cum idoneo quovis vehiculo, bis in die.*

℞. *Cacum. Salviæ tenuis fol. ℥vj. Sem. Sinapios, Cochleariæ contus. aã ℥ij. Cort. ext. Aurant. Rad. Raph. Sylvest. ras. aã ℥j. f. Sacculus, quatuor Congiis Cerevisiæ in Potionem ordinariam, infundendus.*

Hac utique Medicina, si Vitæ rem spectemus, ad sanitatem pervenit, sartus & tectus, Æger: quum verò Sinistri Lateris quædam maneret imbecillitas,

illius causa *Bathoniam*, meo hortatu, petens, *Thermas* ingressus est; unde Artuum, qui defecerunt, vires & robur pristinum pene redintegratum habuit; ex illoque tempore, subinde dolens Articulis, annos ille permultos egit, *Apoplexia*, & omni Capitis insultu liber, non nisi senio demum confectus.

H I S T. III.

Paralysis Arthritica, cum Spasmo Cynico, lethalis.

Quidam ad *Credenum* humili loco natus, mediâ ætate per multos annos *Arthritide* laboravit; tentationes certis quibusdam periodis, easque reëntas, & benignas, iterante. Mense Maio, anno MDCCII. tum *Chiragra*, tum *Podagra*, posteaque *Spasmo Oris Cynico* (nullo Capitis Affectu, nedum *Apoplexia* præcedente) correptus est. Verba edidit imperfecta, confusa, dimidio *Linguae* resoluta. Pulsus inveni debilem; Vires fractas, neque Venæ sectioni, neque Purgationi consentientes.

Capiti ad Cutim tonso, & deinde raso, *Epispasticum* applicui: Malleolis, & manibus (locis ab *Arthritide* frequentari solitis) *Phænigmos*. Tumoribus à *Phænigmorum* applicatione factis, *Epispastica*. Interea temporis *Pul. è Chel. CC. 3 β. Chal. N. 3 β. ter in die, cum Vini rubri Hispanici ℥iij.* Porro, ter in die, debito à *Bolis* intervallo, *Sp. Vol. Oleosi, & Tinct. Castor. aã gtt. xv. ad xx. cum Julapii Cephalici Haustu. Sp. C. C. cum Calce viva*, Naribus subinde in languoribus admovetur. *Cerevisia, Ras. Radiculæ, Cacum. Cochlear. Sem. Bardanæ medicata est.*

Quod derafo *Capiti* impositum fuit,

bidui spatio parum evocavit. Cetera profuerunt ægrotanti. Postquam enim *Arthritis* ad τὰ Ἀκρὰ fuit translata (quod sex septem diebus factum) *Spasmi* omnes sublati sunt, vox restituta.

Minimè verò perfecta hæc Curatio; etsi enim Sputum, (*Paralyticis* ferè omnibus familiare) jugiter effluxit; etsi auxiliorum usu præscriptorum, duos prope menses *Arthritis* Artibus infedit; unde Fames renovata, Facies colorata, aliaque Sanitatis orta fuere indicia; (quæ *Arthritidi* denuò redactæ ipse Æger retulit accepta) *Linguam* tamen usque resolutam, memoriam insuper labefactatam habuit.

Contra malum tam pertinax, & δύσλυτον, ad tres vices *Purgatione*, & diebus otiosis *Decocto* usus est è *Lignis*; Neque sine fructu aliquo. Verum in *Nervos* tanta alieni vis irrepserat; itaque eos corruerat; ut, post varia Medicamentorum genera incassum adhibita, [utpote, Causam in Corporis recessu tam recondito locatam, quæ non dimoverent] Ægrum

Θανατιο μέλαν νέφθ ἀμφεράλυψεν.

H I S T. IV.

Colica Arthritica in *Paralyfin* degenerans *Arthriticam*.

H Aetenus *Arthritidos* rectæ, in *Paralyfin* abeuntis, Exemplam protulimus; *inversæ* jam & *Anomalæ*, eodem modo finientis, ecce tibi Historia. Tenui Corpore, biliosa Constitutione Vir, annorum ferme quinquaginta, quindecim verò annorum Podäger, ineunte anno MDCCII. Pedibus & utroque Genu doluit: cessante verò brevi tempore eo Dolore, *Colica* tentatus est. Successit *Brachiorum* pri-

mò gravitas, & debilitas; mox *Resolutio*; ut è *Digitis* nullum movere posset. Fames adolevit; Cibi omnis fastidium fuit; quod quum jam diuturnum esset, ex eo reliquisque Morbi satellitibus, Corpus jam planè emaciatum; Faciei Color flavus; Oculorū, quod albū esse debuit, Ictericum id omne factum est.

Arthritidem hanc ad τὰ Ἐντερα inverfam, & à Visceribus, una cum Bile Colicam dudum committente, in *Nervorum Tubulos* translata esse judicavi.

Ut Curationis, quoad fieri posset, absolutæ iniretur ratio; primùm, *Decocto Cardui* Ventrículum moveri; *Soluto* tum *Purgante* Ventrem inaniri sedulo institui. Iis, quæ impedimento essent, expressis, *Aquam* dedi ferratam bibere tepefactam, omni mane, ad libram quasi integram, neque nisi forbillando, & paulatim hauriendam; aliasque, loco Potionis ordinariæ, eandem, cum *Vini Lusitanici* ea quantitate, quæ ad εὐπεψίαν opus inveniretur.

Magno fuit huic ægrotanti auxilio, unà cum prædictis *Aqua ferrata*: *Nauseam* enim ademit; *Famem* (id est, Vitæ spem) reddidit; aliisque post hæc adhibendis viam aperuit. *Chalybem* addidit *Nutritum*; quo in *Articulos* pulsa est *Arthritis*, *Pedis Tumor* & *Dolor*, factus; quæ tamen, omisso *Chalybe* cito decreverunt.

Hac autem Medicina (*Υδροποσία*) nempe diu producta, continuataque, & *Chalybe* interdum adjecto) Visceribus robur, Oculis Vigor, Faciei Color restitutus est. Spirituum turbis & agitatione, quæ quidem magna & permolesta fuit, composita, sudum undique & serenum est. Ex elumbi, debili, & emaciato Ægro, quia Morbo, quia *Inedia* prope jam enecto, res Salutis adeò

adeò servata, & Vires instauratæ sunt, ut, tametsi quædam maneret Artuum imbecillitas; negotia tamen obire, itinera Equo longa & crebra facere valeret; Vitamque alacrem, & vitalem tum ageret, tum etiam acturus esset.

Adeò enim ex ea Medicina profecit, ut jam, annis post quatuor, multo rarius, multo illum mitius dolere, & Paroxyfmis tuto carere; (Manum verò sinistram, ob Tendines contractos, motu ferè omni privatam esse) per Litteras nuper accepi.

H I S T. V.

Arthritis primùm, & deinde Paralysis, à Materia Colicæ biliosa.

F Oeminæ olim memoratæ, primùm Colicæ biliosa, deinde *Podagra* laborantis, Historiam, quoniam eo tempore pleniùs de illa differere nihil attingebat, interruptam, hìc loci continuare libet, & ad finem perducere. Remittente (sic, ut dixi *) *Arthritidis* Paroxyfmo, Caput illico tentatum est, & quidem impensissimè. Somnus enim inquietus, nec qui, uti par erat, ægro tantem reficeret. Huic adde *Capitis* gravitatem, & dolorem: quod verò præcipuè notandum, quoties expergifceretur, quod diceret ageretve, nihil in promptu habuit: oppresso nempe *Capite*, & *Mente* quasi Nube obducta. Periculum erat, ne confestim *Apoplexia* posterneretur: Detractione Sanguinis periculum isthuc imminutum, Nubes sublata. Brevis post tempore *Paralysis* secuta est; qua demum *Ægra Υποπνοσία*, & *Balneatione* diutina liberata fuit.

Quandiu hujus *Ægræ* membra fue-

* Vide Dissertationem de *Arthritide* Symptomata, Cap. x. Hist. I.

re resoluta, & Aquæ potationi illa incubuit; *Arthritide* tamdiu immunis omni perstitit: integra verò ad consuetudinem rediens, & veteri *Diætæ* ratione usa, *Arthritide* jam nunc urgetur regulari: qua utique confirmatur, priscos illos, sive *Pedis*, sive *Mal-leoli Dolorem* & *Tumorem*, fuisse planè *Podagricos*.

Aliam novi *Intestinis* pariter dolentem, & quidem ex eadem causa; postea verò *Paralyticam*; cui, cum integrum esset, & intactum adhuc *Caput*, at *Bile* Sanguis æstualet, ortus est in *Manibus* Dolor, & *Tumor* planè *Arthriticus*; & indicio fuit, Naturam hac inimicum porta conari expellere. Hi verò conatus, quantum adhuc observavi, languidi & pene frustra fuere omnes, & *Paralysi* cesserunt: quæ denique *Chalybeatis*, & *Remediis* Sanguinem eventibus, ut & *Genus Nervinum* penetrantibus, una cum *Aquarum Bathoniensium* Potatione, & in iis *Balneatione* crebra, penitus sanata est.

Hiscæ verò observatis omninò liquet, materiam Colicæ Biliosam, causam ejus proximam & continentem, nunc in *Articulos* extrudi, & ab iis in *Nervos* transferri, sicque in non nullis Corporibus eandem esse *Colicæ, Arthritidos*, & *Paralyseos* ordine materiam.

H I S T. VI.

Ob Arthritidem in Nervos inversam, ΑΦωνία.

V Ir bonus, cum primis honestus diu meus εν τῷ φαρμακοπορεῖν familiaris, jam inde ab adolescentia *Arthritide*, ad tempus redeunti, laboravit. Vox à pusillo puero, ei densa fuit, obscura: nec quæ Verba clare, vel

vel articulate fatis exprimeret ; à *Nervorum*, uti videtur, imbecillitate nativa dicens originem. Ad hæc accessit, ob mortem filii (quem ille quam maxime amavit) Dolor vix consolabilis ; Ægrotudo valde discrucians. Cum eo loci res esset, & Paroxyfmus jam declinaret, nondum autem ad exitum perduceretur, in apricum animi causa Æger vectari voluit. In collem proximum & vicinum, at eminentem & apertum, Bruma tunc temporis sævientem, quando, etiam tum e lecto surgens, elatus fuerit, ibique plus nimio commoratus: mœstum, & imbecilli *Lingua Arthriticum* invasit primùm *Algor*: deinde *Vertigo*; tum brevis quædam mentis alienatio, actionibus absurdis, insolitis, & indecoris manifesta; deinde *Lateris*, postmodum resoluti, imbecillitas, & obeundi motus impotentia; postremo, & paulatim *Linguae Paralyfis*, *Αφωβία*.

Non novum huic ægroto hujusmodi malum: nam, quum moris erat, exeunte omni Paroxyfmo, quam citissimè potuit, lectum abdicare, & foras illico *Pedem* efferre, vel gestari; raro id impune facit: imo, quam citissimè fecit, tam maximè pœnas dedit; tam citissimè *Lingua* ejus, tanquam *Ligamento*, impedita, & (quod à familiaribus sæpe observatum) aliena *Vox*. *Non novum*, inquam hujusmodi malum; nova mali fuit *Gravitas*.

Ut morbo isti medicinam facerem, quæ sequuntur, auxilia sunt à me præscripta.

℞. *Conf. Abs. Rom. Spec. Diambrae*,
Z. Z. in *Indiis Cond.* aã ðj.

Conf. Alk. q. s. f. Bolus.

℞. *Pul. Serp. Virg. gr.* xij.

Castor.

Spec. Diatr. Piper. aã gr. iv.

Pl. e Sem. Carvi Chym. gtt. jj.

Buls. Per. q. s. f. Pilulæ.

℞. *Cort. Winterani*,

Rad. Zedoar. pul. aã. ziiij.

Sem. Anisi. Carvi aã zj.

Cochlear. zj. misce, & infunde in Vini albi Lusitanici ℥ij. usus tempore Cochlearia duo, vel tria colentur, cum Cerevisia commiscenda. Cerevisiæ haustus hujusmodi medicatus Bolo, & Pilulis quotidie superbibatur. Ampullæ, ad dimidium vacua, Vino simplici repleatur.

Porrò, infundantur in *Aqua fontana bulliente Sem. Cochlear. contusa*, *Rasura Radiculae*; *Infusū Diambrae dulce* tur, f. *Gargarisma* sæpius in die adhibendum. *Friktiones Artuum* sint frequentes. Sumat etiam *Spiritus Vol. Oleos. gtt. xxx.* cum vehiculo idoneo, bis vel ter in die, *Cervici Epispasticum* admoveatur; post dies duodecim, vel duas hebdomadas repetatur.

Horum usu medicamentorum (non quidem perpetuo, sed longo, & cum intermissionibus ad tempus diutinum producto) factum est, ut *Verba*, uno aliquo quamplurima præeunte, ipse, eadem nullo negotio clarè repeteret. Vegetior item, coloratior, & hilarior evadere; *Cibum* capessere, devorare. *Arthritis* sub id tempus manum occupavit; *Curationis* spem adduxit, ac (eheu!) brevem, & fallacem. Relicta manu, tam inclementer Ægrum habuit, ut e vestigio *Caput* *Dolore*, *Stupore*, aliisque mali moris accidentibus affligens, eum pene confecerit. Hoc ob *Alvum*, incuria domesticorum, nimis duram (unde in *Caput Humores acti*) evenit. Ex Paroxyfmo tam infelici, & Naturæ rebus tam malè convenienti, nullum *Paralyseos* levamen,

levamen, nulla Vocis restitutio. Contra, medicamento non uno, neque impotenti frustra adhibito, integrum jam triennium (si Verbum unum, aut alterum, *μονοὺς ἄλλοθον*, excipiatur) mutus fuit; & quod annotatu dignissimum, per eosdem hosce annos, etiamsi satis cibi ingerens, rariùs & mitius solito doluit Articulis.

Ut Historiæ hujus summam brevi complectar; de hac *Paralyfi*, in homine *Arthritico*, & jam tum dolenti, Frigus insecuta, quid aliud cogitandum? quàm, quod Humores *Arthritici*, adhuc in Sanguine relictî, effæti, & in fugam abituri, Algore contracto, & angustato Corpore, in *Nervos* impellerentur: & in eos se ab dentes mala jam dicta committerent. Materia verò aliena, quæ e Corpore expelli debuerat, in *Nervos*, natura forsan nimis apertos, & dehiscences, impulsa; tanta ex eo Oeconomix perturbatio, Naturæque Vires adeo fractæ, & debilitatæ sint; ut, *inversa* in posterum *Arthritidi* favens ea, regularem, uti olim, Paroxysmum minimè moliat.

HIST. VII.

Ex Morsu Canis, Arthritidis rectæ silentium, Stupiditas, Paralyfis; Arthritide denuo facta Regulari, curata.

R Ara quidem, annis abhinc aliquot, & inaudita forsan *Arthritidos Anomalæ* mihi sese obtulit Historia; quæ, ut multa observatu dignissima, ita Doctrinæ huic nostræ lucis non parum allatura continet, ideoque protenus adscribenda est. Homo adhuc in vivis est *Ischanus*, qui sub

exitum seculi novissimi, decimo ætatis suæ lustro, Pedibus subinde doluit. *Podagra* nimirum affectus germanissima, Malleolum mordente, omnibus numeris absoluta. Hunc in modum ea, per triennium bis terve singulis annis, accesserat; quum ex *Morsu Canis* (foran rabiosi) *Podager* ægrotavit. Vulnera, Cruribus inflictâ, per mensis spatium, Ichorem emisere, sanatis autem iis, suppressoque flumine, nova malorum ingruit caterva, atrox certè, & pestifera: Primum enim late, per univèrsum Corpus, sparsum est alienum aliquod, Sanguinis *Οργανισμὸν*, Corporis æstum faciens immodicum. Deinde *Caput* tentatum est: Sedulum enim, & in agendis rebus antea versatum, Ægrum occupavit rerum prope omnium Oblivio. Stupiditas adjuncta est, & in sententia de negotiis ordinariis cum judicio ferenda, impotentia. Magna sub hoc tempus erat Membrorum undique omnium debilitas; & Digitorum huc illuc serpens, tanquam ab Acu pungente, Dolor. Successit *Tetanos*, aliàsque Pedum Torpor, & *Δυσκίνησία*. Simili verò ratione, qua Corpus, ipsa laboravit, ipsa subsidit Anima. Levi quavis de causa Ejulationes Æger, & Lamenta edidit; non rarò Lacrymas. Postremo loco Manuum, Pedum *Paralyfi* correptus, eorum neutrum, nisi laboriosè, movit. Quod verò maximè notandum, *Arthritide*, quæ (ut dixi) Paroxysmos, bis, ter quotannis iterare solita est, jam inde à *Canis Morsu*, per integrum biennium (quo, prædicto more, cruciatus est Æger) ne semel quidem reddit. Ut hæc malorum Ilias à *Miasmate Arthritico*, multum conturbato, perque Corpus univèrsum, in ipsos

Nervos:

Nervos actō (& quidem *Canis Veneno* forsan impellente) proficisci, non immeritò credatur.

Docti utique Medici, & experientes, in hujus *Ægri* curam incubuerunt: Quamprimum ea mihi demandata esset, (quando præter *Symptomata* jam dicta, *Ventriculum* etiam lædi, *Ανορεξία*, multoque *Vomitu* urgeri deprehenderim) primùm *Alvum* subduxi; tum *Decoct. Cort. Chalybeati* ℥ij. ter in die fumendas imperavi. *Decocti* hujus verè *Polychrestii* usu, cum levi *Corporis* *Exercitatione* diu continuato, (nempe, cum intermissionibus quibusdam ad annos aliquot) mirum quantum ex eo commodi exortum: *Fames* enim, *Oculi* vigor, *Faciei* color, *Spirituum animalium* robur (*Arthritide* denuò *ἐν τοῖς ἔξω* revertente, & *Paroxyfimos*, sic, ut olim, edente regulares) tum *Animæ*, tum *Corporis* mala finire cuncta. *Euvrosία*, & *Valetudo*, post annorum aliquot interruptionem, omni ex parte integra, & perfectâ, felicissimè restituta, paulatim, tanquam ex postliminio, redierunt.

Si *Arthritidos* isthoc, ex *Morsu Canis*, *Silentium*; si *Symptomata*, per istius *Silentii* triennium oriunda, (gravia profecto, & terribilia;) si, ex *Arthritidis* *Reductione*, *Symptomatum* istorum fugam animo ritè perpendamus; nihil manifestius, quàm quòd à *Miasmate Arthritico*, devio, & in *Nervos* irrepente, fierent ista *Spirituum animalium*, & *Nervorum* malâ; & quod, ex eodem *Miasmate* in *Artus* (uti par est) exulante, *Paralyfis* cum malorum ista cohorte tolleretur.

HIST. VIII.

Convulsiones, ex Arthritide inversa, universales, Arte medica sublata.

HIs, ob *Morbi* discrepantiam, an affinitatem dicam? *Convulsionem* addam universalium, ex *Arthritide* intus in *Nervos* acta, *Historiam*. Vixit, annos ante paucos, in *Isca* nostræ suburbiiis, *Familia*, proba quidem & honesta, neque *Veneri*, neque *Baccho* dedita; quæ tamen *Arthritidi*, sic, ut rarò quæquam unquam magis, est afflicta. *Fratrum* unus è medio *Apoplexia* subreptus est *Arthritica*; alter *Arthritide* *ἢ Εντόδια* premente obiit: de quibus, suis locis. *Fratrum* *Tertius*, hic noster, *Articulis* olim doluit, tum crebro, tum vehementer. At quum hujusmodi cessavere, aut minùs crebræ, minusve vehementer fuere *Arthritidis* accessiones; *Convulsionibus* ille correptus est, observatu dignissimis. Primùm enim ille *Partium* externarum erant; deinde, mira *Spirituum* in *Capite* *Αταξία*, postea verò *Eclipsi* comitata. Quum ad *Ægrum* arcesserem, *Spasms* eum gravissimis implicitum, *Sensibus* orbatum inveni: quumque diuturnitate malum ingravesceret, (dies enim aliquot jacuit *ἀνεσίδνωτος*) tollendi ejus ergo, *Medicina*, qua possem efficacissima, usus sum.

Præmissis *Alvum* inanientibus, ut *Caput* allevarem, ad *Cutim* tonso, & raso, ei *Epispasticum* admovi: Quod quidem amplum, & diu adhærescens, optimo fuit *Ægrotanti* auxilio; *Seri* enim libras (quinque, vel sex dierum spatio) minimum binas evocavit. *Inter* ea temporis, quæ *Spiritus* sustentarent

rent animales; quæque eorum motus ordinarent, ore sumenda dedi.

℞. Pul. Castorei ℥j. G. Galbani, Sagapeni, Assæ fœtid. aã ℥j. Opopan. solut. q. s. f. Pilulæ. Sumantur quatuor, ex Julapii Cephalici Haustu, quarta quaque hora. Spiritus Castorei, & Vol. Oleos. in eundem finem, ex eodem vehiculo, subinde sunt adhibiti.

Hac ego medicina, supra astantium expectationem, Ægrum excitavi; morbo eum ancipiti, & pestifero liberavi; &, ut idem ne recurreret incommodum, Chalybe, & Cortice, præfidiis hac in re certissimis, Ægrum munivi.

C A P. XVII.

De Doloribus in Corpore vagis, fixis; de Ophthalmia; de Erysipelate, & Achoribus Arthriticis.

ART. I. **V** Idimus, quanta cum sævitia Partes Corporis nobilissimas, & Vitæ maxime necessarias, agitet *Arthritis*: quam illa (tanquam malus Civis, qui exulare respuens, Rebus usque novis studeat, Domos illustres ad factionem suam trahat Intestina, Pulmonem, Cerebrum, Viscera ἐν ταῖς κοιλίαις contenta fere omnia corrumpat;) Nunc, in Regionibus à Metropoli, & locis principibus, longo diffitis & remotis; in Provinciæ interioris ambitu; in Partibus Viscera continentibus, quid eadem faciat, quoque se modo gerat, diligenter exquiramus.

Horum locorum *Anomalæ*, quæ à me notatæ, sunt in iis *Vaga*, *Fixa Arthritis*, *Ophthalmia*, *Erysipelas*, & *Achores Arthritici*; de quibus omnibus hoc Capite dicam; uti in sequentibus, de *Epiphora*, & *Dolore Dentium Arthritico*.

II. *Arthriticis* iis, quibus Sanguis acri Miasmate diu multumque inquinatus, quum ad ἀκμὴν id elatum efflorescit, familiares aliquando sunt *Dolores*; qui nunc vagantur per *Regiones Dorsi*, & *Lumborum*; per *Scapulas*, *Sternon*, *Cervicem*, & *Caput externum*: Earum nempe Partium aliqua incipientes, eam ad tempus aliquod afficiunt; donec alio, quocumque vult *Natura*, transferuntur. Quæ utique loci mutatio interdum crebra est; & in nonnullis hi *Dolores* (quod ab *Arthritico* non uno compertum accepi) per *Corpus* serpunt externum, pene universum: *Arthritis* sic in *Trunco* vaga, non semper intellecta, *Rheumatismi* nomine vulgo delitescit; quæ tamen, si utriusque hujus *Morbi* naturam penitus scrutemur, ab eo longe discrepat.

Nunc in eodem loco commorantur hi *Dolores*, eumque non parum mutant. Novi *Hominem*, cujus Sanguis quando planè computruit, & in *Arthriticam* degeneravit *Dyscrasiam*; huic, inter alias *Morbi* hujus *Ανωμαλίας*, in *Regione Lumborum*, (ac si à *Renum Calculo*) *Dolor* immanis, & per molestus accidit; quem tamen à *Miasmate Arthritico*, *Membranas* eo loci *Spinam* investientes stimulante, fieri probabile est. *Vertebrarum* hæc *Membranas*, etiamsi plurimum urgeri corrodique noverim; raro hoc fit, præterquam in iis, quibus, seu ætate, si ve morbis penè confectis, regularem *Arthritis* præstare nequit *Natura*. Novi *Arthritis* calidæ *Materiam*, *Oculi Tunicam adnatam* invadentem, *Ophthalmiam* inferre; quæ cum paulo post *Articulos* inviseret, iisque *Paroxysmum* aptum, & laudabilem excitaret; eodemque tempore finē *Inflammationi*

ni poneret: eam omnino *Arthriticam* esse manifestavit.

Novi *Arthritida Palpebram* in Vetro quodam superiorem, mensem & eo amplius, excruciantem; quæ cum *Omagram* habuit adjunctam, & *Podagram* è vestigio sequentem, ingenium & morem suum abunde declaravit.

Faciei porro *Erysipelas* notavi, quod detractiōe Sanguinis, factaque inde *Materiæ* in Artus $\Delta\iota\alpha\delta\omicron\chi\eta$, quum in *Dolorem* mutaretur isthuc *Arthriticum*, naturam planè confessum est *Arthriticam*, ipsumque esse *Materiæ* istius generis calidæ & evedtæ, eo in loco $\epsilon\zeta\acute{\alpha}\theta\eta\mu\alpha$.

Nullius autem *Anomalæ* in Externo Corpore natura subtilior, quàm quæ est *Arthritidos Achoros* inducentis. * Jampridem tradidi, in nonnullis Corporibus fere idem esse, Utrum per Articulos, an per *Aurium Ulcuscula*, id quod alienum, emitteretur: quod quidem Observatione mihi non una confirmatum. Sunt enim *Arthritici*, quibus, in Paroxysmorum intervallis, (maximè si Paroxysmi tenues sint, & nimium mites, aut forte intercisi) ista per *Aures* Evacuatio vicem obtinet *Arthritidis* summè Regularis. Sunt etiam, in quibus, neglecta re Articulari, neque Artuum Glandulas Veneni expulsionem penitus omissa, Natura unis *Achoribus* contenta, per eos id exterminet.

III. Affectibus jam dictis, unà cum aliis omnibus, quæ *Trunci* relinquuntur, *Anomalis*, hoc commune est; Eas periculo, quàm *Anomalæ* sunt internæ reliquæ, multo magis expertes esse, & ad regularem *Arthritida* propius acce-

* Dissertatione, de Arthritide Symptomatica. Cap. XI.

dere. Cujus rei ratio, tam ex Locorum à natura ignobilitate; quàm ex eo, quod Auxiliis etiam externis ii tractari possint, elicienda est.

Quin etiam hoc addendum, à Corporis ambitu, ad ejus medullium; à τοῖς ἰσχυροῖς ad τὰ ἰσχυρόμενα, *Arthritidem* non creberrime transferri: certe rarius, quàm ipsam *Regularem*. Cujus eventum nullam aliam excogitare valeo rationem, quàm quod *Artus*, à Corpore longe in Aerem projecti, sæpe à Frigore magis patiantur; & quæ *Arthritida* repercutiant, Causis magis pateant externis: Quibus hæ nostræ *Anomalæ* non sunt adeo obnoxia, & raro intercisa. Viscera subintrant; verum è contrario in Artus multo frequentibus erumpunt.

IV. Communis harum *Anomalarum* Medicina vult, ut, graves eæ si contingant esse, initio detrahatur Sanguis; deinde Purgans, (sive *Aloëticum*, sive aliud è $\Delta\rho\alpha\sigma\iota\mu\alpha\tau\acute{\epsilon}\rho\omicron\iota\varsigma$ aliquod) quo *Materiæ* vitiosæ partim Ano possit expediti, partim ad Artus amandari, detur.

Præter hæc communia, nisi malum ingravescit, nihil est, quod amplius suadeam Medicinæ. Tuta enim est, & incolumis Ægroti res; si non ex omni parte placida. Quin & ii Homines *Arthritici* molestius sæpe ferunt *Dolores* in Articulis, etsi restituendæ Sanitatis ergo factos, quàm, cui medeantur illi, Malum. Mos igitur iis in hoc rerum statu gerendus, & donec Malum per se inclinaret, aut tempore vincatur, expectandum est.

At si urgebunt *Dolores* (quæ propria eorum Medicina est) Æger stragulis in Lecto coopertus, aut Spiritu C. C. aut *Theriaca Androm.* cum Pul. Gasconic. vel *Rubro Exoniensi*, vel ejusmodi

modi aliquo *Cardiaco*, una cum *Posseto Anthosato*, sive Sudore Materiam foras ejiciat; sive in Artus amoliatur.

Quod de *Doloribus* hisce, tam fixis, quam vagis, pronuntiavimus; id etiam in *Erysipelate* valebit; ut nempe per *Cardiaca*, *Podagram* expellentia, miasma procul arceatur.

Si, post Evacuaciones jam dictas, intendatur *Ophthalmia*; sive etiam minimè levetur, erit, quo Organum, æque pene cum vita carum tueamur, Remedio opus: Quare *Collyrium* modicè discutiens, & corroborans adhibeatur. Infervit huic Intentioni, id, quod sequitur.

℞. *Album. Ovi, agita, Aqua Rosæ. dilue, adde Camforæ gr. aliquot, f. Collyrium*; cujus Guttæ in *Oculum* paucae omni mane instillentur, Lintheaque eo immersa Palpebræ bis terve in die superponantur. Potest commode *Lapis Calaminaris*, sive *Tutia* præparata *Collyrio* superaddi.

Si *Achōpes* permolesti sint *Arthritici*, eandem fere recipiunt Curationem, ac qui absoluti; neque enim, eorum causa, in Articulis Dolorem excitari velim: tanta eorum incolumitas, tam magna utilitas. Quod de hac *Anomala* [quantum mihi videtur] una proponendum.

HISTORIA.

Achores, ab Arthritide in alio Corpore generati.

Postremo ineunte seculo, non procul ab Urbe, Vir egit Generosus; qui, ob juventam non nimis sobriam, ea vix finita, laboravit *Arthritide*. Ætate progrediente, similem ea progressum habuit, & quotannis increvit: do-

nec Artuum motu ferme omni privatus, Æger demum Clinicus evasit. Erat ille Vir, si quis unquam, totus ex *Arthritide* factus; pari certe ratione, atque dicitur

Ὁ λὸς ἀνθρώπου ἐκ γενετῆς νόσος.

Cum annos prope viginti maritus sine Prole esset, favente demum *Arthritide*, Filiam progenuit. Castissima, & Venerabilis ejus Uxor non tam *Lucinæ*, aut *Dianæ*, quàm *Arthritidi* debuit, quod facta esset mater. Patris tam *Arthritici* Filia, Originis suæ labem & maculam non uno modo agnovit: Erat enim Vultu pallido & languenti, Constitutione tenerrima. Plures enixæ filios, Partus ei non parum profuerunt; & à Miasmate nativo, magnam illius partem evacuando, tuebantur. *Achōpes* autem, præcipuè cum illa desierat ἐκ γαστρί ἔχειν, erant gravissimi. *Aures* externæ, multum tumefactæ, per *Ulcuscula* Virus emisere, mordax & acre: cujus acrimonia Regio isthæc omnis inflammata est. *Virus* siccatum in Squamas abire solitum est; in furfuraceas, subalbidas: quibus, sive sponte decidentibus, sive refricando sublatis, *Ichor* denuo jugiter emanavit. Neque *Purgantia*; neque virtutum optimarum *Alterantia*, [à Viris arte nostra celeberrimis præscripta] malum hoc vicere; modum ei forsan imposuere.

Ut semel dicam, Miasma hoc indomitum & pestiferum, Matronæ illius Filios hunc in diem aggravat; quorum plerique omnes (sunt autem multi) *Aurium* Exudationes, aut alias illius Veneni notas, & indicia, veteri nempe Contagio afflati, gerunt; & testimonio sunt probabili, Miasma hoc virulentum, in alio Corpore per *Ar-*

Arthritida regularem, in alio per *Achores* à Natura ejici.

C A P. XVIII.

De Epiphora, & Dolore Dentium
Arthritico.

ART. I. **D**E *Catarrhis* iis, qui *Arthritica* facti materia, Pulmones, aliaque Respirationis Organa invadunt, & Tussum frequenter inferunt, alibi disputavimus: Qui *Oris* sunt, & *Oculorum*, eadem Materia facti, atque eodem è numero reliqui; eos, hoc Capite dicendos, jam nunc aggrediemur.

De *Podagra Dentium* Libellum olim in lucem misit *Joh. Stéph. Strobelbergerus*, Thermiater Cæsareus; ut vel propterea super hac re Sermonem instituere superederem. At quum iste Liber, quicquid promittat ejus Inscriptio, non tam de *Dolore Dentium Arthritico*, (cujus neque Therapiam propriam, nec quidem Diagnosin ullam in medium profert,) quam de Affectu isto, quatenus Exquisito agat; integrum mihi erit, hanc *Anomaliam*, cum aliis suæ Tribus, unà tractare.

II. Quod ut accuratè faciam, imprimis observandum est, Humores illos acres *Arthriticos*, qui, per ambitum Corporis erratici, Dolores ciere solent ante dictos; in *Glandulas Oculis* vicinas, & secernendis Lacrymis dicatas, à Natura non nunquam infundi, & jugiter isthinc emanantes *Epiphoram* creare: modo in *Gingivas*, & eas, quæ Dentes circumvestiunt, Membranas immitti, & *ὀδονταλγίαν* facere. Qui utique affectus læpe diutini sunt, & (Humore falso teneras, sensusque acutissimi Fibras urgente, Spiritusque

eas inhabitantes stimulante) non nunquam etiam molesti: Quoniam autem iidem, ab *Arthritide* nunc à τοῖς ἔξω re-percussa, & Paroxysmum interrumpente, oriantur; nunc in *Arthritida* regularem desinant; utrumque verò ita tum oriri, tum desinere constat,) idcirco etiam *Arthritici* censeantur; ipsamque esse *Arthritida*, Sedè germana, & Via jam relictis, alieno in regno ἀνωμαλῶς sævientem.

III. Si morbi illi tenues sint, nec ægrotantes supra modum urgeant. Curatio his *Arthriticis*, ac quæ Exquisitis, eadem sit utilissima: Si verò graviores periculum, vel molestiam inducant, hujusmodi velim Medicinam.

Primò, Sanguis mittendus; speciatim; optimeque *Vena Jugulari*: Tum Venter resolvendus, Sanguis turbandus; dato, quod ambobus his sufficiat muneribus, mane postero, *Purgante*: Deinde *Epispasticum* Cervici applicandum: Ulcuscula verò, ne arescant, *Litu* illinantur *Epispastico*; & tam diu quidem, quam diu mali gravitas perduraverit. Postea, si *Arthritis* ad affectam usque Partem adhærescat, non nisi molimine quodam in Artus removenda, ad rem facient auxilia, tam quæ, extra applicata, educant eam, evocentque; quam quæ ore sumpta expellant. Atque hæc istorum Medicina Morborum est communis.

Propria requirit, ut in *Epiphora* vitatis, initio præcipuè, restringentibus (ne Sero, acri, & venenoso exeunti Viam occludant, & Fistulam inducant) *Collyriis* mollientibus Seri nimia mitigetur acrimonia. Quem in finem *Lac* intervrit muliebre, recens, *Oculis* immissum; uti etiam, è *Mucilage* Sem. *Psyllii*, & *Cydon*. *Aqua Ros. extracta*:
vel

vel è Trochisc. albo Rhafis & Aqua Plantaginis Collyrium.

Sin Os Catarrhus opprimat, & ægro- tantem Humorum Copia, vel Asperitas offendat; prodest Gargarismis eos tum diluere, tum elicere. Ad eliciendum, quam quod maximè, conducit Ras. Raph. Rusticani, ore retenta, & manducata; cujus sollicitatione prægnantes se Gingivæ possint exonerare.

Si Dentem forcipe evelli, postulaverit Dolor; eo, quod Alveolum purget, (Melle puta Mercuriali cum Sale communi, Aqua fontana mixtis, vel ejusmodi alio) oportebit gargarizare: quo peracto, rursus in Alveolum intrudatur Dens, ob Evulsionem utilior evasurus.

Epiphoræ hujus Exemplum in Capite undecimo protulimus; Odontalgia verò Arthritica in manibus est Historia, quam illico adscribam.

HISTORIA.

Dentium Dolor Arthriticus.

Ouidam mihi familiarissimus, & in rebus agendis conjunctissimus, biliosum & siccum habens Corpus, Catarrhis jam inde à Cribulis immune; ubi ad ætatis medium accessit, ex Pedibus laboravit. Plurima huic Arthritico acciderunt; quæ attentè observata, rectèque considerata, ad morbi hujus inconstantis, dubii, versatilis ingenium & morem explicandum, valeant egregiè: Unum habeo in præsentia dicere; alias alia.

Cum ætas præcipitavit, (quæ non humanam modo Sanitatem, sed & ipsos morbos afficit, eorumque interturbat, & abruptum ordinem) Eclipses primo leviores, paulatim magnas, & graviores passa est Arthritis.

Pro Arthritide, Juncturas Artuum more suo occupante, multumque cruciante, nunc Vertigo, nunc Cephalalgia, nunc Dolores per universum Corpus externum erratici, nunc (quod ad rem nostram attinet) Dentium Dolor acutissimus erat. Mirum Ægro videbatur, & Portenti simile, morbo se vexari tam parum convenienti; Vetulum nempe, Pumice aridiorem, Catarrho Dentes infestante.

Inito hac de re Colloquio, dubium & sollicitum percunctor, quo se modo gesserat per dies hosce nuperos Arthritis: Utrum Paroxysmos satis crebros, satis vehementes, sic, ut olim, ediderat. Neque crebros, neque vehementes Æger reponit; sed, in propinquo esse Arthritidem, ex Cephalalgia, ex Doloribus huc illuc vagis, se harrolari. Quibus Ego; Quid si adventantis illis Arthritidos Signis, addas etiam Οδονταλγίαν: quando, hunc Affectum, una cum ceteris modò dictis, eadem Causa fieri verisimile sit; Arthritica scilicet materia, naturæ jam molesta, janua non optima in fugam pulsa.

Ut in pauca rem conferam, paulo post Articulos invasit Dolor, Arthriticus, omnibus numeris absolutus; eodemque tempore Dentium ille Dolor, ut & omnes alii remisere. Hujusmodi Οδονταλγίαν ille postea sæpenumero perpeffus est; ex Arthritidos aberrationibus, & deliquiis semper exortam; in Arthritida regularem, & idoneam, semper exeuntem: ut de confirmanda indole morbi hujus Arthritica, plura, ut opinor, addere supervacaneum esset.

C A P. XIX.

Corollaria continet, cum Epilogo.

ART. I. **H**Æ sunt Arthritidis in Trunco Corporis Anomalie;

malia; non dicam omnes, nec quidem ullas omnibus numeris absolutas; (certe absolutum, & perfectum hujusmodi Opus vix unius Seculi, nedum Homini unius esset;) sed insigniores aliquas, & quæ in facienda medicina mihi passim obvenere, notatu digniores.

Ex iis, quales sint, persuasum mihi habeo, quod apparebit, miasma *Arthriticum*, præter Artuum mala, omni ævo animadversa, varios, multiformes, multumque discrepantes inter se Affectus, si eorum Facies, si Phænomena spectemus, efficere; & quidem in hac nostra Regione (forfan etiam in aliis non minus) crebro: Varios scilicet pro istarum Partium, & locorum in quibus sunt, varietate; multiformes, pro diversa eorum structura; & pro eorum usu, discrepantes.

Deinde, constat Affectus, sic à devio hoc miasmate generatos, Partium affectarum morbos proprios, & vernaculos, ad amissim omnes simulare, Vultus eorum usurpare; Signa vel Pathognomonica præ se ferre, neque à morbis indignis, per ea, quæ concurrunt Diagnostica, posse quovis modo distingui; sed è contrario revera cum iis sæpenumero confundi.

Deinde palam, uti spero, factum est, non hos Affectus, alienos & *Arthriticos*, quoties ingravescant, & jam magni fiant; etiam si propriis affectarum Partium morbis simillimos, illorum medicinis, [quæ quidem magnis, & gravibus hisce sublevandis, nequaquam aptæ, vel pares sunt,] tractari oportere; verum è diverso privis, suoque singulorum mori, & ingenio accommodatis. *¶* *¶* autem *¶* *¶* uniuscujusque horum pro ejus *Subiecto* esse, & cum eo multiplicari: unde tot

novæ *Arthritidis* Formæ, fereque tot diversæ earum Curationes, quot inveniuntur ejus *Anomalia*.

Deinde, diximus *Anomaliam* singularem singulæ Curationem non alio modo facilius absolvi, nec quidem auspiciatius suscipi, quam Partem aggravatam, & novô hoste obsessam allevando: Illud autem optime effectum reddi, partim Evacuationibus, tam Universalibus, quam Topicis; sed iis, privata ratione, quæ nimirum malis hisce maximè conducatur, adhibitis, optime vero omnium per Hostis Expulsionem, & ab iis quæ intus sunt iniquè occupata, *πρὸς τὰ ἔξω*, ad Artus ablegationem. Quibus autem Auxiliis, qua medendi methodo, in prædictis *Anomaliis* hoc præstari possit, hujus Scripti Pagina fere omni ostensum est, & declaratum.

Hæc hujusce *Dissertationis* Sûma est.

II. Hisce positis, manifestè patet, quam ad Hominum Salutem magni sit momenti, deviam hanc *Arthritida* sectari, investigare; quamque, Latebras ejus perscrutari, Larvas excutere, & in Artus suos, & Domum, utcunque invitam & reluctantem, eam, quaquacumque tuto possit Arte, reducere. Nam, cum *Arthritis Regularis* & *Anomala* plerumque sint in simili ratione, de *Anomala*, tametsi per se obscura, seque multum occultante; quantum illa grassetur in vulgus, & quatenus sæviat, ex *Arthritide Regulari* laborantibus, (nempe ex illius crebritate sævitiaque; horum autem *sex non naturalibus*) cuivis liceat conjicere. Qui rectè calculum hac in re posuerit, pro certo invenerit, quod, tametsi *Arthritide Regulari*, quam *Anomala*, plures ægrotent; tamen *Anomala*, quam *Regulari*, longe plures occumbant: imo quidem *Regularem* raro, nisi

nisi prius degenerantem in *Anomaliam*, occidere; ita vero creberrimè.

Prætermiſſis autem his, & harum *Anomaliarum* investigatione; (quæ in fuorum commodum & tutelam, Medentis ſemper erit pro re nata exercere) ſive neglecta, ſive perfunctorie, vel imperitè facta; neceſſe eſt ægrotos, ſimulatis his Affectibus, *Colica* nimirum, *Phthiſi*, *Aſthmate*, *Angina*, ne dicam aliis ejuſmodi *Arthriticis* (id eſt, *Arthritide* morbos illos referente) opprimi quamplurimos; quoque longius ſerpat, & magis gliſcat *Arthritis* idonea, ea proportione plures.

III. Neque noſtram hac de re Doctrinam, ulla quidem ex parte, convellet; nedum eam evertet id, quod de *Arthritidis Symptomaticæ* Speciebus olim dixi, (Si quis hæc *Anomalias*, Partium affectarum morbos eſſe Vernaculos, & Exquiſitos; *Apoplexiam* v. g. veram, & genuinam, miſmate fieri poſſe *Arthritico*; fruſtraque toties, & ſine neceſſitate multiplicatam à me *Arthritida* contenderit;) quandoquidem (ut de Rerum Nominibus, quæ earum Naturas explicent, & tanquam Icones, in conſpectu ponant, eligendis & præferendis, nihil dicam) horum Affectuum utcunque dominatorum, medicina, quæ à me potiffime ſpectata eſt, *Θεραπευτική* ſuo uſque, ſic opinor, ſtabit talo, recto nempe & inconcuſſo; *Arthritidis* in Artus Expulſione, quod à me propoſitum, omnino molienda.

Quibus addi poteſt Veteres (*Paulū* volo, *Alexandrū*, *Aetiū*, *Galenū*, *Aretæum*) non ſolum, *ἡ ἄνω*, ſed etiam (ut in Præfatione dixi) *ἡ ἔσθ' ἄνω* *Arthritidem* exhibuiſſe, Horumque me Autoritate fuiſſe uſum, & Veſtigia repreſſiſſe.

IV. Hæ, quas nunc protulimus, *Ar-*

thritidis Anomalias, ſuo quæque genere graves ſunt, magnæ, & immodicæ *καὶ ἕξω*: Alias autem minoris ordinis, eaſque non paucas eſſe ſuſpico; quæ nunquam eminentes, aut ad ſtatum hunc notabilem evectæ plerumque viſum fugiant, & pro nullis habeantur. Enimvero, uſu medico vel parum exercitatis, hoc latere nequit; *Arthritide*, (præcipue frigida, inertis, languida; maxime verò omnium ea ſuppreſſa, reſuſa que,) ægrotantes, interdum *Humeri*, *Pectoris*, *Dorſi*, *Lumborum*, aliarumque in ambitu Corporis Partium *Dolore vago*, tanquam *Rheumatico*; sæpe etiam Capitis Affectibus, more proſus *Hysterico*; alias aliis in Corpore malis, quaſi *Scorbuticis* urgeri; sæpiſſime verò *valetudine dubia*, & in tempus diutinum incerta, & neutra, eſſe. Qui quidem eorum ſtatus, ac conditiones, ſenſu remiſſiori, & leniori gradu morboſæ, natales ſuos *Arthritico* miſmati, cæco, in Corpus ſubrepenti, & eo loci clam agentis, ſe debere, ultro videntur agnoſcere: Quin etiam aliquando, multos poſt annos dubium hunc in modum actos; tandem, apparente Paroxyſmo *Arthritidis* idoneo, de iſtorum Origine & Natura malorum *Arthritica*, omnis ſublata dubitatio eſt.

V. Quid! quod *Arthriticorum* Gnatos quoties obtueor, & nunc *Achores*, nunc *Catarrhos*, nunc *acres* Intefrinorum *Humores*, (ut taceam alios Affectus certè non paucos,) iis familiares animo complector; profecto quidem memet vix temperare poſſum, quin eorum Ortus incuſem; & Affectus hoſce nihil aliud eſſe mecum reputem, quam *Arthritidis* Hæreditariæ quædam *Ανοσπασμάτια*, ſeu ſcintillulas, à Parenti-

Parentibus acceptas, in Natorum Corpora, simul cum ipsa Vitæ Lampade derivatas; & in iis, secundum eorum modum agentes.

Hæ verò quum sint tantummodo Conjecturæ, nec quidem ullis fide dignis probationibus suffultæ; de iis solum *Anomaliis* scripsi, quæ indicibus certis, & Argumentis, si non ἀποδεικνύουσιν, tamen valde probabilibus, *Arthritidose* esse comprobentur; iisque fui contentus maximam partem *Anomaliis*, quæ ex *Arthritidis* præapertæ, claræ, & manifestæ Deliquis oriri jure merito censeantur.

Epilogus.

HÆc sunt, quæ dicere habui de *Arthritide Interna*, sive in *Trunco Corporis Anomala*; totius *Arthritidographiæ* Parte (nostra quidem opinione) principali & potissima, certè cultu & expositu omnium dignissima. In quibus exponendis eo fui prolixior, quoniam magni Salutis Hominum interesse judicavi; & à medicis aut nulla fuit harum rerum mentio; vel, si ulla, semper utique brevissima, & quasi

in transcurso facta: verum de certa *Arthritidos Anomalæ Diagnosti*, de illius *Reductione*, & ejus præstandæ methodo, nemo unquam mortalium (quantum scio) quidquam est locutus. Uti verò apud *Astronomos* ista *Solis Theoria*, quæ Ortus, ceteraque gloriosissimi illius Luminis Phænomena describeret, omnino manca judicaretur; nisi etiam *Eclipses* ejus exhiberet; eo certè plenius, & accuratius exhibendas, quæ illæ sint in Chronologicis Rebus illustrandis, & Temporum Punctis statuendis utiliores; quoque etiam explicatu difficiliore: Ita quidem *Arthritidis* Historia, tametsi *Regularem* planè dilucidè tradat *Arthritida*; nequaquam absoluta, atque adeo imperfecta credatur; si nullos habeat *Arthritidis Defectus*; si nullam *Internam* cujus insuper Notitia, quo Humano Generi commodior; quoque fuerit ignotior, eo distinctius, eo fusiori calamo tractanda.

Quin hæc à me diligenter observata, non sine labore collecta, fideliter renunciata, & jam, animo erga Humanum Genus benevolo, in lucem missa, boni consulite.

FINIS.

Δόξα τῷ ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

EPI TOME.

CAPUT PRIMUM.

De Arthritide Anomala generatim.

Artus Sedes Arthritidis Regularis, ARTICULUS I. Trun-

cus, sive quod reliquum est Corporis Anomalæ; II. Arthritidum Anomalarum

malarum, quæ Regularem nullum præcurrentem habent Paroxysmum, Diagnoses admodum difficiles; III. Earum quæ Regularem Paroxysmum insequuntur, Diagnoses, variis Symptomatum ordinibus sunt eliciendæ. De Anomalæ Arthritidos *ὑπάξει* minimè constabit, nisi de Regulari Arthritide præcurrente prius constiterit. Eodem Puncto incipiunt hi Ordines, at diversos habent exitus. Quo certior Arthritidos Regularis *ὑπάξει*, illiusque Materia quo certior, in ea, quæ intus sunt, Translatio; eo certior Anomalæ Notitia; IV. Internæ Partes intelliguntur esse Trunci omnes, V. Arthritidem inter Regularem & Anomalam, quæ sit Differentia, VI. Tam Symptomaticæ, quàm Primigeniæ Arthritidos *Ανομαλίας*, VII. Trunci Partes fere omnes, sed alias aliis frequentius, invadunt, VIII. Unde tam vastum earum Imperium, IX. Causæ earum enumerantur, X. Ut & differentiæ, XI. Medendi Indicatio generalis, ut Arthritide Anomala pars affecta citissimè, tutissimè levetur; Materiæ partim è Corpore evocando, partim in Artus transferendo. Præmissis, qua par est, Evacuationibus, Curatio reliqua per Materiæ, in Artus Translationem efficienda est: Quam ejus expellendæ viam Natura maximè affectat. Medicamenta huic Intentioni inservientia sunt vel Interna Arthritidem expellentia; maximè conducunt è Ferro præparata, præcipue Martis Alcohol, sive Ferrum Nutritum, ejus conficiendi Modus; Formulæ *Ποδαγγαγγών*: Vel Externa, quæ Articulis dolere solitis post Internorum usum aliquem applicata, foras Arthritidem invitent: Eorum recensio. Ichore vitioso exulante, Æger ad tempus aliquod

immunis est. Mitior hæc Crudelitas, quàm per Misericordiam methodus. XII.

C A P. II.

De Ventriculi Affectibus Arthriticis.

NUllam in Trunco Partem magis infestat Arthritis, quàm Ventriculum & Intestina, ART. I. Ut Ventriculum ingrediatur ea, duo requiruntur; primum, in Sanguine Miasma fugitivum; deinde Ventriculus, ei recipiendo accommodatus; II. Quibus ille modis sic accommodetur: Ex Causarum diversitate magna, oritur Anomalarium diversitas, III. Arthritidis in Ventriculo agentis Descriptio, IV. Quibus signis innotescat Natura ejus Arthritica, V. Senes ea plurimum urgentur. Autumno sæpe incipit, VI. Ejus cum Arthritide Regulari Comparatio. VII. Anomala hinc describitur absoluta, VIII. Ut ab Affectu distinguatur Hypochondriaco, IX. Perinde est, Materia per circuitum, an recta Ventriculum intret, & sive Fixæ, sive Erraticæ Arthritidos sit Materia: Qui denique huic malo procliviores, X. Medendi Indicatio postulat Ventriculum allevari Purgatione: & in Artus Arthritidos amotione: Utriusque Purgationis instituendæ ratio. Vomitio, si manet post Catharsin, Laudano compescenda; XI. Quibus auxiliis amoveatur Arthritis, quæque Arte tum expellatur, tum evocetur. Quæ hoc tempore Diata. Si Ventriculū Arthritis repetat, quid faciendum. Hujus Methodi Utilitas. Prophylaxis, XII. Historia I. In Ventriculum & Intestina irruens Arthritis, foras expulsa. Hist. II. Arthritis idonea, Balneo Frigido in Ventriculum, & ea, quæ intus sunt, repulsa.

Hist. III. Recta Arthritis, & in Ventriculo Anomala, se vicissim excipientes, cum Anomalæ Curatione.

Hist. IV. Arthritis semel iterumque in Ventriculo Anomala, toties expulsa.

Hist. V. Arthritis iterum ac sæpius in Visceribus Anomala, toties in Artus ablegata, cum Anomalæ Prophylaxi.

Hist. VI. Ex Plenitudine Arthritis, partim Recta, partim in Ventriculo Anomala, Purgantibus & Podagra-gogis allevata.

Hist. VII. Arthritidem, ex Animi perturbatione, Anomalam, in Viam ducunt Ποδογρογία.

Hist. VIII. Arthritis Vaga, primo Partibus ex Contusione læsis, deinde Ventriculo hærens, in Sanguinem resorbeur; in Artus emittitur.

Hist. IX. Multum interesse, qua Tempestate laboret Æger hac Anomala; ad eamque removendam, tam Externa, quam Interna nonnunquam in Corpore validissimo requiri.

Hist. X. Cibi Fastidium, & Asthma, ex Arthritide Ventriculum infestante; ea expulsa, sublata; ea denuo repulsa, recidiva.

Hist. XI. Ex Arthritide, Cardialgia, ut & alias Ανορεξία, per Catharticum, & Humores in Artus expellentia, feliciter curata.

C A P. III.

De Colica Arthritica.

MOrbus hic, gravis & frequens, una cum Intestinis Ventriculum premit, ART. I. Ejus Descriptio, II. Natura Arthritica, III. Diagnos, IV. Causæ remotiores externæ, quæ repellunt Arthritidem; V. Internæ, Intestinorum Imbecillitas, &c. VI.

Ab aliis Colicæ Speciebus, ut distinguantur, VII. Ejus Differentiæ, VIII. Prognosis, IX. In Curatione, de Phlebotomæ, de Vomitu deliberandum; deinde Purgatio instituenda. Tum Podagram expellentibus, una cum Anticolicis, utendum. Eorum Formulæ, & sumendorum Methodus. Contra Spasmos Intestinorum pertinaces Fetus, Linimentum, E-nema. Quæ Diætæ ratio optima. Vinum utilissimum, X. Prophylaxis, XI. Morbus hic Hippocrati non incognitus, XII.

Historia I. Colica Arthritica malè tractata, demum lethalis.

Hist. II. Arthritis Vaga, Colicam mentita, ad Regularem Arthritida reduci-tur; cum ejus Prophylaxi.

Hist. III. Colica, ex Quietè, Arthritica, in Arthritida Regularem versa.

Hist. IV. Colica multarum Hebdomadū Arthritica, eadem methodo curata.

Hist. V. Colica Arthritica, Purgatione, & Ποδογρογίᾳ, sublata.

Hist. VI. Colica, una cum Dolore Capitis, Arthritica plus semel allevata.

Hist. VII. Arthritis, Intestina sæpe atrocissimè invadens, toties exturbata.

Hist. VIII. Colica Arthritica, cum Paralysi superveniente.

C A P. IV.

De Diarrhœa Arthritica.

Miasma Arthriticum non nunquam Intestinis infusum, ea stimulat, donec Ano exterminatur, ART. I. Diarrhœa ista ut dignoscatur esse Arthritica, II. Causam Continentem, & proximam, tantummodo unam habet; initium, & exitus varios. Quæ per se accidit, non raro Salutaris: Quæ Pharmacia excitatur, si modum non excedat, utilis;

utilis; *sin nimis pertinax fuerit, dubia, vel lethalis*, III. In priori, *Naturæ relinquendum opus, nisi nimirum excurrat Diarrhœa; tunc enim Astringentibus; at Cardiacis eget: Reliquiæ verò morbosæ post tempus aliquod Lenientibus exprimendæ.* Diarrhœa *si stenda, si à Purgantibus fiat: Si à Cruditatibus, Purgatione (altera, vel utraque) opus erit; deinde Restringtonibus.* In Dysenterici periculo *Emulsum.* Ad Prophylaxin *Alcohol Martis, cum Aquis Ferratis*, IV.
 Historia I. *Diarrhœa crebra, & Salutaris.*
 Hist. II. *Diarrhœa, à Cathartico, Arthritica, opportunè suppressa.*
 Hist. III. *Arthritis vaga Intestina occupans, solo externorum usu evocata, & Artubus infixa.*
 Hist. IV. *Cruditatibus orta Diarrhœa Arthritica, Medicinæ beneficio inhibita.*
 Hist. V. *Diarrhœa Arthritica lethalis.*
 Hist. VI. *Alia ejusmodi.*

C A P. V.

De Dysenteria Arthritica.

TRansitio, ART. I. *Miasma Arthriticum aliquando Intestina mordet, exeditque Vasa eorum exilia, Sanguinem vehentia: Unde Dysenteria, II. Morbi hujus ἡθὸς, III. Dependet is à Miasmate prædicto in Sanguine renovato, idque constanti norma. IV. Insultus sæpe repetit, Paroxysmis Arthriticis, si spectemus intervalla respondentes. Nunc in Ulcus, nunc in Abscessum degenerat, V. Curatio: Sanguine profluente conquiescat Æger: Cardiacæ non nisi cautè adhibenda: Lingua Laudano superillinatur. Portioni sit Decoctum album. Dysenteria hac omnino Critica. Ad eam, si nimia*

fuerit, inhibendam Adstringentia. Valet interdum Enema. Vitentur Acida. Quæ conveniat Diæta. A Dysenterici exquisitæ Curatione, quantum hæc differat. In Prophylaxi valent Aquæ Ferro alteratæ.

Historia I. *Tenesmum, & Dysenteriam inferens Arthritis, omisso Externorum usu lethalis.*

Hist. II. *Dysenteria Arthritica in Abscessum migrans.*

C A P. VI.

De Abscessu Intestinorum Arthritico.

AD Abscessum inferendum *Miasma Arthriticum cum primis aptum. ART. I. Ejus formandi ratio, II. Causæ ejus binæ, quarum altera dictum Miasma è Sanguine expulsum; altera Intestinorum Imbecillitas, III. Hic Abscessus sæpe magnus, in alimentari Fistula, creberrimus; sæpe recidivus, IV. Si in Ano fuerit, eadem fere Curatio, quæ in Abscessu Ani genuino: si in Fistulæ superiori parte, raro ante Puris Evacuationem sentitur. Dysenterici aliquando ἄνι γίνεται. Quæ, rupta Vomica, conveniat Curatura. Evacuato Pure, Balsamica; Venæ sectio interdum prodest. Aqua ferrata, cum è Ferro præparatis, & restrictentibus, &c. ὑποφυλάττονται, V. Veteres Arthritici Vitiis Ani Arthriticis affliguntur, VI. Arthritis in Visceribus, à Luciano belle descripta, VII.*
 Historia I. *Abscessus Intestinorum Arthriticus auspiciato sanatus, recurrendo lethalis.*
 Hist. II. *Abscessus Ani Arthriticus, feliciter curatus.*
 Hist. III. *De Ani Arthritica, propter Aloëticum, Inflammatione, cum instante Gangræna.*

C A P. VII.

De Melancholia Arthritica.

TRansitio, ART. I. Morbi hujus Mos; II. Dyspepsia oritur. Ut ab Arthritide Melancholica distinguatur. III. Curatio Purgantibus, (sed blandis) & Podagragogis peragenda: Quæ ratio Prophylaxeos, IV.

Historia I. Melancholia, propter Arthritidis Paroxysmos minus idoneos. Hist. II. Arthritis Melancholico Saluti. Hist. III. Melancholiam, & Hydropa Arthriticum sanat, arte comparata, Arthritis idonea.

C A P. VIII.

De Syncope Arthritica.

TRansitio, ART. I. Morbi ratio, II. Therapia requirit Cardiaca, admodum generosa; Frictiones, interdum Vomitionem, eamque Vino movendam, III.

Historia I. Syncope Arthritica, foras abacta Hoste, curata. Hist. II. Alia ejusmodi. Hist. III. Arthritide diu ignava & inertis, generata Syncope, illius Paroxysmo regulari sublata.

C A P. IX.

De Calculo Renum Arthritico.

Raro cuiquam unquam Morborum frequentius supervenit Calculus, quàm Arthritidi; Estque vulgari Renum Calculo, Arthriticus persimilis, ART. I. Huic malo conferunt mala Concoctio, & Lacteorum Ora nimis dehiscencia, II. Est hic Calculus, Lapidis Calcarii cum Sale suo Calcario, vel Ochrae cum Sale Vi-

triolico, coitio, III. Ejusdem planè Naturæ est cum Tofo Arthritico, IV. Ut à Colica, tam Exquisita, quàm Arthritica distinguatur, V. Si Paroxysmus simul Arthriticus erit, nullus hic Acidorum Fotuum, aut Cataplasmatum usus: Profunt interdum Paregorica. Silente verò Arthritide, si quis hoc Calculo ægrotet, quæ Curatio. Syrupi Præparatio Balsamici. In Dysuria Calculo superveniente, juvant Opiata cum Diureticis juncta. Dorsi Dolor judicium Calculi æquivocum.

Historia I. Calculo & Chiragræ una concurrentibus, facta simul Medicina. Hist. II. Adversus Calculum Arthriticum Prophylaxis. Hist. III. Calculus Arthriticus, Vertigo Arthritica, & Arthritis regularis se mutuo excipientes.

C A P. X.

De Asthmate Arthritico.

UNum hoc Capite tractatum Asthma, nimirum Ἰδιοπαθικόν, ART. I. Quænam hoc Affectu Corpora maxime graventur, II. Causa Continens, Miasma Arthriticum, III. Causæ remotiores, IV. Asthmatis hujus, & Arthritidis ratio inter se, naturam illius Arthriticam manifestè probat. V. Est vel Siccum, vel Humidum; utriusque Mos, VI. Virus Arthriticum Pituita involutum, Sputatione ejicitur; & quidem commode, VII. In Asthmate sicco quodnam Morbi Subjectum? VIII. Asthma interdum occurrit Arthriticum sine prævio Arthritidis Paroxysmo, IX. Quæ in utroque Asthmate, (tam humido, quàm arido) Πρόγνωσις, X. Curatio tollit Impedimentum respirandi, Venæsectione, Purgatione, Clysteribus: Quæ Sicco

Siccio propria; quæ Humido *Therapia*:
Quid in Paroxysmo faciendum; quid in
Prophylaxi. XI.

História I. Adolescens, ab Arthritide
Asthmaticus, Empirici Narcotico
peremptus.

Hist. II. Asthma siccum, Arthriticum;
Venæ sectione & Cardiaco sublatum.

Hist. III. Arthritidis in Paralyfin, &
Asthma Metamorphosis.

Hist. IV. Arthritis in Asthma, & Hy-
dropa desinens.

Hist. V. Asthma cum Iliade Malorum,
Arthritidos defectu Regularis, exortū.

Hist. VI. Asthmatis Vultum induens
Arthritis.

Hist. VII. Ab Arthritide reperiussa Pe-
toris externi Oppressio, Spiritus im-
peditus.

C A P. XI.

De Catarrho, Tussi, & Peripneumo-
nia Arthritica.

HI *Affectus, quoniam ab eadem Cau-*
sa eundem Locū aggravante fiunt,
una hoc Capite tractantur, ART. I. Quæ-
nam ii creberrimè invadunt, quæque
Corpora potissimè laceffunt, II. Achores,
& Catarrhi Puerorum, qui Arthriticis
orti sunt Parentibus, haud immerito su-
specti, III. Arthritidis in Pulmonem Ms-
τάβασις omnium certissima. De minus cer-
tis quomodo judicandum, IV. Seniores
sæpe invadunt hæ Anomalix & quæ de
causa, V. Sputi consideratio, VI. Si Affe-
ctus Arthritidi Regulari apponuntur,
VII. Tussis eorum omnium frequentis-
sima, aliquando Regularis Paroxysmi
Symptoma prænuntium, VIII. Tussim
interdum excipit Hæmoptoe, IX. Tem-
pus horum Affectuum Autumnus; multū
ad eos confert Pulmonis Imbecillitas,

X. Ex Algore, vel Cardiacis Peripneu-
monia nonnunquam accedit, XI. Meden-
di Indicatio communis est, ut Pulmo
quam citissimè levetur: Ubi nihil adver-
satur, prodest Venæ sectio; maximè verò
in Peripneumonia: In plerisque Purga-
tio, sed peculiari modo facienda: Tum
Ποδαγραγωγὰ, cum Anacatharticis jun-
cta. Horum Formulæ proferuntur. Ad
prohibendam Sanguinis Colliquationem
valet Decoctum Corticis. His succedunt
Externa, Arthritidem evellentia: qui-
bus severis, non nisi urgente necessita-
te, utendum est, XII. Ad Prophylaxin,
aperiantur in Dorso Fonticuli: Aère
aperto fruatur Æger; quibus, aliisque
hac in re, idoneis, aut prætermisissis, aut
perperam adhibitis, Æger φθ'σει oppri-
mitur, XIII. Peripneumonix quæ Ar-
thriticæ Curatio, XIV. Medicina ist-
hæc (alia, quam Clariss. Sydenhami)
defenditur. XV.

História I. Tussis Arthritica.

Hist. II. Tussis Paroxysmi Arthritici
Symptoma prænuntium.

Hist. III. Sputatio Arthritica, in extre-
ma etate nimia.

Hist. IV. Anacatharsis Arthritica Sa-
lutaris.

Hist. V. Peripneumonia Arthritica.

Hist. VI. Catarrhus, Asthina, Tussis
Arthritica, per Humorū in Artus
Αρτίωσιν, & deinde Evacuationem
mitigata, sublata.

C A P. XII.

De Phthisi Arthritica.

TRansitio, ART. I. *Morbi hujus Ηθ' &*
II. Ultimum ejus Stadium, cum Ex-
quisitæ Phthiseos ultimo concordat. Ho-
mines natu provectiores (aliter, quam
Exquisita Phthisis) aggreditur; Febris

ejus *Hæctica*, plerumque *Lenta*, III. Nunc ex *Arthritide* *repercussa*, hæc *Phthisis* brevi tempore fit; alias non nisi spatio annorum aliquot, IV. *Morbi* *Natura* patet ex ejus *Γενεαλογία*, V. *Curatio* postulat, ut *Pulmo* allevetur. In principio valere potest *Phlebotome*, & *Catharsis*. Postea *Bechicis*, & *Ποδαγραγωγῶν* utendum; & quidem eo usque, quoad siverit à *Febre* periculum, & postulaverit *Arthritidis* *Expulsio*. Si *Febris* exardeat, quid fieri oporteat. Hisce dies aliquot adhibitis, extra admoveantur *Arthritidem* educentia. *Opiata*, & *Incrassantia* merito suspecta, VI. *Prophylaxeos* ergo, maximè valèt *Aquæ Ferratæ*, & *Aër*, præcipuè *Maritimus*. *Profunt* *Artuum* *Fricationes*, *Fonticuli*, *Sorbitio*, *Chocolata* *Pectoralia*; obsunt *Catarrhi*, VII. *Galenus* mentionem fecit hujusmodi *Πεύματ* (scil. *Arthritici*) in *Pulmonibus*, *Ægros* sæpe suffocantis, VIII.

Historia I. *Tussis* *Arthritica* *lethalis*.

Hist. II. *Phthisis* *Arthritica*, *Medicamentis* *Calidioribus* sæpe levata.

Hist. III. *Phthisis* *Arthritica*, *incipiens*, *curata*.

C A P. XIII.

De Angina Arthritica.

Febriacula ad expellendum *Miasma* *Arthriticum*, in *Sanguine* excitata, non nunquam parit *Anginam*, I. *Natura* ejus *Arthritica*, ut detegatur, II. *Quæ* illa *Corpora*; & quas ob *προφάσεις* invadat usitatissime, III. *Diagnos*is, IV. *Cum* *Angina* *exquisita*, ejus *convenientia*, V. *Curatio* vult, ut *Fauces*, quam primum alleventur, & quidem *Metho*do *privata*: Prodest interdum *Laringotome*, VI. *Uti* non nunquam *Acida*: *Externa*, *Arthritidem* educentia, VII.

Historia I. *Arthritis* *Fauces*, & *Artus* simul semelque occupans.

Hist. II. *Anginæ* *Arthriticæ*, ad *Abscessum* tendentis, in *Arthritida* *Regularem* *Metamorphosis*.

Hist. III. *Materia* *Arthritica* partim *Abscessu* *Anginoso*, partim per *Articulares* *Glandulas* expressa.

Hist. IV. *Arthritis* primum *Fauces*, deinde *Articulos* invadens.

Hist. V. *Anginæ* *Arthriticæ* auspiciato supervenit *Arthritis* *Regularis*.

Hist. VI. *Angina* & *Abscessus* *Arthriticus* cum *Arthritide* insequenti, re-cta idonea.

Hist. VII. De *Arthritide* multos annos *Erratica*, tunc *Anginam* iterum, & sæpius simulante; postremo *Regulari*, *Fixa*.

C A P. XIV.

De Capitis Dolore, & Vertigine Arthritica.

Obscuri sunt in *Capite* *Partium* usus, I. Quos sæpissime infestet *Dolor* hic *Arthriticus*, II. *Ejus* *Mos*; *Signum* est aliquando *Paroxysmi* *Regularis* prænuntium: Ni tale fuerit, et si in *Capite* *Materia* remanserit, *Apoplexiam* introducit, III. Ut de ejus *ὑπόρξει* constet; *Dolor* hic interdum lenis, interdum pene ad *Delirium* usque gravis, IV. *Paroxysmum* aliquando *Perfectum*, aliquando *intercisum* excipit. V. *Vertiginis* *Arthriticæ* *Comes* fere *individua*, & tanquam *Soror* *gemina* est, VI. *Vertiginis* *Arthriticæ* *Subiectum* est *Cogitandi* *Officina*: *Cogitationis* *ratio* *probabilis*: *Videtur* esse quædam *Πνευματικὴ*, VII. In *Virgine* *Spirituum* *Fluctuationes* interturbantur, VIII. *Spirituum* *Ἐκτὸς* à *Cl. Willisio* propositus, in *dubium* vocatur. *Rerum* *Externarum* *Imagines*

Imagines in Capite veræ, ut & in Vertigine falsæ, per iis Rebus dissimilia fieri possunt, IX. Perturbantur Spiritus, vel ab alieno, à Sanguine accepto, hæc in penetralia se insinuante; vel Externo aliquo Tubulos coarctante, X. Vertigo hæc in plerisque, cum Dolore Capitis Arthritico concordat: Aut in Paroxysmum regularem, aut in Apoplexiam migrare solet. Miasma Arthriticum Epilepsiæ generandæ parum idoneum, XI. Horum Affectuum Curatio communis; tum etiam singulis propria. Balsamum Cephalicum Doctoris Waterhouse: Emulsa, Narcotica, Oxyrrhodina, &c. quæ Materiam Capiti infigant, omnino fugienda. Prophylaxis, XII.

Historia I. Ab ignava Arthritide Vertigo, Sanguinis missione & Alvi ductione victa.

Hist. II. Vertigo Arthritica, Purgatione in Podagram mutata.

Hist. III. Vertiginem, & in Capite Dolorem faciens Arthritis; idque usitate, Venæsectione & Purgatione toties in Articulos acta.

Hist. IV. Capitis Dolor, & Vertigo Arthritica sæpe revertentes, simili Methodo curati.

Hist. V. Cephalalgia Arthritica, Phlebotome & Spiritu Volatili in Podagram versa.

Hist. VI. Miasma Arthriticum in Caput immissum, Vertiginem & Dolorem inferens, eo revulsum, & in Artus amandatum.

Hist. VII. Cephalæa, & Vertigo Arthritica, Medicina pari, cum Phænigmis, sublata.

Hist. VIII. Vertiginis Arthriticæ cum Spirituum depressione gravi, Curatio.

Hist. IX. Ex Arthritide Vertiginosus, Victu nimis tenui depressus, interemptus.

C A P. XV.

De Apoplexia Arthritica.

TRansitio, I. Apoplexiæ hujus Mos, & Medicina propria, II. Moris istius explicatio, III. Morbi ex Symptomatum Ordine investigatio, IV. Subjectum Cerebri Cortex, V. Causa continens, Vasculorum in Cerebri Cortice Dilatatio; vel Lentor Sanguinis; vel Miasma Tubulos subintrans, Spiritusque cominus aggressum, VI. Causæ remotæ. VII. Ex uno Miasmate pendet Arthritico, VIII. Prognosis, IX. Curatio propria, X. Prophylaxis, XI. Apoplexiæ, à Causa Arthritica, Symptomaticæ Curatio, XII.

Historia I. Vertigo Arthritica, cum impendente Apoplexia.

Hist. II. Arthritidi percussæ superveniens Apoplexia.

Hist. III. Somnus, ab Opiato profundus, ipsa propemodum Mors.

Hist. IV. Arthritis, ex Acidorum usu gravior, in Apoplexiam desinens Symptomaticam.

Hist. V. Apoplexia Arthritica feliciter curata.

Hist. VI. Apoplexiæ ut occurratur Arthriticæ.

C A P. XVI.

De Paralyti Arthritica.

Miasma nunc in Meditullii Tubulis sistit; unde Apoplexia Idiopathica, I. Sæpe ad Tubulos Nervinos propellitur; unde Paralytis Arthritica, II. Fieri potest, vel à Materia Viscida, vel à Virulenta, III. Causæ ejus remotiores, IV. Morbi istius, pro ratione Partis affectæ, varium, V. Ejus Differentiæ, VI. Typos habet aliquando Paralytis Hysterica, VII. Prognosis, VIII. Therapia

pie peculiaris; IX. Prophylaxis, X. Historia I. Cephalalgia Arthritica, cum Paralyfi incipiente, curata.

Hist. II. Hemiplegia Arthritica simili modo curata.

Hist. III. Paralyfis Arthritica, cum Spasmo Oris Cynico, lethalis.

Hist. IV. Colica Arthritica in Paralyfin degenerans Arthriticam.

Hist. V. A Materia Colicæ Biliosa, primum Arthritis, & deinde Paralyfis.

Hist. VI. Ob Arthritidem, in Nervos inverfam; ΑΦωρία.

Hist. VII. Ex Morsu Canis, Arthritidis rectæ Silentium, Stupiditas, Paralyfis, Arthritide denuo facta Regulari, curata.

Hist. VIII. Convulsiones, ex Arthritide inverfa, universales, Arte Medica sublata.

C A P. XVII.

De Doloribus in Corpore vagis, fixis; de Ophthalmia; de Erysipelate, & Achoribus Arthriticis.

T*Ransitio, ART. I. Horum quis Dolorum Mos: Rheumatismi nomine vulgo delitescunt Vagi. Fixi nunc quasi Nephritici; nunc Oculos, Faciem, Aures occupat Miasma, & Ophthalmian quandam, Erysipelas, Achores inducit. Achores Arthritici vices aliquando tenent Arthritidos summè Regularis, II. Affectus. hi, periculo magnam partem exper-*

tes, ad regularem Arthritida propius accedunt. A Trunci Ambiturarius, quàm ab Artubus, ad ea, quæ intus sunt, transfertur Arthritis, III. Harum Anomaliarum Medicina communis, propria. Nullus ob Achores excitandus Articularis Dolor: quod de una hoc Anomala proponendum, IV.

Historia. Achores, ab Arthritide, in alio Corpore generati.

C A P. XVIII.

De Epiphora, & Dolore Dentium Arthritico.

D*E Dolore Dentium exquisito scripsit Strobelbergerus, ART. I. Ejus Arthritici Mos & Natura, II. Quæ istorum Affectuum Medicina communis, quæ eorum singula propria, III.*

Historia. Dentium Dolor Arthriticus.

C A P. XIX.

Corollaria continet, cum Epilogo.

D*issertationis summa, ART. I. Hujusmodi Medicinæ quæ necessitas; Arthritis rarè occidit Regularis, rarè nisi prius degenerans in Anomalam: ita vero creberrimè, II. Si quis hasce Anomalias, Partium affectarum Morbos esse Vernaculos affirmaverit, nostram hac de re Doctrinam minimè convellet, III. Aliæ sunt Arthriticæ minoris Ordinis Anomalix, propter obscuritatem prætermiffæ, IV. V. Epilogus.*

F I N I S.

